WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.



DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bwb_T5-ASB-066

P. Laurentius Feldinger
Prov. SS. Cordis

DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE

AUCTORE
CHRISTIANO PESCH S. J.

EDITIO PRIMA ITERATA

Ad complendum hoc opus ab eodem Auctore compositum est *Supplementum* de recentioribus disputationibus et decretis ad inspirationem Sacrae Scripturae spectantibus, quod separatim venumdatur

220.01
P473d



FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXV
HERDER & CO.
TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Cum opus, cui titulus est „De inspiratione Sacrae Scripturae", a Christiano Pesch, sacerdote Societatis Iesu, compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Valkenburgii, die 21 Aprilis 1905

E. Thill S. J.
Vice-Praep. Prov. Germ.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 10 Septembris 1925

Dr. **Mutz,** Vic. Gen.

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae

1908

INDEX PARTIUM.

Pag.

Prolegomena 1

Liber I.

HISTORICUS.

Caput I.

IUDAEORUM DOCTRINA DE INSPIRATIONE BIBLICA.

Art. I. De fide veteris synagogae 11
De testimoniis Veteris Testamenti 11
De traditionibus talmudicis 13
Art. II. De Iudaeis hellenistis 16
Philo 17
Flavius Iosephus 24
Art. III. De posteriorum Iudaeorum doctrina 27
Maimonides 28
Spinoza 34
Moses Mendelsohn 37

Caput II.

VETERUM CHRISTIANORUM DOCTRINA DE INSPIRATIONE BIBLICA.

Art. I. De testimonio Novi Testamenti, de Patribus apostolicis, de Apologetis 38
Christi testimonium 38
Evangelistarum et apostolorum testimonium 39
Doctrina duodecim apostolorum 40
Barnabae epistula 40
Clemens Romanus 40
Polycarpus 41
Iustinus Martyr 41
Cohortatio ad Graecos 44
Theophilus Antiochenus 45
Scriptor anonymus 46
Art. II. De aliis quibusdam Patribus antiquissimis 46
Irenaeus 46
Hippolytus 48
Tertullianus Catholicus 50
Cyprianus 51
Lactantius 52

Pag.
Marius Victorinus 52
Hilarius Pictaviensis 53
Zeno Veronensis 55
Optatus Milevitanus 55
Art. III. De quodam Montanistarum errore 56
Scriptor anonymus 56
Miltiades 57
Tertullianus Montanista 57
Epiphanius 58
Hippolytus 60
Art. IV. De Schola Alexandrina 60
Clemens Alexandrinus 60
Origenes 62
Basilius 69
Athanasius 71
Gregorius Nazianzenus 72
Gregorius Nyssenus 72
Cyrillus Alexandrinus 73
Eusebius Caesariensis 74
Ambrosius 74
Art. V. De Schola Antiochena 77
Eustathius Antiochenus 77
Theodorus Mopsuestenus 78
Leontius Byzantinus 81
Theodoretus Cyrensis 82
Ioannes Chrysostomus 84
Isidorus Pelusiota 91
Cyrillus Hierosolymitanus 91
Art. VI. De scriptoribus graecis posteriorum saeculorum 93
Ioannes Damascenus 93
Bessarion 94
Photius 95
Euthymius Zingabenus 96
„Confessio orthodoxa“ 97
Art. VII. De scriptoribus syriacis 98
Ephraem 98
Aphraates 100
Iacobus Sarugensis 102
Iunilius Africanus 102
Art. VIII. De posterioribus Patribus latinis 104
Hieronymus 104
Augustinus 111
Salvianus 122
Leo Magnus 122
Gregorius Magnus 123
Art. IX. De veterum Conciliorum et Pontificum doctrina 125
Symbolum Constantinopolitanum 126
Concilia Hipponense et Carthaginiense 126
Decretum Gelasianum 127
Concilium Toletanum 127
Statuta ecclesiae antiqua 127
Concilium Constantinopolitanum II 128
Conclusio huius partis 128

Caput III.

DE SCRIPTORIBUS INTERMEDIIS INTER PATRES ET SCHOLASTICOS.

Pag.
Cassiodorius 129
Isidorus Hispalensis 130
Beda Venerabilis 131
Agobardus 133
Rabanus Maurus 135
Eucherius Lugdunensis 138
Angelomus Luxoviensis 138
Odo Cluniacensis 139

Caput IV.

DE THEOLOGIS ANTE CONCILIUM TRIDENTINUM.

Art. I. De praecursoribus theologiae scholasticae 140
Hugo Victorinus 141
Bruno Astensis 143
Art. II. De vetere Schola Franciscana 145
Alexander Halensis 145
Bonaventura 147
Duns Scotus 149
Rogerus Bacon 151
Nicolaus Lyranus 155
Art. III. De vetere Schola Dominicana 157
Albertus Magnus 157
Thomas Aquinas 159
Durandus 171
Raimundus Martini 172
Art. IV. De aliis quibusdam theologis medii aevi 174
Henricus Gandavensis 174
Aegidius Romanus 181
Richardus Armachanus 183
Petrus de Alliaco 189
Ioannes Gersonius 189
Thomas Waldensis 192
Dionysius Carthusianus 195
Art. V. De definitionibus Conciliorum et summorum Pontificum . . . 199
Quaedam fidei professiones 199
Definitiones contra haereticos 200
Eugenius IV, Ioannes XXII, Benedictus XII 200

Caput V.

DE DOCTRINA PROTESTANTIUM.

Art. I. De hæresiarchis saeculi XVI 202
Lutherus 202
Zwinglius 206
Calvinus 209
Art. II. De libris symbolicis Protestantium 211
Formula Concordiae 211
Apologia Confessionis Augustanae 211
Confessio Helvetica prior 211
Confessio Helvetica posterior 212
Formula Consensus Helvetica 212

Pag.
Art. III. De veteribus theologis lutheranis 213
Melanchthon 213
Martinus Chemnicius 216
Ioannes Gerhardus 217
Quenstedt 221
Calovius 222
Art. IV. De Rationalismo biblico in Germania 223
Semler 224
Kant 226
Wegscheider 229
Art. V. De Semirationalismo biblico in Germania 230
Schleiermacher 231
Rothe 233
Dietsch 238
Cremer 239
Kirn 241
Art. VI. De statu quaestionis biblicae, qui nunc est in Germania . . 242
Theologi critici (Haupt) 242
Theologi conservativi 246
Theologi orthodoxi 248
Art. VII. De progressu quaestionis de inspiratione in Gallia, Helvetia, Hollandia 249
Theodorus Beza 249
Benedictus Turretinus 250
Hugo Grotius 251
Ioannes Clericus 252
Gasc 252
Gaussen 253
Monod 253
Coquerel 254
Edmundus Scherer 254
De Gasparin 255
Jalaguier 255
De Pressensé 256
Rabaud 256
Art. VIII. De doctrina inspirationis in Britannia 258
Wilh. Whitaker 258
D. Whitby 260
C. Gore 261
W. Sanday 262
J. Clifford 263

Caput VI.

DE THEOLOGIS CATHOLICIS POST CONCILIUM TRIDENTINUM.

Art. I. De Concilio Tridentino 264
Art. II. De Schola Thomistica post Conc. Trid. 269
Melchior Canus 270
Dominicus Bañez 272
Billuart 276
Zanecchia 276
Art. III. De disputatione Lovaniensium cum Lessio 278
Gregorius de Valentia 278
Lessius 279
Estius 283

Pag.
Art. IV. Sententia communior post Conc. Trid. 283
Bellarminus 283
Franciscus Suarez 286
Cornelius a Lapide 290
Marchini 290
Alii theologi 294
Art. V. Disputatio de conceptu inspirationis nostra aetata orta . . . 295
Franzelin 295
Kleutgen 298
Franciscus Schmid 299
Crets 302
Oppositio contra communem sententiam et disputatio inter Zanecchia et van Kasteren 305
Art. VI. Laxiores quaedam opiniones de inspiratione ante Concilium Vaticanum 313
Holden 313
Simon (De Dominis) 315
Chrismann (Calmet, Stattler) 319
Bonfrerius 323
Jahn 325
Haneberg 326

Caput VII.

DOCTRINA INSPIRATIONIS POST CONCILIUM VATICANUM.

Art. I. De Concilio Vaticano 327
Art. II. Disputationes ortae de extensione inspirationis et infallibilitatis Sacrae Scripturae 333
Bartolo 333
Newman 335
Lenormant 337
D'Hulst 340
Art. III. Litterae Leonis XIII 343
Encyclica „Providentissimus Deus“ 344
Litterae ad Ministrum Generalem O. M. 346
Litterae ad Clerum Galliae 347
Art. IV. Disputationes recentissimae 347
Lagrange 348
Prat 358
Loisy 362
Zanecchia 368
Billot 371
Conclusio 374

Liber II.

DOGMATICUS.

Praenotanda 379

Caput I.

DE EXSISTENTIA INSPIRATIONIS.

Art. I. Testimonia Scripturae de inspiratione 382
§ 1. Testimonia Veteris Testamenti 382
§ 2. Testimonia Novi Testamenti 387

Pag.
Schol. 1. Potestne ex sensu typico Scripturae eius inspiratio probari? 391
Schol. 2. Possitne inspiratio Novi Testamenti ex Sacra Scriptura probari 393
Art. II. Testimonia Traditionis de inspiratione 394
§ 1. Testimonium practicum ex usu veterum Christianorum . . 394
§ 2. Testimonia theoretica SS. Patrum et Conciliorum . . . 400

Caput II.

DE ESSENTIA INSPIRATIONIS.

Art. I. Quae permiscenda non sint cum dogmate inspirationis . . . 402
Art. II. De auctoribus Scripturae divino et humanis 406
Art. III. Quid non sufficiat ad inspirationem 410
Art. IV. Quid non requiratur ad inspirationem 413
Art. V. De influxu Dei in intellectum hagiographi 421
Schol. 1. Num hagiographi sibi conscii fuerint inspirationis . 427
Schol. 2. Num liber 2 Machabaeorum excerptus sit ex Iasonis libris 429
Art. VI. De influxu Dei in voluntatem et facultates exsecutivas hagiographi, de assistentia divina et de libris ecclesiae tradendis 431
Conclusio. De definitione et de gradibus inspirationis . . . 437

Caput III.

DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS.

Art. I. De extensione inspirationis ad res omnes in Scriptura contentas . 440
Art. II. Quo sensu singula Scripturae dicta sint Dei verba 444
Art. III. De extensione inspirationis ad verba materialia Scripturae . . 459
§ 1. De qua re quaeratur 459
§ 2. Quid ex Scriptura discamus de inspiratione verbali . . . 464
§ 3. Sententia SS. Patrum et theologorum de verbis materialibus S. Scripturae 471
§ 4. De recenti quadam explicatione inspirationis verbalis . . 476
§ 5. Quid secundum explicationem inspirationis antea datam de influxu Dei in verba materialia Sacrae Scripturae censendum sit . . 482
Schol. Sententia S. Augustini de speciali maiestate eloquentiae biblicae 487

Caput IV.

DE INERRANTIA SACRAE SCRIPTURAE.

Art. I. Sacra Scriptura immunis est ab erroribus 489
Art. II. Num argumentum patristicum pro inerrantia Scripturae infirmetur expositionibus allegoricis SS. Patrum 494
Art. III. Non eadem veritas omnibus Scripturae partibus convenit . . 501
Art. IV. Quomodo veritas Scripturae se habeat ad disciplinas physicas . 511
Art. V. De differentia quadam inter res physicas et res historicas . . 519
Art. VI. Sintne in libris historicis Sacrae Sripturae mythi vel legendae . 528
Art. VII. Num Patres quidam docuerint narrationes historicas Scripturae non semper esse vere historicas 532
Art. VIII. De „citationibus implicitis“ sacrorum scriptorum 539
Art. IX. De traditionibus popularibus 547

Caput V.

DE SENSU SACRAE SCRIPTURAE.

Pag.
Art. I. De sensu litterali 552
Art. II. De sensu typico 565
Schol. Sintne praeter sensum litteralem et sensum typicum alii sensus Scripturae statuendi 570

Caput VI.

DE PERSPICUITATE ET SUFFICIENTIA SACRAE SCRIPTURAE.

Art. I. De perspicuitate Sacrae Scripturae 573
Art. II. De sufficientia Sacrae Scripturae 578

Caput VII.

DE CRITERIIS INSPIRATIONIS.

Art. I. Universale inspirationis criterium est sacra traditio 591
Art. II. Quid criteria interna valeant ad inspirationem librorum sacrorum stabiliendam 600
Art. III. Quid valeat testimonium Scripturae de sua inspiratione . . 607
Art. IV. Situe apostolatus criterium inspirationis 611
Conclusio 636

PROLEGOMENA.

1. Libri illi, quos Sacram Scripturam vocamus, considerari possunt aut secundum externam formam, qua aliis libris similes sunt, aut secundum internam indolem, qua praeter omnes alios libros sacri et divini sunt.

Ex priore illo considerandi modo oriuntur quaestiones de numero, authentia, partitione sacrorum librorum, de canone eiusque historia, de apographis et versionibus, quas omnes quaestiones ut proprias sibi vindicat illa disciplina, cui Introductionis in Sacram Scripturam nomen imposuerunt.

In quantum vero factis supernaturalibus ortum suum debet, Sacra Scriptura pertinet ad obiecta theologiae dogmaticae, cum haec sit scientia ordinis supernaturalis.

Credit enim et profitetur ecclesia catholica libros Sacrae Scripturae non opera pure humana confectos esse, sed divinitus inspiratos Deum habere auctorem principalem ideoque per excellentiam sacros esse.

Possunt quidem libri aliqui dici sacri ea quoque de re, quia sacra continent et ad sanctificandos homines valent; at sine dubio multo excellentiore ratione sacri sunt illi libri, quorum Deus ita auctor est, ut per eos ipse ad homines loquatur[1]. Actio autem divina, qua Deus est auctor sacrorum librorum, vocari solet inspiratio.

2. *Inspirationis vocabulum in Scriptura et Traditione multiplices sensus* habet, quibus omnibus, quatenus ad Deum referuntur, subest *communis notio motionis cuiusdam divinae in homines procedentis.* Ita in creatione hominis Deus dicitur inspirare *(naphach, ἐμφύειν)* in faciem eius spiraculum vitae (Gn 2, 7), i. e. animam vivificantem. Unde Sap 15, 11 idololatra incusatur: „Quoniam ignoravit, qui se finxit, et qui inspiravit *(τὸν ἐμπνεύσαντα)* illi animam, quae operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem." Sanctus vero Paulus monet Graecos, ut relictis inanibus diis colant eum Deum, „qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt. Hic caeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem *(πνοήν)* et omnia" (Act 17, 24 25).

[1] *S. Thomas,* In Rom. 1, 2 lect. 2.

Neque physicam tantum vitam inspiratione sua dat et conservat Deus, sed etiam respectu salutis aeternae divina „Sapientia filiis suis vitam inspirat[1] et suscipit inquirentes se et praeibit in via iustitiae“ (Eccli 4, 12). Unde factum est, ut ecclesia *omnem salutarem influxum Dei in animam hominis* vocaret inspirationem. Ita e. g. loquitur *Concilium Arausicanum II* de „infusione et inspiratione Sancti Spiritus“, qua agere valeamus sicut oportet (can. 6), et negat „absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti“ evangelicae praedicationi nos consentire posse (can. 7). Qua in definitione theologi vocem illuminationis ad intellectum, vocem autem inspirationis ad voluntatem referre solent. Neque immerito, cum ipsum Concilium voluntatem nostram per inspirationem Spiritus Sancti ab infidelitate ad fidem corrigi doceat (can. 5). Simili modo loquuntur alia Concilia, ut *Tridentinum* (sess. 6, c. 5) et *Vaticanum* (sess. 3, c. 3). Hinc communis est apud theologos dogmaticos divisio gratiae actualis in illuminationem intellectus et *inspirationem voluntatis.*

Neque *canonistis* ignota est peculiaris quaedam inspiratio divina. Agentes enim de electione canonica, quandam eligendi formam commemorant, quam vocant formam inspirationis. Hanc iterum duplicem esse posse dicunt· aut inspirationem simpliciter, qua promovendus per revelationem a Deo designatur; aut inspirationem secundum quid vel quasi inspirationem, qua electores in locum electionis congregati, nullo antea inter se habito consilio, unanimiter sine dubitatione et contradictione in unum eligendum conspirant. Talis enim unanimitas signum praesumitur inspirationis Spiritus Sancti. Hic igitur inspiratio intellegitur insolitus quidam influxus divinus[2].

3. Similiter *theologi dogmatici inspirationem per excellentiam appellant non eam, quae omnibus Christianis accidit, sed charismaticam,* qua pauci extra communem ordinem dignati sunt. Sed ipsi quoque voci inspirationis charismaticae modo ampliorem modo angustiorem sententiam subiciunt. *Interdum enim omnis revelatio supernaturalis, quae non extrinsecus, sed in ipsa mente hominis fit, inspiratio vocatur.* De qua re *Denzinger*[3]: „Revelatio, inquit, interna, quae Deo in spiritum hominis influente fit, latiore vocis significatione inspiratio, a veteribus autem prophetia, item latiore significatione, appellatur.“ Sed, ut ibidem addit, usu loquendi theologico nomen inspirationis potius restringitur ad eas revelationes internas, quibuscum coniunctus erat *impulsus ad res revelatas cum aliis communicandas.* „Immo hanc distinctionem eo etiam extenderunt, ut revelationem eam tantum vocarent, qua ignota manifestarentur, inspirationem vero solum impulsum communicandi vera, etsi forte aliunde iam nota.“

[1] Graece: „Filios suos exaltat“, hebraice: „Filios suos docet.“
[2] *Wernz,* Ius decretalium II, Romae 1899, 483.
[3] Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis II, Würzburg 1857, 152.

Reapse in theologia dogmatica nunc semper fere distingui solet inspiratio a revelatione stricte dicta, quae duae res, quamquam tempore congruere possunt, essentia tamen et natura differunt, cum aliud sit ignota percipere, aliud ad instruendos homines moveri. Sit itaque hoc fixum et determinatum: *inspirationem, quae proprie vocatur, theologis esse motionem quandam supernaturalem, qua homines incitantur, ut ea, quae Deus vult, aliis proponant.* Quia vero haec propositio fieri potest aut loquendo aut scribendo, rursum distingui possunt duae inspirationes, quarum altera *inspiratio prophetica*, altera *inspiratio biblica* dicitur[1]. De sola inspiratione ad scribendum nobis agendum erit.

Haec inspiratio comparari quidem potest cum gratia actuali, quia utraque consistit in motione quadam mediata et immediata voluntatis. Nihilominus ea differentia obtinet, quae generatim est inter gratiam gratis datam (charisma) et gratiam gratum facientem. Haec enim cum destinetur ad promovendam salutem eius, qui eam recipit, ideoque omnibus paretur, illa datur non directe ad salutem recipientis, sed ad aliorum utilitatem, et paucis tantum conceditur. Utraque tamen pertinet ad ordinem supernaturalem.

4. Inspiratio divina graece *θεοπνευστία* dicitur secundum illud 2 Tim 3, 16: *Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος*. Cum *θεόπνευστος* sit *ἅπαξ λεγόμενον* in Scriptura, *significatio vocis* haurienda est aut ex ipsa grammatica forma, aut ex collatis locis parallelis extra Scripturam inventis, aut ex constanti expositione interpretum, maxime graecorum.

Iam quod attinet formam grammaticam, notum est adiectiva verbalia in *τος* plerumque habere significationem passivam, quemadmodum, ut maneamus in verbo *πνέω*, *ἔμπνευστος* est inflatus. Interdum vero significatio est activa, qua ratione *εὔπνευστος* dicitur, qui libere respirat. Ergo per se *θεόπνευστος* potest aut passive aut active intellegi. Si passive accipitur, vertendum est „a Deo inspiratus"; sin active: „Deum spirans." Illa versio, cum regulae respondeat, vera praesumenda est, quamdiu solidae rationes non ostenduntur, cur praeferenda sit altera, quae magis est per modum exceptionis. Correspondentia composita cum voce *θεός* plurima sensum passivum prae se ferunt, ut *θεόγνωστος*, *θεόδοτος*, *θεοκίνητος*, *θεόπεμπτος* aliaque, quae sunt multo plura numero quam ea, quae sensum activum habent, ut *θεόκλυτος* et pauca alia. Unde mirum non est, quod lexicographi et grammatici sine haesitatione *θεόπνευστος* vertunt „a Deo inspiratus"[2]. Solus fere videtur ex adversa parte stare *H. Cremer*, qui in „Vocabulario Graecitatis Novi Testamenti" (s. v. *θεός*, *θεόπνευστος*) reicit

[1] Dr *Franc. Leitner*, Die prophetische Inspiration, Freiburg 1896, 3.

[2] *Winer-Moulton*, Grammar of New Testament Greek, 3. ed., Edinburgh 1882, 120, ubi in nota additur: „The *passive* interpretation of this word in 2 Tim 3, 16 can admit of no doubt."

sensum „Scriptura a Deo inspirata“ et censet vertendum esse „Scriptura Deum spirans“. Cuius tamen solius auctoritas, quantumvis apodictice loquatur, nequit praevalere contra ceteros omnes.

Etiam extra Sacram Scripturam usus huius vocis perrarus est. In *Plutarchi* opere „De placitis philosophorum“ (5, 2) ad quaestionem: *Πῶς ὄνειροι γίνονται*; respondetur inter alia: *Ἡρόφιλος, τοὺς ὀνείρους τοὺς θεοπνεύστους κατ' ἀνάγκην γίνεσθαι.* Ibi pro *θεοπνεύστους* legendum esse *θεοπέμπτους* est coniectura *Wyttenbachii,* quam ii, qui post Wyttenbachium Plutarchi opera critice ediderunt, respuendam esse censebant. Alius locus invenitur apud *Phokylidem (Ποίημα νουθετικόν* 121), qui poëta *γνωμικός* vixit quidem sexto ante Christum saeculo, sed eius gnomae multo post a scriptoribus christianis partim purgatae, partim auctae et in unum carmen collectae esse videntur[1]. Legimus ibi: *Τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος.* In libris sibyllinis (5, 405, al. 406) homines dicuntur *θεόπνευστοι,* quia a Deo vitam acceperunt; fontes item calidi sunt *θεόπνευστοι* (5, 307, al. 308), quia a numine praesente quodammodo inflati ebulliunt. His igitur perpensis vocabulum *θεόπνευστος* sensum passivum habere multo probabilius dicendum videtur. Quae probabilitas ad certitudinem evehetur, si viderimus scriptores graecos, qui indolem linguae suae sane noverunt, unanimiter et constanter illud vocabulum interpretantes sensu passivo, sensum vero activum interdum tantum ut consequentem admittentes in hunc modum: Quia Scriptura est a Deo inspirata, Deum spirat. *Origenes* e. g. ait: „Sacra volumina Spiritus plenitudinem spirant, nihilque est sive in prophetia sive in lege sive in evangelio sive in apostolo, quod non a plenitudine divinae maiestatis descendat.“[2]

5. *Scriptura autem vocatur a Deo inspirata, quia, qui eam scripserunt, sub speciali Dei motione scripserunt.* Unde distinguitur *inspiratio activa,* quae est ipsa actio Dei in scriptorem influentis; *inspiratio passiva,* quae est motio divina ad scribendum in scriptore exsistens; *inspiratio terminativa,* quae est ipse liber sub illa motione divina scriptus. Facilem autem esse transitum a conceptu inspirationis passivae ad conceptum inspirationis terminativae, seu a scriptore inspirato ad librum inspiratum, videtur per se manifestum. Inspiratio activa a graecis scriptoribus vocatur etiam *ἐπίπνοια,* sacri scriptores dicuntur *θεοφερούμενοι* vel *πνευματοφόροι; θεόπνευστος* vero sola fere Scriptura nominatur, idque saepissime, cum raro admodum eadem vox applicetur ad sacros scriptores, quemadmodum e. g. *Hippolytus* loquitur de *τοῖς θεοπνεύστοις προφήταις καὶ θεοῦ καὶ Λόγου ἐξηγηταῖς*[3]. Similiter Chrysostomus et pauci alii. Scripturae *θεοπνευστίαν* rursum nobis explicet

---

[1] *C. Alexandre,* Oracula Sibyllina II, Parisiis 1856, excursus 5, c. 11, p. 401 sqq.
[2] In Ier. hom. 21, n. 2 (*M* 13, 536).
[3] Cf. *Bonwetsch,* Studien zu den Kommentaren Hippolyts, Leipzig 1897, 20.

Origenes: Ὅτι τὰ μὲν βιβλία θείῳ γεγράφθαι πνεύματι ὁμολογοῦμεν[1]. Testimonia sive ex Vetere Testamento sive ex Novo desumpta sunt *μαρτύρια τῶν θείων γραφῶν.* Una autem ex rationibus, cur divinae credantur Scripturae, haec est, quod vaticinia in iis de futuro Messia contenta impleta sunt. Nam impletis vaticiniis simul demonstramus *θεοπνεύστους εἶναι τὰς προφητούσας περὶ αὐτοῦ γραφάς.* Ante adventum Christi non poterat perspicue ostendi *θεοπνεύστους εἶναι τὰς παλαιὰς γραφάς;* sed Christi adventus manifestavit omnia *ὡς οὐρανίῳ χάριτι ἀναγεγραμμένα* et *οὐκ ἀνθρώπων εἶναι συγγράμματα τοὺς πεπιστευμένους θεοῦ λόγους*[2]. Unde fit, ut nemo Scripturas recte possit intellegere *χωρὶς ἐπιπνοίας κρείττονος καὶ θειοτέρας δυνάμεως*[3]. Haec de voce et conceptu inspirationis dicta interim sufficiant.

6. *Inspiratio igitur, hoc sensu intellecta, pertinet ad dogmata, quae ex revelatione accepta ecclesia fidelibus divina fide credenda proponit.* Unde theologi dogmatici est, hoc dogma, ut cetera omnia, ex fontibus theologicis demonstrare, vim eius et extensionem exponere, ab adversariorum obiectionibus ipsum defendere. Quod qui aggreditur, disputandum ei erit non contra haereticos tantum, qui supernaturale inspirationis factum aut negant aut perverse explicant, sed etiam contra quosdam catholicos, qui vel ultra, quam par est, divinum influxum prae cooperatione humana exaggerant et amplificant, vel angustioribus limitibus inspirativam Dei actionem circumscribunt. Difficile enim est, in re, ad quam producendam duae causae liberae, divina et humana, illa quidem princeps, haec autem instrumentalis, vera tamen et libera, concurrunt, suas cuique partes ita tribuere, ut neque divina operis indoles in periculum vocetur, neque cooperatio humana adeo deprimatur, ut imperfectiones, quae in opere humano nunquam desunt, explicari plane nequeant. Quamvis autem ecclesia varias quaestiones de inspiratione ortas auctoritate sua solverit, multae aliae restant, quae plus minusve liberae opinionis sunt et propter rei gravitatem diligentem inquisitionem postulant. Ad harum igitur quaestionum solutionem pro viribus conferre nobis in hoc opere propositum est.

Quaestiones vero dogmaticae de inspiratione non paucas quaestiones historicas annexas habent, quae, quia saepe longiorem tractatum exigunt, cum speculativis disputationibus coniungi non possunt, quin facile propter materiae ambitum confusio quaedam vel obscuritas oriatur. Quamobrem *visum est, totum opus in duos libros dividere,* quorum alter, *historicus*, doctrinae de inspiratione, opinionum, disputationum, definitionum ortum et progressum adumbrabit; alter vero, *dogmaticus,* inquisitiones in factum, naturam, extensionem inspirationis complectetur.

---

[1] Contra Celsum l. 5, n. 60 (*M* 11, 1276).
[2] *Περὶ ἀρχῶν* l. 4, n. 1 6 (*M* 11, 341 352 sq).
[3] Contra Celsum l. 4, n. 30 (*M* 11, 1073).

In parte historica non possunt quidem omnium omnino, qui de inspiratione scripserunt, vel verba proponi vel sententiae discuti, sed delectus quidam faciendus est, maxime inter Scholasticos, iique audiendi, qui duces aliorum fuerunt aut ob alias rationes speciali mentione digni videntur. Interdum sine incommodo alii et alii scriptores eligi possunt. Quod si contingit, sufficit, ut ii, qui allegantur, conferant ad doctrinam, de qua agitur, pro sua quisque aetate, illustrandam. Quia vero multa opera, ex quibus haurire opus est, non omnibus prae manibus erunt, studebo, in quantum fieri potest, ipsa scriptorum verba apponere, ut legentes ex his sibi ipsi iudicium efformare possint. Nemo vero miretur, quod non raro ea allegantur, quae de praeceptis hermeneuticis vel de canone scripta sunt; nam saepe scriptores de his rebus agentes clarius manifestant, quid de inspiratione Scripturae sentiant, quam cum de ipsa inspiratione loquuntur.

In parte autem dogmatica non ordiar, ut quibusdam placet, a tractatu de criteriis inspirationis. Prius enim statuendum videtur, quis sit verus conceptus inspirationis, antequam de eius criteriis definiri potest, cum inspirationis, qualem multi Protestantes statuerunt, criteria utique alia sint atque inspirationis catholice intellectae. Id postea magis explicabitur. Quaestionem autem de *vera* inspiratione, cum sit dogmatica, dogmaticis quoque argumentis solvendam esse constat, qua probatione absoluta facile criteria inepta reici poterunt.

Supponuntur hic ea, quae sive in Apologetica sive in Introductione in Sacram Scripturam tradi solent, et in specie de infallibili ecclesiae magisterio, de fontibus theologicis, de canone Sacrae Scripturae.

7. Theologi scholastici de inspiratione agunt vel in tractatu de prophetia (ut *S. Thomas* 2, 2, q. 171 sqq) vel in tractatu de fide (ut *Suarez*, De fide disp. 5, sect. 3). Postquam vero excultae sunt disciplinae propaedeuticae et apologeticae, quaestio de inspiratione tractari coepta est aut in Locis theologicis (ita *Canus* l. 2) aut in Controversiis (ita *Bellarminus*, De Verbo Dei) aut in Prolegomenis ad Sacram Scripturam (ita *Serarius*, Prolegomena biblica). Interdum exegetae hanc quaestionem fuse discutiunt in exponendo 2 Tim 3, 16 (ita *Cornelius a Lapide*). Nostra aetate multi egregie de inspiratione scripserunt: *Franzelin* (De divina Traditione et Scriptura, ed. 3, Romae 1882), *Ubaldi* (Introductio in Sacram Scripturam II, Romae 1888, sect. 1), *Franciscus Schmid* (De inspirationis Bibliorum vi et ratione, Brixinae 1885), *Crets* (De divina Bibliorum inspiratione, Lovanii 1886), *Zanecchia* (Divina inspiratio Sacrarum Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis, Romae sine anno, est autem 1899; Scriptor sacer sub divina inspiratione, Romae 1903), *Chauvin* (L'inspiration des Divines Écritures, Paris 1896), *Billot* (De inspiratione Sacrae Scripturae, Romae 1903). Historiam huius doctrinae exponunt *Dausch* (Die Schriftinspiration, Freiburg im Breisgau 1891) et *Holzhey* (Die Inspiration

der Heiligen Schrift in der Anschauung des Mittelalters, München 1895). Omnes vero libros, qui de hac re conscripti sunt, recensere non possum, nisi novum librum solis titulis implevero. Ultimis decenniis saeculi praeteriti centuriatim libri et dissertationes de inspiratione in lucem prodierunt. Quod quidem gratum accidisset, si multitudini scriptorum utilitas responderet. At hic quoque dicere licet: „Multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam“ (Is 9, 3). Plurima enim ex his operibus a Protestantibus conscripta sunt, quorum pauci, falsae cuidam et extremae orthodoxiae quam vocant faventes, quandam quasi bibliolatriam excoluerunt; alii, iique numero multo plures, omnem ordinem supernaturalem et omnem veri nominis inspirationem negant; alii viam mediam tentantes inter falsam orthodoxiam et infidelem rationalismum fluctuant et conantur fines statuere, ultra quos non liceat criticis procedere, de quo conatu ipsi critici rident. Hi omnes labores manifestant debilitatem fundamenti, quo protestantismus innititur. Unde quidam ex ipsis non immerito ait: Olim Scriptura sine difficultate sustentabat fidem; nunc ipsa difficulter per fidem sustentatur[1]. Ceterum non pauci scriptores protestantes per decursum operis nominabuntur.

Id unum adhuc moneo in citandis SS. Patrum dictis plerumque me usurum editione *Migne,* cuius editionis tomos et columnas indicabo praeposita littera *M.*

---

[1] Cf. si placet, quae de hac re scripsi in „Zeitschrift für katholische Theologie“ XXV, Innsbruck 1901, 452 sqq 594 sqq et XXVI (1902) 81 sqq.

LIBER I.

HISTORICUS.

CAPUT I.

IUDAEORUM DOCTRINA DE INSPIRATIONE BIBLICA.

ART. I.

DE FIDE VETERIS SYNAGOGAE.

8. *Prima mentio scripti sacri populi israelitici* legitur Ex 24, 4 sqq[1]:

„Scripsit autem Moyses universos sermones Domini, et mane consurgens aedificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel, misitque iuvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis et misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen foederis legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia, quae locutus est Dominus, faciemus et erimus oboedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his."

Hic igitur est „liber foederis", quo vetus regnum theocraticum, figura futuri regni messianici, initiatum est (cf. Hebr 9, 19 20). Qui liber continebat leges, quas Moyses a Deo acceperat et quas populo promulgare debebat. Promulgavit autem non viva voce tantum, sed etiam litteris mandavit. Postea aliae leges additae et pariter a Moyse scriptae sunt (Ex 34, 27) et in latere arcae foederis repositae (Dt 31, 24 sqq), in qua etiam erant duae tabulae lapideae, in quibus Deus miraculoso modo scripserat decem mandata (Ex 24, 12; 32, 15 sq; 34, 1 sqq 29. Dt 9, 10; 10, 1 sqq). Volumina autem legis describenda erant secundum exemplaria a sacerdotibus accepta (Dt 17, 18). Itaque sacerdotum erat exemplaria typica servare. Porro publica lectio legis facienda erat.

„Praecepitque [Moyses] eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel, audientibus eis et in unum omni populo congregato, tam

[1] Iam Ex 17, 14 Moyses iubetur scribere comminationem contra Amalec; sed ibi nondum apparet agi de libro sacro totius populi.

viris quam mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas, ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, impleantque omnes sermones legis huius" (Dt 31, 10 sqq).

Post mortem autem Moysis Deus non solum Iosue commendavit: „Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in ea diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quae scripta sunt in eo" (Ios 1, 8), sed ipse quoque Iosue quaedam addidit „in volumine legis Domini" (Ios 24, 26). Postea Samuel „locutus est ad populum legem regni et scripsit in libro et reposuit coram Domino" (1 Rg 10, 25).

His igitur manifestum est iam antiquis temporibus populum iudaicum suos habuisse libros sacros, qui speciali modo ad Deum referebantur. Nam non Moyses tantum, sed etiam Iosue et Samuel Spiritu Dei repleti erant et loquebantur et scribebant, quae a Deo acceperant (Dt 24, 9. Ios 4 sqq. 1 Rg 3 sqq), quare et prophetae vocabantur.

Videntur autem veterrimi hi libri temporibus pessimorum regum Manasse et Amon partim periisse partim absconditi esse, usque dum sub rege Iosia iterum inventi sunt.

„Dixit Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum legis reperi in domo Domini, deditque Helcias volumen Saphan. . . . Narravit quoque Saphan scriba regi dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram rege, et audisset rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua . . . dicens: Ite et consulite Dominum super me et super populo et super omni Iuda de verbis voluminis istius, quod inventum est; magna enim ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne, quod scriptum est in eo. . . . Ascenditque rex templum Domini et omnes viri Iuda universique, qui habitabant in Ierusalem cum eo, sacerdotes et prophetae et omnis populus a parvo usque ad magnum, legitque cunctis audientibus omnia verba libri foederis, qui inventus est in domo Domini. Stetitque rex super gradum et foedus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum et custodirent praecepta eius et testimonia et caerimonias in omni corde et in tota anima et suscitarent verba foederis huius, quae scripta erant in libro illo" (4 Rg 22, 8 sqq).

Itaque hoc quoque testimonio probatur Iudaeos illa aetate habuisse sacros libros[1].

9. Iamvero sicut *Moyses, Iosue, Samuel erant prophetae,* qui vel voce vel scripto mandata Dei populo annuntiabant, ita *post eos alii prophetae* exstiterunt, quemadmodum Deus promiserat (Dt 18, 15 sqq). Tales viri erant Michaeas (3 Rg 22, 7 sqq), Elias (4 Rg 1, 3 sqq), Eliseus (4 Rg 2, 1 sqq), Isaias (4 Rg 19, 1 sqq), alii multi. Praeter hos alii viri Spiritu Dei repleti sacra carmina composuerunt ad Deum laudandum et divinam sapientiam homines docendam. „Dixit David, filius Isai; dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Iacob, egregius psaltes

[1] Cf. de hac re *Hummelauer,* Comment. in Deuteron., Parisiis 1901, 83 sqq.

Israel: Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam" (2 Rg 23, 1 sq). Item „dedit Deus sapientiam Salomoni et prudentiam multam nimis. . . . Locutus est quoque Salomon tria milia parabolas, et fuerunt carmina eius quinque et mille" (3 Rg 4, 29 32).

Unde paulatim multa scripta orta sunt, quae vel prophetarum vel Salomonis, Davidis aliorumque nomina prae se ferebant vel nullo nomine insignita, omnia tamen speciali modo sacra habebantur. Quando vero *talium librorum prima in unum collectio* facta sit, non constat.

Quodsi dicitur: „Praecepitque Ezechias et principes levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David et Asaph videntis" (2 Par 29, 30), satis manifeste supponitur hos „sermones" illa aetate scriptos et in unum collectos fuisse. In Proverbiis (25, 1) dicuntur viri sub rege Ezechia viventes collegisse parabolas Salomonis. Daniel quoque testatur se ἐν ταῖς βίβλοις legisse prophetiam Ieremiae (Dn 9, 2). In primo libro Machabaeorum cum emphasi effertur Iudaeos habere παράκλησιν τὰ βιβλία τὰ ἅγια τὰ ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν (1 Mach 12, 9; cf. 1, 57 sqq). In secundo vero libro Machabaeorum perhibetur Nehemias bibliothecam congregasse: „de regionibus libros et prophetarum et David et epistulas regum et de donariis" (2 Mach 2, 13. Explicationem vide apud *Cornely,* Introd. I² 52).

Hoc testimonium est unum ex argumentis, ob quae docti viri censent collectionem primam authenticam seu canonem, ut loquuntur, librorum protocanonicorum, aetate Esdrae et Nehemiae factam esse[1]. Utut autem haec res se habet, negari non potest Iudaeos pluribus saeculis ante Christum collectionem sacrorum librorum habuisse, quibus divina quaedam auctoritas tribuebatur, id quod etiam ex prologo Ecclesiastici patet, ubi sermo est de lectione „legis et prophetarum et aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt". Quapropter S. Paulus ad quaestionem, quae sit Iudaeorum prae gentilibus praerogativa, respondet: „Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei" (Rom 3, 2). „Eloquia Dei" intelleguntur etiam libri scripti, qui toties in Novo Testamento vocantur „Scriptura". Christus Dominus ad Iudaeos ait: „Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me" (Io 5, 39). Iudaei vero contra ipsum disputantes ad Scripturae dicta provocant ut ad argumenta certissima (e. g. Io 7, 42 52).

10. Est *vetus traditio Iudaeorum,* secundum quam iam temporibus Ezechiae regis (saec. VII a. Chr.) collegium sapientium constitutum sit, cui sacrorum librorum in unum corpus compactio adscribitur (cf. Prv 25, 1). Aetate vero Esdrae et Nehemiae (saec. V a. Chr.) successisse

---

[1] *Cornely,* Introd. I² 40 sqq. Cf. *E. Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi II³, Leipzig 1898, 305 sqq.

„magnam synagogam“ virorum, quibus rerum religiosarum et politicarum cura incumberet. Ab hoc collegio novam factam esse canonis redactionem. Similia referunt de „collegio hasmonaeo“ (ab anno 165 a. Chr.) et de „magno synedrio“ (ab anno 107 a. Chr.)[1]. Etsi vero conceditur in his Iudaeorum traditionibus multa inveniri, quae fundamento historico non nitantur[2]: id tamen ex iis ut certum colligi videtur, aliquam librorum sacrorum collectionem multo ante Christum exstitisse.

Cum Iudaeorum traditiones servatae nobis sint in *libris talmudicis*, quaeritur, quo sensu secundum Talmudistas certi libri a Iudaeis habeantur sacri et ut sacri ab aliis profanis distinguantur. Respondent: Quia prodierunt „a Spiritu Sancto“. Ideo *„inquinant manus“*, i. e. tam sancti sunt, ut, qui eos tetigerit, manus lavare debeat, antequam ad profana opera redeat; nequo ullo modo permiscendi sunt cum aliis rebus non sacris. Si incendium oriatur die sabbati, alias quidem res auferre non licet, sacri autem libri omnino ex igne eripiendi et in alium locum transferendi sunt. Immo singula verba Scripturae divinam quandam vim in se continent, ut rite pronuntiata ad mala ab hominibus avertenda valeant[3].

Alia proprietas Scripturae, quae ex eius divina origine fluit, haec est, quod Scriptura principium et regula omnis doctrinae est, et omnis doctrina ex ea emanare et cum ea conformari debet. Tota inquisitio et disputatio doctorum hunc unum finem habet, ut verus sensus Scripturae eruatur. Si quis autem falsam doctrinam ex Scriptura stabilire conatur, flagellis corripiendus est.

Tertia perfectio Scripturae est abundantia infinita sensus. Nam „si omnia maria essent atramentum et omnes calami instrumenta scriptoria, et caelum et terra volumina, et omnes homines scribae, non tamen sufficerent ad describendam legem“; et quaecumque de lege scripta sunt, eam non magis exhauriunt, quam homo mare exhaurit intingendo penicillum. Unde expositio legis ad finem pervenire numquam potest. Tota autem lex ita a Deo scripta est, ut nulla vox, nulla littera, nullus accentus a Deo non venerit vel speciali significatione careat[4]. Ex quo litterarum cultu postea orta est scientia cabbalistica.

His non obstantibus *admiserunt Talmudistae varios inspirationis gradus*. Tres enim secundum eos partes Scripturae distinguendae

---

[1] Cf. quae hac de re collegit *J. de Voisin* in observationibus ad „Pugionem fidei“, in prooemium § 6, ed. Lipsiae 1587, 6 sqq. Praeterea *J. Fürst*, Der Kanon des Alten Testamentes nach den Überlieferungen in Talmud und Midrasch, Leipzig 1868, 21 sqq 50 sqq 78 sqq 146 sqq. *Cornely*, Introd. I[2] 147 sqq. De Talmudistis videtur prius loquendum, quia magis pure iudaicam traditionem servaverunt quam Hellenistae, de quibus postea dicemus. Nam hi, etsi tempore praecedunt multos Talmudistas, admiscuerunt philosophiam graecam doctrinis iudaicis.

[2] *Ubaldi*, Introductio in Sacram Scripturam II, Romae 1878, 145 sqq.

[3] Cf. *de Voisin* l. c. 709 sq.

[4] *Fürst* l. c. 83 138 sqq 148 sq. *F. Weber*, Jüdische Theologie auf Grund des Talmud und verwandter Schriften[2], Leipzig 1897, 80 sqq.

sunt: *Thora* (lex mosaica), *Nebiim* (prophetae), *Kethubim* (hagiographa). Prophetae priores complectuntur libros Iosue, Iudicum, Samuel, Regum; prophetae posteriores sunt Isaias, Ieremias, Ezechiel, duodecim prophetae minores. Kethubim sunt Psalmi, Proverbia, Iob, Daniel, Esdras, Nehemias, Paralipomena. His postea addita sunt quinque „volumina" *(Megilloth)*: Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther[1].

Summus gradus inspirationis Thorae convenit. Haec enim ita comparata est, ut omnium omnino rerum revelationem contineat, neque quidquam ad eam adici possit. Qui negat totam legem usque ad ultimas voces a Deo venisse, haereticus est nec habebit partem in futuro saeculo. Unde fit, ut, si Israel dignum se tali Dei dono exhibuisset, nullis prophetis, nullis hagiographis opus fuisset. Omnes posteriores scriptores sacri sunt expositores tantum legis. Locuti sunt et ipsi quidem „in Spiritu Sancto"; at revelationem simpliciter novam non acceperunt, ut Moyses, sed missi sunt ad explicanda ea, quae hic promulgavit. Solus Moyses in claro speculo omnia vidit, posteriores omnes in obscuro. Quare tota Scriptura recte vocatur Thora[2].

Quo tempore quaestio agebatur de hoc vel illo libro in canone retinendo aut non retinendo, id imprimis quaerebatur, utrum cum lege consentiret necne. Ita apud Ezechielem varia praecepta ritualia cum lege conciliari non posse videbantur. Unde multum disputatum est, essetne relinquendus in canone an excludendus. Similis dubitatio orta est de Cantico, Esther aliisque libris, donec difficultatibus solutis in favorem horum librorum iudicatum est[3].

Nemo tamen umquam ausus est reliquos libros sacros aequales facere Thorae neque ullam partem Thorae crisi subicere. Contra inter Nebiim et Kethubim comparationem faciebant et alium librum alii praeferebant. Ita Isaiam Ezechieli praeferebant, quia, ut aiebant, „hic quidem eadem vidit quae Isaias; at Ezechiel est sicut homo rusticus, cui semel pompam regis videre licet, Isaias vero sicut incola urbis principalis", ubi talia saepe videntur[4]. Posterioribus temporibus rabbini hanc solebant differentiam statuere: Cum Moyse Deus ore ad os locutus est, Nebiim loquebantur in Spiritu prophetico, Kethubim autem in Spiritu Sancto. Post mortem Aggaei, Zachariae, Malachiae Spiritus Sanctus iam non manifestabat se in Israel, sed sola „filia vocis" *(Bath qol)*, qui est infimus gradus inspirationis[5]. Hanc tamen distinctionem Iudaei ante medium aevum non excoluerunt.

11. Cum apud Iudaeos fuerint etiam libri, qui a canone excludebantur et exoterici *(hizonim)* vocabantur[6], oritur quaestio, *quae fuerit*

---

[1] *Cornely* l. c. I 30 sqq.

[2] *Weber* l. c. 81 sq. The Jewish Encyclopedia VI, New York 1904, 607 sq.

[3] *Fürst* l. c. 21 sqq 83 sqq 138 sqq 147 sqq. [4] Ib. 21.

[5] De *Bath qol* vide The Jewish Encyclopedia II 588 sqq.

[6] Ib. II 1 sqq sub v. Apocrypha, ubi negatur hos libros etiam vocatos esse *genusim*, ut quidam volunt.

norma, secundum quam 24 (22) tantum libri in canonem recepti sint. Respondet *Movers:* „Omnes libri, qui de rebus divinis, de vita recte instituenda, de Iudaeorum historia, singulari numinis providentia ordinata, ad institutionem pietatisque exercitationem conscripti erant, divinitus inspirati credebantur.“ [1] Sed obstat, quod aderant libri de his rebus agentes, qui e canone excludebantur, ut Psalmi Salomonis, Liber Henoch, Liber Iubilaeorum etc. Obstat etiam, quod numerus librorum sacrorum prorsus determinatus inculcatur. Si Ruth cum libro Iudicum, Lamentationes cum prophetia Ieremiae iunguntur, sunt libri 22, sin separatim ponuntur, sunt libri 24. Hic alter numerus paulatim praevalebat. Unde illud praeceptum: „Fili, cave, ne plus quam 24 libros Scripturae habeas; nam qui plus quam 24 libros introducit, confusionem in domum infert.“ [2] Quidam censent omnes libros magnae antiquitatis a Iudaeis habitos esse sacros. At hoc eatenus tantum verum est, quatenus Iudaeis persuasum erat post certam aetatem munus propheticum exstinctum esse et libros posteriores non iam ex inspiratione Spiritus Sancti prodiisse, sed a viris sapientibus scriptos esse. Ut liber sit canonicus, auctorem eius prophetam esse oportet [3]. Soli libri a prophetis scripti in publica liturgia legebantur; qui vero ad hunc usum non admittebantur, eo ipso erant extra canonem. Ceterum exemplar prototypum librorum inspiratorum erat Thora. Unde si viris illis, qui cultui dirigendo praepositi erant, dubitatio proponebatur, utrum liber aliquis esset inspiratus necne, praecipua quaestio erat, num in libro idem spiritus vigeret, quo Thora animatur. Plerumque haec quaestio soluta censebatur eo ipso, quod liber ex traditione in usu liturgico adhibebatur, et solum fere agebatur de removendis difficultatibus, quae contra traditionem ortae erant [4].

Cum vero maxime Iudaei alexandrini specialem indolem librorum canonicorum explicare studuerint, horum expositiones videamus.

ART. II.

DE IUDAEIS HELLENISTIS.

12. Iam pluribus saeculis ante Christum multi Iudaei ex Palaestina in Aegyptum inferiorem migraverant ibique varias colonias fundaverant. In urbe praecipue Alexandria cum Graecis simul viventes eorum doctrinas adamare coeperant et propria sua dogmata cum pla-

---

[1] *Movers*, Loci quidam historiae canonis Veteris Testamenti illustrati, Vratislaviae 1842, 17.

[2] *Hamburger*, Realencyclopädie für Bibel und Talmud II 116. Cf. *Fürst*, Der Kanon des Alten Testamentes 96.

[3] Dicta talmudica de hac re vide in *The Jewish Encyclopedia* III 147 sq.

[4] *Weber*, Jüdische Theologie 82 sq. Conferri etiam potest *W. Bousset*, Die Religion des Judentums im neutestamentlichen Zeitalter, Berlin 1903, 120 sqq, qui tamen more rationalistico saepe suas opiniones pro factis venditat.

citis philosophorum graecorum conciliare studebant. Quo efficacius id fieret, multa, quae in libris Veteris Testamenti ab opinionibus philosophorum, maxime platonicorum, aliena videbantur, allegoricis expositionibus ita temperabant, ut solus cortex verborum differre, latens vero sensus cum graecis doctrinis plane congruere videretur. Qui consensus cum effici non posset nisi vi quadam Scripturae illata, inde factum est, ut hi Iudaei graecantes non optimae existimationis essent apud Iudaeos palaestinenses. Nihilominus negari nequit Iudaeos alexandrinos voluisse manere Iudaeos et pro doctrina et gloria gentis suae pugnare et iudaicis ideis Graecos imbuere, id quod et magna ex parte praestiterunt, ut constat ex historia neoplatonismi.

13. Inter Hellenistas nemo maiorem famam adeptus est quam **Philo**, qui, claro et sacerdotali genere ortus, circa annum trigesimum ante Christum natus esse videtur.

Fatetur se omnes quidem disciplinas amplexum esse, sed omnibus aliis philosophiam praetulisse et ad eam reliquas tamquam famulas deputasse: „Quando primum stimulis philosophiae ad eius desiderium inflammatus sum, admodum iuvenis commercium habui cum una ex ancillis eius, grammatica, et quae ex ea genui, scribendi et legendi facultatem et historicam eorum, quae a poetis finguntur, dominae dedicavi." Idem dicit de geometria et de musica: „Omnia donavi dominae, quo dives mihi esset legitima uxor, plurimarum famularum multitudine circumdata." Non fui sicut quidam, qui, „famularum illecebris capti, parvi aestimant dominam neque umquam ad eam appropinquant" [1].

Defectus amoris verae philosophiae et inane studium rerum ludicrarum secundum Philonem ratio est, cur multi mediocriter noverint vel plane ignoraverint virum omnino optimum et perfectissimum, *Moysen, auctorem vel promulgatorem legum, quarum fama per totum orbem profecta, usque ad fines terrae pervenit.* Libri enim sacri, quos reliquit, admiranda sapientiae ipsius documenta sunt [2]. Nihil veri umquam philosophi excogitaverunt, quod Moyses non multo prius et melius docuerit.

14. *Neque vero ex suo ingenio Moyses deprompsit, quae docuit, sed propheta erat divina eloquia hominibus annuntians, immo maximus prophetarum.*

„Quid Moyses? Nonne ubique propheta canitur? Dicitur enim: Si fuerit vobis propheta Domini, per visionem ei me manifestabo, Moysi autem in specie et non per aenigmata. Et iterum: Non iam surrexit propheta sicut

[1] De congressu § 14, n. 74 sqq; *Cohn* et *Wendland* III 86 sq. Versio latina mea est.

[2] De vita Moysis l. 1, § 1, n. 1 sqq; *C.* et *W.* IV 119.

Moyses, quem ego Dominus cognovi facie ad faciem. Recte igitur numine afflatus vocatur." [1] Est „archipropheta, qui multa nomina habet. Cum enim vaticinantia oracula interpretatur, Moyses appellatur. Cum vero orans populum benedicit, homo Dei. Quando vero Aegyptus male factorum poenas luit, deus Pharaonis, regis regionis illius". Ratio est, quia non alius nisi vir maxima familiaritate Dei utens ad illam insignem legislationem faciendam eligi debuit [2]. Moyses igitur est „vir sanctissimus et Dei amicus" [3]. Quodsi dicunt optimam esse eam civitatem, in qua reges philosophentur et philosophi regnent, Moyses non has tantum dignitates habuit, sed etiam tres alias: legislatoris, summi sacerdotis, prophetae, vir plane incomparabilis [4]. In libris eius omnia quidem admiratione digna sunt, „sed maxime admirabilis est finis sacrorum librorum [i. e. Deuteronomii], qui sicut in animali caput totius legislationis est. Cum enim in eo erat, ut assumeretur [a Deo ex hac vita], et supra metam stabat, ut suum in caelum cursum volando finiret, inspiratus et Dei plenus (καταπνευσθεὶς καὶ ἐπιθειάσας) etiamtum vivens de morte sua dextere prophetavit" [5].

Sed praeter Moysen fuerunt inter Iudaeos multi alii prophetae, illi non quidem aequales, verumtamen similes, qui quasi noti, amici, discipuli Moysis censendi sunt. Ita Psalmista est *τῶν Μωϋσέως γνωρίμων τις* [6], Zacharias vero *τῶν Μωϋσέως ἑταίρων τις* [7]. Isaias est „aliquis ex antiquis prophetis, qui, numine afflatus, locutus est" [8]. Ieremias „valde inspiratus *(πολλὰ ἐνθουσιῶν)* oraculum dixit, ex persona Dei loquens"; ideo „quamvis a Moyse, Dei amico, mysteriis initiatus, tamen rursus videns Ieremiam prophetam et sciens eum non solum nosse mysteria, sed aptum quoque esse ad ea docenda, gravatus non sum scholam eius frequentare" [9].

Libri sacri, quos allegat Philo, sunt Pentateuchus, Iosue, Iudicum, Samuelis, Regum, Paralipomena, Esdrae, Iob, Psalmorum, Proverbiorum, Isaiae, Ieremiae, Ionae, Osee, Zachariae [10]. Itaque perfectum catalogum librorum Veteris Testamenti ex Philone colligere non possumus. Eum tamen habuisse canonem librorum sacrorum ut ab aliis distinctorum patet ex eo. quod hi libri saepe ab eo vocantur *αἱ ἱεραὶ βίβλοι, αἱ ἱεραὶ γραφαί, τὰ ἱερὰ γράμματα* [11]. Eorum scriptores sunt prophetae, „per quorum os Pater omnium oracula edidit" [12]. Et

---

[1] Quis rerum divinarum heres § 52, n. 262; *C.* et *W.* III 60.
[2] De mutatione nominum § 22, n. 125 sq; *C.* et *W.* III 178.
[3] De Cherubim § 13 sq, 45 49; *C.* et *W.* I 181 sq.
[4] De vita Moysis l. 2, § 1, n. 2 sqq; *C.* et *W.* IV 200.
[5] Ib. l. 2 (3), § 39, n. 291; *C.* et *W.* IV 268.
[6] De confusione linguarum § 11, n. 39; *C.* et *W.* II 237.
[7] Ib. § 14, n. 62, p. 241.
[8] De somniis l. 2, § 26, n. 172; *C.* et *W.* III 286.
[9] De Cherubim § 14, n. 49; *C.* et *W.* I 182.
[10] Cf. *Richter* in ed. oper. Phil. VIII 219 sqq.
[11] De confusione linguarum § 2, n. 3; Quis rer. div. heres § 52, n. 258; De vita Moysis l. 2, (3), § 39, n. 290 etc.; *C.* et *W.* II 230; III 59; IV 268 etc.
[12] De fuga § 36, n. 97; *C.* et *W.* III 152.

singula quidem verba Scripturae, eaque etiam in se maxime indifferentia, Philo ita premit, ut strictissimam inspirationem verbalem admisisse censendus sit.

15. *Status, in quo propheta tamquam os Dei loquitur* ad homines, vocatur a Philone *ἐπιθείασις*, *ἐνθουσιασμός*, *ἐπίπνοια*, alia similia, plerumque vero *ἔκστασις*, i. e. mentis alienatio. Quam sic describit:

„Propheta a Deo inspiratus oracula et prophetias edit, nihil proprii loquens. Neque enim, si loquitur, capere potest ipse raptus et inspiratus, sed quae inspirantur, loquitur, quasi alio insufflante. Prophetae enim sunt interpretes Dei, qui eorum organis utitur ad manifestanda ea, quae vult.“ [1] „Quando mens usque ad adyta pervenit, a Deo inspirata obliviscitur omnium aliorum, obliviscitur et sui ipsius; unius solius meminit [Dei]. Postquam vero cessavit enthusiasmus et deferbuit vehemens impetus, a divinis rediens, iterum homo fit et in humana incidit.“ [2]

Quatuor species ecstasium distinguendae sunt.

„Una est insanus furor, qui amentem facit ex senio aut atra bile aut alia simili causa. Alia fit ex consternatione ob terrorem inopinatum et repentinum. Alia est mentis solitudo, cum aliquando otiari contingat. Sed optima omnium est *insania divina et vehementissima, qua utitur propheticum genus.* Primae speciei mentio fit in maledictionibus scriptis in Deuteronomio (28, 28): ‚Deliratio enim, inquit, et caecitas et ecstasis mentis corripiet impios‘, ut nihil differant a caecis, in meridie tanquam in densis tenebris palpantibus. Secundae speciei mentio saepe fit: ‚Correptus, inquit, Isaac stupore magno‘ (Gn 27, 33)... De tertia specie inspirationis sermo est in creatione mulieris: ‚Immisit, inquit, Deus ecstasim in Adam et sopivit eum‘ (Gn 2, 21), ecstasim mentis solitudinem et quietem accipiens. Somnus enim mentis est vigilia sensuum, siquidem et vigilia intellegentiae est otium sensuum. Quartae vero speciei est illud, quod nunc prae oculis habemus: ‚Circa occasum solis ecstasis incidit in Abraham‘ (Gn 15, 12), cum affectus eius numine correptus et afflatus esset. Neque hoc solum ostendit eum fuisse prophetam, sed etiam expressa littera in Sacris Scripturis conservata. Cum quidam naturalem virtutem, Saram, ab eo divellere conaretur, quasi non propriam sapientis et ipsius solius possessionem, sed cuiusvis simulatoris prudentiae: ‚Redde, inquit, homini uxorem suam, quia propheta est, et orabit pro te, et vives‘ (Gn 20, 7). Immo *omni homini probo sacer sermo prophetiam attribuit.* Propheta enim nihil proprii eloquitur, sed aliena, alio omnia insufflante. Malum autem virum fas non est interpretem Dei fieri, ita ut nemo malus a Deo inspiretur, sed soli sapienti hoc accidit, cum ipse solus sit organum Dei sonans, ab ipso invisibiliter tactum et pulsatum. Omnes igitur, qui iusti describuntur, inspirati et prophetantes inducuntur. Noe iustus nonne propheta est? Preces et maledictiones, quas de generationibus protulit, rerum veritate probatas, numquid non inspiratus prophetavit? Quid Isaac? Quid Iacob? Et hi enim multis aliis argumentis et maxime vaticiniis de posteris suis prophetasse exhibentur. Nam illud: ‚Congregamini, ut annuntiem vobis, quae

[1] De monarchia § 9; Ed. *Richter* IV 297.
[2] De somniis l. 2, § 34, n. 232; *C.* et *W.* III 295 sq.

ventura sint vobis in diebus novissimis' (Gn 49, 2), erat verbum viri inspirati, siquidem notitia futurorum non est hominis propria. Quid Moyses? [et reliqua, quae iam supra n. 14 citata sunt]. . . . Recte igitur inspiratum significat dicens: ‚Circa solis occasum ecstasis incidit.' Solis autem symbolo intellectum nostrum significat; quod enim in nobis ratio, hoc in mundo sol est, quia utrumque luciferum, alter universo lucem aspectabilem praebens, altera nobis ipsis radios intellectuales per conceptus mentis. Quamdiu igitur adhuc intellectus noster lucet et movetur, meridianum quodammodo splendorem in totam animam effundens, nostri conscii numine non corripimur; quando vero ad occasum vergit, opportune ecstasis divina irruit et furor corripiens. Quando enim lux divina fulget, occidit humana; quando vero illa occidit, haec rursus exsurgit et oritur. Prophetico enim generi hoc solet accidere; emigrat enim in nobis sensus ad divini spiritus accessum; ad recessum autem eius rursus immigrat. Neque enim fas est, ut mortale cum immortali simul habitet. Ideo occasus rationis et consequens obscuritas ecstasim et divinam insaniam produxit. Quod vero sequitur in Scriptura, hoc est: ‚Et dictum est ad Abraham.' Vere enim propheta, etiam quando loqui videtur, secundum veritatem silet; alius autem eius loquendi organis, ore et lingua, utitur ad proferenda, quae vult. Invisibili autem arte musica ea movens, sonoram et concinnam et plenam symphoniam efficit." [1]

16. Hisce verbis *Philo in conceptum inspirationis et prophetiae elementum aliquod ingerit, quod in Vetere Testamento numquam ut essentiale quid ad inspirationem vel prophetiam requiritur.* Veri enim prophetae exhibentur ut sui plane conscii, etsi forte terrore correpti propter praesentiam numinis; immo nomine insanientium *(meshuggaim)* falsi prophetae designantur (Osee 9, 7 et alibi). Deus dicitur quidem hominibus loqui in somniis vel in ecstasi, i. e. hominibus usu sensuum externorum privatis, at non usu rationis carentibus. Praeterea multae apparitiones Dei et revelationes narrantur, quae factae sunt hominibus vigilibus et sui plane compotibus. Minime vero exhibentur sacri scriptores componentes libros suos extra se rapti et scribentes, quae non intellegebant. Itaque Philo haec non hausit ex traditione iudaica, sed transsumpsit ex doctrina gentilium, quorum vates in statu sacrae insaniae oracula edere solebant. Unde etiam illa vocabula Philoni usitata: *χρησμός, μανία, ἱεροφάντης, ἐνθουσιᾶν* etc.

Sicut autem recessit a fide tradita in describendo conceptu inspirationis, ita etiam *falsae opinionis fautor exstitit extendendo collationem inspirationis ad plurimos homines.* Non multum quidem refert, quod ait, antiquitus prophetiam attributam esse omnibus hominibus probis; nam viri illi antiqui, de quibus loquitur, sunt patriarchae, qui omnes utique fuerunt prophetae. Sed etiam sibi ipsi adscribit inspirationem:

„Quae ipse millies me passum esse scio, fateri non pudet. Volens de philosophorum placitis pro more scribere et perspicue videns, quae componenda essent, mentem sterilem et infructuosam repperi et infecta re ces-

[1] Quis rer. div. her. § 51—53, n. 249 sqq; *C.* et *W.* III 56 sqq.

savi. . . . Factum est autem, ut, quando vacuus accessi, plenus subito exsisterem, desuper ad modum nivis vel imbris invisibiliter descendentibus cogitationibus, ut raptu divino furens (κορυβαντιᾶν) nullatenus neque locum cognoscerem neque praesentes neque me ipsum neque quae dicebam neque quae scribebam. Comminus enim mens percipit inventum, lucis fruitionem, acutissimum visum, rerum evidentissimam manifestationem, quemadmodum si quis oculis perspiceret, quod manifeste monstratur." [1]

His verbis ostenditur *inspirationem secundum Philonem etiam ad ipsam scriptionem pertinere,* cum dicat se nescivisse, quae scriberet. Nihilominus censendus non est Philo suis vel aliorum sapientium scriptis eandem atque sacris Iudaeorum libris auctoritatem tribuisse. Hos enim, et maxime libros Moysis, semper ab aliis diligenter distinguit eosque ceteris omnibus incomparabiliter excellentiores praedicat. Immo eos tam singulari modo divinos habet, ut ne versionem quidem eorum sine divina inspiratione fieri potuisse affirmet.

17. Narrat enim, *de versione Scripturae,* quomodo rex Aegypti Ptolemaeus Philadelphus, volens Iudaeorum legem ex chaldaica in graecam linguam vertendam curare, miserit legatos ad summum sacerdotem, petituros ab eo, ut viros selectos, linguae graecae pariter atque chaldaicae peritos, ad hoc negotium perficiendum Alexandriam mitteret. Annuit pontifex. Qui cum in Aegyptum venissent et examine instituto regi probati essent, statuerunt non in urbe tumultuosa manere, sed ad solitudinem Phari insulae secedere ibique totam mentis vim ad opus suum applicare.

„Cogitabant enim apud se, quantum opus esset leges divinitus oraculis acceptas interpretari, cum neque demere neque addere neque mutare quidquam possent, sed primitivam ideam et formam earum servare deberent. . . . Itaque sacros libros accipientes cum his manus in caelum levabant, Deum rogantes, ne a proposito deficerent. Qui preces exaudivit. . . . Quasi inspirati prophetabant, non alius alia, sed eadem omnes nomina et dicta, quasi monitore aliquo singulis invisibiliter insufflante." Iam si quis meminerit, quot diversis modis linguae, maxime graeca, easdem res magis vel minus apte exprimere possint, et si dein viderit versionem graecam cum textu chaldaico ita convenire, quasi sint duae sorores, immo una eademque in rebus et in verbis, admirans fatebitur „non interpretes illos, sed vates et prophetas fuisse, quibus contigerit genuinis cogitationibus purissimum Moysis spiritum assequi". Quare ad locum tanti miraculi frequenter homines visendi et venerandi gratia confluunt [2].

Haec Philonis narratio [3] duo ostendit: tum secundum eius persuasionem libros sacros (saltem libros legis) prae omnibus aliis divinos esse, cum sine speciali Dei auxilio ne verti quidem debito modo pos-

---

[1] De migratione Abraham § 7, n. 34 sq; *C.* et *W.* II 275. Cf. § 34, n. 188 sqq; *C.* et *W.* II 305, ubi idem ad alios extendit.

[2] De vita Moysis l. 2, § 5, n. 29 sqq; *C.* et *W.* IV 206 sq.

[3] De qua cf. *Cornely,* Introductio I 338 sqq.

sint in aliam linguam, tum, quod iam notavimus, inspirationem referri ad ipsos libros scriptos, cum ad scribendam versionem illi Iudaei inspirati dicantur. Ideo autem debebant inspirari, quia interpretes erant eorum librorum, qui scripti erant ab iis, qui ipsi erant interpretes Dei. Saepe enim Philo prophetas vocat interpretes Dei, quamquam aliquo loco interpretationem *(ἑρμηνείαν)* ut supremum gradum prophetiae significare videtur, quando, ut ait, propheta „ex facie Dei" loquitur, cum alii prophetae dicant, quae audiunt a Deo, non adstantes faciei eius, vel quae intus percipiunt a Deo illuminati [1]. Ceterum hanc differentiam non solet urgere.

18. *Alia ratio, qua secundum Philonem excellunt libri sacri prae omnibus aliis, est sublimissima illa doctrina, quam sub externa forma specietenus communi continent.* At hanc rationem irrident gentiles „pro impietate sua cavillantes et dicentes: Vos iactatis praecepta vestra, quasi ipsius veritatis regulas contineant? Ecce libri, qui apud vos vocantur sacri *(αἱ ἱεραὶ λεγόμεναι βίβλοι παρ' ὑμῖν)*, etiam mythos continent, de quibus ridere soletis, si aliis narrantibus auditis." [2] Sermo est de turri babylonica et linguarum confusione. Respondet Philo post alia: „Eos, qui tales cavillationes componunt, specialiter refutabunt illi, qui semper prompta responsa ex manifesta Scriptura legum quaerunt, non ex contentionis studio neque per opposita sophismata disputantes, sed contextum sequentes, qui errare non permittit, sed, etiamsi difficultates incidant, eas facile solvit, ut sermonum series sit sine impedimento. Dicimus igitur istud ‚terram fuisse labium unum et vocem unam' significare malorum ineffabilium et magnorum consonantiam.... ." [3]

Aliis verbis: Littera Scripturae potest quidem per se exponi et defendi, sed multis ideo maxime videtur difficilis et absona, quia non attendunt ad *sensum allegoricum*. „Omnia enim vel plurima praecepta legis sunt allegoriae." [4] „Plurima eorum, quae in legibus accipiuntur, sunt symbola aperta non apparentium et effata ineffabilium." [5] Hoc non de solis praeceptis legalibus valere vult, sed etiam de narrationibus historicis, ut exempla hucusque allata ostendunt. Neque vero ideo negat litteralem sensum, sed docet sensum litteralem narrationum plerumque retinendum et praecepta secundum litteram implenda esse. Placet integrum aliquem locum exscribere, quo sensus Philonis et methodus interpretandi perspicue manifestantur.

„Sunt quidam, qui litteras legum (τοὺς ῥητοὺς νόμους) symbola rerum intellegibilium accipientes haec valde prosequuntur, illas vero facile parvipendunt; qui levitatis accusandi videntur. Oportebat enim utrumque curare

[1] De vita Moysis l. 2 (3), § 23, n. 188; *C.* et *W.* IV 244.
[2] De confusione linguarum § 2, n. 2 sq; *C.* et *W.* II 230.
[3] Ib. § 5, n. 14 sq; *C.* et *W.* II 232.
[4] De Ioseph § 6, n. 28; *C.* et *W.* IV 67.
[5] De specialibus legibus l. 2, § 32; Ed. *Richter* V 103.

et diligens studium occultorum et accuratam observantiam manifestorum. Nunc autem quasi in solitudine secum soli viventes, vel ut spiritus corporibus exuti, neque urbem neque vicum neque domum neque societatem hominum cognoscentes et evertentes ea, quae multitudini prosunt, nudam veritatem ipsam per se scrutantur. Quos sacer sermo docet bonae existimationis curam habere nec quidquam ex praeceptis solvere, quae viri divinitus inspirati et meliores nobis sanxerunt. Ob id namque, quod septima dies quoad increatum quidem signum potestatis, quoad creata vero signum cessationis ab opera est, non debemus leges de ea datas solvere, ut ignem faciamus, agros colamus, onera portemus, lites et iudicia agamus, depositum repetamus, usuras exigamus, reliqua faciamus, quae diebus non festivis permittuntur. Neque quia dies festus symbolum spiritualis laetitiae et gratitudinis erga Deum est, valere iubebimus sollemnitates annuarum festivitatum. Neque quia circumcisio significat excisionem voluptatum et passionum omnium et abiectionem impiae opinionis, qua mens putet se posse aliquid ex se ipsa gignere, abrogabimus legem circumcisionis. Secus etiam sacras caerimonias et sexcenta alia abrogabimus, si ad solas allegoricas significationes attenderimus. At oportet haec quidem ut corpus, illa autem ut animam habere. Quemadmodum igitur corpus, quippe quod sit animae domus, curamus, ita etiam litterae legum servandae sunt. Has enim si servamus, clarius ea quoque cognoscentur, quorum illae symbola sunt, ut ita etiam multitudinis vituperationes et accusationes evitemus." [1]

Itaque Philo duplicem plerumque sensum dictis Scripturae subicit: litteralem et allegoricum. Litteralem sensum vocat *ῥητόν* vel *φανερόν* et *πρὸς τοὺς πολλούς;* sensum allegoricum vocat *νοητόν*, *τροπικόν*, *πρὸς διάνοιαν ἐπιστήμην*, alia. Tum solum reiciendus est sensus litteralis, cum secundum litteram aliquid aut impossibile aut Deo indignum aut a recto ordine alienum dici videtur. Ceteroqui autem sensus litteralis retinendus quidem, at ut secundarius habendus est, cum illud, quod Deus principaliter intendit, sit sensus allegoricus. Communis populus, qui ad altiora non assurgit, per sensum litteralem docetur, ut ita a vitiis desistat; qui vero feliciorem naturam sortiti sunt, ad altiora erigere se debent; secus sunt *τῆς ῥητῆς πραγματείας σοφισταί*, qui ignorant Dei maiestatem [2].

Hanc allegoricam interpretandi rationem Philo non primus invenit, cum plures praecessores habuerit [3], sed maiore cum successu quam alii eam excoluit, ut etiam inter Patres ecclesiae sectatores habuerit. quemadmodum unius Ambrosii exemplo sufficienter probatur.

Verumtamen quod nostra magis refert, Philo testis est communis fidei Iudaeorum, qua illis persuasum erat libros Scripturae singulari modo esse sacros, quod Deus eorum auctor esset et per eos homines

---

[1] De migratione Abraham § 16, n. 89 sqq; *C.* et *W.* II 285 sq.

[2] Quod Deus sit immutabilis § 11 sqq, n. 54 sqq; *C.* et *W.* II 68 sqq. De somniis l. 1, § 16 sq, n. 92 sqq; *C.* et *W.* II 224 sqq.

[3] *Cornely,* Introductio I 617 sqq. *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi III 548 sqq.

recte sentiendi vivendique leges doceret. Inspirationis vero naturam et modum non secundum veterem Iudaeorum traditionem, sed secundum Graecorum superstitiones male explicavit.

19. Ex ipsius Philonis scriptis apparet multis Iudaeis expositiones allegoricas visas esse depravationes textus sacri. Nihilominus non deerant qui eandem viam sequerentur, inter quos eminet **Flavius Iosephus.** Hic quidem in Palaestina vivebat, ubi eo tempore, quo Romani terram expugnabant et urbem evertebant, res publicas satis infeliciter gerebat; sed, quod eruditionem et mentis dispositionem attinet, Hellenista erat. Noverat Philonem; nam ait de eo: „Philo praepositus legationis Iudaeorum [ad Caligulam], vir praeclarus, Alexandri alabarchi frater et philosophiae non expers.“ [1] Utrum ex Philone hauserit an suo tantum ingenio indulgens de doctrinis et moribus Iudaeorum scripserit, ambigitur, sed certum est eum similes opiniones fovisse et similia studia prosecutum esse.

Fatetur se apud populares suos fama frui hominis bene versati in patria eruditione, „at etiam graecis litteris operam dedi, et earum quidem notitiam assecutus sum, sed pronuntiandi elegantiam patria consuetudo impedivit. Apud nos enim non illi in honore sunt, qui multarum gentium linguas didicerunt, quia hoc studium commune habetur, non eorum tantum, qui ingenui exsistunt, sed etiam servorum, qui volunt. Illis autem solis sapientiam adscribunt, qui legalia perspicue intellegunt et vim Sacrarum Scripturarum (τῶν ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν) interpretari possunt. Qua in re etsi multi operam collocarunt, duo tamen vel tres tantum successum habuerunt et laborum fructum mox perceperunt.“ [2]

Ideo ipse conatus est res iudaicas eo modo exponere, ut Graeci quoque facile possint intellegere non valde a se aliena esse Iudaeorum mores et doctrinas. „Nam a Graecis loco potius quam studiis dissidemus, ut nullae sint nobis in eos inimicitiae neque invidia.“ [3] Revera Iudaei ab eo descripti magnam partem potius Graeci sunt quam veri Iudaei. Tales enim dextere eos fecit, ut gentilium animos iis conciliaret.

20. Multo magis quam Philo servare solet litteralem sensum; immo interdum eum ultra limites veri litterae inhaerere patebit cuivis legenti ea, quae in primo capite libri primi Antiquitatum de Paradiso narrat. Nihilominus *agnoscit sensum allegoricum.*

Nam Moyses „quaedam aenigmatice innuit, quaedam cum dignitate allegorizat; quae vero plane dici oportebat, ea diserte profert. Unde si quis singulorum rationes inquirere vellet, multa ei et valde philosophica speculatio oriretur, quam ego nunc omitto. Deo vero tempus concedente post haec de ea re scribere conabor.“ [4]

---

[1] Antiq. 18, 8, 1; Ed. *Niese* (maior) IV 186.
[2] Antiq. 20, 12, 1; *N* IV 320. [3] Contra Apionem 2, 10; *N* V 69.
[4] Antiq. Prooem. 4; *N* I, 8.

Quod consilium numquam exsecutus esse videtur. Varia tamen allegorice exposuit. Sint exemplo ea, quae de tabernaculo et vestimentis sacerdotalibus scribit.

„Miretur sane aliquis hominum in nos malevolentiam, quam perpetuo ostendunt, quasi nos contemnamus numen, quod ipsi venerari malunt. Nam si quis tabernaculi constructionem consideraverit et viderit sacerdotis ornatum et vasa, quibus ad liturgiam utimur, inveniet legislatorem [Moysen] divinum virum fuisse, et immerito nos ab aliis blasphemiae accusari. Haec enim omnia in repraesentationem et figuram universi facta esse inveniet, qui sine malitia et cum religione investigaverit." Tabernaculum terram et mare et caelum significat, panes propositionis duodecim menses anni, candelabrum cum septem lucernis totidem planetas, quatuor colores velorum quatuor elementa, zona oceanum, pileus caelum[1]. . . .

Sicut hic *Moysen ut virum divinum praedicat,* ita maxime in fine libri quarti Antiquitatum eum laudat virum omnium qui umquam fuerint excellentissimum, immo tanta virtutis fama fruentem, ut timeret, ne homines putarent ipsum non mortuum sed ad Deum assumptum esse. Quam falsam opinionem ut excluderet, ipse mortem suam in Sacra Scriptura descripsit. Etsi vero cum Moyse nemo comparatur, fuerunt tamen alii quoque prophetae a Deo inspirati. In hac enim re consentit Iosephus cum Philone, sicut et in historia versionis Septuaginta, quam historiam fusius exsequitur, narratis etiam quibusdam miraculis, quibus Scripturae sanctitas ostensa sit[2].

21. Notissima sunt illa verba *de numero sacrorum librorum* in primo libro Contra Apionem:

Apud nos, inquit, *non cuivis licet historiam scribere, sed „prophetis tantum,* qui remotissima et antiquissima ex divina inspiratione (κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ) didicerunt. Non multa milia apud nos sunt librorum discordantium et pugnantium, sed duo tantum supra viginti libri totius temporis descriptionem continentes, quibus merito fidem habemus. Et horum quinque quidem sunt Moysis, qui et leges complectuntur et historiam generis humani ab ortu usque ad interitum eius. Hoc tempus modice deficit a tribus milibus annorum. Ab obitu autem Moysis usque ad Artaxerxem, qui post Xerxem rex Persarum fuit, prophetae Moysi succedentes suorum temporum res gestas tredecim libris conscripserunt. Reliqui quatuor libri hymnos ad Deum et vitae praecepta hominibus data continent. *Ab Artaxerxe autem usque ad nostram aetatem omnia quidem scripta sunt, neque vero eadem fide digna habentur atque priora, quia minus manifesta fuit successio prophetarum.* Ostenditur autem re ipsa, quantum nostris libris confidamus. Cum enim tot saecula iam praeterierint, nemo ausus est quidquam iis addere neque demere neque mutare, sed omnibus Iudaeis inde a prima pueritia statim innatum est credere ea Dei praecepta esse, et iis adhaerere et, si opus est, pro iis libenter mori. Multi enim ex captivis iam saepe visi sunt tormenta et varia mortis genera in theatris sustinere, ne quidquam admitterent contra leges et posteriores Scripturas"[3].

[1] Antiq. 3, 7, 7; *N* I 194 sqq. [2] Antiq. 12, 2, 14; *N* II 91.
[3] Contra Apionem 1, 8; *N* V 8 9.

De quibus verbis pauca animadvertenda sunt. Quomodo viginti duos libros computaverit, incertum est. Fortasse eadem ratione qua alii posteriores, videlicet: 1—5 Pentateuchus, 6 Iosue, 7 Iudicum et Ruth, 8 Samuelis, 9 Regum, 10 Paralipomena, 11 Esdras et Nehemias, 12 Esther, 13 Iob, 14 Isaias, 15 Ieremias et Lamentationes, 16 Ezechiel, 17 Daniel, 18 Prophetae minores, 19 Psalmi, 20 Proverbia, 21 Canticum Canticorum, 22 Ecclesiastes[1]. Quicumque autem libri comprehenduntur illo numero, ideo secundum Iosephum pertinent ad Sacram Scripturam, quia a prophetis conscripti sunt. Alii posteriores libri iudaici minoris dicuntur esse auctoritatis, quia eorum origo prophetica minus certa est. Itaque non simpliciter reiciuntur, sed dubii esse dicuntur. Reapse Iosephus utitur aliis libris sacris usque ad libros Machabaeorum. Asserit autem se historiam gentis suae ex sacris Iudaeorum libris conscripsisse[2]. Ergo videtur etiam illos recentiores libros habere ut sacros. At in hac re sibi constans non est. Nam non solum ex aliis fontibus scriptis hausit, sed etiam fabulas populares admiscuit.

22. *Theoreticam expositionem prophetiae* quamquam non tradidit, mentem tamen suam satis manifestat, quando e. g. de Balaam ait:

„Et ille quidem haec prophetavit extra se raptus et Spiritu Divino ad ea motus (ἐπεθείαζεν οὐκ ὢν ἐν ἑαυτῷ, τῷ δὲ θείῳ πνεύματι πρὸς αὐτὰ κεκινημένος)." [3] Et hunc ipsum prophetam ita loquentem inducit ad Balac regem: „Numquid omnino censes et opinaris in nostra potestate esse de talibus rebus

[1] Antiquissimus inter christianos scriptores, qui de canone Veteris Testamenti (habentes igitur etiam canonem Novi Testamenti) loquuntur, est *Melito Sardicensis*, qui in prooemio „Eclogarum" haec ait: „Melito Onesimo fratri salutem. Cum pro amore ac studio tuo erga verbum Dei saepius a me postulaveris, ut excerpta *(ἐκλογάς)* quaedam ex lege et prophetis, quae ad servatorem et ad universam fidem nostram pertinent, tibi componerem, cumque libros Veteris Testamenti accurate cognoscere concupiveris, quot numero et quo sint ordine conscripti, id perficere omni studio laboravi. . . . Ego igitur, cum in orientem profectus essem et ad locum ipsum pervenissem, in quo haec et praedicata et gesta olim fuerunt, Veteris Testamenti libros diligenter didici eorumque indicem infra subiectum ad te misi. Est autem eiusmodi: Moysis libri quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iesu Nave; Iudices; Ruth; Regnorum libri quatuor; Paralipomenon duo; Psalmi Davidis; Salomonis Proverbia, quae et Sapientia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: Iob; Prophetarum: Isaiae, Ieremiae, et duodecim prophetarum liber unus, Daniel, Ezechiel; Esdras. Ex his igitur excerpta collegi, quae in sex libros a me distributa sunt" (*Eusebius*, H. E. 4, 26; *M* 20, 395 sq). Cur omissus sit liber Esther, non certo constat (cf. *Franzelin*, De Trad. et Script.[3] 389, nota 2). Melito neque numerum neque modum computandi indicat (cf. *M* 5, 1177 sqq). *Origenes* vero eandem computationem habet, quam supra dedimus, etsi ordine non plane eodem (In Ps 1; *M* 12, 1083 sq). Eadem fere computatio est apud *Cyrillum Hierosolymitanum* (Catech. 4; *M* 33, 494 sqq), *Athanasium* (Epist. 39; *M* 26, 1435 sqq), *Ioannem Damascenum* (De fide 4, 17; *M* 94, 1175 sqq), alios. Nihilominus *Kihn* censet Flavium Iosephum aliter computasse (Theodor von Mopsuestia, Freiburg 1880, 82 sqq). Computationem, quam supra dedimus, defendit *Cornely* (Introd. I[2] 50 sq), nixus iis, quae Iosephus in Antiquitatibus refert.

[2] Contra Apionem 1, 1; *N* V 3. [3] Antiq. 4, 5; *N* I 248.

loqui aut silere, quando nos corripit Dei Spiritus? Hic enim voces, quas vult, et sermones profert nihil nobis scientibus. . . . Et plane infirmi sunt, qui de rebus humanis aliquid ex se ipsis cognoscere se posse imaginantur, ut non ea, quae numen suggerit, loqui, sed eius voluntati contraire velint. Nihil enim nostri in nobis amplius manet, si illud intrat." [1] Ita quidem loquitur Balaam, qui per se erat falsus propheta; at vix dubitare licet, quin Iosephus hic suam de prophetia sententiam proponat, cum verba illa in sacris libris non inveniantur. Aliis autem locis solet simpliciter ea repetere, quae in Scriptura de prophetis leguntur, et minus quam Philo terminis technicis philosophorum graecorum utitur. Ita e. g. Daniel erat vir, „cui divinae visiones fiebant (τὸ θεῖον αὐτῷ φανερὸν ἐγένετο)" [2]. Per preces impetrabat a Deo cognitionem occultorum [3]: Unde fama fruebatur „viri sapientis, qui posset abscondita et soli Deo nota invenire" [4], eo quod „Divinus Spiritus ei adesset, et ipse solus esset aptissimus ad invenienda ea, quae aliis in notitiam non venirent" [5]. „Libri autem, quos scriptos reliquit, adhuc apud nos leguntur et fidem nobis faciunt Danielem cum Deo conversatum esse. Neque enim futura tantum vaticinando manifestat, quemadmodum et alii prophetae, sed etiam tempus, quo haec eventura sint, determinat. . . . Et propter impletionem eorum et veritatis fidem et quasi divinitatis gloriam apud vulgus (παρὰ τοῖς ὄχλοις) adeptus est." [6] „Haec omnia, Deo ipsi monstrante, scripta reliquit, ut legentes et impleta videntes mirentur de honore, quem apud Deum Daniel habuit, et ex his intellegant errasse Epicuraeos, qui providentiam e vita tollunt et Deum negant curam rerum habere." [7]

In tota hac narratione nullum vestigium apparet divinae illius insaniae, de qua toties loquitur Philo.

Monet autem Iosephus de hac narratione: „Nemo vitio mihi vertat, quod ita singula scripto mandavi, prout inveni in antiquis libris. Nam statim ab initio historiae studiosos rerum et etiam calumniatores praemonui me solum velle Hebraeorum libros graece interpretari et haec ita proponere, ut rebus gestis nihil de meo addam, nihil subtraham." [8]

Est igitur Iosephus quoque testis traditionis iudaicae, qua libris sacris tribuitur origo divina et, quae ex ea fluit, suprema auctoritas in statuendis doctrinis et praeceptis. Sunt enim secundum eum omnes hi libri opera prophetarum, qui non suo nomine, sed a Deo inspirati scripserunt.

ART. III.

DE POSTERIORUM IUDAEORUM DOCTRINA.

23. Iudaei, qui primis post Christum saeculis scripserunt, non iam quidquam contulerunt ad inspirationis doctrinam expoliendam, sed contenti erant communi suae gentis traditione: omnia in Scriptura esse inspirata, non sententias tantum, sed etiam vocabula et immo

---

[1] Ib. [2] Antiq. 10, 10, 2; *N* II, 372. [3] Antiq. 10, 10, 3; *N* 373 sq.
[4] Antiq. 10, 11, 2; *N* 382. [5] Antiq. 10, 11, 3; *N* 383.
[6] Antiq. 10, 11, 7; *N* 388 sq. [7] Antiq. 10, 11, 7; *N* 391.
[8] Antiq. 10, 10, 6; *N* 377 sq.

singulas litteras et singula signa. Ex qua opinione pervenerunt ad miras illas explicandi rationes, quae vocantur *gematria* (i. e. acceptio litterarum alicuius vocabuli sacri pro numeris ad instituendas varias computationes), *notaricon* (i. e. acceptio singularum litterarum pro integris vocabulis), *themura* (i. e. litterarum permutatio). Quae artes cabbalisticae, cum soleant explicari et exemplis illustrari in Introductione in Sacram Scripturam[1], hic solum commemorandae sunt, quatenus ostendunt, quam firmiter Iudaeis persuasum sit nihil esse in Sacris Litteris, quod non per inspirationem a Deo descenderit ideoque altissimam doctrinam contineat.

Saeculo vero duodecimo post Chr. vir exstitit, qui, cum iudaica fide philosophiam coniungens, non apud suos tantum, sed etiam apud theologos scholasticos magnum nomen habuit, Rabbi Moyses ben Maimon, vulgo **Maimonides** dictus (1135—1204). Scripsit inter alia opus, cui titulus *More Nebuchim*, i. e. dux errantium vel dux perplexorum, quia in eo studet explicare terminos et textus Sacrae Scripturae, qui difficultates creare solent[2]. Per Arabes imbutus erat philosophia peripatetica, sed arabice intellecta, et secundum huius philosophiae placita explicare studebat dogmata iudaica.

Inspirationem subsumit sub conceptu prophetiae, lato sensu intellectae, quatenus est interna illustratio et motio divinitus immissa, qua homines res divinas singulari modo perspiciunt et apti fiunt ad alios docendos.

24. *Quis fiat propheta.* Sunt, inquit, de prophetia tres sententiae. Vulgus enim et quidam ex doctoribus nostris censent quemlibet hominem, dummodo moraliter bonus sit, a Deo pro arbitrio suo eligi ad munus propheticum. Philosophi contra putant prophetiam ex indole naturaliter ad eam apta et diligenti studio et industria exculta necessario oriri. Tertia et vera sententia cum secunda convenit in postulanda idoneitate et dispositione ex parte hominis, sed negat, si haec adsint, necessario sequi prophetiam, cum hoc pendeat a beneplacito divino. Quare Baruch, etiam praestitis omnibus praerequisitis, non potuit prophetare, quia Deus noluit (Ir 45)[3]. Itaque ad prophetiam necessaria sunt cum naturalis dispositio, ingenium, boni mores, studium, libertas a rebus perturbantibus, tum specialis influxus Dei.

---

[1] *Cornely*, Introd. I 622 sqq. Bonfrerius distinguit triplicem cabbalam: probam, minus probam, improbam seu vanam (Praeloquia in S. Script. c. 21). Alia, si placet, vide apud *Winter-Wünsche*, Die jüdische Literatur seit Abschluss des Kanons, Trier 1896, 219 sqq.

[2] Textum arabicum (sed characteribus hebraicis) edidit et in linguam gallicam vertit *S. Munk*. De prophetia agitur in P. II, c. 32 sqq, in versione II 259 sqq. Unde sufficiet paginas huius tomi (Paris 1861) indicare. Latinam versionem paravit *Ioan. Buxtorf* fil., Basileae 1629.

[3] Cap. 32; *Munk* 259 sqq.

Maximus prophetarum fuit Moyses, qui immediate cum Deo conversationem habuit, cum alii prophetae per angelos revelationes accipiant. Alii prophetae non nisi sensuum usu privati et in statu magnae perturbationis visiones habebant, Moyses autem omnino vigil et quietus. Moyses, quando volebat, ad Deum accedebat; alii prophetae per intervalla visitabantur. Prophetia Moysis tam alta fuit, ut explicari non possit, sed de ea silere oporteat. Quare omnes expositiones prophetiae de aliis tantum prophetis intellegendae sunt[1].

25. *Quid sit prophetia.* „Scito prophetiam secundum veritatem et quidditatem esse immanationem Dei, quae mediante intellectu agente[2] primum super facultatem rationalem, dein super facultatem imaginativam se expandit." Haec est summa perfectio hominis, ad quam nemo potest pervenire, nisi cuius cerebrum et vis imaginativa ad eam sunt bene disposita. Operatio autem facultatis imaginatricis est maxima, quando sensus quiescunt, ut in somno. Haec quies est dispositio ad prophetiam requisita. Somnia vera et prophetia non differunt nisi ut imperfectum et perfectum, i. e. secundum gradum. Propterea Deus dicit se velle apparere prophetis in visionibus et loqui ad eos in somniis. *Visiones* et *somnia* complectuntur omnes gradus prophetiae. His suppositis quaeritur, cur tot sint homines ad scientiam bene dispositi et eius studio continuo vacantes, quin fiant prophetae. Respondetur, quia voluptatibus sensuum nimis sunt dediti. Quid enim exigitur, ut quis fiat propheta? „Supponamus hominem, cuius substantia cerebralis inde a primitiva formatione est perfectissime proportionata propter puritatem materiae et singularum partium specialem complexionem, propter quantitatem et positionem, et quia numquam perturbatur ex parte alterius organi; supponamus hunc hominem acquisivisse scientiam et sapientiam, ut facile transeat ex potentia ad actum, eumque habere intellectum humanum omnino perfectum et mores humanos puros et bene temperatos, et omnia eius desideria ferri ad scientiam mysteriorum huius universi et ad cognitionem causarum eorum, et cogitationes eius semper versari circa res nobiles, eumque non occupari nisi in cognoscendo Deo et contemplandis operibus eius et investigandis iis, quae de his oportet credere; supponamus tandem cogitationes eius et desideria esse libera a rebus animalibus, quales sunt voluptates cibi, potus, veneris, generatim omnia, quae ad sensum tactus pertinent . . . item ab omnibus vanis ambitionibus, i. e. a cupiditate dominandi et habendi famam popularem et hominum obsequia et oboedientiam sine altiore fine — si, inquam, in homine, qualem descripsimus, facultas imaginativa esset in plena activitate, et si intellectus agens totam suam vim in eam exsereret, talis homo sine dubio non perciperet nisi res divinas plane extraordinarias, non videret nisi Deum et angelos eius, et scientia, quam acquireret, non haberet obiecta, nisi quae vera sunt et quae recte ordinant hominum inter se relationes." Nihilominus,

---

[1] Cap. 34 sq; *Munk* 268 sqq. Cf. Introd. totius operis, *Munk* 11 sq.

[2] Intellectus agens in philosophia peripatetica est facultas formativa specierum intellegibilium; intellectus possibilis vel patiens est facultas intellectualis, quatenus per species conformatur obiectis et sic intellectualiter potest fieri quodlibet. Philosophi vero arabici docebant intellectum agentem esse intellegentiam separatam seu angelum.

quia hae tres perfectiones facultatis rationalis, facultatis imaginativae morumque possunt esse diversae, ideo diversi quoque sunt gradus prophetarum. Praeterea quia facultas imaginativa potest defatigari et debilitari, inde fit, ut prophetae interdum habeant donum prophetiae, interdum eo careant. Hinc explicatur, quod tempore exsilii cessavit prophetia propter praevalentem tristitiam, et quod adhuc deficit inter Iudaeos; sed quando Messias venerit, prophetia revertetur [1].

26. Haec sonant quidem, quasi ex naturali dispositione prophetia sua sponte et necessario oriatur. At hoc Maimonides statim ab initio expositionis excluserat. Omnino enim praeter hanc dispositionem et praeparationem postulat specialem Dei influxum. Errat autem putans non posse a Deo ad munus propheticum quemquam eligi, quin ad hoc sit naturaliter dispositus et praeparatus. Deus enim et in Vetere et in Novo Testamento Saulos fecit prophetas [2], et omnem dispositionem deficientem per suam omnipotentiam supplere potest.

Cum Maimonides dicat omnem prophetiam fieri aut per somnium aut per visionem, somnium non explicat, eo quod omnes sciant, quid hoc sit.

„*Quantum ad visionem, haec est status agitationis et terroris,* quo corripitur propheta, quando evigilat, ut narratur de Daniele (10, 8 sq). . . . In tali statu sensus cessant ab operationibus suis, et iste impulsus, de quo dixi, diffunditur super facultatem rationalem et inde super facultatem imaginativam, ut haec ad functiones perfectas perveniat. Interdum revelatio incipit a visione prophetica; tum agitatione illa et vehementi emotione, quae provenit ex perfecta operatione imaginationis, crescente advenit revelatio, sicut accidit Abraham; nam de hac revelatione in principio dicitur: *Verbum Domini factum est ad Abraham in visione;* in fine vero: *Et profundus sopor irruit super Abraham;* tandem: *Et dixit ad Abraham* etc. (Gn 15, 1 12 sqq)." Etsi modo Deus, modo angelus dicitur apparuisse, *numquam Deus loquitur nisi mediante angelo; angelus autem non apparet nisi in somnio aut in visione.* Prophetae interdum dicunt angelum esse locutum, interdum non dicunt, sed hoc semper supponunt. Interdum dicunt Deum esse locutum per angelum, interdum simpliciter Deum esse locutum; sed notum esse confidunt omnem prophetiam et omnem revelationem fieri in somnio aut in visione et mediante angelo. Quidquid ergo uno ex his quatuor modis fit, est vera prophetia. Quando autem dicitur: *Deus venit ad talem in somnio noctis,* non agitur de prophetia, sed sensus est: Deus effecit, ut hic homo monitum aliquod per somnium acceperit, id quod etiam malis potest contingere. Aliquoties dicitur: *Deus dixit ad eum,* etsi hic homo non accepit immediate revelationem, sed instructus est per prophetam, qui propheta aliquando etiam angelus (i. e. nuntius) vocatur [3].

Quandocumque angelus apparet, sive in figura humana sive alio modo, et loquitur et agit, hoc semper fit in visione aut in somnio prophetico (i. e. non extra imaginationem prophetae), ut lucta Iacobi cum angelo (Gn 32, 24) [4].

---

[1] Cap. 36; *Munk* 281 sqq.
[2] 1 Rg 10, 6 10 sqq. Act 9.
[3] Cap. 41; *Munk* 313 sqq.
[4] Cap. 42; *Munk* 319 sqq.

Etiam cum prophetae habent visionem parabolicam et postea eam explicant, interdum haec ipsa explicatio fit in somnio prophetico, eo fere modo, ac si quis somniat se evigilasse et exponere ea, quae antea somniaverit. Interdum solum symbolum percipitur in visione, et explicatio fit extra statum visionis [1].

27. *Sunt undecim gradus prophetiae,* etsi duo infimi non sunt proprie prophetia, sed gressus ad prophetiam. Porro unus idemque propheta modo sub una, modo sub alia forma prophetiam accipit. Sicut propheta non per totam vitam prophetat, sed saepe ab inspiratione vacuus est, ita quoque accidit, ut prius fuerit in superiore gradu et postea sit in inferiore. Ab omnibus autem prophetis ante mortem inspiratio aufertur. His praemissis iam sequitur divisio prophetiae.

„*Primus gradus* est gressus ad prophetiam, cum quis auxilio divino adiuvatur, quo movetur et animatur ad actionem virtuosam, grandem, magni momenti, e. g. ad liberandam societatem hominum bonorum a societate improborum, vel ad liberandum hominem insignis virtutis, vel ad multis hominibus benefaciendum, ita ut talis vir percipiat in se aliquid, quo impellatur et invitetur ad agendum. Hoc est, quod appellatur *spiritus Domini,* et de homine, qui in tali statu est, dicitur: *Irruit in eum spiritus Domini. . . .*" Exempla: Samson et alii iudices et reges. A Moyse, ex quo tempore ad aetatem virilem pervenit, hoc genus fortitudinis numquam recessit. Quare spiritu Domini actus interfecit Aegyptium et alia similia patravit. „Hic *spiritus Domini* numquam ullum verbum inspiravit, sed solum ad certas actiones nobiles impulit."

„*Secundus gradus* est, quando quis sibi videtur penetrari re aliqua et indui nova facultate, quae movet eum ad loquendum, ut proferat praecepta sapientiae aut laudem [Dei] aut monita salutaria aut sermones spectantes ad regimen politicum aut ad metaphysicam, et id quidem in statu vigiliae, quando sensus usitatas suas functiones habent. Talis homo dicitur loqui *per Spiritum Sanctum.* Per hunc Spiritum Sanctum David composuit Psalmos et Salomon Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Item per eundem Spiritum Sanctum compositi sunt libri Danielis, Iob, Chronicorum, alia Hagiographa. Unde et *Kethubim* appellantur, i. e. scripta mediante Spiritu Sancto. . . . Notandum est Davidem, Salomonem, Danielem ex hoc genere esse neque pertinere ad genus Isaiae, Ieremiae, Nathan prophetae, Achiae Silonitae, aliorum similium. . . . Quodsi David ait: *Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel* (2 Rg 23, 3), intellegendum est hoc sensu, quod Deus fecit ei promissiones sive per Nathan sive per alium", et similiter de aliis, quorum somnia numquam vocantur prophetia. „Haec ratio est, ob quam inter nostros convenit Danielem ponendum inter hagiographos, non inter prophetas. . . . Nulla facienda est differentia inter Proverbia, Ecclesiasten, Danielem, Psalmos, libros Ruth et Esther, quia omnes scripti sunt mediante Spiritu Sancto et vocantur omnes prophetae sensu generaliore."

„*Tertius gradus* . . . in eo consistit, quod propheta videt *parabolam* in *somnio* cum omnibus condicionibus verae prophetiae iam explicatis, et quod in ipso somnio prophetico exponitur verus sensus parabolae, quemadmodum valet de plurimis parabolis Zachariae."

---

[1] Cap. 43; *Munk* 324 sqq.

„*Quartus gradus* est, cum in *somnio* prophetico audiuntur *voces* clarae et distinctae non viso eo, qui loquitur, ut accidit Samueli in prima revelatione."

„*Quintus gradus* est, quando *homo* in *somnio* loquitur cum propheta."

„*Sextus gradus* est, quando *angelus* ei loquitur in *somnio,* et haec est condicio plurimorum prophetarum."

„*Septimus gradus* est, si in somnio prophetico *Deus* videtur loqui ad prophetam."

„*Octavus gradus* est, cum propheta revelationem habet in *visione prophetica* et videt *parabolas.*"

„*Nonus gradus* est, cum in *visione* audit *verba.*"

„*Decimus gradus* est, quando in *visione* prophetica videt *hominem,* qui ad eum loquitur."

„*Undecimus gradus* est, quando in *visione* videt *angelum,* qui ad eum loquitur, ut e. g. Abraham tempore sacrificii."

Itaque *prophetia dividitur in duas classes: somnium et visionem.* In somnio habentur quinque gradus, prout aut videntur symbola, aut audiuntur voces, aut apparet homo, aut angelus, aut Deus. Similiter in visione, sed in ea numquam Deus apparet, sed apparitio angeli „est altissimus gradus, ad quem prophetae pervenerunt . . . excepto Moyse magistro nostro. Si quaeritur, num fieri possit, ut in visione prophetica videatur sibi propheta audire vocem Dei, hoc censeo improbabile, quia vis activa facultatis imaginativae se non eo usque extendit". Fortasse autem in visione numquam verba audiuntur, sed solae parabolae videntur, et omnes textus, in quibus verba audita esse dicuntur, ad somnium propheticum referendi sunt. Quod si ita est, octo tantum gradus prophetiae sunt [1].

28. Sicut homo in somnio multa sibi videtur videre, audire, agere, quae nequaquam in rerum natura fiunt, ita *in visione prophetica, quaecumque fiunt, in sola imaginatione fiunt neque facta realia sunt,* sed symbola tantum rerum, etsi narrantur quasi facta sint, ut e. g. actiones, quas Osee propheta iubetur facere. Soli homines imperiti et infirmi intellectus censent haec esse vere facta [2].

Saepe quoque prophetae utuntur metaphoris et hyperbolis, quae sano modo explicandae sunt, non vero litteraliter intellegendae [3].

Praeterea non raro ea, quae fiunt per causas secundas, immediate Deo adscribuntur a prophetis. Quia enim Deus produxit res creatas easque movet, ideo Deus dicitur eorum actiones facere vel mandare vel similia, quamquam non immediate agit neque mandatum proprie dictum dat [4].

Haec placuit tam fuse excerpere, quia partim transierunt in tractatus scholasticos de inspiratione, id quod postea videbimus.

Itaque Maimonides *de inspiratione ad scribendum* in secundo tantum gradu prophetiae diserte loquitur; ceterum ubique supponit eos libros sacros, qui ad altiorem gradum prophetiae pertineant, esse multo magis inspiratos et imprimis legem mosaicam. Quare e. g. ait: „Nonne vides, quomodo Deus volens nos ad perfectionem ducere et meliorem

---

[1] Cap. 45; *Munk* 333 sqq.
[2] Cap. 46; *Munk* 348 sqq.
[3] Cap. 47; *Munk* 356 sqq.
[4] Cap. 48; *Munk* 361 sqq.

reddere statum societatum nostrarum per leges antiquas . . . nonne vides, inquam, quomodo ab initio libri sui [Genesis] posuerit narrationem creationis, quae est scientia physica“ [1]; quia scilicet ante scientiam moralem secundum rectum ordinem praemittenda est metaphysica, ante metaphysicam vero physica. Eadem ratio a Philone et a Flavio Iosepho redditur, cur ante legislationem mosaicam proponatur historia creationis.

Iuverit in fine notare secundum Maimonidis sententiam Moysen, etsi fuerit propheta sui generis, non potuisse videre essentiam divinam [2].

29. Philo olim conatus erat philosophiam platonicam cum Iudaeorum dogmatis coniungere; sed apud ipsos Iudaeos successu caruerat et mox in oblivionem venerat. Maimonides studuit super fundamentum doctrinae aristotelico-arabicae construere aedificium theologiae iudaicae, et apud multos Iudaeos maximum successum habuit, ut inter eos quasi proverbium fuerit: „A Moyse usque ad Moysen non apparuisse similem Moysen.“ Praecesserant quidem alii philosophi iudaici doctrinae peripateticae vel platonicae addicti, ut *Saddia ben Ioseph* (saec. XI) et *Samuel ibn Gabirol* (Avicebron saec. XI), qui magis sequitur Plotinum quam Aristotelem, aliique plures [3]. At omnes superavit Maimonides imbuendis Iudaeis doctrina peripatetica. In maxima admiratione erat apud plurimos, quia putabant eum effecisse perfectam reconciliationem philosophiae cum doctrinis biblicis. Multi vero doctores talmudici, quorum opiniones saepe irridet et sugillat Maimonides, indignatione in eum inflammabantur, quod totam legem perverteret vel in periculum vocaret. Ortae sunt gravissimae dissensiones, neque argumentis tantum pugnatum est, sed asseclae oppositarum partium inter se excommunicarunt et tamquam apostatas damnarunt. Praecipue in Gallia meridionali animi contra Maimonidis doctrinam gravissime excitabantur. Ibi a. 1233 rabbi *Salomo ben Abraham* alios rabbinos sibi adiunxit, qui libros Maimonidis anathemate afficiendos et comburendos esse declarabant. Quo efficacius hoc consilium exsecutioni mandarent, opera Maimonidis apud Inquisitores christianos gravissimorum errorum accusarunt et obtinuerunt, ut illa publice flammis traderentur [4]. Nihilominus progressum doctrinae Maimonidis impedire non poterant, quae mox omnes fere scholas iudaicas occupabat.

Sunt autem nonnulli inter asseclas Maimonidis, qui in explicanda prophetia eatenus ab eo recedunt, quatenus docent influxum intellectus agentis non fieri in imaginationem, sed in intellectum tantum. Ita docet e. g. *Gersonides* (Levi ben Gerson saec. XIV). *Ioseph Albo* (saec. XV) censet posse quidem prophetiam fieri cum cooperatione imaginationis, at eo altiorem esse, quo magis fiat sine cooperatione imaginationis [5].

[1] *Munk* 1, 13 sq. [2] P. 1, c. 54 64; *Munk* 1, 216 286.
[3] De quibus *Winter-Wünsche* II 699 sqq.
[4] *Jost*, Geschichte des Judentums III, Leipzig 1859, 7 sqq.
[5] *Winter-Wünsche* II 769 789.

Cum prophetia comparat enthusiasmum philosophicum vel poëticum, quem etiam a Spiritu Sancto descendere vult, ita ut is, qui tali modo inspiratur, saepe nesciat, unde ideae vel verba sibi venerint, etsi haec non sit prophetia proprie dicta. Maimonides vero docet ex influxu intellectus agentis in solam facultatem imaginativam fieri politicos, ad prophetiam autem exigi, ut influxus fiat in utramque simul facultatem[1]. Est igitur haec differentia opinionum inter magistrum et discipulos, quam notasse sufficiat.

30. Maimonidis doctrinam esse quendam, quem vocant, rationalismum, negari nequit. Hunc autem inter posteriores Iudaeos ad extremum usque gradum perduxit **Baruch Spinoza**, qui „propter horribiles haereses" a. 1656 soliemni anathemate e synagoga eiectus est. Fuit pantheista, secundum quem Deus est illa unica substantia, extra quam non est ulla alia substantia, et cuius duo attributa, i. e. cogitatio et extensio, totum mundum constituunt; nam quaecumque in mundo exsistunt, non sunt nisi affectiones illorum attributorum divinorum. Deus est „natura naturans"; mundus est „natura naturata". Quae sunt et fiunt, non possunt non esse et fieri, quia Deus non potest non esse, neque natura divina potest non explicare seu evolvere se hoc determinato modo.

Quare respectu prophetiae ante omnia statuendum est *cognitionem propheticam et cognitionem communem non essentialiter differre,* „quandoquidem Dei natura, quatenus de ea participamus", utriusque cognitionis fons est.

„Cum itaque mens nostra ex hoc solo, quod Dei naturam obiective in se continet et de eadem participat, potentiam habet ad formandum quasdam notiones rerum naturam explicantes, merito mentis naturam, quatenus talis concipitur, primam divinae revelationis causam statuere possumus." [2] Prophetia eo tantum distinguitur, quod est modus cognoscendi rarus et inusitatus. Qualis sit hic modus, ex sola Scriptura discendum est, ex qua colligitur, „quod omnia, quae Deus prophetis revelavit, iis revelata fuerunt vel verbis vel figuris vel utroque hoc modo, verbis scilicet et figuris", idque vel in sola imaginatione vel etiam extra imaginationem [3]. Per voces extra imaginationem soli Moysi revelatio facta est, aliis prophetis in imaginatione tantum [4]. Scriptura Veteris Testamenti supponit Deum esse corporeum et voces formare posse. Revelationes per figuras vel imagines multae inveniuntur in Scriptura. Maimonides et alii dicunt quidem haec omnia in somniis facta esse, sed „illi sane garriunt; nam nihil aliud curaverunt, quam nugas aristotelicas et sua propria figmenta ex Scriptura extorquere, quo mihi quidem nihil magis ridiculum videtur." [5] Potest quidem Deus sine verbis vel figuris immediate re-

[1] *More* II 37; *Munk* 2, 290 sqq.

[2] Tractatus theologico-politicus c. 1; Ed. *Paulus* I 157.

[3] Ib. 158. [4] Ib. 159.

[5] Ib. 161. Ceterum Spinoza non pauca ex Maimonide hausit neque ullo signo indicavit.

velare, sed ad hoc requiritur dispositio mentis omni humana excellentior. „Quare non credo ullum alium ad tantam perfectionem supra alios pervenisse praeter Christum, cui Dei placita, quae homines ad salutem ducunt, sine verbis aut visionibus, sed immediate revelata sunt, adeo ut Deus per mentem Christi sese apostolis manifestaverit, ut olim Moysi mediante voce aërea. Et ideo vox Christi, sicut illa, quam Moyses audiebat, vox Dei vocari potest. Et hoc sensu etiam dicere possumus sapientiam Dei, hoc est sapientiam, quae supra humanam est, naturam humanam assumpsisse et Christum viam salutis fuisse." Moyses loquebatur cum Deo de facie ad faciem, Christus „de mente ad mentem" [1]. Spiritus, de quo toties sermo est in Scriptura, est vel ventus, vel mundi plaga, vel anima humana, vel animositas et vires, vel virtus et aptitudo ad aliquid, vel animi passio et dispositio [2]. Unde spiritus Dei est vel ventus vehemens, vel vis seu virtus supra communem eminens, vel anima seu mens hominis, maxime ut carni opponitur, vel per modum anthropomorphismi est halitus oris Dei, vel est lex mosaica, quae venit ex ore Dei, vel potentia et decretum Dei, vel affectus voluntatis divinae. Unde si prophetae dicuntur spiritu Dei repleti, hoc nihil aliud est, nisi quod ultra communem modum virtutem habent vel mentem Dei percipiunt. Quibus autem naturae legibus imaginatio ad hanc extraordinariam perfectionem evehatur, ignoramus. Solet prophetia non diu neque constanter manere in prophetis, quia imaginatio ex se vaga et inconstans est [3].

31. *Prophetae non erant perfectiore mente praediti, sed potentia vividius imaginandi.* Quare neque ex prophetarum libris rerum naturalium vel spiritualium cognitio quaerenda est. Immo per se prophetia, utpote res imaginationis, nullam certitudinem confert, sed signum aliquod divinum addendum est, ut certitudo quaedam habeatur de obiectis imaginationum.

Maximum autem argumentum pro veritate prophetiae est, quod prophetae „animum ad solum aequum et bonum inclinatum habebant" [4]. Ipsa revelatio „pro ratione temperamenti variabat hoc modo, nempe: Si propheta erat hilaris, ei revelabantur victoriae, pax, et quae porro homines ad laetitiam movent; tales enim similia saepe imaginari solent. Si contra tristis erat, bella, supplicia et omnia mala ei revelabantur". Item ratio imaginum et stilus seu modus loquendi ex hac re pendent [5]. Prophetae non solum multa ignorarunt, sed contrarias opiniones et praeiudicia habuerunt et erraverunt et admodum vulgares de Deo fictiones habuerunt, et generatim in iis, „quae solam speculationem, et quae non caritatem et usum vitae spectant", nullius sunt auctoritatis, et argumenta eorum ad captum vulgi accommodata, saepe obiective valida non sunt [6].

Hebraei ad hoc tantum Dei directione et auxilio vocati sunt, ut specialem aliquam societatem constituerent, non ut altiorem cognitionem et pietatem haberent. Directio autem divina non differt ab immutabili naturae ordine; ad Dei auxilium externum pertinent omnia, quae naturae vires sua sponte ho-

---

[1] Ib. 163. Ob haec verba putandum non est Spinoza Christianum factum esse. Multum abest.

[2] Ib. 164 sq. [3] Ib. 164 sqq. [4] Ib. c. 2, p. 172 sqq. [5] Ib. 176.

[6] Ib. 179 sqq.

mini in adiumentum offerunt; ad auxilium Dei internum ea, quae homo sua potentia praestare potest. Unde populi israelitici electio in eo tantum est, quod se feliciter in talem societatem humanam evolvit [1]. Donum prophetiae Hebraeis peculiare non fuit, sed omnes nationes suos prophetas habuerunt [2].

Historiae, quae in Scripturis narrantur, impune ignorantur vel etiam negantur, dummodo quis teneat Deum exsistere et amorem Dei esse unicam legem moralem necessariam et aeternam [3].

Miracula sunt necessarii naturae eventus, sed insoliti et ideo ignorantes ad admirationem evocant; ad demonstrandam autem Dei exsistentiam vel providentiam plane inutilia sunt [4].

32. *Quod interpretationem Scripturae attinet,* haec notanda sunt:

„Cum summum ius libere sentiendi, etiam de religione, penes unumquemque sit, nec possit concipi aliquem hoc iure decedere posse, erit ergo etiam penes unumquemque summum ius summaque auctoritas de religione libere iudicandi et consequenter eandem sibi explicandi et interpretandi." Ergo nullius interpretis auctoritas admittenda est. „Nam cum maxima auctoritas Scripturam interpretandi apud unumquemque sit, interpretandi ergo norma nihil debet esse praeter lumen naturale omnibus commune, non ullum supra naturam lumen neque ulla externa auctoritas." [5]

Quoad libros Veteris Testamenti constat *„non fuisse Moysen, qui Pentateuchon scripsit,* sed alium quempiam, qui longe post vixit, et denique, quem Moyses scripsit librum, alium fuisse" [6]. Probabiliter Esdras libros omnes ab initio Genesis usque ad finem secundi libri Regum scripsit, neque tamen ultimam manum operi admovit [7]. Similiter multi alii libri sacri orti non sunt nisi temporibus secundi templi. Liber Iob probabiliter est gentilis originis et in linguam hebraicam translatus tantum [8].

In Novo Testamento apostoli non scripserunt ut prophetae, sed ut doctores, ita ut statuendum sit „epistulas apostolorum solo lumine naturali dictatas fuisse" et apostolos prophetas non fuisse nisi in praedicatione orali. Diversas quoque et oppositas opiniones manifestarunt, unde postea contentiones et schismata orta sunt [9].

Scriptura est verbum Dei eodem sensu quo lex naturalis cordibus hominum inscripta, seu potius quatenus hanc legem exhibet.

„Tribus de causis Scriptura verbum Dei appellatur: nempe quia veram docet religionem [naturalem], cuius Deus aeternus est auctor; deinde quia praedictiones rerum futurarum tamquam Dei decreta narrat, et denique, quia ii, qui revera fuerunt eius auctores, ut plurimum non ex communi naturali lumine, sed quadam sibi peculiari docuerunt et Deum eadem loquentem introduxerunt. . . . Atque hinc facile percipimus, qua ratione Deus auctor Bibliorum sit intellegendus, nempe propter veram religionem, quae in iis docetur; at non quod voluerit certum numerum librorum hominibus communicare." [10] Hi

[1] Tractatus theologico-politicus c. 2; Ed. *Paulus* I 191 sqq.
[2] Ib. 197 sqq. [3] Ib. c. 5, p. 228 sqq. [4] Ib. c. 6, p. 233 sqq.
[5] Ib. c. 7, p. 275 sqq. [6] Ib. c. 8, p. 277. [7] Ib. 287 sqq.
[8] Ib. c. 10, p. 304 sqq. [9] Ib. c. 11, p. 315 sqq. [10] Ib. c. 12, p. 329.

libri potius casu seu occasione data orti sunt, nec quidquam verbi Dei nobis deesset, si iis careremus. Quis e. g. propter quattuor evangelia credet, „quod Deus quater historiam Christi narrare voluerit et scripto hominibus communicare"? Unde etsi dicimus Scripturam, quam habemus, „mendosam, depravatam et truncatam" esse, tamen verbum Dei, i. e. vera religio, non ideo passum est iniuriam. Scripturam autem semper habuisse eadem verba, apices, litteras „hoc Massoretis et qui litteram superstitiose adorant, demonstrandum relinquo" [1].

Scriptura non continet ulla mysteria, sed veritates tantum simplicissimas et naturaliter notas. „Nam si inquiras, quaenam mysteria in Scriptura latere videantur, nihil profecto reperies praeter Aristotelis aut Platonis aut alterius similis commenta." [2] „Videmus Ieremiam, Moysen, Ioannem Dei cognitionem, quam unusquisque scire tenetur, paucis comprehendere eamque in hoc solo ponere, quod Deus sit summe iustus et summe misericors, sive unicum verae vitae exemplar . . . ex quibus omnibus concludimus intellectualem Dei cognitionem, quae eius naturam, prout in se est, considerat, et quam naturam homines certa vivendi ratione imitari non possunt neque tamquam exemplum sumere ad veram vivendi rationem instituendam, ad fidem et religionem revelatam nullo modo pertinere, et consequenter homines circa hanc sine scelere toto caelo errare posse." [3]

Elucet ex his excerptis a Spinoza ita posita esse fundamenta rationalismi biblici, ut suis sequacibus hac in re vix quidquam addendum reliquerit, quoad singulas vero quaestiones indicatum esse modum eliminandi ordinem supernaturalem, quem deinceps rationalistae fideliter servarunt et eruditione tantum maiore firmare et ornare studuerunt.

33. Quae quamvis ita sint, censuit tamen **Moses Mendelsohn** († 1786) Spinozam non obstantibus illis opinionibus philosophicis potuisse manere „Iudaeum orthodoxum", dummodo externis legibus Iudaeorum se accommodasset.

Religio enim, inquit, non potest esse nisi naturalis; per revelationem autem leges tantum statutae sunt. Unde Iudaismus est compositum ex religione naturali et praeceptis positivis; at neque fidem revelatam neque articulos fidei habet. Bonus igitur Iudaeus est, qui praeter religionem naturalem servat praecepta, quascumque ceteroqui habet opiniones philosophicas. Religio naturalis paucissimis principiis innititur omnibus hominibus innatis. In reliquis doctrinis investigandis unicus dux et magister est ratio, quae sola docet veritates aeternas; veritates vero historicas per experientiam discimus. Miracula autem et quae rationem transcendunt, inepta sunt ad hominibus conciliandam sive scientiam sive fidem. „In Iudaismo nulla pugna est inter religionem et rationem, nulla rebellio naturalis cognitionis contra despotismum fidei." Deus veritates aeternas ad salutem necessarias homines non docuit per litteras et libros, sed mentibus hominum inscripsit [4]. Fuit igitur Mendelsohn fidelis Spinozae discipulus et simul, in Germania saltem, antesignanus

[1] Ib. 331. [2] Ib. c. 13, p. 335. [3] Ib. 339.
[4] *Winter-Wünsche*, Jüdische Litteratur III 829 sqq.

Iudaeorum „modernorum reformatorum". Quantopere vero rabbini talmudici eius opinionibus se opposuerint, notum esse suppono.

Usque ad nostra tempora praeter illos Iudaeos, qui variarum disciplinarum studio se dederunt, alii sunt, qui omnem profanam scientiam odio habent et ad id omnes labores conferunt, ut sepem iam per tot saecula circa legem aedificatam etiam augeant[1].

Quid „moderni" Iudaei de Scriptura sentiant, in Encyclopaedia Iudaica sic exponitur:

„Recens theologia iudaica scholae reformatae, plane concedens humanam originem Sacrarum Scripturarum et agnoscens res in iis relatas saepe pugnare cum probatis doctrinis modernae inquisitionis historicae, physicae, psychologicae, ad hanc conclusionem pervenit: Etsi antiqua theoria inspirationis litteralis divinitus factae relinquenda sit et scriptores iudaei considerandi sint ut homines infirmitatibus humanis subiecti, habentes suum quisque specialem stilum et sensum, nihilominus spiritus Dei in iis manifestabatur. Scriptura adhuc vim habet inspirandi omnem mentem devotam, quae eam legit vel audit. Ipsa omni generationi loquitur divina auctoritate, qualem nullus alius liber vel litteratura possidet. Inspiratio Scripturae differt ab inspiratione, sub qua magna opera litteraria vel artistica posteriorum temporum producebantur. Enthusiasmus religiosus ingenii totam fermentat, et veritas in ea enuntiata, quacumque forma induitur, non minus nunc movet homines, quam olim movebat, quando primum a propheta, psalmista vel legislatore proferebatur, qui ipsi ferebantur virtute Divini Spiritus. Haec theoria modernae theologiae, consona cum studio biblico et moderna inquisitione, quae sensa et formas Scripturae analysi subicit et ad varios eorum fontes reducit, docet prophetam et sacrum scriptorem fuisse sub influxu Divini Spiritus, quando novas ideas religiosas revelabat sive voce sive scripto. Sed humanum elementum non erat in iis exstinctum, et consequenter quoad sententias, scientiam, formam loquendi non poterant nisi agere ut filii aetatis suae." [2] Sed de his satis.

CAPUT II.

VETERUM CHRISTIANORUM DOCTRINA DE INSPIRATIONE BIBLICA.

ART. I.

DE TESTIMONIO NOVI TESTAMENTI, DE PATRIBUS APOSTOLICIS, DE APOLOGETIS.

34. A veteribus Iudaeis Christiani libros sacros Veteris Testamenti et fidem inspirationis receperunt.

Christus ipse in synagogis explicabat Scripturam et ostendebat, quomodo in ipso implerentur, quae dicta erant a prophetis (Lc 4, 16 sqq).

[1] *Winter-Wünsche,* Jüdische Literatur III 754 sqq.
[2] The Jewish Encyclopedia VI 608 sq.

Quare ait ad Iudaeos: „Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me“ (Io 5, 39). „Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?“ (Io 5, 45 sq).

Quantam autem auctoritatem tribuat Scripturae, apparet ex verbis eius: „Nolite putare, quoniam veni solvere legem et prophetas; non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis: Donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant“ (Mt 5, 17 sq). Propterea non vult rogare Patrem, ut mittat angelos ad se liberandum. Nam „quomodo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?“ (Mt 26, 54). „Quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. . . . Quoniam sic scriptum est“ (Lc 24, 44 sqq).

Ratio autem, cur tanta auctoritas Scripturae conveniat, est quia sacri scriptores erant prophetae. „Bene prophetavit de vobis Isaias“ (Mt 15, 7; cf. Mt 24, 15; 26, 56). Prophetae autem in Spiritu Sancto loquuntur (Mt 22, 43). Quae scripserunt, sunt „verbum Dei“ (Mc 7, 13), dicta sunt ab ipso Deo (Mt 22, 31). Ideo „non potest solvi Scriptura“ (Io 10, 35).

35. *Evangelistae* et *apostoli* exemplum et doctrinam Christi sequentes ad Scripturae auctoritatem provocant. Saepe enim legimus haec et similia: „Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem . . .“ (Mt 1, 22; 4, 14; 12, 17; 13, 35; 21, 4 etc.), ubi sermo est de libris Veteris Testamenti. Item illa: „Scriptura ait“, „scriptum est“, aliaque talia toties repetuntur, ut superfluum sit singulos textus allegare. „Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti“ (Act 4, 25). „Bene Spiritus locutus est per Isaiam prophetam“ (Act 28, 25). „Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines“ (2 Petr 1, 20 sq). S. Paulus scribit ad Timotheum: „Ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus“ (2, 3, 15 sqq).

Qui quidem loci postea in tractatu dogmatico exponendi erunt; interim vero satis sit ostendisse, quomodo libri sacri synagogae et fides inspirationis per doctrinam Christi et apostolorum transierint ad Christianos.

36. Doctrinam apostolorum exceperunt et propagarunt *Patres apostolici,* qui non Veteris tantum Testamenti libros, sed etiam Novi a Deo

inspiratos agnoverunt. Quot quidem libros sacros seu quem „canonem" habuerint, quaestio est, quae non huc pertinet, sed in „Introductione" in S. Scripturam solvenda[1]. Nobis enim de inspiratione tantum sermo est; de canone eatenus solum, quatenus confert ad Patrum doctrinam de inspiratione explicandam.

Porro exspectandum non est in brevissimis illis scriptis, quae primi Patres ecclesiae nobis reliquerunt, iam amplas dissertationes proponi de natura et extensione inspirationis. Potius hi Patres eodem modo quo apostoli sub formulis: „Scriptura dicit, scriptum est", varia dicta Scripturae allegant ad res, quas volunt, irrefragabili argumento probandas.

In *„Doctrina duodecim apostolorum"* et ex Vetere Testamento et ex Novo varia leguntur. Ex Vetere e. g.: „Hoc enim est dictum a Domino: In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus" (14, 3). Ex Novo Testamento: „Neque orate sicut hypocritae, sed, sicut praecepit Dominus in evangelio suo, ita orate: Pater noster . . ." et reliqua secundum Matthaeum (8, 2). Itaque nihil habetur in hoc libello ad inspirationem attinens, nisi quod ex libris sacris multa proponuntur ut norma Christianis in vita religiosa et morali necessario sequenda.

Idem valet de *epistula*, quae *Barnabae* apostoli nomen prae se fert. Ita, ad ostendendum sacrificia Iudaeorum Deo non placere, ait: „Dominus[2] adaperuit nobis per omnes prophetas neque sacrificiis neque holocaustis neque oblationibus sibi opus esse, aliquando dicens: Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum . . ." et alia multa, quae deinceps ex variis prophetis excerpuntur (2, 4 sqq). Verba psalmistae (Ps 33, 13) dicuntur verba Dei: „Iterumque Spiritus Domini prophetat" (9, 2). Ceterum scriptor huius epistulae plerumque fidem inspirationis simpliciter manifestat argumentando per illa: „Scriptura dicit, scriptum est" (cf. 4, 7 11 14; 5, 2—4; 6, 12 etc.), quae non minus ad scripta quaedam Novi Testamenti applicantur quam ad Vetus Testamentum.

37. Praeter similes citationes testimonia quaedam magis diserta exstant apud **S. Clementem Romanum.** Hic enim loquens de factis historicis, quae in Vetere Testamento narrantur, ait:

„Scripturas diligenter inspicite [vel: inspexistis, ἐγκεκύφατε εἰς τὰς ἱερὰς γραφάς[3]], quae vera sunt Spiritus Sancti oracula [τὰς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ

[1] Cf. *Cornely*, Introd. I 65 sqq.

[2] Ad Dominum, i. e. ad Christum auctorem, saepe refert dicta Veteris Testamenti (1, 7; 5, 3 etc.).

[3] Scripturae vocantur a Sanctis Patribus ἱεραί, ἅγιαι, θεῖαι, sacrae, sanctae, divinae, deificae. Haec et alia vocabula, etsi etymologice differunt, ad sacros libros

ἁγίου]. Attendite [vel: intellexistis] in illis nihil iniustum, nihil perversum scriptum esse" (45, 2). De prima epistula S. Pauli apostoli ad Corinthios ait: „Epistulam Beati Pauli apostoli in manus sumite. Quid primum vobis in principio evangelii scripsit? Vere divinitus inspiratus epistulam misit [ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν] de se ipso, de Cepha, de Apollo" (47, 1 sqq).

Quaecumque enim in Scriptura dicuntur, a Spiritu Sancto dicuntur (13, 1; 16, 2). Homines vero „ministri gratiae Spiritu Sancto afflati locuti sunt" (8, 1). Sed Christus quoque in Vetere Testamento ad nos loquitur: „Ipse enim per Spiritum Sanctum ita nos compellat: Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos . . ." (22, 1).

In homilia illa, quae vocari solet Ep. 2 ad Cor., Scriptura dividitur in biblia et apostolos (τὰ βιβλία καὶ οἱ ἀπόστολοι) 14, 2; et locus Matthaei (9, 13) citatur praemissis verbis: „Alia quoque Scriptura ait" (2, 4). Volens dicere post lectionem Scripturae sequi exhortationem, ait: „Itaque, fratres et sorores, postquam Deus veritatis auditus est, lego vobis exhortationem, ut animum advertentes ad ea, quae scripta sunt, et vosmetipsos salvetis et eum, qui legit inter vos" (19, 1). In prima Epistula de virginitate, cuiuscumque est, allegatur Novum Testamentum sub hac formula: „Scriptura dicit" (e. g. 6, 5; 11, 4 sqq).

S. Polycarpus, Ps 4, 5 et Eph 4, 26 citans, ait: „Confido enim vos bene exercitatos esse in Sacris Scripturis nec quidquam vos latere. Mihi autem non convenit [vestrum episcopum et doctorem agere]. Solum, ut in his Scripturis dicitur, irascimini et nolite peccare, et sol non occidat super iracundiam vestram. Beatus, qui [haec] meminit" (12, 1).

His exemplis efficitur Patres apostolicos agnovisse sacros libros Veteris et Novi Testamenti, qui modo prorsus singulari ut verbum Dei vel Domini vel Spiritus Sancti habendi essent. Neque tamen inquisiverunt in naturam influxus divini, quo sacri libri orti sunt, sed simpliciter fidem inspirationis profitentur. Quod vero interdum scripta non canonica ut inspirata allegant, est res pertinens ad quaestionem de canone.

38. Tentamina quaedam rationalis explicationis doctrinae de inspiratione apparent apud illos SS. Patres, qui appellari solent *Apologetae*.

Inter hos **S. Iustinus M.** multa praeclare disserit de inspiratione S. Scripturae. Quemadmodum enim narrat, senex ille, a quo primum eruditus est in religione christiana, ostendit ei, quot errores in scriptis vel maximorum philosophorum gentilium invenirentur. Quare Iustinus ex eo quaesivit: „Quonam ergo iam quis utatur magistro, aut unde adiuvetur, si ne isti quidem verum viderunt?" Responsum accepit:

---

applicata unum idemque significant: divinam originem, divinam auctoritatem, divinam doctrinam Scripturae, id quod ex dicendis satis patebit.

„Fuerunt quidam ante multum tempus omnibus, qui putantur, philosophis antiquiores, beati et iusti et Deo dilecti, Divino Spiritu loquentes et futura vaticinantes, quae nunc fiunt. Prophetas eos vocant. Hi soli verum et viderunt et hominibus elocuti sunt, neque reverentes neque metuentes quemquam, non gloriae cupidi, sed ea sola dicentes, quae audierant, et quae viderant repleti Spiritu Sancto. Scripta autem eorum adhuc exstant, quae si quis cum fide legit, plurimam inde utilitatem capit circa principia et finem et ea, quae philosophum scire oportet.“ [1]

Libri Sacrae Scripturae non sicut libri philosophorum contradictoria statuunt, sed omnia in iis consona sunt. „Scripturas inter se pugnare numquam cogitare vel dicere audebo, sed si qua proponatur Scriptura, quae eiusmodi esse videatur et praetextum praebeat, quasi alteri esset contraria, cum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intellegere, quae dicuntur.“ [2]

Descendit autem auctoritas Scripturae a „Spiritu prophetico“, qui est tertia in Deo persona post Patrem et Filium[3]. „Quae enim incredibilia erant et fieri non posse hominibus videbantur, ea Deus per Spiritum propheticum futura praenuntiavit“; prophetae vero „omnia ad Salvatorem nostrum Iesum Christum pertinentia litteris mandarunt . . . qui vaticinantes non alia re nisi verbo divino divinitus feruntur *(θεοφοροῦνται)*.“ [4] Idem Spiritus Sanctus prophetas illuminavit, in cuius nomine Christiani baptizantur[5] Unde constat Christianos „non vanis credidisse fabulis, sed sermonibus Spiritu Sancto plenis ac virtute scatentibus et gratia efflorescentibus.“ [6] Nam quae in Scripturis dicuntur, ab ipso Spiritu Sancto dicuntur, ut illa verba Davidis: „Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis“, et alia multa, quae in lege mosaica et in Psalmis et prophetis de Christo praedicuntur, quaeque omnia non tam hominum quam Spiritus Sancti verba sunt[7]. Quare Iustinus monet gentiles: „Quando verba prophetarum tamquam a persona aliqua dicta auditis, nolite putare ab ipsis [*ἀπ' αὐτῶν*] inspiratis [*ἐμπεπνευσμένων*] dici, sed a verbo divino, quod eos movebat[8]. Interdum enim praenuntiando futura loquitur, interdum tamqum ex persona Domini omnium et Dei Patris loquitur, interdum tamquam ex persona Christi . . .“ [9]. Sed quomodocumque propheta loquitur, semper „Spiritus propheticus“ loquitur. Cum Iustinus clare distinguat tres personas divinas, earum relatio in manifestationibus ad extra secundum ipsum ea est, ut Verbum loquatur ad homines per Spiritum Sanctum, manifestet autem Patrem aeternum.

---

[1] Dialogus cum Tryphone n. 7; *M* 6, 491. [2] Ib. n. 65; *M* 6, 626.
[3] Apol. 1, n. 13; *M* 6, 347. [4] Ib. n. 33; *M* 6, 382.
[5] Ib. n. 61; *M* 6, 422. [6] Dial. c. Tryph. n. 9; *M* 6, 494.
[7] Ib. n. 33 36 38 sqq; *M* 6, 546 554 558 sqq.
[8] Alii hic intellegunt Verbum personale, alii ipsum sermonem inspiratum. Cf. Dial. cum Tryphone c. 58 61, ubi Logos dicitur per prophetas loqui (*M* 6, 607 615), item Apol. 2, 10 etc.
[9] Apol. 1, n 36; *M* 6, 386.

Semper fere Iustinus in medium profert dicta Veteris tantum Testamenti, quia in „Dialogo“ cum Tryphone Iudaeo disputat, et quia in „Apologiis“ studet gentilibus demonstrare veritatem religionis christianae ex impletione vaticiniorum. Quare ait:

„Homines quidam inter Iudaeos fuerunt Dei prophetae, per quos Spiritus propheticus praenuntiavit futura, antequam fierent; et horum prophetias reges in Iudaea secundum tempora succedentes conservabant, prout a vaticinantibus dicebantur, cum propria eorum lingua hebraica ab ipsis prophetis in libris conscriptas eas accepissent. Quando vero Ptolemaeus, Aegyptiorum rex, bibliothecam parabat et omnium hominum scripta colligere studebat, de his quoque prophetiis certior factus misit ad regem, qui tunc erat Iudaeorum, et rogavit, ut libri prophetarum sibi mitterentur. Et rex quidem Iudaeorum eos hebraica, ut diximus, lingua conscriptos misit. Cum vero Aegyptiis nota non essent, quae in iis scripta sunt, iterum mittens rogavit, ut sibi mitterentur viri, qui eos in linguam graecam verterent. Quo facto libri manserunt etiam apud Aegyptios usque nunc, et ubique apud omnes Iudaeos sunt, qui eos legentes non intellegunt. . . . Vestrum [Romanorum] igitur est accurate inquirere et discere, usque ad quem inter Iudaeos proprius ipsorum princeps et rex fuerit. Videlicet usque ad apparitionem Iesu Christi, magistri nostri et interpretis occultarum prophetiarum, sicut praedictum est a divino, sancto, prophetico Spiritu per Moysen (Gn 49, 10): non defuturum principem ex Iudaeis, donec veniret, cui competeret regnum . . . et postquam ille prodiit, vos [Romani] Iudaeis imperastis et omnem eorum terram ditioni vestrae adiecistis.“ [1]

Hoc igitur modo studet Iustinus ex vaticiniis Veteris Testamenti probare veritatem religionis christianae. Unde explicatur, cur semper fere de solis scriptis Veteris Testamenti eorumque inspiratione loquatur.

Nihilominus *insignis quoque testis est librorum Novi Testamenti:*

„Nam apostoli in commentariis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est corpus meum; et poculo similiter accepto actisque gratiis dixisse: Hic est sanguis meus, ipsisque solis tradidisse.“ [2] Haec ἀπομνημονευματα apostolorum esse nostra evangelia ex iis, quae allegat, dubium esse nequit, non obstante liberiore citandi modo, quo solum ostendit se non tam verba curare quam sensum. Cum vero haec scripta simul cum libris prophetarum legerentur in conventibus Christianorum [3], efficitur ea inter sacros et inspiratos libros fuisse recensita, id quod etiam apparet ex illa allegandi formula: γέγραπται [4]. Vox enim Dei non minus per apostolos praedicta quam per prophetas promulgata est [5]. Sicut Spiritus propheticus praedixerat (Is 2, 3): „De Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem“, ita factum est. „Hierosolymis enim viri numero duodecim in mundum profecti sunt, iique imperiti nec dicendi facultate praediti,

---

[1] Apol. 1, n. 31 32; *M* 6, 375 sq. Sequitur Iustinus versionem LXX, et obicit Iudaeis, quod ex mala fide nolint hanc versionem recipere (Dial. c. Tryph. n. 71; *M* 6, 642).

[2] Apol. 1, n. 66; *M* 6, 430. [3] Ib. n. 67.

[4] Dial. c. Tryph. n. 49 103; *M* 6, 584 718. [5] Ib. 119; M 6, 754.

sed Dei virtute communiti denuntiarunt omni hominum generi missos se esse a Christo, ut omnes verbum Dei docerent.“ [1] Unde eorum verba non minus quam prophetarum verba ut ipsius Dei verba habenda sunt. Etsi Iustinus non explicite loquitur de inspiratione librorum Novi Testamenti, colligitur tamen eorum inspiratio inde, quod eos ut Scripturam in eadem linea ponit cum libris propheticis.

Itaque *ex Iustino haec de inspiratione colligere licet:* Libri sacri Veteris et Novi Testamenti non sicut libri philosophorum humano tantum ingenio conscripti sunt, sed Spiritus Sanctus movit scriptores humanos ad eos scribendos et omne errandi periculum ab iis avertit, ita ut hi libri verbum Dei sine falsitate vel contradictione contineant. Duo igitur essentialia elementa inspirationis, originem divinam et immunitatem ab errore, Iustinus clare exhibet [2].

39. *„Cohortatio ad Graecos“* nunc Iustino abiudicari et alicui eius aequali attribui solet. Scriptor autem huius cohortationis, quisquis est, eadem atque Iustinus de inspiratione profert.

Philosophis Graecorum opponit prophetas, „qui et multo antiquiores vestris fuerunt nec quidquam proprio marte excogitatum nos docuerunt, nec inter se digladiati aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine ullo contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt eamque nos docuerunt. Neque enim natura aut humani ingenii acie res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed eo, quod tum in sanctos homines descendebat, dono [Spiritu Sancto]; quibus quidem nec verborum artificio opus fuit nec pugnaciter quidquam et rixandi studio dicere, sed puros se ipsos divini Spiritus operationi praebere, ut divinum illud de caelo delapsum plectrum, velut quodam citharae aut lyrae instrumento iustis hominibus utens, divinarum nobis et caelestium rerum cognitionem recluderet [3]. Propterea ergo velut ore uno et lingua una tum de Deo et mundi origine, tum de hominis creatione et animae humanae immortalitate ac futuro post hanc vitam iudicio, tum de omnibus rebus, quarum nobis necessaria cognitio est, summa et secum ipsis constantia et consensione nos docuerunt, idque cum variis locis et temporibus divinam nobis doctrinam traderent. Ducam igitur initium a primo apud nos propheta et legislatore Moyse. . . . Hunc Deus divino illo et prophetico dono, quod tum in sanctos homines sursum descendebat, primum impertivit, hunc primum religionis nostrae magistrum instituit, ac deinde ceteros post eum prophetas, qui et idem ac ille donum consecuti sunt et nos eadem de iisdem rebus docuerunt.“ [4]

---

[1] Apol 1, n. 39; *M* 6, 387.

[2] Cf. *Sprinzl*, Die Theologie des hl. Iustinus des Martyrs. Theologisch-praktische Quartalschrift, Linz 1884, 16 sqq 283 sqq.

[3] Similiter *Athenagoras* ait: „Nos testes habemus prophetas, qui per Spiritum Divinum locuti sunt de Deo et rebus divinis . . . qui [Spiritus] ora prophetarum tamquam organa movit . . . qui [prophetae] secundum ecstasim rationis suae, movente eos Divino Spiritu, elocuti sunt, quae inspirabantur, utente illis Spiritu, sicut si tibicen inflat tibiam“ (Legatio n. 7 9; *M* 6, 903 907).

[4] Coh. ad Graecos n. 8 9 10; *M* 6, 255 sqq.

Narrat dein similia atque Iustinus de versione LXX, sed addit singulis interpretibus suam fuisse cellulam exstructam, ut singuli ab aliis separati versionem perficerent.

„Postquam autem [rex] cognovit septuaginta illos viros non solum eadem sententia, sed iisdem etiam verbis usos esse ac ne una quidem in vocula a mutuo consensu aberrasse, sed eadem iisdem de rebus scripsisse, tum vero stupore perculsum ac pro certo tenentem non sine vi divina interpretationem confectam esse . . . libros, ut par erat, admirantem et divinos existimantem ibidem consecrasse." [1]

Haec quidem fabula est, sed quae manifestat, quid scriptor de inspiratione sacrorum librorum senserit. Quodsi nonnulli propter hanc narrationem et illam comparationem cum lyra et plectro scriptori Cohortationis adscripserunt „manticam inspirationis notionem", quasi secundum eum auctores inspirati sensuum expertes scripserint, hoc nimium videtur. Laudat enim auctores sacros, quod „non verborum artes vobis promittunt nec artificiose ad persuadendum loquuntur (id enim proprium est eorum, qui veritatem furari volunt), sed verba et nomina simpliciter, ut se offerunt, usurpant *(ἁπλῶς τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασί τε καὶ ῥήμασι χρώμενοι)* atque ea vobis nuntiant, quae delapsus in eos Spiritus Sanctus his, qui veram religionem ediscere cupiunt, per eos tradere voluit." [2] Unde prophetae loquentes vel scribentes non carent sensu et affectu, sed e. g. „Isaias admirans dixit: Et continebunt reges os suum" [3].

40. Cum Iustino plane concordat **S. Theophilus Antiochenus:**

„Dei homines pleni Spiritus Sancti et prophetae effecti, ab ipso Deo inspirati (ἐμπνευσθέντες) et eruditi, facti sunt divinitus edocti et sancti et iusti. Quare et digni habiti sunt, qui hanc mercedem reciperent, ut organa Dei fierent et ab ipso sapientiam acciperent, per quam sapientiam de creatione mundi et de ceteris dixerunt. Et etiam de peste et fame et bello vaticinati sunt. Neque unus vel duo, sed plures suis temporibus et occasionibus apud Hebraeos exstiterunt, et omnes concordia inter se et consona dixerunt, tum quae ante eos gesta sunt, tum quae eorum temporibus facta sunt, tum quae nunc apud nos fiunt. Quare etiam persuasum nobis est de futuris, quod ita erunt, sicut et priora ad exitum perducta sunt." [4] Ita „Moyses, Dei famulus, creationis initium, Spiritu Sancto afflante, conscripsit." [5] At potius non Moyses, sed Spiritus Sanctus. „Hic igitur, cum sit Spiritus Dei et principium et sapientia et virtus Altissimi, descendebat in prophetas ac per eos de mundi creatione et ceteris rebus loquebatur. Nondum enim erant prophetae, cum mundus crearetur, sed tantum Sapientia Dei, quae in eo est, ac sanctum Verbum eius, quod ei semper adest. Hinc per Salomonem pro-

---

[1] Ib. n. 13; *M* 6, 266. [2] Ib. n. 35, *M* 6, 303.
[3] Dial. c. Tryph. 118; *M* 6, 750.
[4] Ad Autolycum 2, 9; *M* 6, 1063; cf. 1, 14. [5] Ib. 2. 23; *M* 6, 1155.

phetam sic ait. . . . Moyses autem, qui multis annis ante Salomonem fuit, vel potius Verbum Dei ita per eum velut per organum loquitur." [1] . . . „Videre est, quam amica inter se et consona prophetae omnes locuti sint, uno et eodem spiritu de monarchia Dei et de mundi origine et de hominis creatione eloquentes. Quin etiam intimis sensibus angebantur [ergo non sensibus destituti], cum impium hominum genus lugerent." [2] „Adhuc etiam et de iustitia, quam lex praecipit, consentaneae inveniuntur prophetarum et Evangeliorum sententiae, propterea quod omnes afflati uno Spiritu Dei locuti sunt." [3] Allegat ibidem (3, 13 14) praeter prophetas Matthaeum, 1 Tim. et Rom. ut „Scripturam Sanctam". Alibi ait: „Haec nos docent Scripturae Sanctae et quotquot Spiritu Sancto afflati erant (αἱ ἅγιαι γραφαὶ καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι), inter quos Ioannes dicit: In principio erat Verbum." [4]

41. Finiamus hoc caput verbis alicuius *antiquissimi scriptoris anonymi,* qui contra Artemonis haeresim scripsit. Hic enim de haereticis ait:

Sacras quidem Scripturas audacter adulteraverunt, primitivae autem fidei regulam reiecerunt, Christum ipsum denique ignoraverunt, non inquirentes, quid Sacrae doceant Scripturae, sed cuiusmodi syllogismorum figura ad conficiendam impietatem suam reperiatur. . . . Hinc est, quod Divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas a se emendatas esse dicentes. . . . Quantae porro audaciae sit eiusmodi facinus, ne ipsos quidem ignorare credibile est. Aut enim Sacras Scripturas a Sancto Spiritu dictas esse [λελέχθαι] non credunt, ac proinde infideles sunt; aut se ipsos Spiritu Sancto sapientiores existimant, ac proinde quid aliud sunt quam daemoniaci?" [5]

ART. II.

DE ALIIS QUIBUSDAM PATRIBUS ANTIQUISSIMIS.

42. Iuvat hic colligere dicta Patrum antiquissimorum, qui „apologetis" posteriores sunt, sed theoriam inspirationis nondum expoliverunt.

Horum facile princeps est **S. Irenaeus**, cui maxime pugnandum erat contra haereticos corruptores S. Scripturae. Dicebant enim haeretici alium Deum esse auctorem Veteris Testamenti atque Novi, malam fuisse veterem legem, et male apostolos suis scriptis quasdam iudaicas superstitiones admiscuisse. Ad hoc probandum varia ex Scriptura obiciebant. Respondet Irenaeus:

„Si omnium, quae in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire, alterum tamen Deum praeter eum, qui est, non requiramus. Impietas enim haec maxima est. Cedere autem haec talia debemus Deo, qui et nos fecit, rectissime scientes, quia *Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae,* nos autem secundum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu eius, secundum hoc et scientia mysteriorum eius indigemus. . . . Si ergo in rebus creaturae quaedam quidem eorum adiacent Deo, quaedam autem et in nostram venerunt scientiam, quid mali

[1] Ad Autolycum 2, 10; *M* 6, 1063 sq. [2] Ib. 2, 35; *M* 6, 1110.
[3] Ib. 3, 12; *M* 6, 1138. [4] Ib. 2, 22; *M* 6, 1088.
[5] *Eusebii* Hist. eccl. 5, 28; *M* 20, 515.

est, si et eorum, quae in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritualibus exsistentibus (ὅλων τῶν γραφῶν πνευματικῶν οὐσῶν), quaedam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, quaedam autem commendamus Deo? . . Et omnis Scriptura a Deo nobis data consonans nobis invenietur . . . et per dictionum multas voces una consonans melodia inter nos sentietur laudans hymnis Deum, qui fecit omnia." [1]

43. Hunc unum utriusque Testamenti Deum *apostoli, Spiritu Sancto repleti, voce et scriptis docuerunt:*

„Postea enim quam resurrexit Dominus noster a mortuis et induti sunt supervenientis Spiritus Sancti virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt et habuerunt perfectam agnitionem, exierunt in fines terrae, ea quae a Deo nobis bona sunt, evangelizantes et caelestem pacem hominibus annuntiantes, et omnes pariter et singuli eorum habentes evangelium Dei. Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua Scripturam edidit evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit. Postea et Ioannes, discipulus Domini, qui et super pectus eius recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans. Et omnes isti unum Deum, factorem caeli et terrae, a lege et prophetis annuntiatum, et unum Christum, Filium Dei, nobis tradiderunt. Quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem et Christum Dominum, spernit vero et Patrem, et est a semetipso damnatus, resistens et repugnans saluti suae, quod faciunt omnes haeretici. Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. . . . Cum vero ad eam iterum traditionem, quae est ab apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni. . . . Evenit itaque neque Scripturis iam neque Traditioni consentire eos." [2]

Hi igitur *haeretici resistunt Spiritui Sancto, quia ipse est, qui in Scriptura loquitur*[3]. „Manifeste pronuntians Spiritus Sanctus per David." [4] „Praevidens Spiritus Sanctus depravatores et praemuniens contra fraudulentiam eorum per Matthaeum ait." [5] Itaque in Novo et in Vetere Testamento verba Scripturae sunt verba Spiritus Sancti.

At etiam *Christus Deus per prophetas locutus est:*

„Quoniam autem Moysi litterae verba sint Christi, ipse ait ad Iudaeos, quemadmodum Ioannes in evangelio commemoratus est: Si credidissetis Moysi, credidissetis et mihi . . . manifestissime significans Moysi litteras suos esse sermones. Ergo Moysi et reliquorum sine dubio prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstravimus." [6]

---

[1] Adversus haereses 2, 28, 2 3; *M* 7, 804 sq.
[2] Ib. 3, 1 2; *M* 7, 844 sqq.
[3] Ib. 3, 6, 1 5; *M* 6, 861 864.
[4] Ib. 3, 10, 4; *M* 7, 876.
[5] Ib. 3, 16, 2; *M* 7, 921.
[6] Ib. 4, 2, 3; *M* 7, 977.

Similiter *verba prophetarum sunt verba Patris.*

„Quomodo testabantur de eo Scripturae, nisi ab uno et eodem essent Patre, praeinstruentes homines et praenuntiantes salutem, quae est ab eo... scilicet quod inseminatus est ubique in Scripturis eius Filius Dei.... Quomodo autem Scripturae testificantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo omnia semper per Verbum revelata et ostensa fuissent credentibus?“ [1]

Itaque Irenaeus manifeste docet Deum esse auctorem utriusque Testamenti, etiam in quantum hoc nomine significatur Sacra Scriptura, id quod inde quoque colligitur, quod non ipsam tantum Scripturam, sed versionem quoque LXX cum pluribus aliis Patribus censet esse inspiratam: „Scripturae vere divinae creditae sunt . . . quoniam per aspirationem Dei *(κατ' ἐπίπνοιαν τοῦ θεοῦ)* interpretatae sunt Scripturae.“ [2] Quae quidem opinio recepta non est ab Ecclesia; at omnino oriri non potuisset, nisi fides inspirationis Scripturae in Ecclesia viguisset.

44. Cum Irenaeo conferri potest **Hippolytus**, qui eius discipulus, in Occidente vivens, ut magister suus graece scripsit et religionem catholicam decem libris „Refutationis contra omnes haereses“ propugnare studuit, quod opus „Philosophumena“ vocari solet [3].

Circa finem libri decimi ait Deum dedisse legem homini per viros sanctos, et quidem „propius a nostra aetate per ante dictum Moysen, virum pium et a Deo dilectum; lex definiebatur plena gravitate et iustitia.... Postea iusti viri exstiterunt, amici Dei. Hi prophetae vocati sunt, quia praemonstrant futura. Quibus non una aetate sermo factus est, sed per omnes generationes ante dictorum voces conspicuae aderant, non solum tum, quando praesentibus respondebant, sed etiam per omnes generationes futura praemonstrata sunt.“ [4].

Hi *prophetae erant „θεόπνευστοι et Dei et Verbi interpretes“* [5].

„Gratia enim Dei et donum desuper ex caelo divitias suas dignis praebet. Cuius participes erant beati prophetae, a Spiritu Sancto semper instructi.“ [6] Neque tamen in suam utilitatem hoc donum acceperunt, sed ut hominibus essent quasi oculi ad videnda divina. „Nam quia beati prophetae oculi nobis fuerunt, ipsi per fidem Verbi mysteria praeviderunt, quae et aliis postmodum aetatibus ministrarunt, non solum praeterita loquentes, sed et praesentia atque futura nuntiantes.... Hi namque omnes Spiritu prophetico aptati et ab ipso Verbo honorati ad instar organorum habentes in se semper Verbum ut plectrum, quo moti ea, quae Deus volebat, prophetae annuntiabant. Non enim ex sua facultate loquebantur, ut impostores, neque, quae ipsi volebant, haec annuntiabant, sed prius per Verbum recte instruebantur, deinde per visiones

---

[1] Adversus haeresses 4, 10, 1 et 11, 1; *M* 7, 1000 sq.
[2] Ib. 3, 21, 2; *M* 7, 948.
[3] Apud *Migne* 16[c] Origeni attribuitur. [4] Ib. 3449 sq.
[5] *Πρὸς Ἕλληνας*; Ed. *Lagarde* 72.
[6] Comment. in Dan. 2, 3; Ed. *Bonwetsch*, Leipzig 1897, 118 sqq.

futura rite praedocebantur, tum ita certitudine accepta loquebantur ea, quae ipsis solis a Deo revelata, reliquis autem abscondita erant. Nam qua ratione propheta vocaretur propheta, nisi Spiritu praevideret futura? . . . Unde et nos ab iis praedicta bene edocti loquimur, non ex proprio nostro sensu. Neque enim ea, quae olim praedicta sunt, invicem mutare tentamus, sed eorum scripta in lucem proferentes legimus iis, qui recte credere possunt." [1]

Deus igitur „dedit legem et prophetas, et dando coegit hos per Spiritum Sanctum loqui, ut, accipientes virtutis paternae inspirationem, consilium et voluntatem Patris annuntiarent. In his igitur Verbum versabatur, loquens de se ipso. Iam enim ipsum suus praeco erat." [2]

Quae vero a Spiritu Sancto et Verbo divino didicerant, haec prophetae litteris consignarunt.

„Quaecumque igitur a Spiritu per visiones revelabantur beato prophetae [Danieli], haec aliis quoque sine invidia exposuit, ut non solum ipse sibi vaticinari futura videretur, sed etiam ceteris, qui cum fide divinas Scripturas scrutari volunt, propheta manifestaretur." [3] Quia Scriptura a Deo processit, saepissime vocatur „divina" vel „sancta" [4]; saepe quoque inculcatur Scripturam ab errore esse immunem. „Discamus in nulla re Scripturam fallere nos." [5] „Neque enim mentita est Scriptura." [6] „Nihil enim omnino mentitur Scriptura, neque Spiritus Sanctus decipit servos suos prophetas, per quos placuit voluntatem Dei annuntiare hominibus, ut videntes haec fieri ne fallamur." [7]

45. *Dividiur Scriptura in legem, prophetas, Dominum vel evangelia, apostolos.*

„Per omnia itaque lapsi sunt et erraverunt [infideles Iudaei], qui in nullo veritati concordes exstiterunt: nec in lege, quod eam transgressi sunt; nec in prophetis, quod prophetas quoque occiderunt; nec in evangeliorum voce, quod et Salvatorem ipsum crucifixerunt; nec apostolis credentes, quod et illos persecuti sunt, ubique veritati insidias nectentes eiusque proditores." [8] Iterum: „De hoc [Antichristo] omnis Scriptura non tacet, et prophetae hunc in perniciem multorum venturum praenuntiaverunt, et Dominus his testimonium dedit, et apostoli eadem de ipso docuerunt, et nomen eius per numerum mystice Ioannes in Apocalypsi manifestavit." [9] Lex et prophetae constituunt „Vetus Testamentum" [10]. Sunt enim „duo Testamenta" [11], per quae „Christus fidem revelat, per legem et evangelium" [12].

Canon Veteris Testamenti, quo Hippolytus utitur, est alexandrinus. Ex libris Novi Testamenti praeter quattuor Evangelia, Actus apostolorum, Apocalypsim, allegat vel respicit omnes epistulas apostolorum, exceptis epistulis Ioannis, Iudae, ad Philemonem. Epistula ad Hebraeos est ei canonica, at non Paulina [13].

---

[1] De Christo et Antichristo 2; *M* 10, 727 sq.
[2] Contra Noëtum 11 12; *M* 10, 819.
[3] In Dan. 4, 2; *B* 180. [4] Cf. ib. p. 12 23 42 43 182 230.
[5] Ib. 1, 28; *B* 41. [6] Ib. 3, 8; *B* 136. [7] Ib. 4, 6; *B* 198.
[8] De Christo et Antichristo 58; *M* 10, 778.
[9] In Dan. 4, 49; *B* 312. [10] Ib.; *B* 112. 274 etc. [11] In Canticum 2, 1, 2; *B* 344.
[12] Ib. 11, 8; *B* 348. [13] Cf. *Bonwetsch*, Studien zu Hippolyt 24 sqq.

Finis Scripturae est Christus.

„Cum igitur hunc omnes prophetae et apostoli testentur, inimici autem legis [ἄνομοι] non credentes ipsum blasphement . . . videamus nos, qui veritatis verbo credimus et ab ipso Verbo in vitam aeternam ducimur, a prophetis vero instructi sumus et a Spiritu illuminamur, ut per gratiam ipsius sapientes facti cognoscamus ea, quae olim praenuntiata sunt, suis temporibus evenire et eventura esse; iudicium vero Dei prae oculis habentes, custodiamus nos ab omni malo, ut effugiamus ignem aeternum et poenam incessantem.“ [1]

Insistit Hippolytus quam maxime sensui litterali partium historicarum Sacrae Scripturae, et hoc sensu supposito studet allegoricas seu potius typicas significationes eruere, quia ei persuasum est res gestas Veteris Testamenti esse typum eorum, quae pertinent ad Novum Testamentum, ideoque a solis Christianis perfecte intellegi posse.

„Necessario oportebat ea, quae olim a prophetis dicta sunt, infidelibus pharisaeis, qui litteras legis cognoscere videbantur, sigillata [sigillo clausa], credentibus autem omnia aperta esse. Ea igitur, quae olim sigillata erant, nunc per gratiam Domini omnia sanctis aperta sunt; ipse enim erat perfectum sigillum et clavis David, ipse aperit et nemo claudit, et claudit et nemo aperit.“ [2]

46. Non magis quam Scriptores graeci *theoriam* inspirationis proposuerunt *primi Patres et Scriptores latini,* sed sicut illi, ita etiam hi iterum iterumque efferunt Scripturam Sacram non tam hominum quam Dei opus esse, cui simplex fides in omnibus habenda sit, et cui errorem vel contradictionem affingere prorsus non liceat.

Quia igitur hi scriptores doctrinam ab omnibus Catholicis tunc receptam eodem modo magis practice quam theoretice profitentur, pauca eorum dicta audivisse sufficiet.

47. **Tertullianus** hic considerandus est catholicus tantum; nam de Tertulliano Montanista postea sermo erit. Scripturam Sacram vocat „Dei voces“ [3] easque his laudibus ornat:

„Quo plenius et impressius tam ipsum [Deum], dispositiones eius et voluntates adiremus, instrumenta adiecit litteraturae, si qui velit de Deo inquirere et inquisitum invenire et invento credere et credito deservire. Viros enim iustitia et innocentia dignos Deum nosse a primordio in saeculum emisit Spiritu divino inundatos, quo praedicarent Deum unicum esse. . . . Quos diximus praedicatores, prophetae de officio praefandi vocantur. Voces eorum itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istae nunc latent [narrat versionem LXX]. . . . Primam igitur instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat. . . . Plus iam offerimus, maiestatem Scripturarum, si non vetustatem; divinas probamus, si dubitatur antiquas. Nec hoc tardius aut aliunde discendum; coram sunt quae

[1] In Dan. 4, 12; *B* 214. [2] Ib. 4, 33 34; *B* 274.
[3] Apologeticus 31; *M.* 1, 446.

docebunt: mundus et saeculum et exitus. Quidquid agitur, praenuntiabatur; quidquid videtur, audiebatur. . . . Idoneum, opinor, testimonium divinitatis veritas divinationis. . . . Quid delinquimus, oro vos, futura quoque credentes, qui iam didicimus illis [libris propheticis] per duos gradus [vaticiniorum et impletionis] credere?" [1]

„Divinas litteras" Ecclesia catholica semper maxima reverentia et oboedientia prosecuta est, haeretici vero eas corrumpere conati sunt.

Ecclesia „unum Deum novit, creatorem universitatis, et Christum Iesum ex virgine Maria, Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem. Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet et inde potat fidem." [2] „Quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. . . . Unde autem extranei et inimici apostolis haeretici nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recepit? [3] Illic igitur et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinae invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinae. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, quae docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae sine corruptela instrumentorum eius, ita et nobis integritas doctrinae non competisset sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? Quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod esset in Scripturis deprehensum, detractione vel adiectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt Scripturae ab initio suo. Ex illis sumus, antequam aliter fuit, antequam a vobis interpolarentur. . . . Tam incredibile est sapienti cuique, ut nos adulterum stilum intulisse videamur Scripturis, qui sumus et primi et ex ipsis, quam illos non intulisse, qui sunt et posteri et adversi [4]. . . . Non periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex voluntate Dei dispositas, ut haereticis materiam subministrarent, cum legam oportere haereses esse, quae sine Scripturis esse non possunt." [5]

Itaque teste Tertulliano Ecclesia catholica sacros libros propter divinam eorum originem ut immutabilem fidei regulam habebat.

48. Idem testatur **S. Cyprianus**, qui ita ad Quirinum scribit: „Obtemperandum fuit, fili carissime, desiderio spirituali impensissima petitione divina magisteria poscenti, quibus nos Deus per Scripturas Sanctas erudire et instruere dignatus est, ut a tenebris erroris abducti et luce eius pura et candida luminati viam vitae per salutaria sacramenta teneamus." [6] Saepe repetit ubique in Scriptura Spiritum Sanctum loqui, vel sacros scriptores loqui in Spiritu Sancto. „In Psalmis lo-

[1] Ib. 18 19 20; *M* 1, 377 sqq. [2] De praescriptionibus 37; *M* 2, 49 sq.
[3] Ib. 37; *M* 2, 50 sq. [4] Ib. 38; *M* 2, 51 sq. [5] Ib. 39; *M* 2, 53.
[6] Praef. in libros testim.; Ed. *Hartel* 1, 35.

quitur Spiritus Sanctus." [1] „Clamat Spiritu Sancto plenus Isaias." [2] „Hoc iam per Isaiam prophetam fuerat ante praedictum, cum plenus Spiritu Sancto de Dei maiestate ac pietate loqueretur." [3] „Docens et ostendens Spiritus Sanctus castra diaboli non timenda . . . in Psalmo 26 ponit et dicit." [4] „Per Salomonem Spiritus Sanctus ostendit et praecanit dicens." [5] „Sed et Salomon in Spiritu Sancto constitutus testatur et docet." [6]

„Numquam denique, fratres dilectissimi, admonitio divina cessavit et tacuit, quominus in Scripturis Sanctis tam veteribus quam novis semper et ubique ad misericordiae opera Dei populus provocaretur et, canente atque hortante Spiritu Sancto, quisquis ad spem regni caelestis instruitur, facere eleemosynas iuberetur." [7] Unde qui eleemosynas facit, ita agit, „quia scit vera esse, quae praedicta sunt verbis Dei, nec Scripturam Sanctam posse mentiri" [8].

His similia permulta leguntur apud Cyprianum, sed natura inspirationis nusquam explicatur.

49. Lactantius philosophis ostendere studet, cur sacri libri, etsi divini sint, tam simplici sermone sint conscripti.

„Prophetae, qui fuerunt admodum multi, unum Deum praedicant, unum loquuntur; quippe qui unius Dei Spiritu pleni, quae futura essent, pari et consona voce praedixerunt. At enim veritatis expertes non putant his esse credendum. Illas enim non divinas, sed humanas voces fuisse aiunt." [9] „Haec imprimis causa est, cur apud sapientes et doctos et principes huius saeculi Scriptura Sancta fide careat, quod prophetae communi ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. . . . Non credunt ergo divinis, quia fuco carent." [10] „Assueti enim dulcibus et politis sive orationibus sive carminibus, divinarum litterarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur. . . . Num igitur Deus, et mentis et vocis et linguae artifex, diserte loqui non potest? Immo summa providentia carere fuco voluit ea, quae divina sunt, ut omnes intellegerent, quae ipse omnibus loquebatur." [11]

50. Marius Victorinus commendat, ut cum simplici fide legantur Scripturae.

„Si divinae Scripturae simpliciter legerentur, numquam lectio cuiusquam capituli ab aliquo male intellegeretur, sed, ut se continent, pie et iuste una-

[1] De habitu virg. 1; *H* 187. [2] Ib. 13; *H* 196.
[3] De dom. orat. 28; *H* 287. [4] Ad Fortunatum 10; *H* 332.
[5] Ib. 12; *H* 343. [6] Epist. 3, 2; *H* 470. [7] De opere et eleemos. 4; *H* 375.
[8] De opere et eleemos. 8; *H* 379 sq. Aequalis quidam Cypriani, qui scripsit a. 243 vel ante, loquitur de „Sanctis et Divinis Scripturis", de „Sancta et Divina Geneseos Scriptura." Per Scripturam Hebraei „Dei sapientia instructi" sunt. „Dictum est a Domino per Ezechielem prophetam." „Tunc prophetant Aggaeus et Zacharias, per quos exhortatus est Dominus" (*M* 4, 940 sq 944 949 956 961).
[9] Institutiones 1, 4; *M* 6, 127. [10] Ib. 5, 1; *M* 6, 550.
[11] Ib. 6, 21; *M* 6, 713 sq.

nimiter susciperentur. . . . Peto, ut concedas patienter et audias a nobis, quae vera sunt, sed non quo deprehendas humana commenta, quam magis approbes divina esse dicta. . . . Omnis enim Scriptura Spiritu Dei inspirata, dicit apostolus Petrus, quia indiget interpretatione. . . . Absit a nobis cum illis [philosophis] aliquid sentire, quando divina Scriptura dicat Deum creasse tenebras et fecisse caelum." Moyses enim et Salomon et alii erant prophetae. „Igitur quare non credamus prophetae?" „Quid apertius poterimus nos disputare, quando propheta paucis verbis quaestionem nostram declinaverit?" [1] „Si ut nomine sic et re Christianus est quispiam, necesse habet venerari Scripturas inclamantes Dominum Iesum Christum. Si igitur necesse tibi est Scripturas recipere, est et necessarium ea, quae in ipsis de Christo dicuntur, sic, quemadmodum dicuntur, accipias et credas." [2] Quidquid enim scriptum est, „a divino Spiritu dictum credendum est" [3].

51. Secundum S. Hilarium Pictaviensem, quando Scriptura loquitur, omnis alia auctoritas tacere debet, quia Deus est, qui loquitur.

„Dominus ait: ‚Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei.' Ergo scriptum est, et cessare debet ambiguitas, quam auctoritas tanta condemnat." [4] Nam „omnem propheticum sermonem ex divini Spiritus instinctu profectum non in obscuro est, cum legimus: ‚Haec dicit Dominus', et iterum: ‚Audite verba Domini', et rursum: ‚Quoniam Dominus locutus est', et in eodem [Isaia]: ‚Os enim Domini locutum est ista.' De Psalmis autem ipse Dominus in evangelio confirmat, cum de se loquens ait: Si David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo dicitis, quia filius eius est?' docens omnia David Spiritu prophetico elocutum." [5] „Verba Dei sunt, quaecumque prophetae locuti sunt. . . . Sed declaratio mysticorum verborum per evangelia praestatur, ubi legis abscondita et occulta prophetica Domino in corpore manente panduntur, ex quibus primum fides discitur. Ibi enim ea, quae a prophetis dicta sunt, per eum rebus et operibus explentur." [6] „Officio quidem oris sui propheta loquitur, sed cognitione non sua" [7], sed ea, quam supernaturaliter accepit.

Propterea „non est otiosus propheticus sermo, neque ex inanibus ac superfluis causis spiritalis loquela est. Si enim in viris prudentibus exspectari id maxime solet, ut ea, quae loquuntur, gravitate eorum doctrinaque digni sint . . . quanto magis id de caelestibus eloquiis opinandum est, ut, quidquid in his est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur. . . . Omnia autem, quae in libris propheticis sunt, maximum humanae et salutis et doctrinae profectum in se habent, nostrique causa universa scripta sunt: ut nunc nobis institutionem vitae innocentis afferrent, nunc scientiam Dei intimarent, nunc originis naturaeque nostrae cognitionem tribuerent, nunc futurorum intellegentiam non spe tantum sed ratione praestarent, nunc causas universitatis huius ortusque proferrent et humanum sensum tantarum rerum intellegentiae incapacem ad capiendam horum cognitionem

[1] De verbis Scripturae: Factum est vespere et mane dies unus; *M* 8, 1009 sqq.
[2] De generatione divini Verbi 1; *M* 8, 1019.
[3] De physicis 27; *M* 8, 1310.
[4] In Matth. 23; *M* 9, 1045.
[5] In Ps. 138, n. 1; *M* 9, 792.
[6] In Ps. 118, lit. 17, n. 2 3; *M* 9, 615 sq.
[7] In Ps. 134, n. 7; *M* 9, 756.

variis doctrinae generibus distenderent. . . . Plures prophetae sunt et ingentia eorum copiosaque dicta. Plures etiam Psalmi sunt, et singulis multa et varia congesta sunt. Et quamquam omnes unam atque eandem in se doctrinae formam complectantur, diversis tamen institutis in eandem nos scientiae viam dirigunt." [1] Ecce, nihil eorum, quae in Scriptura de quacumque re dicuntur, ab inspiratione eximit. Hae autem tot tamque variae res „non utique ob aliud consignatae litteris manent, quam ut ad universorum scientiam notionemque defluerent." [2]

Ceterum saepe monet Hilarius *non inhaerendum esse nudae litterae, sed quaerendum sensum spiritualem*, quem maxime S. Spiritus intenderit. Hac ratione interdum effugere conatur difficultates litteralis expositionis [3]. Alibi vero diserte effert se hac exponendi ratione nolle negare sensum litteralem [4]. Porro sensum spiritualem vocat etiam sanam intellegentiam metaphorarum, quamquam sine dubio in his sensus translatus est litteralis.

E. g. cur dicuntur confidentes in Domino sicut mons Sion non commoveri in aeternum? „Nomen montis Sion et habitatio Ierusalem et montes circum eam, si nullam interioris intellegentiae habent causam, inanis est Psalmus et mendax propheta, in quo Spiritus Sanctus locutus esse credatur. . . . Qui ergo confidit in Domino, quem profectum habebit, ut sit sicut mons Sion? Ex rationabili homine fieri saxum? . . . Sequens igitur est, ut quaeramus, in quos dictorum ratio conveniat." [5]

Sed quod res historicas attinet, „meminerimus gestorum veritatem non idcirco corrumpi, si gerendis rebus interioris intellegentiae ratio subiecta sit." [6]

Itaque in narrationibus historicis Hilarius plane vult retineri et pro vero haberi sensum litteralem, sed in iis partibus Scripturae, quae morum doctrinam exhibent, censet saepe unicum verum sensum esse spiritualem.

Verum sensum Scripturae Sanctus Spiritus, sicut inspiravit, ita manifestat pie petentibus.

„Non ergo ex nobis est, quod intellegimus, sed ex eo, qui, quae ignorabilia erant, fecit intellegi. Itaque ab eo speranda intellegentia est, qui et pulsantibus aperiet et quaerentibus demonstrabit et petentibus non negabit." [7] Ideo haeretici veram intellegentiam Scripturae non assequuntur, quia prius suam falsam doctrinam ponunt, dein ad eius „confirmationem, corrupto intellegentiae sensu, divinorum dictorum testimonia usurpant et de his sub occasione humanae ignorantiae mentiuntur. Nemini autem dubium esse oportet ad divinarum rerum cognitionem divinis utendum esse doctrinis. . . . Cessent itaque propriae hominum opiniones, neque se ultra divinam constitutionem humana consilia extendant." [8]

---

[1] In Ps. 135, n. 1 2; *M* 9, 768 sq.
[2] In Ps. 118, lit. 20, n. 5; *M* 9, 633.
[3] In Ps. 125, n. 1 2; *M* 9, 685.
[4] In Ps. 134, n. 13; *M* 9, 758 sq.
[5] In Ps. 124, n. 2; *M* 9, 679 sq.
[6] In Matth. 2, n. 2; *M* 9, 924. Idem inculcat in Ps. 23, n. 5.
[7] In Ps. 125, n. 2; *M* 9, 685 sq.
[8] De Trinitate 4, 14; *M* 10, 107.

52. **S. Zeno Veronensis** Vetus et Novum Testamentum comparat cum gladio bis acuto et cum duobus mucronibus unius calami, quibus una littera, scilicet Christus, scribitur.

„In Apocalypsi Ioannes bis acutum gladium cum uno capulo nuncupavit, quem ex ore Domini prodire descripsit. Gladius enim Spiritus Sanctus est, unum capulum habens, i. e. unam substantiam, virtutem, deitatem, maiestatem voluntatemque Patris et Filii, contestans duas acies, i. e. duo Testamenta gerens, quorum regalibus monitis et creduli devotique servantur et increduli desertoresque puniuntur. . . . Sed et David hunc calamum nuncupavit, dicens: ‚Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.' Calamus fissus est, fratres, duosque vertices gerit in unius acuminis tenuitate digestos, unam litteram utroque conficiens; cui si unum adimas, ulterius inanis est usus. Unde recte Testamenta sunt duo, quae similiter duobus capitibus unam litteram fingunt, i. e. sacrae legis duobus edictis unum Christum Dei Filium spirituali temperamento conscribunt." [1]

53. **S. Optatus Milevitanus** Donatistis ut maximum crimen obicit, quod per iudices gentiles sacros codices a Catholicis extorquere conati sunt.

„Et illud praetermittere nequeo, quod nec Deo est placitum nec a vestris cultoribus excusari nec ab aliquo homine defendi potest: Per iudicia saecularia et leges publicas divinae legis instrumenta exsecutione a plurimis extorquenda esse duxistis, volentes soli habere, quod pax in commune possederat. Non verear Christianus dicere, quod vobis postulantibus gentilis exsecutio non potuit ignorare: volumina et instrumenta dominica extorsistis, quae iam dudum fuerant in commune possessa, extorsistis cum codicibus pallas." [2]

At mirum non est, quod ii tam irreverenter Scripturam tractarunt, qui Spiritum Sanctum auctorem Scripturae mendacem fecerunt, contra eius splendida vaticinia affirmantes regnum messianicum ad parvam Africae partem coarctari.

„Quid mendacem videri vultis Spiritum Sanctum, qui in 49. psalmo omnipotentis Dei benevolentiam narrat, dum dicit: Deus deorum Dominus locutus est. . . . Denique commemoratur, Spiritu Sancto hortante et dicente in 112. psalmo, dum dicit laudandum nomen Domini ab ortu solis usque ad occasum, et iterum in 95. psalmo: Cantate Domino canticum novum. Si hunc versum solum diceret, possetis dicere, quia vos solos hortatus est Spiritus Sanctus. Sed ut ostenderet, quia non ad vos solos dictum, sed ad ecclesiam quae ubique est, secutus est dicens: Cantate Domino omnis terra." [3]

Haec pauca satis ostendunt, quid Optatus censuerit de origine et dignitate Sacrae Scripturae.

---

[1] Lib. 2, tract. 13; *M* 11, 428 sqq.
[2] De schismate Donat. l. 6, n. 5; *M* 11, 1076 sq.
[3] Ib. l. 2, n. 1; *M* 11, 944 sq.

ART. III.

DE QUODAM MONTANISTARUM ERRORE.

54. Quotquot audivimus Patres, uno quasi ore Scripturam praedicant sacram et divinam, quae, utpote a Deo inspirata, non tam hominum quam Dei opus sit, ideoque summae et irrefragabilis auctoritatis documentum, omnis erroris et omnis contradictionis expers. At theoriae inspirationis, eius naturae et extensionis vix tenuia vestigia animadvertimus apud illos priscos fidei testes.

Una tamen quaestio, quae cum inspirationis doctrina cohaeret, disputata et soluta est occasione accepta a quodam Montanistarum errore. Nihil quidem peculiare Montanistae de ipsa inspiratione Scripturae docuerunt. Sed quia illis antiquissimis temporibus (immo etiam per multa subsequentia saecula) inspirationis biblicae conceptus sub universaliore *prophetiae* notione subsumebatur, fieri non potuit, quin Catholicorum cum Montanistis de prophetia disputatio in inspirationis quoque conceptum explicandum vim suam exerceret.

Toti enim erant Montanistae in ecstatica prophetia commendanda, quia huic originem suam debere et per eam prae aliis inferioris generis Christianis, quos „psychicos" vocabant, se ut „pneumaticos" insigniri gloriabantur.

55. *Anonymus quidam apud Eusebium*[1], scribens ante finem saeculi secundi, haec narrat:

„Vicus quidam esse dicitur in Mysia contermina Phrygiae, nomine Ardaba, in quo aiunt Montanum quemdam ex iis, qui fidelium numero recens adscripti fuerant, immodica primi loci cupiditate captum, primum sub Grato, Asiae proconsule, aditum in se adversario spiritui praebuisse et daemone repletum, subito quodam furore ac mentis excessu concuti coepisse et nova quaedam atque inaudita proloqui, hariolantem ac praedicentem futura, praeter morem atque institutum ecclesiae a maioribus traditum et continua deinceps successione propagatum. Porro ex his, qui tunc temporis adulterinos hominis sermones audierant, ut abreptitium [obsessum] et daemoniacum ac spiritu erroris actum turbasque in populo excitantem indignabundi obiurgabant et loqui ulterius prohibebant; quippe qui in mente haberent discrimen a Domino praenotatum minasque, quibus iubemur adventum falsorum prophetarum vigilanter ac sollicite observare. Alii vero vel Sancto Spiritu et prophetiae gratia elati inflatique mirum in modum et distinctionis a Domino praemonstratae penitus obliti, illum infatuantem et adulatorem vulgique seductorem spiritum ultro ad loquendum provocabant, capti eius illecebris et in fraudem inducti. . . . Duas alias mulierculas [Priscam vel Priscillam et Maximillam] suscitavit et adulterino spiritu replevit, adeo ut et ipsae quoque, perinde ac supra memoratus ille, insana quaedam et importuna atque aliena loquerentur. . . . Hi perpauci erant Phryges, huiusmodi fraude decepti. . . . Nam cum fideles, qui in Asia erant, saepius et in pluribus Asiae locis eius

[1] Hist. eccl. 5, 16 17; *M* 20, 466 sqq.

rei causa convenissent novamque illam doctrinam examinassent et profanam atque impiam iudicassent, damnata haeresi, isti ab ecclesia et fidelium communione expulsi sunt."

56. Commemorat ibidem anonymus „*Miltiadem,* fratrem nostrum, qui peculiari opere docuerat non decere prophetam in ecstasi loqui". Dein pergit:

„Pseudopropheta autem in falso mentis excessu, cuius comes est licentia et audacia, a spontanea quidem imperitia initium sumens, in amentiam autem, ut iam dixi, desinens. Huiusmodi vero spiritu nullum umquam nec in Vetere nec in Novo Testamento prophetam afflatum poterunt demonstrare: non Agabum, non Iudam, non Silam, non Philippi filias, nec Ammiam Philadelphiensem, nec Quadratum, nec plures quoque alios, qui nihil ad ipsos pertinent, praedicabunt. Nam siquidem, ut praedicant, post Quadratum et Ammiam Philadelphiensem mulieres illae Montani in prophetiae gratiam successerunt, ostendant nobis, quinam inter ipsos Montano ac mulierculis successerint. Etenim prophetiae donum in omni ecclesia ad ultimum usque Domini adventum permanere debere, auctor est apostolus. Sed nullum poterunt ostendere, tametsi iam quartusdecimus hic agatur annus ab obitu Maximillae." [1]

Miltiadis opusculum, de quo hic sermo est, periit, sicut et alia, quae Catholici contra Montanistas scripserant. At ex iis, quae ex anonymo excerpsimus, satis apparet, a catholica ecclesia reiectam esse illam Montanistarum opinionem, qua censebant prophetam non posse nisi usu sensuum et intellectus privatum prophetico munere fungi, quemadmodum apud gentiles Pythia et alii in furorem quendam acti vaticinabantur[2].

57. Hanc „manticam", quam vocant, prophetiae notionem propugnat **Tertullianus** Montanista factus. Gloriatur:

„Quia spiritualia charismata agnoscimus, post Ioannem quoque meruimus prophetiam consequi. Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in ecclesia inter dominica sollemnia per ecstasim in spiritu patitur, conversatur cum angelis, aliquando etiam cum Domino, et videt et audit sacramenta, et quorumdam corda dignoscit et medicinas desiderantibus submittit. Iam vero prout Scripturae leguntur, aut psalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur." [3] Priscam vocat „prophetidem" [4]. Haec nova prophetia data est ad explicandas Scripturas et removendas eius obscuritates; nam Spiritus Sanctus „omnes retro ambiguitates et quas volunt parabolas aperta atque perspicua totius sacramenti praedicatione discussit per novam prophetiam de Paracleto inundantem" [5].

---

[1] Ib. c. 17; *M* 20, 474 sq.

[2] *Leitner* censet, montanisticam ecstasim cognatam esse cum cultu Cybeles in Phrygia maxime vigente et ex eo explicandam (Die prophetische Inspiration 124). Montanus enim, antequam ad christianam religionem converteretur, Cybeles sacerdos fuisse dicitur.

[3] De anima 9; *M* 2, 659 sq.

[4] De resurrectione carnis 11; *M* 2, 809.

[5] Ib. 63; *M* 2, 886.

Sed quia Catholici opponebant, illam „novam prophetiam“ prae se ferre signa potius amentiae quam verae prophetiae, studet Tertullianus ostendere amentiam quandam vel ecstasim esse de ratione prophetiae.

Nam in monte Thabor Petrus dixit: „Faciamus hic tria tabernacula . . . sed nesciens quid diceret. Quomodo nesciens? utrumne simplici errore an ratione, quam defendimus in causa novae prophetiae, gratiae ecstasim, i. e. amentiam convenire? In spiritu enim homo constitutus, praesertim cum gloriam Dei conspicit, vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina, de quo inter nos et psychicos quaestio est. Interim facile est amentiam Petri probare. . . .“ [1]

Itaque secundum Tertullianum, quando Deus per hominem loquitur, necesse est homo excidat sensu, cum non ipse loquatur, sed Deus eius organis utatur ad loquendum.

„Ecstasim dicimus excessum sensus et amentiae instar. Sic et in primordio somnus cum ecstasi dedicatur: et misit Deus ecstasim in Adam et obdormivit.“ Et addit ibidem: „Quomodo, inquis, memor est somniorum anima, scilicet quam compotem esse non licet? Hoc erit proprietas amentiae huius, quia non fit ex corruptela bonae valetudinis, sed ex ratione naturae. Nec enim exterminat sed avocat mentem. Aliud est concutere, aliud movere; aliud evertere, aliud agitare. Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est; quod sanitas salva memoria stupet, amentiae genus est. Ideo non dicimur furere sed somniare, ideo et prudentes, si quando sumus; sapere enim nostrum, licet obumbretur, non tamen exstinguitur. Nisi quod et ipsum potest videri vacare tunc.“ [2]

Hanc doctrinam sex libris „De ecstasi“ Tertullianus defendit contra Catholicos, teste Hieronymo et aliis[3].

58. Sed quia neque Tertulliani opus de ecstasi neque ea, quae Catholici mox post ortam sectam contra Montanistas scripserunt, ad nos usque pervenerunt, audiamus **S. Epiphanium**, qui ex illis prioribus fontibus hausit. Ostendit Maximillam vere insaniisse, cum vaticinia eius impleta non sint.

„Sic enim vates illorum Maximilla praedicat: Post me nulla amplius erit prophetissa, sed finis sequetur. . . . Anni ad hoc tempus, qui est Valentiniani ac Valentis et Gratiani imperatoris annus duodecimus, plus minus 290 numerantur; et tamen hic ille praedictus ab inani seseque ostentante prophetissa nondum rerum exitus advenit.“ Dein refutat illam de necessitate ecstasis doctrinam. „Verus quippe propheta cum sui compos tum ea quae dicebat intellegens, futura nuntiabat; proque eo ac Spiritus Sanctus impulerat, praecipuo quodam animi robore vaticinari solebat.“ Propositis Moysis et Isaiae exemplis pergit: „Videsne intellegentis haec esse, quae dicat, non eius, qui

---

[1] Adversus Marcionem 4, 22; *M* 2, 413.
[2] De anima 45; *M* 2, 725 sq. [3] Cf. *M* 2, 1131 sqq.

extra potestatem exierit? Nam eiusmodi [Isaiae] vox nullam fuisse mentis perturbationem significat. Ita S. Ezechiel dicente Domino: Fac tibi panem in stercore humano . . . non, velut e mentis statu deiectus, statim facere istud aggressus est, sed constanti animi robore praeditus ac sibi praesens, ita respondit: Absit, Domine! Haec enim prophetarum revera propria sunt, qui firmam ac stabilem in Spiritu Sancto mentem retinent. Nam Daniel ipse nonne plenus omni sapientia fuisse, quaeque animo conceperat, plane intellexisse videtur? . . . At contra, quae isti vaticinari se iactitant, neque certa cum animi firmitate praedicant neque, quae dicunt, intellegentia consequuntur; sed obliqua sunt illorum ac perplexa verba nec recti omnino quidquam effutiunt. Sic enim Montanus exempli gratia loquitur: Ecce homo tamquam lyra, ego vero ceu plectrum volo; homo dormit, ego vero vigilo; ecce Dominus est, qui corda hominum in stuporem vertit et corda dat hominibus. . . . Non Spiritus Sanctus in illo locutus est et haec ipsa verba: *volo* et *percutio* et *vigilo* et *Dominus corda in stuporem vertit,* furiosi hominis verba sunt minimeque, quae loquitur, assequentis; in quo alia prorsus nota figuraque cernitur, quam quae Spiritus Sancti, qui per prophetas olim locutus est, germana videatur ac propria."

Refutat Epiphanius singula Montanistarum argumenta, et opposita Catholicorum explicat. Servavit quoque nobis quaedam alia dicta, a Montano et Maximilla in ecstasi prolata, quibus efficitur eos se finxisse pura instrumenta, per quae Deus verba faceret. Montanus dixit: „Ego sum Dominus Deus, qui in homine versor, non angelus, non legatus aliquis, sed egomet Deus Pater accessi." Maximilla vero: „Me quidem non audite, sed Christum audite. Dominus me misit laboris huius et professionis et foederis assectatorem, enarratorem, interpretem, ad percipiendam Dei notitiam, vellem nollem, necessitate compulsum." Asseverat autem Epiphanius se scripsisse, „quod vel auditione compertum vel aliorum scriptis proditum vel nonnullorum, qui fidem nobis fecissent, testificatione cognitum haberemus" [1].

59. Itaque *Montanistae docebant, Deum non loqui nisi per hominem sensibus destitutum et ea, quae dicebantur, minime assequentem* [2]. Quod si verum esset, scriptores inspirati, per quos utique Deus ad nos loquitur, non plus contulissent ad conficiendam Sacram Scripturam quam instrumenta inanimata a Deo ad scribendum miraculose mota. Unde Catholici, falsam illam prophetiae notionem impugnantes, necessario docebant scriptores sacros in scribendo fuisse sui conscios et intellectu, quae scribebant, assecutos. Videantur e. g. prologi *S. Hieronymi* in Habacuc et Nahum, ubi diserte contra Montanistas statuitur, quod

[1] Adversus haereses 48, n. 2 3 4 11 12 13 15; *M* 41, 858 sqq.

[2] Potest concipi ecstasis, in qua homo ex supernaturali Dei influxu caret quidem usu sensuum externorum, sed quoad facultatem rationalem potius confortatur ad divina percipienda. Ne haec quidem ecstasis est de conceptu inspirationis, etsi cum eo non pugnat. At Montanistae videntur docuisse ad inspirationem requiri eam ecstasim, qua homo etiam usu intellectus privatus tamquam irrationale instrumentum virtute superiore ageretur.

liber prophetae est „liber visionis intellegentis universa, quae loquitur". In hac re catholici scriptores erant prorsus unanimes, unde factum est, ut nota amentiae vel ecstasis e conceptu inspirationis in perpetuum eliminata sit.

Hippolytus Montanistis obicit, quod suas prophetias pluris faciant quam libros Sacrae Scripturae, „cum neque quae ab iis [Montano, Priscilla, Maximilla] dicta sunt, ratione iudicent, neque ad eos, qui iudicare possunt, sese applicent, sed sine iudicio fiducia in iis collocata adducantur, plura quaedam per eos dicentes semet didicisse, quam ex lege et prophetis evangeliisque". Et iterum: „Ad quorum verba magis quam ad evangelia sese applicantes errant."[1] Scripserat Hippolytus proprium tractatum de charismatibus, sed hoc quoque opus periit: quare nescimus, disserueritne in eo de Montanistarum errore. Censentur ex hoc opere excerpta esse, quae in „Constitutionibus apostolicis" (VIII 1 sq) de charismatibus dicuntur.

ART. IV.

DE SCHOLA ALEXANDRINA.

60. Primus conatus redigendi veritates revelatas in systema quoddam et tradendi theoriam quandam inspirationis et expositionis sacrorum librorum factus est Alexandriae. Qua in urbe saeculo secundo orta est schola, quae vocatur catechetica[2]. Inter huius scholae ornamenta fuerunt plures viri ingenio et industria insignes, qui tum de rebus dogmaticis tum de exegeticis scripserunt. At infeliciter accidit, ut primi doctores huius scholae imbuti essent opinionibus nonnullis a doctrina catholica alienis, quas partim a philosophis gentilibus, partim a scriptoribus iudaicis, maxime Philone, receperant. Unde etsi eorum propositum fuit optimum et eorum labores admirandi, tamen neque in quaestione inspirationis neque in aliis inquisitionibus ea semper proposuerunt, quae ecclesia ut fidelem suae mentis expositionem agnoscere potuerit. Nihilominus communem inspirationis fidem manifeste profitentur.

61. **Et Clemens Alexandrinus** quidem Sacram Scripturam, utpote a Deo inspiratam, supremam normam veri ubique praedicat. Concedit ea, quae philosophi graeci de rebus divinis recte scripserint, „ab illis afflatu Dei scripta esse"[3].

At „Graeci, qui quasdam divini verbi quasi scintillas acceperunt, exiguam aliquam veritatis partem elocuti sunt, vim quidem eius non occultam atte-

[1] Contra haereses 8, 19; 10, 25; *M* 16[c], 3365 3440.
[2] *Eusebius*, Hist. eccl. 5, 10; *M* 20, 454 sq.
[3] Cohort. ad gent. 6; *M* 8, 179.

stantur, una tamen suam imbecillitatem arguunt, quia finem non attigerint." [1] „Divinae autem Scripturae sapientesque institutiones compendio ducunt ad salutem." [2] Cur ita? Quia ipse Deus loquitur per sacros scriptores. „Sapientissimus propheta Ieremias, seu potius Sanctus in eo Spiritus Deum ostendit." [3] „Ipse Dominus in Isaia loquitur, ipse in Elia, ipse in ore prophetarum." [4] Ideo eorum scripta vocantur sacra; „fieri enim nequit, ut illae litterae non sint sacrae, quae non modo sanctos, sed etiam divinos faciunt. Unde Scripturas etiam illas seu volumina, quae ex his litteris syllabisque sacris constant, apostolus appellat θεοπνεύστους." [5] Hoc valet etiam de Novi Testamenti scriptoribus; nam „qui in apostolo erat, Sanctus Spiritus, Domini voce utens, dicit mystice: Lac vobis potum dedi" [6]. „Idem Deus suppeditavit utrumque Testamentum." [7]

Utrum Clemens hic nomine Testamenti libros sacros directe significet necne, incertum est, sicut etiam dubium manet, quos libros sacros numeraverit, seu quem canonem habuerit [8]; sed illud constat, secundum eius doctrinam libros quoque sacros a Deo inspiratos pertinuisse ad oeconomiam utriusque Testamenti.

„Possem tibi Scripturas afferre paene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur. Spiritus enim Sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus." [9] „Qui divinis ergo Scripturis firmo iudicio credit, demonstrationem, cui contradici nequit, Dei videlicet, qui Scripturas nobis dedit, vocem accipit" [10]. Haeretici Scripturam aut respuunt aut pervertunt, sed veris Christianis „eundum est ad eos, qui quieta dogmata efficiunt et divinis Scripturis eos incantant, qui sunt rudes et imperiti et strepitum pertimescunt, per Testamentorum consequentiam iis veritatem explanantes." [11] Qualis fuit beata Virgo, quae Christum peperit et mansit virgo, „tales sunt nobis Scripturae Dominicae, veritatem parientes et manentes virgines cum occultatione mysteriorum veritatis" [12].

Dicuntur autem Scripturae occulere veritatem, quia sub sensu litterali continent multiplicem sensum allegoricum. „Scripturarum enim stilus est parabolicus." [13] Quod exemplo ostendit explicans decalogum [14]. In hac allegorica expositione sequitur Philonem, quem interdum diserte nominat [15].

Cum Philone proponit etiam historiam septuaginta interpretum.

„Neque vero ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tamquam graecam efficeret prophetiam. Nam etiam in captivitate regis Nabuchodonosor cum interiissent Scripturae, tem-

---

[1] Ib. 7; *M* 8, 183. [2] Ib. 8; *M* 8, 187. [3] Ib. [4] Ib. 1; *M* 8, 63 sq.
[5] Ib. 9; *M* 8, 198 sq. [6] Paedag. 1, 6; *M* 8, 307.
[7] Strom. 6, 5; *M* 9, 262; cf. c. 18; *M* 9, 402 et *W. Sanday*, Inspiration, London 1901, 30 sqq 65 sqq.
[8] Cf. *Dausch*, Der neutestamentl. Schriftkanon und Clemens von Alexandrien, Freiburg i. Br. 1894.
[9] Cohort. 9; *M* 8, 191. [10] Strom. 2, 2; *M* 8, 942.
[11] Ib. 7, 16; *M* 9, 539. [12] Ib. 530 sq. [13] Ib. 6, 15; *M* 9, 350.
[14] Ib. c. 16; *M* 9, 358 sqq. [15] Vide e. g. Strom. 1, 5; *M* 8, 718 sqq.

pore Artaxerxis, Persarum regis, inspiratus Esdras levites sacerdos, prophetavit, omnes rursus veteres Scripturas renovans." [1] Haec narrantur in 4 Esdrae 14, 18 sqq.

Quamquam ipse Clemens iam exaggerat conceptum inspirationis et nimium tribuit allegoricis expositionibus, manifestius tamen hi defectus apparent in discipulo eius Origene.

62. **Origenes** loquens de „Sacra Scriptura" ait: „Sane quod iste Spiritus [Sanctus] unumquemque sanctorum vel prophetarum vel apostolorum inspiraverit . . . manifestissime in ecclesiis praedicatur." Unde sequitur, „quod per Spiritum Dei Scripturae conscriptae sint". Ita initio libri primi „De principiis" [2]. Initio vero libri quarti proponit „ostendere, quod *ipsae Scripturae divinae sunt, i. e. Dei Spiritu inspiratae*" [3]. Divinas esse Scripturas probat ex impletione vaticiniorum [4], etsi concedat quaedam manere obscura. Sed sicut providentiam non negamus, quia multa in mundi cursu non perspicimus, „ita ne Scripturae quidem divinitati per eam totam diffusae quidquam detrahitur ex eo, quod ingenii nostri imbecillitas in unaquaque dictione minime possit pervenire ad arcanum sententiarum splendorem, in humili et abiecta locutione delitescentem" [5].

„Postquam veluti cursim probavimus divinitus inspiratas esse Scripturas Sacras, necesse est, ut earum legendarum et intellegendarum rationem pertractemus, cum multi errores et lapsus ex eo contigerint, quod multi viam non invenerint, qua esset in sancta lectione insistendum." [6] „Falsae intellegentiae causa his, de quibus supra diximus, non alia exstitit, nisi quod Sancta Scriptura ab his non *secundum spiritualem sensum*, sed secundum litterae sonum intellegitur. Propter quod conabimur his, qui credunt sacros libros non hominum esse scripta, sed ex inspiratione Sancti Spiritus voluntate Patris omnium per Iesum Christum scriptos esse et ad nos pervenisse, ostendere, quae rectae viae videantur iis, qui habent regulam ecclesiae caelestis Iesu Christi secundum successionem apostolorum." [7] Exhibet dein plura exempla ex Vetere Testamento et ex Novo ad monstrandum, quomodo simplex littera non possit sufficere sed necessaria sit altior intellegentia.

Itaque *triplicem sensum Scripturae distinguit*, litteralem, moralem, mysticum, seu quod idem est, corporeum, animalem, spiritualem.

„Apud Salomonem invenimus in Proverbiis (22, 20 sq) tale aliquid de divinae Scripturae observantia praecipi: ‚Et tu, inquit, describe tibi haec tripliciter in consilio et scientia, et ut respondeas verba veritatis his, qui proposuerint tibi.' Tripliciter ergo describere oportet in anima sua unumquemque divinarum intellegentiam litterarum, i. e. ut simpliciores quique aedi-

[1] Strom. 1, 22; *M* 8, 894.
[2] De principiis 1, 4 8; *M* 11, 118 sq.
[3] Ib. 4, 1; *M* 11, 342.
[4] Ib. n. 6; *M* 11, 351 sq.
[5] Ib. n. 7; *M* 11, 353 sq.
[6] Ib. n. 8; *M* 11, 355 sq.
[7] Ib. n. 9; *M* 11, 359.

ficentur ab ipso, ut ita dixerim, *corpore* Scripturarum; sic enim appellamus communem istum et historialem intellectum. Si qui vero aliquantum iam proficere coeperunt et possunt amplius quid intueri, ab ipsa Scripturae *anima* aedificentur. Qui vero perfecti sunt . . . tales a spirituali lege, quae umbram habet futurorum bonorum, tamquam a *spiritu* aedificentur." [1]

Neque vero plerumque in hac tripartitione insistit, sed solet duos tantum sensus distinguere: litteralem et allegoricum seu mysticum. *Corporalis seu historialis sensus saepe plane deest in Scriptura.* Neque hoc de solis metaphoris et similibus locutionibus dicit, sed etiam de narrationibus historicis et de legum praeceptis, quae saepe nullam veritatem habeant, nisi quatenus symbola sint arcanorum divinorum [2].

Immo *Spiritus Sanctus, ut nos redderet attentos, quaedam posuit in libris historicis, quae vel prorsus fieri nequeunt, vel certe facta non sunt.* Sic enim etiam nolentes a corporali sensu revocat ad altiorem intellegentiam [3].

„Ne quis vero nos suspicetur in omnibus id dicere nullam historiam contigisse, quoniam aliqua non contigit; et nullam legem ad litteram esse servandam, quoniam aliqua secundum litteram aut absurda aut impossibilia praecipit; vel quae de Salvatore scripta sunt, secundum litteralem sensum non esse vera; aut nullam ipsius legem et praeceptum servari oportere: dicimus manifeste in quibusdam historiae veritatem nobis apparere. . . . Multo enim plura sunt secundum historiam vera, quam quae mere spiritualia illis attexta sunt." Idem valet de mandatis, „tametsi, qui res altius scrutantur, componere possint altitudinem sapientiae Dei cum litterali mandatorum sensu. Verumtamen qui attentius legerit, in nonnullis ambiget nec sine multo examine pronuntiare poterit, utrum haec quae putatur historia, secundum litteram acciderit necne, et huiusne legis verba servanda sint an secus." [4] „Sic enim de universa Scriptura statuimus sensum ubique haberi spiritualem, non autem ubique corporeum." [5] Propter hanc opinionem Origenes facillime et ob sat leves rationes litterali sensu relicto solum allegoricum amplectitur. In allegorico enim sensu putat esse inexhaustas Scripturarum divitias, quas Sanctus Spiritus non in aperta via posuerit, sed in agro absconderit, ut nos incitaret ad quaerendum; qui thesauri „ut inveniri possint, Dei adiutorio opus est, qui solus potest portas aereas, quibus clausi sunt et absconditi, confringere" [6]. Nam sunt nonnulla mysteria, „quorum significatio proprie nullis omnino potest humanae linguae sermonibus explicari, sed simpliciore magis intellectu, quam ullis verborum proprietatibus declarantur. Ad quam regulam etiam divinarum litterarum intellegentia retinenda est, quo scilicet ea, quae dicuntur, non pro vilitate sermonis, sed pro divinitate Sancti Spiritus, qui eas conscribi inspiravit, censeantur." [7]

---

[1] Ib. n. 11; *M* 11, 363 sq. Ceterum Origenes, ut alii quoque veteres scriptores, sensum litteralem saepe opponit sensui translato seu figurato, et sic recte dicit multos textus non habere sensum litteralem; cf. ib. n. 8 16 etc.

[2] Ib. n. 14; *M* 11, 371 sqq; cf. n. 16 17 etc.

[3] Ib. n. 15 sqq; *M* 11, 374 sqq. [4] Ib. n. 19; *M* 11, 383 sq.

[5] Ib. n. 20; *M* 11, 385. [6] Ib. n. 23; *M* 11, 395.

[7] Ib. n. 27; *M* 11, 402.

63. Haec igitur sunt, quae Origenes in opere Periarchon de libris inspiratis docet, ex quibus iuverit quaedam capita colligere et aliis eius dictis confirmare vel magis explicare [1].

Libri Sacrae Scripturae sunt „divini", quia ex inspiratione Spiritus Sancti conscripti. „Qui haec gesta narrat, quae legimus [in libris Moysi], neque puer est . . . nec angelorum aliquis, sed, sicut traditio maiorum tenet, Spiritus Sanctus haec narrat. . . . Constat ergo ea per Spiritum Sanctum dicta, et ideo conveniens videtur haec secundum dignitatem, immo potius secundum maiestatem loquentis intellegi." [2] Alia supra (n. 3 et 4) iam proposita sunt, quibus efficitur Scripturas secundum Origenem vocari sanctas et inspiratas, quia Spiritus Sanctus eorum auctor est, et quia continent doctrinam revelatam.

Haec inspiratio se extendit usque ad singulas litteras.

„Exquisitissima cura et studio Spiritus Sanctus per ministros verbi ista subiecit, ne umquam nobis latere posset ratio, secundum quam divina sapientia omnem Scripturam divinitus inspiratam vel ad unam usque litteram attigit (πᾶσαν ἔφθασε γραφὴν ἡ σοφία τοῦ θεοῦ θεόπνευστον μέχρι τοῦ τυχόντος γράμματος). . . . Ita nos censemus de omnibus ex afflatu Sancti Spiritus scriptis (τῶν ἐξ ἐπιπνοίας τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀναγεγραμμένων), tamquam magna illa providentia, quae sapientiam humana superiorem tradit, per divinas litteras hominum generi salutaria documenta inseruerit, et singulis, ut ita dicam, litteris, quoad unaquaeque capere potest, vestigia sapientiae impresserit." [3] „Non possumus hoc dicere de Sancti Spiritus litteris, quod aliquid in iis otiosum sit aut superfluum." [4]

Scriptura autem, quam Origenes proxime respicit et commentariis illustrat, est versio Septuaginta. Etsi de horum interpretum inspiratione et historia diserte non loquitur, in Epistula tamen ad Iulium Africanum (n. 4) omnino retinendam esse statuit hanc versionem, „neque adulandum et persuadendum Iudaeis, ut communicent nobiscum libros puros neque ullum figmentum continentes. An forte illa providentia, quae in Sacris Scripturis omnibus ecclesiis dedit aedificationem, curam non habuit eorum, qui pretio empti sunt, pro quibus Christus mortuus est?" [5] Hac fiducia nixus Origenes in ipsis soloecismis versionis graecae invenit specialem providentiam Spiritus Sancti [6].

Neque vero hac in re sibi constans esse potuit, cum manifestum sit in textum graecum menda irrepsisse, ut ipse Origenes fatetur: „Sive propter scriptorum quorundam indiligentiam, sive propter nefariam aliquorum Scripturas emendantium audaciam, seu propter eos, qui, dum emendant, pro arbitrio addunt vel detrahunt, magna revera

---

[1] Cf. *Aug. Zöllig,* Die Inspirationslehre des Origenes, Freiburg 1902.

[2] In Num. hom. 26, 3; *M* 12, 774.

[3] In Ps. 1, n. 4; *M* 12, 1082, ubi rursum apparet Origeni *τὴν θεόπνευστον γραφήν* idem esse atque *τὰ ἐξ ἐπιπνοίας τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀναγεγραμμένα.*

[4] In Num. hom. 27, 1; *M* 12, 782. Cf. in Ierem. hom. 39; *M* 13, 542 sq.

[5] *M* 11, 58 sq. [6] In Osee; *M* 13, 826 sq.

exemplarium exsistit differentia." Cui malo dicit se comparatis variis exemplaribus pro Vetere saltem Testamento remedium adhibere studuisse[1]. Ceterum ipse quoque verba Scripturae minime semper accurate allegat, quemadmodum eius editores saepe adnotarunt, et Sanctum Paulum idem agere dicit, qui in singulis „nequaquam Hebraeorum exemplaribus fidem facit nec verbis semper interpretum [LXX] servit, sed Scripturarum sensum verbis, quibus competit, explicat"[2].

64. Illud vero non pugnat cum isto arto inspirationis conceptu, quod litteram adeo vilipendit Origenes; nam eos tantum vituperat, qui contenti sunt iis, quae littera superficietenus considerata docere videtur, neque conantur penetrare ad altiorem sensum allegoricum, quem Sanctus Spiritus singulis litteris subiecit. Itaque *singula verba vult esse inspirata, aut solum aut principaliter, in quantum sunt vehiculum allegoriarum mysticarum.* Defendit se quidem contra adversarios huius interpretationis exemplo S. Pauli[3]; at dubium non est, quin praecipue Philonem secutus sit, cuius expositiones allegoricas saepe laudat. Ita e. g. Celso irridenti has allegorias respondet:

„Suspicor illum ad Philonis scripta respexisse, aut etiam ad antiquiora, qualia sunt Aristobuli. Sed haec volumina, quantum coniectura cognoscere est, minime vidit Celsus. Nam illa mihi videntur mentem Scripturarum ut plurimum ita assequi, ut vel graecis philosophis admirationi esse possint. Ibi enim non solum in dictione, sed etiam in sententiis et dogmatis videtur delectus et diligentia et praeclarus eorum Scripturae locorum usus, quos Celsus pro fabulis habet."[4]

Regulae quoque hermeneuticae, quas Origenes statuit, similes sunt iis, quas Philo proponit (supra n. 18)[5]. Eatenus etiam cum eo (supra n. 15) consentit, quod *inspirationem donum propheticum vocat* et ad eam necessario requiri morum probitatem docet.

„Per singulas enim generationes Dei sapientia in animas, quas sanctas invenit, descendens, amicos Dei prophetasque facit."[6] „Atque hinc est, quod non obvium quemque invenias divina hac sapientia ornatum. Eorum est, qui eminent et excellunt inter eos, qui christianam religionem sectantur."[7] „Verum e iudaicis prophetis alii ante sapientes erant, quam prophetiae donum acciperent; alios prophetia illustravit et sapientes effecit. Hi vitae genus sectati difficile imitatu, constans, liberum et mortis periculorumque metu inconcussum, fuerunt a providentia electi, quibus divinus Spiritus eiusque eloquia committerentur. Docet enim ratio tales esse debere summi Dei prophetas."[8] Balaam quidem et Caiphas, mali homines, prophetaverunt, sed prophetae non erant. „Ac profecto si quis propheta est, is quidem prophetat; sin vero quis prophetat, non continuo etiam est propheta."[9] Tales

[1] In Matth. t. 15, n. 14; *M* 13, 1294. [2] In Rom. 8, 8; *M* 14, 1180.
[3] De princ. 4, 12 13; *M* 11, 367 sqq. Cf. In Gen. hom. 7, 1; *M* 12, 198.
[4] Contra Celsum 4, 51; *M* 11, 1111.
[5] *Zöllig,* Die Inspirationslehre des Origenes 116 sq.
[6] Contra Celsum 4, 7; *M* 11, 1038. [7] Ib. 6, 13; *M* 11, 1319.
[8] Ib. 7, 7; *M* 11, 1430. [9] In Ioan. 28, 12; *M* 14, 706 sq.

potius vult vocari augures [1], et innuit dici posse eos fuisse malo spiritu agitatos ad prophetandum, etsi hoc non audet affirmare [2]. Quare aliam proponit solutionem: „Ac meum profecto est iudicium casum aliquoties in causa esse prophetandi, ut nunc Caiphae in causa fuit, quod pontifex esset anni illius, quo moriturus erat Iesus. . . . Quin et Bal[aa]m assumpta parabola non dixisset . . . nisi vidisset Israelem castra metatum fuisse; et semper aliam partem exercitus videns, ex novitate rei conspectae movebatur ad dicendum pro Israele." [3]

65. *Plane vero dissentit Origenes a Philone* (supra n. 15), *quatenus negat in inspiratione prophetam privari usu rationis.*

„Boni spiritus recipit quis energiam, i. e. inoperationem, cum movetur et provocatur ad bona et inspiratur ad caelestia vel divina, sicut sancti angeli et ipse Deus inoperatus est in prophetis, suggestionibus sanctis ad meliora provocans et cohortans, ita sane ut maneret in arbitrio hominis ac iudicio, si sequi vellet aut nollet ad caelestia et divina provocantem. Unde et ex hac manifesta discretione dignoscitur, quomodo anima melioris spiritus praesentia moveatur, i. e. si nullam prorsus ex imminenti aspiratione obturbationem vel alienationem mentis incurrat nec perdat arbitrii sui iudicium liberum, sicut exemplo sunt omnes vel prophetae vel apostoli, qui divinis responsis sine ulla mentis obturbatione ministrabant." [4] „Neque enim, ut quidam suspicantur, mente excidebant prophetae et ex necessitate spiritus loquebantur", sed prorsus liberi erant ad loquendum aut non loquendum, ut ibidem latius explicatur [5]. „Nos e Sacris Scripturis demonstramus Iudaeorum prophetas, quantum ipsis utile fuit, primos fuisse, qui praestantioris naturae adventu fruerentur, et per Sancti Spiritus contactum, ut ita loquar, mentem eorum perspicaciorem animamque splendidiorem factam fuisse. . . . Si autem extra se rapitur, si sui compos non est Pythia, dum vaticinia edit, cuiusnam alius generis censeri oportet spiritum illum, qui menti et rationi tenebras offundit, praeterquam illorum daemonum, quos ex obsessis profligant e Christianis multi?" [6]

66. *Per inspirationem igitur non obscuratur, sed illuminatur intellectus, et errores omnes excluduntur.*

„Nam operam suam conferente Spiritu Sancto accurate conscripta esse evangelia credimus, et in iis commemorandis rebus lapsi non sunt eorum scriptores." [7] „Proinde consequens est, ut nullus ex evangelistis fallat vel mentiatur. . . . Neque de iisdem rebus, ut quidam putant, evangelistae (οἱ ἀπομνημονεύοντες) diversa dicunt, memoria non accurate distinguentes singula dicta vel facta." [8]

---

[1] In. Ioan. 28, 13 sq; *M* 14, 711 sqq. [2] Ib. n. 17 in fine; *M* 14, 728.

[3] Ib. n. 15; *M* 14, 723. *Porphyrius*, philosophus gentilis, Origenem inter eos recenset et irridet, qui „ea, quae a Moyse apertissime dicta sunt, figuras quasdam atque adumbratas imagines esse iactarunt" (*Eusebius*, H. E. 6, 19; *M* 20, 563).

[4] De princ. 3, 4; *M* 11, 317. [5] In Ezech. hom. 6, 1; *M* 13, 709.

[6] Contra Celsum 7, 4; *M* 11, 1426. [7] In Matth. t. 16, n. 12; *M* 13, 1410.

[8] In Ioan. t. 6, n. 18; *M* 14, 258. Secundum haec intellegenda sunt, quae dicit in Matth. 27, 9 (sola versio latina exstat): „Quoniam, quod post haec dicit evangelista: Tunc impletum est, quod dictum fuerat per Ieremiam prophetam dicentem etc.,

Hoc eo facilius Origenes dicere potuit, quia concedit *quaedam occurrere in Scriptura, quae sunt historice falsa et allegorice tantum vera,* quemadmodum istis duobus locis (In Matth. t. 16, n. 12 et in Ioan. t. 6, n. 18) difficultatem de caecis apud Iericho sanatis allegorica expositione removet. Quare etsi vera sunt, quae docet de illustratione intellectus et de absentia omnis erroris, eo ipso tamen, quod rem exaggerat, compellitur ad admittenda ea, quae artificiosis suis explicationibus ab erroris macula purgare nequit. „Propositum illis erat vera narrare et spiritualiter et corporaliter, ubi liceret; ubi autem non contingebat utrumque, rem praeferre spiritualem rei corporeae, servata saepe veritate spirituali in corporali, ut aliquis diceret, mendacio." [1] *In hac re Origenes non est fidelis testis Traditionis catholicae.* Studet vero interdum se eo etiam e difficultatibus extricare, quod censet prophetas non semper ea dixisse, quae dicere iussi erant [2].

Praeterea *variis locis mitigare videtur ea, quae exaggerando dicit de influxu Spiritus Sancti in quamvis syllabam et litteram.* Nam de S. Paulo ait: „In epistula ad Romanos elocutionibus interdum confusis et minus explicitis utitur" [3], id quod utique nemo dicet de Sancto Spiritu ipsa vocabula et constructiones eligente. Et exponit, quomodo in singulis epistulis maior vel minor profectus apostoli in rebus spiritualibus appareat [4].

Porro hanc regulam statuit: „Omnis, cui veritatis cura est, parum de nominibus et sermonibus curet, quia per singulas gentes diversae verborum consuetudines habentur, et hoc magis, quod significatur, quam qualibus verbis significetur, intendat, praecipue in tam magnis et tam difficilibus rebus" [quales in Scriptura leguntur] [5]. Huc pertinet, quod docet epistulam ad Hebraeos secundum rem esse S. Pauli, secundum dictionem vero alterius cuiusdam. Verba eius leguntur apud *Eusebium* in H. E. 6, 25 (*M* 20, 584 sq).

67. *Auctor principalis Sacrae Scripturae est Spiritus Sanctus* neque ulla alia persona divina immediate, etsi Spiritus Sanctus in Scripturis ea proponit, quae Verbum divinum ex voluntate Patris revelavit. Libri sacri scripti sunt „ex inspiratione Spiritus Sancti voluntate Patris per Iesum Christum" [6]. *Divina autem scripta sunt libri et Veteris et Novi Testamenti (τῆς τε λεγομένης παλαιᾶς διαθήκης καὶ τῆς καλουμένης καινῆς)* [7].

---

inter ea, quae scripta sunt, non invenitur . . . suspicor aut errorem esse scripturae, et pro Zacharia positum Ieremiam, aut esse aliquam secretam Ieremiae scripturam, in qua scribitur" (*M* 13, 1769). Cum Origenes saepe diserte neget ullum esse in Scriptura errorem, quod hic ait: „Suspicor errorem esse scripturae", idem est atque esse mendum librarii. Sic enim alii quoque ex veteribus rem explicant. *Sanday* ait certe falsum esse, si ibi ponatur „Scripturae" cum littera prima maiuscula (Inspiration 46, nota 2). Sine dubio falsum secundum principia Origenis.

[1] In Ioan. t. 10, n 4; *M* 14, 314. [2] In Num. hom. 16, 4; *M* 12, 692 sqq.
[3] In ep. ad Rom. prooem.; *M* 14, 833. [4] Ib.
[5] De princ. 4, 27; *M* 11, 400.
[6] Ib. 4, 9; *M* 11, 359. Notum est Origenem non ubique recte sentire de SS. Trinitate. [7] Ib. 4, 1; *M* 11, 341.

„Si Dei eloquia sunt in lege et prophetis, evangeliis et apostolis, oportet discipulum Dei divinorum sermonum magistrum Deum adscribere.“ [1] Veteris Testamenti „iuxta Hebraeos“ viginti duos libros enumerat, quibus addit libros Machabaeorum [2]. De Novo Testamento ait: „Veniens Dominus noster Iesus Christus mittit sacerdotes apostolos suos portantes tubas ductiles, praedicationis magnificam caelestemque doctrinam. Sacerdotali tuba primus in evangelio suo Matthaeus increpuit. Marcus quoque et Lucas et Ioannes suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epistularum suarum personat tubis, Iacobus quoque et Iudas. Addit nihilominus et Ioannes tuba canere per epistulas suas et Apocalypsim, et Lucas apostolorum gesta describens.“ [3] Omnes omnino libros Veteris et Novi Testamenti, qui in canone nostro sunt, Origenes data occasione ut sacros et inspiratos laudat, etsi non ignorat quosdam ex iis non ubique indubitanter recipi sua aetate. Unde illa divisio: „Liber genuinus, nothus [apocryphus], mistus [in dubium vocatus].“ [4] Genuinas vocat etiam ὁμολογουμένους [5], quibus alii „mistos“ ut ἀντιλεγομένους opposuerunt; Origenes ipse loquitur de ἀμφιβαλλομένοις.

Sed etsi Christiani etiam libros Veteris Testamenti ut inspiratos recipiunt, non eodem modo ac Iudaei explicant. „Si nos accurate respondere oportet ad Celsum, opinantem *eandem nostram esse ac Iudaeorum de his rebus sententiam, dicemus in confesso esse apud utrosque libros divino Spiritu fuisse conscriptos, de illorum autem librorum interpretatione non eadem dicimus.*“ [6] „In Novo Testamento evangelia multi voluerunt scribere, sed probati nummularii non omnia examinarunt, sed quatuor solum selegerunt. Forsitan ergo illud: Conati sunt (Lc 1, 1) occultam habet accusationem eorum, qui temere et absque dono *(χωρὶς χαρίσματος)* evangelia scribere ausi sunt. Matthaeus enim non conatus est, sed Spiritu Sancto movente *(ἐξ ἁγίου κινούμενος πνεύματος)* scripsit. Similiter et Marcus et Ioannes, nec aliter etiam Lucas.“ Nominatis pluribus evangeliis apocryphis, ita concludit: „In his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod ecclesia.“ [7]

Hoc sane maximae laudi tribuendum est Origeni, quod Sacrae Scripturae studium adeo coluit, promovit, commendavit [8]. Hoc etiam Patres illi, qui „Scholam Alexandrinam“ constituere dicuntur, maxime in eo admirantur et sequuntur [9]. Nihilominus hi Patres exaggeratam allegorizandi rationem vituperant et relinquunt.

---

[1] In Ierem. hom. 10, 1; *M* 13, 358.

[2] Ante com. in Ps. 1; *M* 12, 1083 sq. [3] In Ios. hom. 7, 1; *M* 12, 857.

[4] In Ioan. t. 13, n. 17; *M* 44, 424 cum nota. Cf. *Cornely,* Introd. gener. I, n. 36.

[5] In Matth. 14, 21; *M* 13, 1240. [6] Contra Celsum 5, 60; *M* 11, 1275.

[7] In Luc. hom. 1, 1; *M* 13, 1802. *Dionysius Alexandrinus,* Origenis discipulus, in Luc. 22, 42 ait: „Spiritus Sanctus, in evangelistas distributus, integram Salvatoris nostri affectionem ex cuiusque dictione componit“ (*M* 10, 1590; cf. 1273).

[8] Cf. e. g. Origenes Ep. ad Gregorium Thaumat.; *M* 11, 87 sqq.

[9] *Gregorius Thaumaturgus* de Origene ait: „Qui unus omnium, qui nunc vivunt, hominum, quos vel noverim ipse vel aliis narrantibus audiverim, pura et perspicua oracula [Scripturae] meditando et mente percipere potest et reliquos docere; quoniam ille omnium [oraculorum] princeps [ἀρχηγός, Spiritus Sanctus], qui Deo caris

68. Exemplo sit **S. Basilius Magnus**, qui in homiliis in Hexaëmeron saepius Origenem tacito nomine vituperat[1].

„Quin etiam aliquis nobis adversus ecclesiasticos quosdam scriptores de discretis aquis (Gn 1, 6 7) habendus est sermo. Qui anagoges et sublimioris intellegentiae nomine confugerunt ad allegorias, adeo ut spiritales et incorporeas virtutes asserant per aquas tropice significari. . . . Tales porro sermones veluti somniorum interpretationes et aniles fabulas reicientes, aquam aquam intellegamus, et secretionem a firmamento factam iuxta allatam rationem accipiamus.“ [2] „Novi leges allegoriae, etiamsi eas non ex me ipso excogitaverim, sed in aliorum labores inciderim. Quas Scripturarum communes notiones qui non suscipiunt, aquam non aquam dicunt, sed aliam quandam naturam, et plantam et piscem secundum suam ipsorum sententiam interpretantur. Quin etiam reptilium et pecorum generationem ad suas allegorias detortam perinde exponunt ut quidam rerum sese imaginationi per somnium obicientium interpretes, qui suas interpretationes ad proprium scopum accommodant. Ego vero, cum faenum audio, faenum intellego, et plantam et piscem et bestiam et pecus, omnia, ut dicta sunt, sic accipio. Non enim erubesco evangelium. . . . Nonne potius ei dedero gloriam, qui mentem nostram in rerum vanarum occupatione non detinuit, sed omnia ad aedificationem animarum nostrarum conscribi sanxit? Id quod quidam mihi videntur non intellexisse, qui captionibus quibusdam atque tropologiis ex suo ipsorum ingenio aliquid Scripturis adsciscere auctoritatis conati sunt. Verum id ei competit, qui se ipsum Spiritus Sancti oraculis constituit sapientiorem, quique interpretationis praetextu commenta sua inducit. Haec itaque, ut scripta sunt, intellegantur.“ [3]

Origenes quidem putabat se honorem tribuere Spiritui Sancto, Scripturae auctori, eius libris adscribendo sensus prorsus absconditos et improprios. Basilius vero censet magis honorari Spiritum Sanctum, si eius verba secundum nativum suum sensum sine artificiosis interpretationibus accipiantur. Haec manifeste sanior est sententia. Neque ideo Sancti Patres, qui excessum illum allegoriarum vituperant, negant in Scriptura inveniri metaphoras, parobolas, typos, neque reiciunt

---

prophetis suggerit atque inspirat omnem prophetiam sermonemque mysticum ac divinum, eo illum honore afficiens velut amicum, interpretem constituit; quae aliis indicavit dumtaxat, eorum per hunc instituens disciplinam, et quaecumque ipse [Spiritus Sanctus] omni fide dignus aut regio more iussit, aut etiam pronuntiavit, eorum rationes investigare et invenire huic largitus. . . . Haec vero ille [Origenes] non aliter, opinor, enuntiat, quam ex divini Spiritus communicatione; eadem enim vis prophetis et prophetarum auditoribus est opus, nec prophetiam capere quis possit, cui Spiritus idem, qui prophetavit, sermonum eius intellegentiam non dederit. . . . Quod quidem donum maximum hic divinitus acceptum sortemque caelitus optimam habet, ut Dei sermonum interpres sit apud homines, Deique verba ut Deo loquente intellegat et hominibus, ut homines percipiant, enarret“ (Orat. panegyr. 15; *M* 10, 1094 sq).

[1] Ceterum S. Basilium amicis Origenis adnumerandum esse ostendit liber, quem simul cum S. Gregorio Naz. edidit, i. e. *Φιλοκαλία*, seu florilegium e libris Origenis collectum (ed. *J. Armitage Robinson*, Cambridge 1893), in quo opere 1, 8 sqq (*Robinson* 14 sqq) legitur Origenis doctrina de Sacra Scriptura.

[2] In Hexaëm. hom. 3, 9; *M* 29, 74 sq. [3] Ib. 9, 1; *M* 29, 187 sq.

morales applicationes, sed statuunt ea, quae historice narrantur, historica ratione esse intellegenda, et quae per modum legum proponuntur, ut veras leges esse accipienda, neque omnino sine necessitate vocabula a propria significatione ad impropriam esse transferenda.

Ceterum *omnes Patres graeci unanimiter cum Origene docent nihil in Scriptura esse, quod non Spiritum Sanctum habeat auctorem et cum ea reverentia, quae verbo Dei debeatur, tractandum sit.* Satis sit rem paucis et brevibus quibusdam testimoniis illustrasse.

Ita S. Basilius contra Eunomianos argumentatur: „Quodsi Spiritus in apostolis et prophetis loquitur, omnisque Scriptura divinitus inspirata est, dicite impiis: Quomodo Spiritus Sanctus Deus non est, cuius Scriptura divinitus inspirata sit?“ [1]

„Omnis Scriptura est divinitus inspirata atque utilis, ideo a Spiritu Sancto conscripta, ut velut in communi animarum curandarum officina nos omnes, quotquot sumus homines, ad nostrum morbum sanandum medelam seligere possimus. Aliud igitur prophetae docent, aliud historici; aliud lex, aliud forma proverbialis exhortationis. At quidquid in ceteris utile est, hic unus Psalmorum liber complectitur. . . . Etenim ubi Spiritus Sanctus vidit genus hominum ad excolendam virtutem adduci vix posse, et a nobis ob nostram in voluptatem propensionem viam rectam contemni, quid agit? Dogmatis immiscuit harmoniae dulcedinem, ut rerum auditarum iucunditate ac dulcedine eloquiorum utilitatem nescientes perciperemus. . . . O sapiens magistri inventum, qui artem, qua simul caneremus et utilia disceremus, excogitavit!“ [2]

Explicans „duo luminaria magna“ (Gn 1, 16), multa proponit ad ostendendum ea recte vocari magna, et in fine addit: „Haec a me dicta sunt, ut luminarium demonstraretur magnitudo, utque constaret in verbis divinitus inspiratis ne ullam quidem syllabam esse otiosam.“ [3] Quae locutio non arguit verbalem inspirationem, ut a posterioribus non paucis intellegitur, cum de nulla syllaba, materialiter intellecta, quidquam in toto contextu expositionis inveniatur, sed docet non inutiliter luminaria vocata esse „magna“, id quod non ad verbalem, sed ad realem inspirationem pertinet. Vocabula non tanti aestimat Basilius, sed ad res potius docet animum advertendum [4].

---

[1] Adversus Eunom. 5; *M* 29, 722. Simili argumento utitur *Didymus Alexandrinus*, De Spiritu Sancto 3 28 sq; *M* 39, 1034 1058 sq.

[2] In Ps. 1, 1 3; *M* 29, 210. [3] In Hexaëm. hom. 6, 11; *M* 29, 143.

[4] Adversus Eunom. 2, 4 sqq; *M* 29, 578 sqq. In Commentario in Isaiam (qui probabiliter est Basilii) de natura inspirationis haec statuuntur: Generatim Deus non eligit ut prophetas nisi homines eximie sanctos; „nam qui sese dignum instrumentum exhibet, per quod Spiritus operetur, is propheta est“ (Prooem. 1; *M* 30, 119). Sicut quaedam sensibus percipimus, quaedam vero in somnis sine cooperatione sensuum videmus, „itidem et divinorum et beatorum virorum mens aliquando quidem per apertam visionem, aliquando vero per somnium impressis imaginibus, divinis sermonibus ac visis impletur“ (3; 125). Balaam et Caiphas prophetaverunt ex speciali dispensatione divinae providentiae, „non pro merito suo, sed pro temporis opportunitate“ (4; 126). „Porro sunt qui dicant eos [prophetas] furore ac insania correptos prophetare, humana mente a Spiritu absorpta. Verum id abhorret

69. Non minus quam Basilius Psalmorum excellentiam praedicat **S. Athanasius**, qui a „quodam sene studiosissimo“ haec de Psalmis accepisse se scribit:

„Omnis nostra, o fili, Scriptura cum Vetus tum Nova divinitus inspirata· utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur. Attamen Psalmorum liber quaedam observatu digna habet iis, qui attendere voluerint. Quilibet enim liber suum, quod praefert, argumentum tractat et prosequitur, v. g. Pentateuchus mundi originem. . . . At liber Psalmorum, omnium reliquorum fructus quasi insitos in se continens, cantus edit et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet.“ Hoc quoad singulos libros Veteris Testamenti breviter ostendit, maxime quoad vaticinia messianica. „Et haec in Psalmis canuntur, in singulis autem aliis libris annuntiantur. Ceterum se non ignorare aiebat in singulis Scripturae libris eadem de Salvatore potissimum significari, esseque illud omnium ipsorum commune argumentum eandemque Spiritus concordiam. . . . Idem namque Spiritus est in omnibus, et secundum divisionem eius, in singulis factam, unusquisque datam sibi gratiam administrat et implet, sive prophetia sit, sive legislatio, sive historiae commemoratio, sive Psalmorum gratia.“ Psalmorum autem librum eo etiam excellere, quod non simpliciter res proponat, sed varios quoque motus excitet, ut unusquisque secundum eos se formare possit.“ [1]

Alio loco Athanasius de canone librorum sacrorum loquitur: „Habemus ad salutem divinas Scripturas“; sed quia timendum est, ne quidam ex simplicitate et ignorantia ad apocrypha convertantur, dico secundum exemplum S. Lucae: „Quoniam nonnulli conati sunt ordinare sibi apocrypha, quae dicuntur, et ea immiscere Scripturae divinitus inspiratae, de qua perfecte instructi sumus, quemadmodum patribus nostris tradiderunt illi, qui ab initio testes oculati fuerunt et ministri verbi facti sunt, visum est et mihi rogato a sinceris fratribus et a principio edocto, secundum ordinem exponere libros in canonem receptos et traditos et divinos habitos, ut quivis, si forte erraverit, cognoscat seductores; sin purus manserit, laetetur denuo commone-

---

a professione divinae praesentiae, ut amentem reddat, qui numine corripitur, cumque plenus divinorum decretorum esse coeperit, tum a sua ipsius mente excidat, et qui aliis ex sese praebeat utilitatem, ipse ex propriis sermonibus nihil capiat emolumenti. In summa qua ratione consentaneum est, ut quis per sapientiae Spiritum simillimus insano evadat ac ex intellegentiae Spiritu vim amittat intellegendi? Quin potius neque lumen caecitatem parit, verum videndi facultatem a natura insitam expergefacit; neque Spiritus tenebras inducit animis, sed ad contemplationem rerum intellegibilium mentem a peccati maculis puram excitat. Non quidem dissimile veri est improbam potestatem, naturae humanae insidiantem, confundere mentem; sed id ipsum per Spiritus divini praesentiam effici dicere impium est“ (5; 126; cf. in c. 13, n. 254; *M* 30, 566). In explicanda Scriptura „ad eum modum citra offensam in Scripturis versabimur, dum et ex iis, quae facile percipi possunt, adiuvabimur, et ab iis, quae sunt intellectu difficiliora, non offendemur“. Nam etiam obscura Deus voluit ad nostram excitationem (6; 127).

[1] Epist. ad Marcellinum 1 2 8 9 10; *M* 27, 11 sqq. In oratione quarta Contra Arianos 47; *M* 26, 422 reicit errorem Montanistarum.

factus. Sunt igitur Veteris Testamenti libri omnes numero viginti duo" (ut supra n. 21). Novi Testamenti libros enumerat, ut sunt in nostro canone. Dein addit:

„Hi sunt salutis fontes, ut, qui sitit, hos adeat. In his solis pietatis doctrina evangelizatur. Nemo his addat, neve ab his demat quidquam. . . . Sed maioris accurationis gratia addo etiam hoc, scribens necessario, quod alii quoque libri praeter hos exsistunt, non in canonem quidem relati, sed qui secundum Patrum sententiam legi possunt ab iis, qui accedentes cupiunt addiscere pietatis doctrinam. Sunt autem Sapientia Salomonis et Sapientia Sirach et Esther et Iudith et Tobias et Doctrina apostolorum, quae vocatur, et Pastor. Et ita, carissimi, mentio quidem fit et illorum, qui in canonem relati sunt, et horum, qui leguntur, sed nullo modo apocryphorum. Hoc enim haereticorum commentum est, qui ea scribunt, quando volunt, et gratiam iis conciliant, affingentes aetatem, ut quasi antiqua afferentes, ansam habeant sic imperitos in errorem inducendi." [1]

70. **S. Gregorius Nazianzenus** mentem suam manifestat carminibus „De veris Scripturae inspiratae libris" seu de canone, quorum initium est:

„Divinis in litteris semper et lingua et mente versare. Aut enim Deus hoc dedit laboris praemium, ut occultam aliquam lucem percipias, vel, quod optimum est, pungaris Dei sancti magnis praeceptis." (Sequitur canon.) [2] Et orat: „Audi, Pater Christi omniscie, has preces meas. Indulge servo tuo cantum caelestem. . . . Nunc veni huc et ex libro sacro et puro sagina animam verbis divinitus inspiratis." [3] Alia occasione loquens de factis historicis, quae in Vetere Testamento narrantur, ait: „Neque putemus haec temere conscripta esse, neque aliud esse nisi turbam verborum et factorum ad oblectandos animos audientium compositam ac velut aurium illecebram ad voluptatem factam. Haec ludant fabulae et gentiles. . . . At nos, qui diligentiam Spiritus usque ad apicem et litteram extendimus, numquam admittemus; nefas est enim, vel minima facta temere a scriptoribus enarrari et memoriae usque nunc tradi, verum ut nos admonitiones et documenta in promptu habeamus... priora exempla ut quosdam canones et regulas sequentes." [4] In exponenda Scriptura vult „via quadam media incedere inter eos, qui crassiore omnino ingenio sunt, et eos, qui nimio contemplationis et anagogiae studio ducuntur" [5].

71. **S. Gregorius Nyssenus** explicat, cur Scriptura *θεόπνευστος* appelletur.

„Divinitus inspirata Scriptura, sicut ipsam divinus apostolus nominat, Sancti Spiritus est Scriptura. . . . Nos ab apostolo instituti, ex littera, quae

[1] Epist. 39 (*M* 26, 1435 sqq). Versio est secundum textum graecum; nam versio latina, ibidem ex syriaco exhibita, secundum sensum, sed non semper secundum verba conformis est. Praeterea cf. *Cornely*, Introd. I, n. 42.

[2] L. 1, sect. 1, carm. 12; *M* 37, 472. [3] Ib. carm. 35; *M* 37, 517.

[4] Orat. apologet. 2, 104 sq; *M* 35, 503 sq.

[5] Orat. 45, 12; *M* 36, 638; cf. Orat. 31, 21 sqq; *M* 155 sqq.

occidit, ad Spiritum vivificatorem transimus, edocti ab eo, qui in Paradiso arcana ineffabilia didicit, quod, quaecumque Sacra Scriptura dicit, Spiritus Sancti sint voces vel effata. . . . Et ab ipso Domino idem didicimus, quod David non in se manens, id est, non secundum humanam naturam personans, caelestia annuntiabat mysteria. Quomodo enim quis homo exsistens caeleste colloquium Patris cum Filio novisset? Sed Spiritu afflatus dixit etiam Dominum Domino loqui, quae dixit. . . . Ergo numine afflati sancti vates virtute Spiritus Sancti inspirantur; et ideo omnis Scriptura divinitus inspirata dicitur, quia sit divinae inspirationis doctrina (θεόπνευστος λέγεται διὰ τὸ τῆς θείας ἐμπνεύσεως εἶναι διδασκαλίαν)." [1] Haec est unica et communis Patrum graecorum explicatio vocabuli θεόπνευστος.

Hexaëmeron exponere est exponere ea, „quae secundum caelestem inspirationem in cosmogonia philosophata sunt a magno Moyse" [2]. Similiter in Psalmis loquitur Spiritus Sanctus, qui in iis non servat ordinem chronologicum, „cum Spiritus Sanctus, ut dictum est, non id propositum habeat, ut nos nudam historiam doceat, sed ut animas nostras per virtutem secundum Deum formet." [3] Itaque et per Moysen et per psalmistas et per prophetas locutus est Spiritus Sanctus. Sed ut hoc recte intellegatur, notandum est Spiritum Sanctum non nudum sensum litteralem, sed potius spiritualem intendisse, qui sub corpore litterae latet; „nam saepe eorum, quae scripta sunt, primus qui occurrit sensus, nisi iuxta convenientem interpretationem sumatur, contrarium operatur ei vitae, quae per spiritum subdemonstratur, cum spiritus quidem, i. e. spiritualis Scripturae sensus, perfectionem virtutis in omni affectuum vacuitate hominibus imperet". Littera nuda saepe etiam absona docere videtur [4].

Sicut igitur Gregorius Nyssenus in multis rebus propius Origenem sequitur quam ullus alius ex Patribus graecis, ita allegoricam quoque expositionem eodem fere modo, quo ille, commendat et defendit. Sed haec ab ipso Origene sufficienter audivimus.

72. Item Origenem ducem in multis eligit **S. Cyrillus Alexandrinus**, qui e. g. cum illo docet omnes Scripturae libros esse unum librum, utpote ab uno Sancto Spiritu conscriptos.

„Unus enim liber est tota Scriptura et dicta est per unum Spiritum Sanctum." Quia vero Iudaei mandatis Dei neglectis ad mandata hominum conversi erant, „hinc valde convenienter liber Scripturae divinitus inspiratae obsignatus est. Neque enim consentaneum erat cognitione Scripturae divinitus inspiratae ditari eos, qui eam despiciebant." [5] Inculcat autem retinendum esse sensum litteralem. „Qui in Scripturis divinitus inspiratis historiam ut inane quid repudiant, videntur nolle ea, quae scripta sunt, eo quo decet modo intellegere. Speculatio enim spiritualis (θεωρία πνευματική) pulchra quidem est et utilis et oculos intellegentiae maxime collustrans, cordatissi-

[1] Contra Eunom. 7; *M* 45, 742 sq. [2] In Hexaëm., Prooem.; *M* 44, 61.
[3] In Psalmorum inscript. tract. 2, c. 11; *M* 44, 543; cf. 442 487.
[4] Contra Eunom. 7; *M* 45, 742 sq et in Canticum, Prooem.; *M* 44, 756 sq.
[5] In Isaiam l. 3, t. 2, v. 13; *M* 70, 655 sq; cf. c. 2 et 6 Philocaliae Origenis.

mos efficit. Quando vero aliquid historice gestum per sacras litteras nobis affertur, tunc ex historia utilitatem capere decet, ut undique nos Scriptura divinitus inspirata salvans et iuvans appareat." [1] „Salutis fontes esse dicimus sanctos prophetas et evangelistas et apostolos, qui verbum supernum et caeleste et salutare mundo impertiunt, assistente illis Spiritu Sancto, et ita totum orbem sublunarem laetificant. In profunda igitur eius sensa animum advertentes veritatis inventionem inde hauriamus. . . . Quasi ex agro Scripturae divinitus inspiratae habemus mystagogiam per Spiritum Sanctum ad Christum ut florem immarcessibilis pulchritudinis et suaveolentiae." [2]

Contra Iulianum apostatam Cyrillus divinam dignitatem et inerrantiam Scripturae validissime tuetur [3]. Iuliano dicenti prima capita Genesis nihil differre a fictis Graecorum fabulis, respondet: „Nos, o bone, nequaquam istud de sancta et divinitus inspirata Scriptura dicimus. Fabulosum namque in ea prorsus nihil, veritatis plena sunt omnia." [4]

73. **Eusebius Caesariensis** multa quidem habet de libris sacris, sed plerumque externam potius eorum historiam narrat. Ita inter alia refert Marcum a Romanis rogatum scripsisse evangelium secundum Petri praedicationem. „Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur." [5] Falleretur autem, qui ex his verbis colligeret, secundum Eusebium libros evangelistarum non ex divina inspiratione prodiisse, sed per solam subsequentem approbationem receptos esse.

Nam e. g. diserte ait: „Lucas . . . duos nobis libros divinitus inspiratos reliquit. Alter eorum evangelium est . . . alter liber inscribitur actus apostolorum." [6] Alio loco utrumque: externam occasionem et internam inspirationem, coniungit. „Ioannes, omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus, spirituale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit." [7] Propter divinam inspirationem non vult admittere ullum errorem in scriptore sacro. „Facinus audax et temerarium esse censeo, si quis audet affirmare divinam Scripturam decipi" et ponere nomen Abimelech pro Anchus (Achis) [8]. Psalmistae „non propria verba proferebant, sed divini Spiritus voluntati ministrabant" [9].

74. His Patribus graecis adiungi potest **S. Ambrosius**, episcopus mediolanensis, qui et Philonis et Origenis non raro vestigia premit et ideo iure Alexandrinis accensetur, etsi alia ex parte vere Romanus erat.

[1] In Isaiam l. 1, orat. 4, c. 7, v. 1; *M* 70, 191.
[2] De recta fide orat. 2, 1; *M* 76, 1338.
[3] Contra Iul. 7; *M* 76, 851 sqq; cf. in Ioel 1, 1; *M* 71, 329.
[4] Contra Iul. 3; *M* 76, 631. [5] Hist. eccl. 2, 15; *M* 20, 171.
[6] Ib. 3, 4; *M* 20, 219. [7] Ib. 6, 14; *M* 20, 551. [8] In Ps. 33, 1; *M* 23, 290.
[9] In Ps. 77, 1; *M* 23, 902; cf. in Ps. 60, 9 et in Ps. 112, 1 2; *M* 23, 583 1349.

Imprimis igitur de inspiratione Sacrae Scripturae: „Scriptura (inquit) divina θεόπνευστος omnis ex hoc dicitur, quod Deus inspiret, quae locutus est Spiritus.“ [1] Quia igitur, ut ibidem docet, Pater et Filius et Spiritus Sanctus simul „inspiratur prophetis“, recte Scriptura sermo Christi esse dicitur. „Bibe Christum, ut bibas sermones eius; sermo eius Testamentum est Vetus, sermo eius Testamentum est Novum. Bibitur Scriptura divina et devoratur Scriptura divina, cum in venas mentis ac vires animae succus Verbi descendat aeterni.“ [2] Unde et pecunia Christi vocari potest Scriptura. „Pecunia enim Domini Scriptura divina est. . . . Sed tu quasi bonus nummularius eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum reconde, purgatum Spiritu septiformi.“ Et addit haec de utroque Testamento valere, quia Christus, bonus Samaritanus, „pro sanitate hominis vulnerati duo aera stabulario reliquit (Lc 10, 35); duobus enim Testamentis vulnera nostra curantur“ [3].

Scriptores sacri „non secundum artem [humanam] scripserunt, sed secundum gratiam, quae super omnem artem est; scripserunt enim, quae Spiritus iis loqui dabat“. Quare ab eodem Deo intellegentiam Scripturae petere debemus. „Pete *ἀπὸ τοῦ αἰτίου*, i. e. ab auctore quaere . . . pulsa, et aperit tibi Deus Verbum.“ [4]

Sine speciali gratia scripta sacra fieri non poterant, etsi quidem (pseudepigraphi) id efficere conati sunt. „Multos coepisse nec implevisse etiam S. Lucas testimonio locupletiore testatur, dicens (1, 1) plurimos esse conatos. Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est nec implevit. Sine conatu sunt enim donationes et gratia Dei, quae, ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthaeus, non conatus est Marcus, non conatus est Ioannes, non conatus est Lucas, sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante sine ullo molimine complerunt.“ [5]

Ex hac gratia divina summa abundantia sensus in Scriptura invenitur. „O magna abundantia Scripturarum, quam nemo possit humano ingenio comprehendere! O maximum divinae unitatis indicium!“ [6]

Neque cum his pugnat, quod Ambrosius aliquo loco ait: „Quae propter fragilitatem humanam scripta [de libello repudii], non a Deo scripta.“ [7] Ibi enim „scriptum est“ idem est atque „lege statutum est“, ut ex contextu apparet: „Moyses permisit, non Deus iussit“. Immo in iis, quae de Abrahamo 2, 9 (*M* 14, 484) dicit, omnino exaggerare videtur influxum divinum, quatenus docet mentem prophetae sub hoc influxu excessum pati et obtenebrari. E Philonis doctrina haec et alia, quae in libris de patriarchis dicit, hausta sunt (cf. supra n. 15).

75. *Ambrosius sensum litteralem non vilipendit,* quemadmodum Origenes, cum soleat ante omnia hunc sensum statuere, sed valde urget, *hunc sensum solum saepe non sufficere.*

---

[1] De Spiritu Sancto 3, 16, 112; *M* 16, 803. [2] In Ps. 1, 33; *M* 14, 940.
[3] In Luc. 9, 18; *M* 15, 1797 sq. [4] Epist. 8, 1 10; *M* 16, 912 914.
[5] In Luc. 1, 3; *M* 15, 1534. [6] De Spir. Sancto 1, 14, 150; *M* 16, 738
[7] In Luc. 8, 8; *M* 15, 1767.

„Vide mihi scribam iudaicum reddentem seriem veterum Scripturarum, sed non sequentem. Audis, quia labiis reddit, miraris ut doctum. Interrogas, quid sentiat, respondet secundum litteram, percurrit historiam. Superexaltatus tibi videtur et elevatus, si litteram cogites. Transi ad intellegentiam spiritualem, quia lex spiritualis est, vides illum nihil esse . . . littera enim occidit, Spiritus autem vivificat." [1] Doctrina, quam Scriptura tradit, „vel naturalis, vel mystica, vel moralis est. Naturalis in Genesi, in qua exprimitur, quomodo facta sunt caelum, maria, terrae, et quemadmodum mundus iste sit constitutus. Mystica in Levitico, in quo comprehenditur sacerdotale mysterium. Moralis in Deuteronomio, in quo secundum legis praeceptum vita humana formatur." In aliis libris hoc vel illud genus praevalet, sed in Psalmis omnia genera inveniuntur [2].

Ecclesia duos oculos habet, „unum, qui mystica videat, alterum, qui moralia, eo quod sancta ecclesia non solum moralium teneat disciplinam, sed etiam caelestis doceat secreta mysterii." [3] „Mysticus oculus acutior est, moralis dulcior." [4] Quantopere Ambrosius indulgeat mysticis et moralibus applicationibus in commentariis suis, notum est. Sed sive litteralem sive mysticum sensum exponit, docet non tam verba quam res esse considerandas. „In divinis Scripturis non verborum seriem, sed rerum pondus examinare debemus." [5]

Scit enim multas esse variantes lectiones, quae, etsi sensum non essentialiter mutant, tamen incertos nos reddunt, quibus verbis ipse sacer scriptor usus sit.

„Sensus ergo nobis spectandus est semper, quem etiam ipsum frequens translatio ex Hebraeo in Graecum, ex Graeco in Latinum attenuare consuevit." [6] Etsi „Septuaginta virorum sententias magis sequitur ecclesia" [7], non absolute huic textui fidendum, „quia potuit interpres vel antiquarius scriptor falli" [8]. Similia saepius repetit [9]. At in ipsa Scriptura, prout a sacro scriptore prodiit, nullus error esse potuit. „Ab hoc, qui evangelista esse meruit, vel neglegentiae vel mendacii suspicionem aequum est propulsari." [10] Etsi interdum secundum litteram videntur dissentire, „non discordant evangelistarum sententiae, quando concordat mysterium" [11]; nam „non est credibile adversantia sibi sanctos viros potuisse dicere" [12]. Christi „corpus sunt traditiones Scripturarum" [13], vel „fortasse vestimenta Verbi sermones sunt Scripturarum et quaedam intellectus indumenta divini" [14].

Itaque Scriptura errores non docet, sed diabolus, qui Scriptura abutitur, „quia satanas transfigurat se velut angelum lucis et de

---

[1] In Ps. 36, 80; *M* 14, 1007 sq.
[2] In Ps. 36, 1. 2; *M* 14, 965 sq; cf. In Luc., Prol. 2 sqq; *M* 15, 1529 sqq.
[3] In Ps. 118, sermo 16, n. 20; *M* 15, 1431.
[4] In Ps. 118, sermo 11, n. 7; *M* 15, 1351.
[5] In Luc. 8, 63; *M* 15, 1784. [6] In Ps. 37, 49; *M* 14, 1034.
[7] In Ps. 118, sermo 9, n. 13, *M* 15, 1325.
[8] In Ps. 118, sermo 3, n. 15; *M* 15, 1246.
[9] Cf. In Ps. 118, sermo 17, n. 35; *M* 15, 1451; sermo 22, n. 27; *M* 15, 1520.
[10] In Luc. 10, 171; *M* 15, 1846. [11] Ib. 10, 107; *M* 15; 1830.
[12] Ib. 3, 1; *M* 15, 1589. [13] Ib. 6, 33; *M* 15, 1677. [14] Ib. 7, 13; *M* 15, 1703.

Scripturis ipsis divinis saepe laqueum fidelibus parat. Sic haereticos facit, sic eviscerat fidem, sic iura pietatis impugnat“ [1]. Sed „nullus error, ubi simplex pietatis affectus atque omnis fidelis est sensus“ [2].

---

76. Ex iis, quae hucusque dicta sunt, efficitur in „Schola Alexandrina“ plura statuta esse de inspiratione, quae plane vera et catholica sunt. Sunt autem haec: 1. Tota Scriptura et partes eius omnes et singulae a Deo inspiratae ideoque non hominum sed Dei verba sunt. 2. Dicta Scripturae, utpote Dei dicta, ab errore sunt immunia. 3. Servilis litterae cultus reiciendus est, quia ad absurda ducit, e. g. Deo tribuens manus, pedes, vel vaticinia messianica de regno temporali explicans. 4. Sunt in Scriptura non metaphorae tantum et aliae locutiones impropriae, sed etiam typi seu prophetiae reales. 5. Saepe sensus Scripturae est occultus et difficilis neque sine Dei adiutorio humili oratione impetrando invenitur.

Peccavit vero Origenes exaggerando conceptum inspirationis, subiciendo singulis fere vocabulis significationes abstrusas et improbabiles, allegorizando omnia et ita verum sensum Scripturae in periculum vocando. Hi quidem defectus ab ipsis amicis Origenis partim iam correcti sunt, perfectum autem remedium habuerunt in „Schola Antiochena“.

ART. V.

DE SCHOLA ANTIOCHENA.

77. Sicut Alexandriae, ita Antiochiae in Syria schola instituta erat ad imbuendos Christianos solida doctrina, maxime in re exegetica. Eius fundator habetur *Lucianus* presbyter et martyr, qui novam recensionem versionis Septuaginta in lucem edidit [3].

Huius scholae sectatores impugnabant Origenis allegoricam interpretandi rationem, et praecipuum interpretis officium in eruendo litterali Scripturae sensu reponebant.

Insigne exemplum diversae methodi exegeticae harum duarum scholarum est **S. Eustathii Antiocheni** dissertatio de engastrimytho (ventriloqua 1 Rg 28, 5 sqq), quae est invectiva in Origenis exegesin.

Hic enim, „qui omnia Scripturae verba allegoriis exponere ausus est, hoc solum [apparitionem Samuelis] ad litteram tradere non erubescit. . . . Non horret fabulas appellare, quae Deus [in libro Genesis] creata perfecisse traditur, fidissimusque eius servus Moyses scriptis consignavit. . . . Verba en-

[1] Ib. 4, 26; *M* 15, 1619. [2] In Ps. 37, 6; *M* 14, 1012.

[3] Cf. *Ph. Hergenröther*, Die antiochenische Schule, Würzburg 1866, et *H. Kihn*, Die Bedeutung der antiochenischen Schule, Weissenburg 1866.

gastrimythi a Spiritu Sancto dictata contendens, ea, ut sibi videtur, adscribens Scripturae, vult immota permanere; divinis vero oraculis a Moyse traditis fabularum nomine insignitis sensum invertit, neque vult, ut quis traditioni litterae animum intendat. Nonne item ab Abraham puteos effossos aliaque ad eos pertinentia allegoriis exponit . . . licet ad haec usque tempora in regione illa oculis adhuc conspiciantur? Nonne Isaac et Rebeccae res gestas immutavit, inaures et armillas sermones esse aureos dicens . . . . Porro de Iob, qui multa passus est, commentarios edens, non admiratur tolerantiam, non extollit labores . . . sed haec omnia praetergressus, sublimi dicendi modo filiarum nominibus exponendis aniliter multa sane consumpsit. Verum quae de Diei nomine et Cassiae et Cornucopiae nugatus est, hic commemorare non convenit: multiplici namque scatent futilitate. . . . Quid inde opus est ultra progredi? Omnia, ut verbo expediam, allegoriis ex nominibus desumptis exponit, rerum argumenta de medio tollit, neque illud percipiens multas esse iustorum et iniustorum easdem denominationes, neque fieri posse, ut diversae vitae rationes sub uno nomine similiter diiudicentur. Est itaque Iudas proditor et alter Iudas apostolus. . . . Itaque futilitas levitasque sermonum Origenis non minus per hanc vaniloquentiam deprehenditur." [1]

Haec verba ostendunt, quanta vehementia adversarii contra Origenem pugnaverint. Cum hac autem tam vehementi impugnatione periculum iunctum erat, ne ex altera parte modum excederent et nimis facile omnia, quae non immediate ipsa littera Scripturae enuntiantur, negarent. Quod periculum quidam huius scholae asseclae utique non satis caverunt [2].

78. Inter hos eminet **Theodorus Mopsuestenus**, qui cum amico suo Ioanne Chrysostomo discipulus *Diodori Tarsensis* fuit. Sed cum Chrysostomus postea magistri sui theorias mitigaverit, Theodorus iis immoderate usus est.

Principalis species inspirationis secundum ipsum ea est, quam vocat propheticam. Inter prophetas autem insignis est David, qui in Psalmis plurima de futuris temporibus praedixit. Post eum diu nullus propheta fuit.

---

[1] De engastrimytho 21 22; *M* 18, 655 sq.

[2] *S. Methodius* et ipse quidem impugnat Origenem (cf. *M* 18, 267 290 sq 310 sq) et inculcat „Scripturae verba, prout iacent, esse exponenda. Neque enim periculo vacat subiecti textus verba, uti dictum est, omnino spernere, praesertim Genesis, ubi de condenda huius universitatis mole ac statuenda immobilia Dei feruntur oracula et decreta, quibus in hunc usque diem aptatus mundus suis sensim partibus perfecte dirigitur" (ib. 63). „Nihil in Scripturis Sacris contrarium est et absurdum" (ib. 275). Nihilominus monet: „Quoniam non decet inexploratam ac velut dimidia sua parte claudicantem explicationem doctrinae relinquere, age, anagogicum quoque litterali sensum velut alterum bigae animal reddamus, profundius hanc Scripturam speculando" (ib. 63). Revera saepe allegoricas expositiones satis longe petitas proponit. Quare ratione methodi exegeticae vix ad „Scholam Antiochenam" pertinere dicendus est. Ceteroqui paucissima de inspiratione habet, ut quod verba Scripturae tribuit Spiritui Sancto vel Verbo (cf. ib. 43 130 135 239 sq 406).

„Nam ex quo beatus David, sicut in superioribus dixi, cunctas, quae populo eventurae erant, rerum eversiones manifeste in Psalmis enarraverat, silentium intermedia tempora occupavit, quia scilicet nihil ab illo vaticinante praetermissum fuerat. Sed enim statim ac tempus adfuit, quo coeperunt adversa pati decem tribus . . . divina gratia, rebus iam instantibus, prophetas publice misit, primumque in his Oseam. . . . His ita se habentibus, prophetarum quoque vaticinia necessaria erant, quorum ope notum fieret poenas olim a Deo decretas atque a beato Davide praedictas nunc demum inflictum iri, arcana Dei providentia cunctas populi vices moderante." [1]

Inspirabantur autem prophetae non ad loquendum tantum, sed etiam ad scribendum, et quia non uno tempore mittebantur, sed saepius, prout necessitas exigebat, per intervalla quoque scripserunt. „Hinc exploratum fit, quod multoties diximus, non ad modum Scripturae uno tenore confectae prophetarum verba conscripta esse, sed ex intervallo dictata secundum tempora acceptarum revelationum, quarum instinctu ad populum necessario verba faciebant, divinas illuminationes sequentes." [2]

79. *Modum inspirationis propheticae explicat* secundum ea, quae apostolus docet de uno Spiritu, qui dividit singulis, prout vult (1 Cor 12, 6 8 11 et Eph 4, 13).

„Omnia scilicet ab uno Spiritu fieri confirmat, ceterum varias, prout res postulabat, facultates dari, quarum ope gravissimarum rerum notitiam excipiebant prophetae. Itaque *ecstasi* quidem, ut credibile est, ad sublimiorum rerum cognitionem parabantur. Oportebat enim eorum mentes a praesenti natura procul abesse, ut uni possent revelatarum rerum contemplationi vacare. . . . Num prophetae visiones tam terrificas et inenarrabiles percipere potuissent, nisi mentem antea, nempe sub ipsum visionis tempus, a terrenis abalienatam habuissent? . . . Iam vero in hac positis condicione interdum quidem tale magisterium exhibebat Sancti Spiritus gratia, ut sibi viderentur audire quodammodo aliquem loquentem eosque erudientem, et eo pacto imbuebantur rerum, quae opus erant, cognitione. . . . Interdum etiam post aliquam visionem sibi oblatam loquentis vocem audiebant." Rem illustrat exemplo Simonis Petri videntis linteum e caelo demissum et audientis vocem (Act 10, 10 sqq). Et concludit: „Haec res vocatur assumptio, quia gratia Spiritus quasi subito sumens mentem prophetae, eam ad revelationem eorum, quae ostenduntur, convertit." [3] Neque vero, ut ibidem notat, visio haec et auditio fiebat oculis et auribus corporeis, sed mere spiritualiter. Sermo et visio est interna vis, qua prophetae sibi videbantur audire vel videre, quae revelabantur. Vel ut alibi ait: „Visionem dicit pro divina revelatione, cuius ope illis contingebat, ut arcanorum scientiam consequerentur. Nam quia et theorias quasdam inenarrabiliter spirituali operatione in animam recipiebant prophetae, et etiam doctrinam futurarum rerum tamquam ab aliquo loquente audiebant secundum operationem a Sancto Spiritu ad eos pervenientem, idcirco et visionem dicit Scriptura et sermonem Domini,

[1] In Osee, Prooem.; *M* 66, 123 sq.
[2] Ib. c. 3, v. 1; *M* 66, 143.
[3] In Nahum 1, 1; *M* 66, 402.

immo etiam, ut mihi videtur, auditum, propterea quod spiritualis doctrinae notitiam ad instar auditionis cuiusdam recipiebant." [1]

In prophetia igitur sensus quiescunt, sed mens vigilat, et facultates spirituales elevantur ad altiorem cognitionem. Ita propheta interdum loquitur cum Deo et eum interrogat, „revelatione eum ad interrogandum impellente, ut edocendo via pandatur".

Responsum autem fit „non per vocem extrorsum allatam, sed vi revelationis in mente propria impressam. Sicut etiam beatus Petrus verba illa audiebat: ‚Surgens, Petre, occide et manduca.' Patet nimirum haud de caelis allapsam huiusmodi ad illum vocem; alioqui universum mundum implesset dictae rei notitia, sed in eo imprimebatur vox illa tamquam caelitus ad eum demissa." [2] „Constat enim quamlibet revelationem et res in ea visas, sive interrogando fit sive respondendo sive quomodolibet, haud aliter quam revelationis typo fieri, ut per haec omnia propheta edoctus, tum ipse futurorum eventuum firmam fidem conciperet atque aliis quoque utilitatem impertiretur." [3]

Neque solum intellectum, sed *etiam voluntatem prophetarum movet Spiritus Sanctus,* atque ita quidem, ut certo oboediant. Qua in re pugnat Theodorus contra alios expositores, qui censebant interdum prophetas defuisse muneri suo.

„Age vero, quod aiunt nonnulli Oziam regem a prophetis reprehensum non fuisse, cum sacerdotalia munera obire ausus est, atque ob eam causam propheticum spiritum cunctis esse subtractum, valde id mihi fabulosum videtur. . . . Est enim prophetarum perpetuus mos spiritualibus revelationibus obsequendi, sive ex earum instinctu loquendum sit sive tacendum, ita ut praeter illas neque dicant quidquam neque reticeant atque ab illis ne latum quidem unguem discedere soleant.". [4]

80. Itaque constat Theodorum non fuisse, quod doctrinam inspirationis attinet, eo sensu rationalistam, quo rationalistae recentes, qui ex omnibus veteribus exegetis solum fere Theodorum sibi placere significant, non ob aliam sane rationem, nisi quia Theodorus a Concilio V damnatus est. Theodorus admittit supernaturalem inspirationem, et alia quoque facta supernaturalia in Scriptura narrata litteraliter explicat et explicata defendit, ut historiam Ionae prophetae [5]. Verum quidem non est, quod ait, revelationem numquam fieri nisi pure spiritualiter; at haec opinio nihil commune habet cum rationalistis nostrorum temporum. *Cur igitur Theodorus damnatus est?* Ratio praeter ea, quae docuit de Verbo incarnato, est haec, quod de pluribus libris Veteris Testamenti valde audacter in malam partem iudicat, etsi de hac re Concilium nullos canones contra Theodorum statuit.

Imprimis *docet in quibusdam libris non apparere spiritum propheticum, sed solum donum prudentiae.* „His, quae pro doctrina ho-

[1] In Abdiam 1; *M* 66, 407.
[2] In Zach. 1, 9 10; *M* 66, 507 sq.
[3] Ib. v. 11 12; *M* 66, 510.
[4] In Amos, Prooem.; *M* 66, 246.
[5] In Ion. 2; *M* 66, 338.

minum scripta sunt, et Salomonis libri conumerandi sunt, id est, Proverbia et Ecclesiastica [Ecclesiastes?], quae ipse ex sua persona ad aliorum utilitatem composuit, cum prophetiae quidem gratiam non accepisset, prudentiae vero gratiam [sine ecstasi], quae evidenter altera est praeter illam secundum beati Pauli vocem" (1 Cor 13, 8 10). Ergo concedit quidem haec aliquo sensu posse dici inspirata, quatenus e speciali gratia processerunt, sed negat esse inspirata pleno illo sensu, quo scripta prophetica inspirata sunt. Peius vero est, quod vult scriptorem libri Iob esse hominem paganis fabulis addictum, qui ex vanae gloriae cupiditate pulchram historiam Iob a se in populi traditione inventam inconcinnis declamationibus turpaverit; porro Canticum Canticorum nihil esse nisi carmen nuptiale[1]. Haec et alia similia causa fuerunt, et quidem iusta, damnationis.

Notatu dignum est, quod Theodorus versionem Septuaginta valde praedicat et omnibus aliis praefert[2], et quod inculcat Scripturam non vocari sanctam propter litteras et characteres, sed propter prophetiam, quae ex revelatione Spiritus Sancti in ea continetur[3]. Expositionem ubique amplectitur litteralem, typos quidem non negat, sed restringit sicut et vaticinia messianica[4].

81. Vitia omnia exegetica, quae Theodoro obiciuntur, his verbis comprehendit **Leontius Byzantinus**:

„Non nisi debacchationes Scripturarum interpretationes, quas in eas composuit, appellare possum. . . . Quia parum ei erat cum hominibus certare, aggreditur et petit gloriam Spiritus, omnes ab eo inspiratas divinorum vatum Scripturas excelsas humiliter interpretans, et ex numero a Deo constituto sacrorum librorum [quosdam] eximens. Magnum Dei servum Iob . . . convicioše arguebat et Scripturam Spiritus Sancti de eo abrogabat, quam magnus Iacobus in Epistula sua catholica confirmans ait: Patientiam Iob audistis. . . . Ob quam causam, ut arbitror, ipsam Epistulam magni Iacobi et alias deinceps catholicas abrogat. . . . Inscriptiones hymnorum et psalmorum et canticorum penitus eiecit, et omnes Psalmos iudaice ad Zorobabelem et Ezechielem retulit, tres tantum ad Christum referens. Immo et sanctissimum sanctorum canticorum Canticum, ab omnibus divinarum rerum peritis et ab omnibus Christianis laudatum . . . secundum fornicariam suam opinionem et linguam ultra modum audax e sacris libris eximens abscidit. . . . Libros Paralipomenon, primum et secundum, malum malo addens, et Esdram, sicut supradictos, repudiavit."[5]

---

[1] *M* 66, 697; cf. *Kihn*, Theod. v. Mops. 61 sqq.

[2] In Sophon. 1; *M* 66, 451 sqq. [3] In Rom. 1; *M* 66, 787.

[4] Cf. *Kihn* l. c. 136 sqq.

[5] Contra Nestor. et Entych. 3, 7 sqq; *M* 86a, 1363 sqq. De Theodori fratre, qui similes opiniones habuit, sed magis moderatas, cf. *Bardenhewer*, Polychronius, Bischof von Apamea, Freiburg 1879.

Hac igitur ratione in Schola Antiochena ex animo impugnandi Alexandrinos nonnulli ultra limites veri excesserunt. At in hac ipsa Schola exstiterunt alii viri eximii, qui correxerunt, quod peccatum erat.

82. **Theodoretus Cyrensis**, qui iure maximus exegeta Scholae Antiochenae habetur, suam a Theodori diversam sententiam exponit in prooemio Commentarii in Canticum.

„Divinarum Scripturarum expositio cum animum purum atque ab omni macula alienum requirit, tum mentis oculos acres, qui et res divinas queant perspicere et in penetralia Spiritus ingredi audeant, tum linguam eiusmodi, quae menti inserviat eiusque sensum explicet pro dignitate.“ Ideo vult recurrere ad „orationem et preces, quarum praesidio potissimum egent ii, qui ad Sacrosanctae Scripturae cognitionem cupiunt pervenire. . . . Ceterum quia nonnulli eorum, qui Canticum canticorum calumniantur ac spiritualem esse librum negant, fabulas quasdam ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt . . . necessarium esse putavimus, ut in ipso interpretationis initio prius falsas ac perniciosas istorum opiniones confutemus. . . . Atqui debebant isti longe vel sapientia vel spiritu praestantiores quam se agnoscere sanctos Patres, qui librum hunc inter divinas Scripturas collocarunt eumque ut spiritualem canonizantes Ecclesia dignum censuerunt. Sed quid necesse est, recentioris memoriae Patrum auctoritatem adhibere, cum ipsius divini Spiritus uti liceat testimonio?“ qui scl. Esdram inspiraverit ad omnes libros sacros Veteris Testamenti restituendos, ut habetur in quarto libro Esdrae (14, 18 sqq). „Si igitur Esdras, nullo adiutus exemplari, sed divino Spiritu afflatus, haec ad omnium utilitatem conscripsit, qui fieri potest, optimi viri, ut liber hic argumentum illud contineat, quod affirmatis? Impudica enim scripta non a Spiritu divino, sed diabolico proficiscuntur. . . . Verum ne nobis tantum consulere, adversarios autem neglegere videamur, age, unde morbi occasionem arripuerint, investigemus. . . . Legentes, ut arbitror, hoc volumen et animadvertentes in eo unguenta et oscula . . . cum propriam divinae Scripturae consuetudinem ignorarent, noluerunt ingredi et litterae velum transilire atque intus Spiritum intueri ac revelata facie gloriam Domini contemplari, sed, quae dicta sunt, carnaliter intellegentes, in hanc blasphemiam prolapsi sunt. Oportebat autem eos considerare hunc esse etiam in Vetere Testamento divinae Scripturae morem, ut multa figurate dicat et sub aliis vocabulis alia significet. Nam cum de Babyloniae rege loqueretur . . . ‚aquila, inquit, grandis magnarum alarum, longa extensione, unguium plena, quae habet ductum intrandi in Libanum, abstulit electa cedri et summitates teneritudinis eius avulsit‘. Nec quisquam tamen umquam per aquilam aquilam, neque per Libanum Libanum, neque per cedrum cedrum intellexit; sed pro aquila, quae est regium animal, regem ipsum, pro alis autem magnis amplitudinem regni, pro unguium vero multitudine copias militum. . . . Verum necesse non est cuncta commemorare, quae per translationem divina dicit Scriptura. . . . Arbitror autem sapientem Salomonem a patre, utpote propheta, ac magno quidem propheta, edoctum haec conscripsisse. . . . Omissa igitur disputatione,

utrum [liber] prophetice scriptus sit an, quae a patre didicerat Salomo, ea litterarum monumentis mandarit, expositionem aggrediamur." [1]

Theodoretus igitur contra Theodorum defendit canonicitatem Cantici, et quamquam quaestionem, utrum Salomon propheta fuerit necne, discutere non vult, tamen plane statuit eius scripta esse πνευματικά, i. e. ex afflatu Spiritus Sancti conscripta.

83. *Quantum autem ponderis tribuat inspirationi Sancti Spiritus,* inde colligitur, quod cum exaggeratione dicit non multum referre, quis humanus scriptor hunc vel illum librum sacrum composuerit, cum omnes humani scriptores sint ministri Spiritus Sancti, principalis auctoris.

„Psalmos non omnes ipsius Davidis quidam esse dixerunt, sed quosdam aliorum. Unde et inscriptiones sic interpretati, alios Idithumo adscripserunt, alios Aethamo, nonnullos filiis Core et alios Asapho, quos etiam prophetas fuisse ex historia Paralipomenon didicerant. Ego autem de his nihil affirmo. Quam enim mihi utilitatem praebet, sive huius omnes, sive illorum nonnulli sint, cum manifestum sit omnes ex divini Spiritus operatione conscripsisse; et beatum enim David prophetam esse scimus, et illos prophetas Paralipomenon historia vocat. Est autem prophetae proprium linguam suam ministram exhibere gratiae Spiritus Sancti secundum illud Psalmorum dictum: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis." [2]

Quia Spiritus Sanctus est auctor principalis, *omnia Scripturae dicta et inter se consona et optima sunt, et redarguere velle Scripturam tamquam contraria docentem est blasphemia.* Condescendit tamen Deus ad hominum infirmitatem, et sic „Sacra Scriptura res docendas metiri consuevit ex discipulis, ac perfectis perfecta proponere, rudibus autem elementa et eorum facultati convenientia" [3]. Et „prout hominibus expedit, et pro captu audientium varias habet loquendi formas." [4] Sic explicantur anthropomorphismi in iis, quae de Deo dicuntur.

„In Scripturis autem propheticis quaedam clara sunt et nudum sensum habent, quaedam vero figurate dicta, quae interpretatione indigent." [5] Sed quomodocumque dicitur, „nihil temere dicitur a divino Spiritu" [6]. Hac ratione „divinae Scripturae documenta praestantiora sunt quam humanae ratiocinationes." [7] „Comparate igitur, viri carissimi, nugacitati philosophorum simplicem piscatorum doctrinam et perpendite discrimen, et multa milia vestrorum librorum recensentes, infirmitatem dictorum discite. Neque enim quisquam poëticos mythos neque philosophorum placita secutus est. Divinorum autem verborum et brevitatem admiramini et vim laudate et divinorum dogmatum veritatem discite." [8]

---

[1] In Cantic., Prooem.; *M* 81, 27 28 31 32 47.

[2] In Ps. praef.; *M* 80, 862. Alibi prophetas vocat „divini Spiritus instrumenta". In Dan. praef.; *M* 81, 1258 sq.

[3] Quaest. in Genes., praef. et q. 1; *M* 80, 75 78. Cf. Graec. affect. cur. sermo 5: *M* 83, 942.

[4] Quaest. in Genes. q. 52; *M* 80, 155. [5] In Is., Prooem.; *M* 81, 215 sq.

[6] In Cant. 4, 9; *M* 81, 178. [7] Graec. affect. cur. sermo 4; *M* 83, 923.

[8] Ib. sermo 5; *M* 83, 951.

„Nec sacrae vobis litterae contemnendae sunt, quod superfluo sermonis apparatu non utantur, sed nudam et emicantem veritatis pulchritudinem nobis proponant. Pronum siquidem fuit et facillimum sapientiae fonti, qui impiis quoque hominibus eloquentiam dedit, veritatis praecones reddere facundiores Platone et acriores Demosthene et graviores Thucydide. . . . Ceterum noluit ille quinque solum . . . aut ducentos homines aquis salutaribus recreari, sed gentes universas, tum Graecos tum barbaros, tum litterarum studiis enutritos, tum idiotas. . . . Eamque ob rem piscatorum, publicanorum, tentoriorum fabricatoris [Pauli] ministerio usus, impertiit hominibus salutarem et divinam doctrinam, linguas eorum, quas ab initio sortiti fuerant, non mutans, sed per eas effundens aquas limpidas et pellucidas. Similiter egit, atque si dominus epuli vinum fragrans et sapidum et optimum convivis apponat, infundens illud calicibus et phialis non ad elegantiam exsculptis. Verum illi, qui sitiunt, gustant liquorem, non curantes de calicibus, sed vinum admirantes. Sic omnes homines agere solent. Sacros igitur latices haurientes non solum non irrident apostolorum linguas, sed etiam valde admirantur, quod facundorum sermonum expertes prodierunt ilico divinorum eloquiorum ministri et caelestium donorum dispensatores et salutiferi malorum expulsores et clara luminaria illuminantia non unam gentem, sed quotquot sunt sub sole. Singulariter autem suspiciunt omnes et admirantur, quod etiam mortui ea peragunt, quae vivi facere solebant. . . . Horum namque scripta, graeco nitore carentia, tam pauca numero et exigua, cunctis hominibus carissima sunt.“ [1]

84. *Typos Veteris Testamenti* solet diligenter explicare, sed monet per sensum typicum non auferri veritatem historicam, sed doceri, quae fuerint praefigurata in historia [2]. Vaticinia varia, quae Theodorus solum *κατ' ἔκβασιν*, i. e. secundum quandam similitudinem eventuum, ad Christum pertinere vult, Theodoretus de ipso Christo explicat. Ita in Is 11, 10 ait: „Lacrimis digna est Iudaeorum stupiditas, qui hanc prophetiam Zorobabeli affingunt.“ [3] Item contra Theodori expositionem Ioel 2. 29 interpretatur directe de effusione Spiritus Sancti die pentecostes facta [4].

Sed haec et alia verae doctrinae capita uberius et magis ad captum populi exponuntur ab alio huius „Scholae“ doctore, qui simul maximus est inter oratores christianos.

85. **S. Ioannes Chrysostomus** [5] saepissime quidem de inspiratione Sacrae Scripturae loquitur, sed iuverit ab initio unum alterumve locum integrum apponere.

„Deus, humani generis conditor, ab initio per se ipsum hominibus loquebatur, eo modo, quo homines audire poterant. Sic enim ad Adam venit, sic

[1] Graec. affect. cur. sermo 8; *M* 83, 1007 sq.

[2] In Gal. 4, 21 sqq; *M* 82, 490. [3] *M* 81, 318. [4] *M* 81, 1654.

[5] Cf. *S. Haidacher*, Die Lehre des hl. Ioannes Chrysostomus über die Schriftinspiration, Salzburg 1897. Omitto „Synopsin Veteris et Novi Testamenti“ (*M* 56, 313 sqq), quae num vere Chrysostomi sit, valde incertum est, sicut alia „Synopsis“ immerito Athanasio tribuitur (*M* 28, 283 sqq).

Cain increpavit, sic cum Noe locutus est, sic apud Abraham hospitatus est. At ubi in malitiam magnam omne hominum genus prorupit, neque tunc totum ab hominum genere sese avertit opifex omnium. Sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum suam erga illos amicitiam innovare volens, quasi longe absentibus litteras mittit, conciliaturus sibi universam hominum naturam. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moyses. Quid igitur dicunt hae litterae? ‚In principio fecit Deus caelum et terram.' Considera in hoc, carissime, quam admirabilis et eximius sit iste propheta. Alii enim omnes prophetae ea dixerunt, quae vel multo post futura vel mox eventura erant. Beatus autem iste, post multas generationes ortus, a superna dextera ductus, illa dicere dignus habitus est, quae ante eius ortum ab omnium Domino facta sunt. Ideo et sic coepit dicere: ‚In principio fecit Deus caelum et terram'; quasi ad omnes nos clara voce clamans et dicens: Num ab hominibus doctus haec annuntio? Is ipse, qui haec, cum non essent, fecit, ut essent, linguam meam ad ista enarranda impulit. Neque igitur a Moyse haec audientes, sed ab ipso omnium Deo per Moysis linguam, sic dictis attendamus." [1]

86. *Neque in genere tantum vult, ut Scripturam quasi Dei epistulam ad nos datam consideremus, sed exhortatur, ut singulas voces cum ea reverentia tractemus, quae Dei verbo debeatur.*

„Audistis modo Scripturam dicentem: ‚Adae vero non inventus est adiutor similis illi.' Quid sibi vult brevis haec dictio Adae *vero?* Quare apponit coniunctionem (δέ)? Annon sufficiebat dicere: Adae? Non simpliciter haec discutere studemus ex superflua curiositate, sed ut diligenter omnia vobis interpretantes doceamus vos, ne brevem dictionem neve syllabam unam ex iis, quae in divina Scriptura dicuntur, praetercurratis. Neque enim sunt verba simpliciter, sed Sancti Spiritus verba, et ideo magnum thesaurum invenire licet etiam in una syllaba. Attendite igitur, quaeso, cum diligentia . . . perpendat unusquisque nos per prophetarum linguam audire Deum nobiscum colloquentem." [2]

In Scripturis Sacris „nihil scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias; quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt, ideo, utpote a Spiritu scriptae, ingentem in se continent thesaurum. . . . Neque enim syllaba neque unus apex est in Scriptura, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus. Proinde par est nos divina gratia ductos et a Spiritu Sancto illustratos eloquia divina adire" [3]. „Sunt homines quidam banausici, qui, postquam sacros libros in manus sumpserint, dein reppererint vel annorum numerum positum vel nominum recensionem, ilico praetercurrunt et incusantibus respondent: Nomina tantum sunt neque quidquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, et tu audes dicere: Nulla est dictorum utilitas?" [4]

Plane eadem ratione loquitur de libris Novi Testamenti. Commentans enim illa verba: „Modico vino utere . . ." (1 Tim 5, 23), dicit se de his simplicibus verbis sermonem facere non ad ostendendam facundiam suam; „non enim, quae dicuntur, nostra sunt, sed quae Spiritus gratia afflaverit, sed ut segniores ex auditoribus ex-

[1] In Gen. hom. 2, 2; *M* 53, 27 sq. [2] Ib. 15, 1; *M* 53, 119.
[3] Ib. 21, 1; *M* 53, 175. [4] In illud „Vidi Dominum" hom. 2, 2; *M* 56, 110.

citemus et persuadeamus, quantus sit thesaurus Scripturarum, et quod neque tutum sit neque sine periculo eas praetercurrere. . . . Igitur ne illas quidem, quae exiguae videntur, Scripturarum sententias praetercurramus. Nam et ipsae de Spiritus gratia sunt; Spiritus autem gratia numquam parva et vilis est, sed magna et mirabilis et dantis munificentia digna." [1]

Duabus homiliis Chrysostomus explicat Pauli salutationes in epistula ad Romanos (Rom 16, 3), „ut in Sacris Scripturis nihil supervacaneum esse intellegatis, nihil superfluum, etsi iota unum, etsi unus apex sit. Sed etiam simplex salutatio magnum pelagus nobis aperit sententiarum. Quid dico, simplex salutatio? Saepe etiam unius litterae additio integram sententiarum vim inducit. Hoc in Abrahae appellatione videre est. Quomodo enim non inconcinnum est, eum, qui ab amico epistulam acceperit, non corpus tantum epistulae legere, sed etiam salutationem in fine positam, et inde maxime scribentis affectum conicere, cum vero scribat Paulus, vel potius non Paulus, sed Spiritus gratia epistulam dictet ad integram civitatem ac tantum populum et per illos ad terrarum orbem universum, arbitrari aliquid eorum, quae in ea sunt, esse supervacaneum, et simpliciter praetercurrere neque cogitare sic omnia perverti?" [2]

87. Vivide sane et perspicue Chrysostomus his verbis suam de natura et extensione inspirationis sententiam explicat. *At insulse ageret, qui vellet rhetoricas dicendi formas ultra mensuram premere et Chrysostomo eam opinionem tribuere, qua censeretur Spiritus Sanctus scriptoribus sacris singulas voces, litteras, apices dictasse.* Sine dubio Chrysostomus sibi conscius erat nos ignorare, quibus apicibus Moyses usus esset, et bene scivit in versione graeca, qua unice utebatur, Moysis litteras apicesque minime inveniri. Revera omnibus illis locis, ex quibus illa verba excerpsimus, non litteras, non apices, sed res exponit, quae graphicis signis indicantur. Unde nihil aliud ex Chrysostomi dictis colligendum est nisi omnes res a scriptore sacro litteris consignatas esse dicta Spiritus Sancti eiusque nomine et auctoritate nobis proponi.

„Si fidem non habes prophetis, signa aperta et manifesta praebemus, quae maxime ostendunt eos fuisse a Deo inspiratos (θεοπνεύστους) nec quidquam nobis disseruisse, quod ex se afferrent, sed divina illa et supercaelesti gratia afflatos (ἐμπνευσθέντας). Omnia enim ab illis dicta impleta sunt et ad eventuum veritatem pervenerunt, seu vetera seu nova vis accipere. Nam et quae de Iudaeis a prophetis dicta sunt, omnia impleta sunt, quorum etiam exitus omnibus fuit manifestus, et quae de Christo in novo, quae maxime ostendunt divinam esse utramque Scripturam. Si vero divina, etiam vera sunt, quae in ea de Deo dicuntur." [3]

Inspiratio igitur omnium rerum in tota Scriptura et singulis eius partibus et particulis invenitur.

---

[1] Ad popul. Antioch. hom. 1, 1; *M* 49, 17 sqq.
[2] In illud „Salutate Priscillam et Aquilam" hom. 1, 1; *M* 51, 187.
[3] In Ps. 4, 11; *M* 55, 57.

Quando autem vult docere non res tantum, sed etiam voces esse inspiratas, hoc diserte effert Chrysostomus. Ita in 1 Thess 4, 14 ait: Paulus „omnia quidem Spiritu loquebatur, hoc autem, quod nunc dicit, etiam verbotenus *(ῥητῶς)* a Deo audivit“ [1]. Ergo reliqua non *ῥητῶς*. sed quoad res tantum.

Idem inde quoque manifestum fit, quod Chrysostomus effert *Scripturam factam esse obscuriorem per versionem.* Cur enim Vetus Testamentum obscurius est quam Novum?

„Non habemus nativo nostro idiomate scriptum apud nos Vetus Testamentum; sed alia quidem lingua compositum est, alia vero nos illud legendum habemus. Nam a principio hebraico conscriptum est idiomate, nos autem graeca lingua expressum accepimus. Cum vero in aliam linguam interpretatione translatum sit, maximam habet difficultatem. Atque hoc probe sciunt, quicumque multas linguas callent, fieri non posse, ut pari perspicuitate sententias omnes ex nativa sua lingua in aliam interpretando transferamus. Haec igitur causa difficultatis exsistit in Vetere Testamento.“ [2]

En, ubi manent singuli characteres et apices inspirati? Ineptum igitur est Chrysostomi verba in hunc sensum premere; nam de versione loquitur, quam habuit, non de scripto Moysis, quod non habuit. Versionem quidem Septuaginta pluris aestimat quam reliquas [3]; at vero eam usque ad singulas litteras et apices esse inspiratam nusquam significat.

88. *Alia praeterea exaggeratio vitanda est* in exponenda Chrysostomi doctrina. Interdum enim videtur divinum influxum ita augere, ut scriptores sacri quasi pura instrumenta libero arbitrio carentia appareant.

Quare psalmista ait: „*Eructavit* cor meum verbum bonum“ (Ps 44, 2)? „Quoniam eorum, quae dicebantur, nihil erat humanum, sed caelestia ac spiritualia erat narraturus, eaque non ex propria inventione, sed ex divina operatione, *eructationis* nomine hoc significavit. Eructamus enim non quando volumus; sermonem quidem hunc instituimus quando volumus, et loquimur et retinemus, eructationem autem non itidem. Ostendens itaque, quae dicuntur non esse humani studii, sed divinae inspirationis moventis ipsum, prophetiam vocavit eructationem.“ [4]

Videtur igitur excludere humanam cognitionem et voluntatem. Plane contrarium! Pergit enim post pauca:

„Hinc etiam aliud quid discimus, nempe *prophetas non fuisse sicut vates.* Illic enim daemon, quando animam invasit, orbat mentem et obscurat ratiocinationem, et ita illi omnia proferunt, mente non intellegente quidquam eorum, quae dicuntur, non aliter atque si tibia inanimata insonet. . . . At

---

[1] In 1 Thess. hom. 8, 1; *M* 62; 439; cf. in 1 Cor. hom. 19, 2; *M* 61, 154.

[2] De prophet. obscurit. sermo 2, 2; *M* 56, 178.

[3] In Matth. hom. 5, 2; *M* 57, 57.

[4] Opus non est amplecti hanc exegesin. Vox hebraea *rachash* significat exundare, i. e. ex abundantia mentis et affectus loqui.

Spiritus Sanctus non ita agit, sed sinit cor intellegere, quae dicuntur. Nisi enim intellegeret, quomodo diceret *verbum bonum?* Daemon enim, utpote hostis et inimicus, cum hominum natura bellum gerit; Spiritus Sanctus autem, utpote sollicitus et beneficus, eos, qui ipsum suscipiunt, cognitionis participes reddit et illis intellegentibus revelat, quae dicuntur." [1]

Eodem modo exponit 1 Cor 12, 2: Prophetis „omnia manifesta erant, et in illis prophetabant, ut ipsos decebat, cum intellegentia et omni libertate. Quapropter et loqui et non loqui erat in eorum potestate; neque enim necessitate tenebantur, sed libertate dignati erant. Ideo Ionas fugit, ideo Ezechiel distulit, ideo Ieremias recusabat. Deus autem non per necessitatem impellit eos, sed consiliis, exhortationibus, comminationibus utitur, non obscurans intellectum. Daemonis enim proprium est tumultum et insaniam creare et multam caliginem, Dei vero est illuminare et cum intellegentia docere, quae opus est" [2]. Itaque etiam haec multo rectius exponit Chrysostomus quam Theodorus Mopsuestenus.

89. Cum auctor proprius Scripturae sit Spiritus Sanctus, evidens est secundum Chrysostomum *in Scriptura nullos posse esse errores, nullas contradictiones.* Gentiles, Iudaei, haeretici „reprehendunt evangelistas tamquam inter se pugnantes et dissonantes. Atqui non ita res se habet, absit! sed, etsi diversae personae sunt, una tamen Spiritus gratia est, quae cuiusque animam movet. At ubi Spiritus gratia, ibi est caritas, gaudium, pax; bellum vero non est nec discordia nec pugna neque ulla contentio. . . . At nonne varia signa multi evangelistae diverso modo narrarunt? Sed aliud est diverso modo narrare, aliud contrario modo, siquidem illud nullam dissonantiam gignit aut pugnam." Illustrat rem illo exemplo, quod secundum alium evangelistam Christus ipse crucem suam portavit, secundum alium vero Simon ei crucem baiulavit; illud enim prius factum est, hoc postea. „Alia quoque multa eiusmodi ex evangeliis colligere licet, quae videntur suspicionem habere repugnantiae, sed nulla tamen est repugnantia, sed et quae ab hoc, et quae ab illo dicta sunt, evenerunt, tametsi non eadem hora, et unus primum illud dixit, alter illud secundum." [3]

Hac ratione explicanda sunt ea, quae Chrysostomus alibi dicit de utilitate diversitatis evangeliorum.

„Quid igitur? Nonne sufficiebat unus evangelista, qui omnia narraret? Sufficiebat quidem, sed, si quattuor sunt, qui scribunt, neque iisdem temporibus neque iisdem locis neque congressi et inter se collocuti, et tamen quasi ex uno ore omnia pronuntiant, maxima veritatis demonstratio haec est. Verum enimvero, inquis, prorsus contrarium accidit. Saepe enim dissentire convincuntur. Hoc ipsum autem maximum argumentum veritatis est. Nam si omnia accurate consonassent usque ad tempus et locum et ipsa verba, nemo ex inimicis credidisset eos non ex pacto et convento humano scripsisse, quae scripserunt; non enim ex simplicitate provenire talem consensum. Nunc vero apparens illa in parvis diversitas ab omni eos suspicione liberat et praeclara

[1] In Ps. 44, 1; *M* 55, 183 sq. [2] In 1 Cor. hom. 29, 2; *M* 61, 242.
[3] In paralyticum demissum per tectum 3 4; *M* 51, 53 sq.

apologia est rationis, qua scripserunt. Quodsi circa tempus et locum diversimode locuti sunt, hoc nihil nocet veritati dictorum. . . . Illud autem vos observare rogamus in capitalibus rebus, quae vitam nostram respiciunt et ad praedicationem pertinent, nullo modo quemquam eorum vel minimum dissentientem reperiri." Enumeratis praecipuis dogmatis: „Circa ista inveniemus magnam inter ipsos consonantiam."

Numquid igitur in solis rebus fidei et morum Chrysostomus tribuit Scripturae infallibilitatem, in reliquis autem admittit errores? Ita quidam concluserunt. At perperam. Quomodo enim dissonantiam evangelistarum intellegat, ipse exponit statim post verba modo citata.

„Si in miraculis non omnes omnia dixerunt, alius haec, alius illa, noli turbari, nam si unus omnia dixisset, superfluus esset reliquorum numerus. Sin omnes diversa et nova ab aliis scripsissent, non appareret argumentum consonantiae. . . . Tu vero, qui dissonantiam obicis, idem facis, ac si iuberes etiam eadem verba proferri et figuras loquendi. . . . Nam aliud est diverse loqui, aliud repugnantia dicere." Sed ea, quae dixerunt, coram amicis et inimicis legebantur, „neque quemquam quidquam dictorum scandalizavit, idque merito; nam divina virtus erat, quae omnia custodiebat et apud omnes dirigebat" [1]. Ergo secundum Chrysostomum diversitas evangeliorum in eo est, quod non omnes evangelistae easdem res, sed partim alias narrant, et quod easdem res non iisdem verbis referunt. Quare monet: „Non oportet simpliciter verba Scripturae proferre neque exscindere e serie sermonis neque avellere e contextu neque solitaria et nuda verba sumere sine auxilio eorum, quae praecedunt vel sequuntur, et ita calumniari et cavillari." [2] „Nemo dicat: Mentitur Scripturarum historia." [3]

90. *Praeter sensum litteralem etiam alium spiritualem Chrysostomus in multis dictis Scripturae admittit.*

„Alia enim accipienda sunt, ut dicta sunt, alia autem aliter, quam prae se ferunt, quemadmodum se habet in illo: ‚Lupus et oves simul pascentur' (Is 11, 6). Neque enim intellegimus lupos et oves nec paleas vel bovem vel taurum, sed mores hominum per similitudinem brutorum exprimimus. [Talia solet vocare allegorica.] Alia vero accipienda sunt dupliciter, ut et sensibilia intellegamus et spiritualia capiamus, quemadmodum in anagogia filii Abraham. Filium enim oblatum esse scimus, et aliud quid absconditum intellectu excerpimus per filium, crucem." [4]

Simul vero monet *non pro arbitrio sensum anagogicum seu typicum in Scripturam inferendum esse,* neque debere esse „expositionem violentam" [5]. Maxime illos typos admittit, qui in ipsa Scriptura explicantur, ut e. g. transitum maris rubri ut typum baptismi. Hunc

---

[1] In Matth. hom. 1, 2 4; *M* 57, 16 sqq.

[2] In illud „Domine, non est in homine" 3; *M* 56, 158.

[3] In Act. apost. hom. 22, 1; *M* 60, 171.

[4] In Ps. 46, 1; *M* 55, 209. Typica solent dici illa facta Veteris Testamenti, quae figurant Christum et ecclesiam, anagogica, quae sunt similitudo beatitudinis caelestis. Sed haec duo vocabula a Chrysostomo saepe promiscue sumuntur.

[5] „Non esse desperandum" 4; *M* 51, 367.

typum explicans theoriam typorum exponit. Sicut, inquit, imago hominis imperfecte repraesentat hominem, ita typus imperfecte repraesentat veritatem. Sic igitur transitus ille se habuit ad baptismum.

„Illic aqua et hic aqua, hic piscina et ibi pelagus, hic omnes in aquam ingrediuntur, item illic omnes. Secundum hoc affinitas. Vis demum discere colorum veritatem? Illic ab Aegypto per mare liberantur, hic ab idololatria; illic Pharao demergebatur, hic diabolus; illic Aegyptii praefocabantur, hic vetus homo peccatis onustus defoditur. Et vide cognationem figurae cum veritate et veritatis prae typo excellentiam. Neque enim omnino alienum oportet esse typum a veritate, alioqui enim typus non esset. Neque rursum par est exaequari typum veritati, alioqui ipse typus veritas esset. Sed in sua mensura maneat oportet neque omnia habeat, quae veritas habet, neque a toto excidat. Si enim totum haberet, ipsa veritas esset; si a toto excideret, non posset esse typus; sed oportet, ut partem habeat, partem veritati reservet. . . . Hoc enim maxime veritatis est: magnam habere prae typo excellentiam, non contrarietatem neque pugnam.“ [1] Itaque „si aliquid etiam oportet dicere anagogice, id non est recusandum. Alia enim possumus etiam contemplari [θεωρῆσαι; theoriam vocat typicam vel allegoricam expositionem]; alia vero ita sunt solum intellegenda, sicut dicta sunt [i. e. plane ad litteram]. . . . Alicubi vero et quod scriptum est, accipiendum est, et quod ex eo significatur, ut est illud: ‚Sicut Moyses exaltavit serpentem‘ (Io 3, 14). Nam et credendum est hoc factum esse (quia revera factum est), et simul quod eo significatur, in figuram Christi“ [2].

Contra allegoristas alexandrinos notat: Ex Scriptura discimus, „quando et quae allegorizare oporteat in Scripturis; neque nos sumus domini harum legum, sed debemus mentem Scripturae sequi et sic figura allegoriae uti. . . . Haec vero lex ubique in Scriptura servatur, ut, cum allegorice loquitur, allegoriae interpretationem afferat, ut ne infrenatus animus allegorizare volentium aberret et huc illuc feratur.“ [3]

91. Tandem quamquam valde praedicat, „quod Spiritus Sanctus tam multa administravit, ut eae [Scripturae Sacrae] custodirentur“ [4], tamen concedit multos libros Veteris Testamenti periisse [5]. Neque Chrysostomus is erat, qui solam Scripturam fontem fidei et regulam statueret; nam apostolis „non fuit studium in scribendo; multa enim traditione non scripta proposuerunt“ [6]. „Hinc est perspicuum, quod non omnia per epistulam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis. Aequaliter autem et illa et haec fide digna sunt. Itaque etiam ecclesiae traditionem fide dignam censeamus. Traditio est; nihil amplius quaere.“ [7]

---

[1] In illud „Nolo vos ignorare“ 4; *M* 51, 247 sq.
[2] In Ps. 9, 4; *M* 55, 126 sq.
[3] In Is. 5, 3; *M* 56, 60.
[4] In Hebr. hom. 8, 4; *M* 63, 74.
[5] In 1 Cor. hom. 7, 3; *M* 61, 58.
[6] In Act. hom. 1, 1; *M* 60, 15.
[7] In 2 Thess. hom. 4, 2; *M* 62, 488.

Tantum autem valuit Chrysostomi ingenium, ut posteriores Graeci in re exegetica omnes fere eius vestigia sequerentur; quo factum est, ut Chrysostomus post se venientibus mediam et rectam viam inter extremas Origenis et Theodori opiniones ostenderit.

92. **Isidorus Pelusiota** de Chrysostomo haec scribit: „Ioannes Byzantinae ecclesiae atque adeo ecclesiarum omnium oculus.“ [1] „Praeclarus et celebris Ioannes omnes superat.“ [2] „Quis est ex hominibus post ipsum natis, qui non gratiam habeat divinae providentiae, quod post ipsum natus sit?“ [3]

Quomodo ipse Isidorus cum Chrysostomo contra Theodorum sentiat, quibusdam exemplis videamus.

„Qui universum Vetus Testamentum ad Christum transferre conantur, reprehensione minime carent. Siquidem et gentilibus et haereticis illis, qui id repudiant, in sua adversum nos concertatione robur suppeditant. Nam dum ea, quae de ipso minime dicta sunt, per vim intorquent, hoc efficiunt, ut, quae de eo haudquaquam contorte dicta sunt, in suspicionem veniant.... Ego vero necessario utrumque contigisse aio, nempe nec cuncta de ipso dicta esse, nec rursum de eo nullum omnino sermonem habitum fuisse.“ [4] E. g. Ps 71, 17 ‚Ante solem permanet nomen eius‘ de Christo dicitur, etsi alia in eodem Psalmo de Salomone valent. „Ne igitur putemus simpliciter Dei sinceram sapientiam per prophetas futuram praesignificasse cognitionem, sed praesentibus futura contemperantes, neque si quid humile et abiectum divinoque Salvatoris in terras adventu indignum aut alienum audiverimus, omnino in ipsum dictum esse arbitremur. Sed neque magnifica illa et soli divinae maiestati convenientia de Salomone dicta esse existimemus, qui ne finem quidem vitae labe carentem sortitus est. Neque vim faciamus prophetiis, neque studio ad aequalitatem redigendi locos propheticos incidamus in scurriles verborum ineptias; sed rationabiliter et secundum historiam (καθ' ἱστορίαν) dicta intellegamus et secundum contemplationem (κατὰ θεωρίαν) prophetata accipiamus. Neque ea, quae manifeste historice dicta sunt, in theoriam per vim vertamus; neque ea, quae evidenter contemplanda sunt (τὰ θεωρηθῆναι ὀφείλοντα), in historiam coartemus, sed utrique generi convenientem et aptum sensum accommodemus. Si vero talis prophetia inveniatur, quae et historiam sine inconvenientia et theoriam sine vi servet, utenda est ipsa secundum utrumque modum.“ [5] De habitudine Scripturae ad Traditionem eodem modo loquitur atque Chrysostomus [6].

93. Placet hic meminisse viri eximii, qui, etsi non proprie ad „Scholam Antiochenam“ pertinet, similia principia docet et sequitur. S. Cyrillus

[1] L. 1, ep. 146; *M* 78, 287. [2] L. 2, ep. 42; *M* 78, 483.
[3] L. 4, ep. 224; *M* 78, 1318. [4] L. 2, ep. 195; *M* 78, 642.
[5] L. 4, ep. 203; *M* 78, 1290 sq. Quomodo „Antiocheni“ distinxerint theoriam et allegoriam, vide *Kihn*, Die Bedeutung der antioch. Schule 57 sq 125 sqq.
[6] L. 3, ep. 106; 78, 814.

Hierosolymitanus in catechesi quarta „brevi compendio summa necessariorum dogmatum capita percenset", quorum undecimum est „De divinis Scripturis" [1]. Postquam enim varios fidei articulos exposuit, ita pergit n. 23:

„Ista vero nos docent divinitus inspiratae Veteris et Novi Testamenti Scripturae. Unus est enim utriusque Testamenti Deus, qui Christum conspicuum factum in Novo praenuntiavit in Vetere, qui per legem et prophetas nos ad Christum paedagogi more perduxit. . . . Studiose quoque disce, et quidem ab ecclesia, qui sint Veteris Testamenti libri, qui vero Novi; neque mihi quidquam apocryphorum legas. Qui enim [catechumenus] ea, quae ab omnibus agnita (ὁμολογούμενα) sunt, nescis, quid circa dubia (ἀμφιβαλλόμενα) frustra fatigaris? Lege divinas Scripturas, viginti duos illos libros Veteris Testamenti, quos septuaginta duo interpretes transtulerunt." Narrata historia miraculosa huius interpretationis ait: „Ex Spiritu Sancto divinarum Scripturarum a Spiritu Sancto dictarum versio confecta est. Harum lege libros viginti duos, sed cum apocryphis nihil commune habe. Eos solos studiose meditare, quos etiam in ecclesia cum fiducia legimus. Multo te prudentiores et religiosiores erant apostoli et veteres episcopi, ecclesiae rectores, qui eos tradiderunt. Tu ergo, filius ecclesiae cum sis, noli leges transgredi."

Enumerat libros Veteris Testamenti eos, quos supra indicavimus (n. 21), etsi ordine nonnihil mutato. Scripta Novi Testamenti omnia enumerat praeter Apocalypsim [2].

94. *Auctor Scripturae est Spiritus Sanctus.*

„Quis est alius, qui cognoscat profunda Dei, nisi solus Spiritus Sanctus, qui divinas Scripturas elocutus est. . . . Quid igitur operose inquiris, quae ne Spiritus Sanctus quidem in Scripturis scripsit? Qui ea, quae scripta sunt, non nosti, in iis, quae scripta non sunt, occuparis? Multae quaestiones sunt in divinis Scripturis; quod scriptum est, non comprehendimus; quid in iis, quae scripta non sunt, occupamur?" [3] „Ipse Spiritus Sanctus elocutus est Scripturas, ipse de se ipso quoque dixit; quaecumque voluit, seu quaecumque capere potuimus. Dicamus ergo, quae ab ipso dicta sunt; nam quae ille non dixit, nos non audemus. . . . Ille et in prophetis, ille et in apostolis in Novo Testamento. Odio habeantur, qui Sancti Spiritus operationem separare audent. Unus Deus Pater, Veteris et Novi Testamenti Dominus; et unus Dominus Iesus Christus, qui in Vetere prophetatus est et in Novo advenit; et unus Spiritus Sanctus, qui per prophetas de Christo praedicavit et post adventum Christi descendit eumque demonstravit. Nemo igitur a Novo Testamento Vetus separet; nullus dicat alium ibi, alium hic Spiritum esse; alioquin offendet in ipsum Spiritum Sanctum, qui cum Patre et Filio honoratur." [4]

Cave autem, ne male intellegas Cyrillum monentem nihil de Trinitate dicendum, quod scriptum non sit. His enim verbis *non reicit Traditionem*, sed „illuminandos" exhortatur, ut simplici fide accipiant,

---

[1] *M* 33, 494 sqq.

[2] *M* 33, 494 sqq. Ceterum Cyrillus libris quoque deuterocanonicis utitur, ut ibidem p. 284 ostenditur.

[3] Catech. 11, 12; *M* 33, 706.

[4] Ib. 16, 2 3 4; *M* 33, 919 sq.

quae revelata sunt, neve noxia curiositate velint divina mysteria penetrare. Ab ecclesiastica Traditione recipiendos esse ipsos libros sacros diserte docet. Ex Traditione hausit, quae proponit de signo crucis, de exorcismis, de chrismate, de benedictionibus, alia similia [1].

95. *Distinguit Cyrillus inter litteralem expositionem Scripturae, quae sola ad argumentandum utilis sit, et „theoreticam exegesim", quae aedificationi serviat.* E. g. „Convenimus nunc non ad Scripturarum exegesim theoreticam faciendam, sed ad confirmandos nos circa ea, quae credidimus." [2] Multa vero, quae in Psalmis vel apud prophetas leguntur, litteraliter et directe de Christo dicta esse docet et ut argumenta certa contra Iudaeos adhibet.

Iudaei „suis ipsorum prophetis contraria sentiunt, qui in Scripturis divinis aiunt: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te"; et tamen Iudaei nolunt admittere Christum Filium Dei [3]. „Optimum fuerit eam Iudaeis interrogationem proponere: Veraxne sit Isaias propheta, dum ait Emmanuelem ex virgine nasciturum, an mendax? Si quidem illum ut mendacem criminentur, nihil mirum; mos enim illis prophetas non solum quasi mendaces insimulandi, sed et lapidibus opprimendi. Sin verax propheta fuerit, ostendite Emmanuelem", qui non potest esse alius nisi Iesus, filius Mariae [4]. Canticum canticorum litteraliter de Christo et ecclesia interpretandum esse censet [5]. Postquam ex Cantico inter alia de resurrectione Christi plura exposuit, ita concludit: „Quando vero inobsequentes Iudaeos non permovent divinae Scripturae, ipsique omnium, quae scripta sunt, obliti resurrectioni Iesu contradicunt, optimum fuerit sic eos affari: Qua ratione, cum Eliseum et Eliam mortuos excitasse asseratis, Salvatoris nostri resurrectioni obnitimini? . . . Atqui illud scriptum est. Et hoc quoque scriptum. Cur ergo alterum amplectimini, alterum vero reprobatis? Hebraei priora illa scripserunt; omnes quoque apostoli Hebraei fuerunt. Quidni ergo Iudaeis creditis? Matthaeus, qui evangelium scripsit, hebraica illud lingua conscripsit. Paulus praedicator Hebraeus ex Hebraeis, et duodecim apostoli Hebraei omnes. Deinde quindecim Hierosolymorum episcopi ex Hebraeis continua successione sunt constituti. Qua igitur ratione, dum vestra admittitis, nostra reicienda arbitramini, eaque ab Hebraeis vestri generis scripta?" [6]

Art. VI.

DE SCRIPTORIBUS GRAECIS POSTERIORUM SAECULORUM.

96. **S. Ioannes Damascenus** priorum doctorum dicta compendiose collegit. Testimonium huius rei maxime sunt „Sacra Parallela" [7], quae constant Sacrae Scripturae, Patrum aliorumque scriptorum dictis

---

[1] Cf. ib. 287 sqq. [2] Ib. 13, 9; *M* 33, 783 sq. [3] Ib. 7, 2; *M* 33, 606.
[4] Ib. 12, 2; *M* 33, 727; cf. ib. 21 sqq; *M* 33, 754 sqq.
[5] E. g. Catech. 14, 9 sqq; *M* 33, 834 sqq.
[6] Ib. 14, 15; *M* 33, 843 sq.
[7] Cf. *Karl Holl,* Die Sacra Parallela des Joh. von Damascus, Leipzig 1897.

de rebus imprimis moralibus. In hoc opere, quod ad nos non pervenit nisi mutilum, sub littera *θ* tit. III. testimonia proponuntur „de divinis oraculis, et quod ea audire et meditari oporteat“ [1].

Studium Sacrae Scripturae Damascenus valde commendat. „Unus atque idem Deus est, quem tum Vetus tum Novum Testamentum praedicat. . . . Per Spiritum igitur Sanctum et lex et prophetae et evangelistae et apostoli et pastores et doctores locuti sunt. Omnis igitur Scriptura divinitus inspirata est et valde utilis. Quapropter optimum est et animae maxime proficuum scrutari Scripturas. . . . Sciendum porro est viginti duos libros esse Veteris Testamenti [ut supra n. 21].“ Dicit postea additos esse libros Sapientiae et Ecclesiastici, non tamen pari honore habitos cum reliquis. In Novo Testamento nostrum sequitur canonem, sed addit: „Canones denique sanctorum apostolorum, per Clementem concinnati.“ [2]

„Laudabilis est Scripturarum perscrutatio. Sed hic diligenter animum attendite. Impossibile est, dilectissimi, mentiri Deum. Unus porro Deus est, unus Veteris et Novi Testamenti legislator, qui multifariam multisque modis olim locutus est patribus in prophetis, et in novissimis temporibus in Filio suo unigenito. Vestrum sensum adhibete. Non mea verba sunt, sed quae Spiritus Sanctus per sanctum apostolum effatus est.“ [3]

„Quia autem apostoli plurima nobis sine scriptis tradiderunt“ [4], ideo „eodem honore omne tum Vetus tum Novum Testamentum, et sanctorum et probatorum Patrum sermones prosequimur.“ [5] Unde saepe „Manichaeos“ vituperat, quod contra sacram Traditionem exponunt Scripturam.

Ceterum in naturam inspirationis non accuratius inquirit, sed solum discrimen indicat, quod inter veros et falsos prophetas intercedit. „Apostolus differentias ponit, et primam quidem hanc, hunc [verum] prophetam illuminatum a Spiritu ordinate loqui, pseudoprophetam vero furentem et obtenebratum a spiritu in eo inexsistente ad loquendum agi. Secundum autem est, quod propheta, quando Iesum vocat Deum, verus est; qui vero hoc non facit, sed anathematizat, mendax est.“ [6]

97. Cum posteriores theologi graeci doctrinam inspirationis non amplius expoliverint, sed Patrum dicta repetiverint, superfluum videtur longam eorum seriem texere. Ne igitur postea ad eos redeundum sit, iuverit hic, ordinem temporis anticipando, uno alterove exemplo posteriorum sententiam illustrare, idque imprimis verbis viri inter Graecos catholicos clarissimi.

Cardinalis **Bessarion** inter alia haec scribit:

In vertendis „sacris litteris non modo verba ipsa custodiri, sed ordo quoque verborum, quoad eius fieri potest, servari debet. Siquidem in Sacra Scriptura etiam ordo ipse verborum, ut Hieronymus ad Pammachium scribens inquit, mysterium est; periculosum est enim aliquid in ea mutare, nisi pro-

[1] *M* 96, 11 sqq. [2] De fide 4, 17; *M* 94, 1175 sqq.
[3] De imag. or. 1, 7; *M* 94, 1290. [4] De fide 4, 16; *M* 94, 1174.
[5] De imag. or. 2, 10; *M* 94, 1294, [6] In 1 Cor. 12, 2 3; *M* 95, 663.

prietas linguae, in quam fit translatio, tantam interim observantiam non patiatur. Tunc enim licet diversorum verborum ambitu eandem fideliter repraesentare sententiam. . . . Neminem praeterea latere debet sacros libros Veteris Novique Testamenti ab ipsis ecclesiae nascentis exordiis apud Latinos tum ex Hebraeo, ut veteres, tum e Graeco, ut et novos et veteres, per septuaginta interpretes editos fuisse longo ante Hieronymum tempore, trecentis scilicet et amplius annis. Qua editione sancta latina ecclesia tunc utebatur, eamque veteres sanctissimi doctores Cyprianus, Hilarius, Augustinus, Hieronymo coaetaneus, immo vero illo sene ipse iuvenis, exposuere. Multos praeterea fuisse sacrarum litterarum e Graeco in Latinum interpretes testatur Augustinus. . . Hanc tantum Scripturam multo post tempore superveniens Hieronymus, egregius doctor, denuo veterem ex hebraeo, novam e graeco fonte traduxit. Qua in re etsi multis praebuit latrandi contra se causam, multa tamen aliter, quam edita a prioribus fuerant, dictavit et, ut ipse dicit, emendavit atque correxit, nec ceteras solum Scripturae partes, sed ipsa quoque evangelia. . . . E quibus omnibus luce clarius apparet, liceatne et pium an nefas sit Sacram Scripturam ex alia translatam lingua ad originalis linguae, unde traducta est, veritatem reducere. Post haec memoria repetenda sunt, quae sancti doctores de profundo multiplicique Sacrarum Scripturarum intellectu edixerunt, quanta de varia eiusdem dicti expositione non modo sentiunt, verum etiam prae se ferunt, exponentes eas multiplicibus variisque sententiis. Hinc est, quod Sanctam Scripturam profundissimo comparant pelago, ex quo quantumlibet aquae haurias, plus tamen semper est, quod superest. Idcirco eam asserunt plures diversasque expositiones suscipere, omnes tamen veras. . . . Cum sacrum Ioannis evangelium Ioannes ipse apostolus et evangelista, Spiritus Sancti gratia plenus, graeco sermone scripserit, nulli dubium esse debet, quamlibet translationem, originali litterae minime respondentem, non rectam esse. . . ." [1]

Hisce Bessarion, etsi non directe de inspiratione disserit, perspicue manifestat SS. Patrum de natura sacrorum librorum Traditionem a posterioribus Graecis catholicis fideliter servatam esse.

98. Nec minus id valet *de Graecis schismaticis,* qui in hac quaestione a Latinis nullo modo recesserunt.

Photius, schismatis auctor, praeter alia de sacris litteris scripsit, ut ipse ait, trecenta capita (sunt in editione *Hergenröther* 324), quae dicuntur „Amphilochia", quia opus dedicatum fuit Ampuilochio Cyziceno, Photii amico. Continentur in hoc libro solutiones apparentium enantiophoniarum seu contradictionum Sacrae Scripturae. Veras enim contradictiones Photius non admittit.

„Quodsi forte aliquis Sancti Spiritus instinctu dicat, praedictas offensiones declinandi causa, plerasque earum, quae in divina Scriptura videntur, contradictiones inscitia malitiave eorum fieri, qui textus illos impugnant, id, inquam, recte admodum iusteque dicetur." [2] Nam Spiritus Sanctus est auctor

[1] In illud: Si eum volo manere Io 21, 22; *M* 161, 626 sq.
[2] Ad Amphil. q. 1; n. 11; *M* 101, 59.

eorum, quae in Scriptura leguntur. Et si e. g. Moyses loquitur, „potius communis omnium creator et legislator per ipsum loquitur“ [1]. Deus autem sibi non contradicit.

In interpretanda Scriptura non est sine ratione recedendum a sensu litterali, quemadmodum agunt allegoristae, qui e. g. in historia peccati originalis „tragoediam totam iuxta proprium propositum dividentes et exponentes mutaverunt in formas et conceptus, quales voluerunt, et negantes ea, quae vere facta sunt et in suis consequentiis usque nunc subsistunt et videntur, destruunt, et multorum aures delectabilibus et iucundis verbis alliciunt. . . . Sed hos habeat Origenes et Origenianus chorus. . . . Noster vero Gregorius theologus . . . contra Origenis opinionem homines convertere quam maxime studet“ [2].

Neque tamen ex altera parte litterae serviliter inhaerendum est. Hoc valet quoad multa praecepta veteris legis; nam „divus Moyses talia mandans praecise voluit significare non esse nudae locutioni litterae inhaerendum nec superficiali interpretationi acquiescendum . . . sapiens ille legislator aperte indicat, quod aliter littera apparenter suggerit, tamquam velamentum obductum absconditarum contemplationum, aliter Spiritus divina sapientia, in profundo abscondita, a qua et Iudaeorum et iudaizantium haereticorum multitudo deficiens nondum cessat magno et molesto errore circumagi“ [3]. „Cerne, sodes, quot in partes dividat et dispertiat divinam caelestemque adoptionis gratiam illa verborum, ut saepe diximus, inconsiderata observantia, et quod quidam nolunt in profundum veritatis descendere.“ [4] Cum S. Paulus dicat (1 Cor 9, 9) illa verba: ‚Non alligabis os bovi trituranti‘ (Dt 25, 4) non esse signum curae, quae sit Deo de bobus, ostendit, „quo pacto debeat sacrarum litterarum sensus investigari, neque pro obvia verborum notione, ubi recta ratio repugnat, in re praesertim facili, in errorem abduci. . . . Quare divi Pauli methodus . . . iis, qui radios sapientiae inde emicantis aspicere possunt, admirabile documentum esse potest, quomodo Spiritus Sancti dicta secundum Spiritum componenda sint“ [5]. Duplex igitur est interpretatio: „altera ad litteram vadit et per sensibilia dirigitur; altera vero potius ad theoriam vult sursum elevari. Illa igitur praevium iter parat, qua ratione ipsa locutio et sensus magis praevalet. . . . Quae vero ad theoriam potius spiritum attollit, haec vellet cum hortatione etiam praxim coniungere“ [6]. „Fons aquarum animae utilium ac salutarium sacra eloquia sunt, et quanto magis ea meditationibus fodimus, tanto copiosiores inde gratiae scaturiunt.“ [7] Et mutuo „sacrorum eloquiorum oracula sese interpretantur“ [8]. Sed etiam insistendum est orthodoxae traditioni, nisi quis velit omnia confundere [9].

99. Inter theologos schismaticos medii aevi eminet **Euthymius Zingabenus**, qui scripsit magnum opus, quo contra varios haereticos defendit

[1] Ad Amphil. q. 1, n. 3; *M* 101, 50.
[2] Ib. q. 70; *M* 101, 439.
[3] Ib. q. 113; *M* 101, 663 sq 670.
[4] Ib. q. 43, n. 5; *M* 101, 307.
[5] Ib. q. 30; *M* 101, 223 sqq.
[6] Ib. q. 49; *M* 101, 406 sq.
[7] Ib. q. 42; *M* 101, 295.
[8] Ib. q. 39; *M* 101, 271.
[9] Ib. q. 64; *M* 101, 423.

dogmata christiana, maxime de Trinitate et Incarnatione. Vocatur hoc opus „Panoplia dogmatica". Sub titulo 24 eundem esse docet Deum Veteris et Novi Testamenti.

„Si mali [dei] Vetus Testamentum, cur eius librum seu librum Isaiae prophetae accipere voluit is, qui ad malum evertendum venerat, eaque multis audientibus legere, quae de se praedicta fuerant? Neque vero solum legit, sed etiam testimonio suo comprobavit: Haec, inquiens, nunc expleta sunt in auribus vestris (Lc 4, 21). . . . Si malus antiquae legis est auctor, cur bonitatis fons ait: Scrutamini Scripturas, quoniam in ipsis invenietis vitam aeternam (Io 5, 39)? Quo quidem loco Moysis et aliorum prophetarum Scripturas intellegit." [1]

„Nisi ex divina inspiratione essent mosaica et prophetica scripta, quomodo Salvator iis, qui cum Cleopha erant, post resurrectionem suam inde reprehensionem infert, dicens: O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae" (Lc 24, 25 sqq) [2]. Multa talia colligit Euthymius ad ostendendum libros sacros et cetera instituta Novi et Veteris Testamenti eundem Deum habere auctorem.

Unde ad Spiritum Sanctum referendum est, quod scriptum sacrum longius vel brevius est.

„Longior [Psalmus nonus] est, ita disponente Sancti Spiritus sapientia, quae nec breves omnes Psalmos esse voluit neque omnes in longum extendit, sed opus quoddam varium reddidit, longitudine pigritiam excitans et brevitate laborem mitigans. . . . Sciendum autem est, quaedam in sacris litteris accipi debere secundum historiam, ut ea: In principio creavit Deus caelum et terram (Gn 1, 1); quaedam secundum sensum anagogicum solum, ut illud: Fons aquae tuus tibi sit uni (Prv 5, 18) . . . quaedam denique secundum historiam simul et anagogicum sonsum, ut ea, quae de aeneo serpente, quem erexit Moysis, traduntur. Nam et revera contigerunt et in typum Christi accipiuntur." [3]

Verba Psalmi (44): „Lingua mea calamus scribae velociter scribentis", sic interpretanda sunt: „Quemadmodum calamus scribentis manui inservit, et ille tantum movetur, quo manus illum impulerit, ita et lingua mea summo illi scribae, Sancto nimirum Spiritui, calami cuiusdam vicem praestat et eo tantum movetur, quo Spiritus eam direxerit." [4]

Sed quia omnia fere, quae Euthymius profert, apud S. Ioannem Chrysostomum leguntur, plura allegare superfluum est.

100. In *„Confessione orthodoxa"*, quae apud schismaticos maxima auctoritate fruitur, in interrogatione quarta haec leguntur:

„Oportet, ut orthodoxus Christianus teneat firmiter et sine ullo dubio, quod omnes articuli fidei orthodoxae et universalis ecclesiae sint traditi a Domino nostro Iesu Christo, idque mediantibus apostolis ecclesiae, quos oecu-

[1] Panoplia dogm. tit. 24; *M* 130, 1226. [2] Ib. 1231.
[3] In Ps. 9, 1; *M* 128, 139. [4] In Ps. 40, 2; *M* 128, 490.

menica concilia interpretata sunt et approbarunt, et ut credat, sicut praecipit apostolus dicens: ‚Itaque, fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistulam nostram'. . . . Ex quibus palam fit, quod articuli fidei habeant confirmationem et approbationem partim a Sacra Scriptura et partim a traditione ecclesiastica et a doctrina synodica sanctorum Patrum. Quod manifestum faciens Sanctus Dionysius sic dixit: Substantia eius, quae in nobis est, hierarchiae sunt verba divinitus tradita. Maxime autem veneranda verba ea dicimus, quae ab initiatoribus nostris divinitus inspiratis in hagiographis et theologicis Scripturis tradita sunt; dein et ea, quae ab illis sanctis viris . . . extra Scripturam duces nostri didicerunt. Itaque dogmata dupliciter se habent; alia tradit Scriptura, quae continentur in theologicis libris Sacrae Scripturae; et alia sunt dogmata tradita oraliter ab apostolis, et haec exponuntur a synodis et Sanctis Patribus. In his duobus fides fundata est." [1]

Eadem ratione nostra quoque aetate schismatici Scripturam inspiratam et traditionem apostolicam ut fundamentum fidei agnoscunt et praedicant [2].

ART. VII.

DE SCRIPTORIBUS SYRIACIS.

101. Non omnino praeterire licet doctores syros. Hi enim, etsi dissertationes de inspiratione Sacrae Scripturae non ediderunt, communem tamen ecclesiae fidem egregie testantur.

Ordiendum autem videtur a **S. Ephraem**, tum quia est maximus doctor Syrorum, tum quia sequitur principia exegetica Scholae Antiochenae, seu potius haec principia per Lucianum presbyterum e Schola Edessena, cuius praecipuum decus et ornamentum Ephraem est, Antiochiam transplantata sunt.

Valde commendare solet Ephraem studium Sacrae Scripturae. Ita ab initio sermonis de transfiguratione Christi [3]:

„Ex agro procedit messis gaudium, ex vinea fructus ciborum, et ex Scripturis doctrina vivifica. Ager ad unum tantum tempus messem praebet, et vinea ad tempus unam vindemiam; Scriptura vero semper, si legitur, edit doctrinam vivificam. Ager, si demessus est, cessat, vinea post vindemiam infirmata est; Scriptura vero, etsi cotidie demetitur, spicae tamen interpretum in ea numquam deficiunt. Et cotidie vindemiatur, et botri spei in ea repositae non deficiunt. Accedamus igitur ad hunc agrum, et sulcis eius vivificis fruamur, et ex eo spicas vitae, verba Domini nostri Iesu Christi, metamus." [4]

Episcopum mortuum laudat: „Mitis ut Moyses minavit gregem suum et Sacram Scripturam ut columnam ignis ante oculos eius posuit." [5] Et iterum:

---

[1] *Schelstrate*, Acta orientalis ecclesiae I, Romae 1739, 416 sq.

[2] Hoc quibusdam exemplis illustrat *F. Kattenbusch*, Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde, Freiburg 1892, 290 sqq.

[3] Cf. de hoc sermone *Pius Zingerle*, Ausgewählte Schriften des hl. Ephraem I, Kempten 1870, 231 sqq.

[4] *Ephraem*, Opera graece et latine II, Romae 1743, 41.

[5] Carm. funebre 1; Opera syriace III 225.

„Os utriusque Testamenti, exponens Spiritus Sancti libros, explicans vitam novam.“ [1] Monachos autem monet: „Multam vestram ad bonum propensionem considerantes et desiderium consummatae virtutis videntes, breviter exhortationem facere non recusavimus, ex ipsis Scripturis divinitus inspiratis argumenta cogitationum sumentes, simulque ipsa Scripturae testimonia ad plenam indubitatae fidei confirmationem apposuimus. . . . Finis pietatis propositus est credere secundum sanctas evangeliorum et ceterarum Sacrarum Scripturarum annuntiationes, dantes se ipsos ad omne opus bonum et ad omnem virtutis exercitationem.“ [2]

102. Quia *verba Scripturae sunt ipsius Christi et Spiritus Sancti verba,* is, qui negat doctrinam Scripturae, e. g. resurrectionem mortuorum, ipsum Christum et Spiritum Sanctum negat.

„Quo pacto audes, miser, contueri caelum? Et Christum a te violatum invocare? Qua fiducia, miser, te ipsum Christianum nuncupas? Christum sprevisti, Spiritum Sanctum contumelia affecisti. Quomodo te manifestabis apostolis et prophetis, miser, qui annuntiarunt nobis resurrectionem, et in omnes fines terrae? Quomodo iam ingredi audebis ecclesiam, ubi Isaias prophetа exclamat, dicens: Resurgent mortui? . . . Omnia in Vetere et in Novo Testamento scripta falsa sunt, quemadmodum dicis. . . . Vides, miser, quot sanctos mendaces impuro tuo ore feceris, neque sanctos tantum, sed et Dominum omnium sanctorum. . . . Clamat Dominus per prophetas et per apostolos et per evangelica, et ex multis pauci attendunt. . . . Vae iis, qui contumelia afficiunt Scripturas Sacras!“ [3] Sed illi, „qui puro mentis oculo Scripturas legunt vel eas attente audiunt, sensum verborum earum assequuntur“ [4].

103. *Libros historicos historice esse interpretandos,* contra Origenistas inculcat. In illa verba: „In principio creavit Deus caelum et terram“ haec notat:

„Nemo in opificio sex dierum allegoricas interpretationes quaerendas esse contendat. Sed neque fas est . . . existimare ea nomina esse sine rebus, aut non ipsas res, quas illa proprie significant, designare, sed alias. Immo vero sicut caelum et terram in principio creata fuisse legentes, intellegimus eadem fuisse verum caelum et veram terram, neque aliud quidpiam his vocabulis significari, ita reliquas etiam rerum ordinationes et opera, quae secuta sunt, adeo vanas appellationes non esse credamus oportet, ut rerum naturas nominum proprietati planissime consentire fateamur.“ [5]

Contra vero *anthropomorphicae locutiones de Deo dictae tropice intellegendae sunt.* Distinguere enim oportet, utrum Deus velit naturam suam nobis explicare, an suam erga homines misericordiam manifestare. Si Spiritus Sanctus loquens de dolore suo ob hominum casum voluit de divina essentia sua loqui, naturam suam accusavit, id quod admitti nequit, „cum certum sit eam nulli aegritudini perturbationi-

---

[1] Carm. 11; ib. 241. [2] Institutio ad monachos; Opera graece III 325.
[3] De resurrectione mortuorum; Opera graece III 128 sqq.
[4] In Is. 26, 10; Opera syriace II 344. [5] In Gen. 1, 1; Opera syriace I 6.

que obnoxiam esse. Sed scribens mortalibus, ne ipsum contristarent, prudenti arte [locutionis metaphoricae] usus est ad insinuandum velle se ea, quae sibi attribuebat, misericorditer in nos refundere", i. e. efficere, ut nos peccata detestemur [1].

Multa quoque praecepta mosaica praeter sensum litteralem habent significationem mysticam.

„Exercitium purarum virtutum solum commendans, beatus Moyses figurali lege ostendit non debere animum duplici sententiae obsequi, bonae et malae, sed bonae tantum, neque debere nos duplices fructus in nobis colere, bonos et malos, sed unice utilibus operam dare, a malis vero plane abstinere. Ait autem per aenigma (Dt 22, 10 11): Non iunges in area tua diversi generis animalia, veluti bovem et asinum, sed generis eiusdem iungens triturabis messem tuam. Hoc est, ne in area cordis tui virtus et pravitas in unum operationem exerceant, sed sola virtus." Similiter ibidem alia in eundem sensum explicat [2]. Sic saepe expositioni litterali appendit „allegoriam", i. e. moralem applicationem, e. g. in 1 Reg. 8 [3].

104. Maxime vero *typicum sensum saepe effert.* Ita in Is 9 ait:

Propheta „tempora indicat Taglatphalasaris, qui decem tribuum captivitatem primus inchoavit, atque Salmanasaris, qui eam consummavit. . . . Significat propheta Israelitas ultra Iordanem habitantes cum universa Galilaea gentium in alienas terras transmigraturos. . . . Hoc vaticinium in Domino completum est, qui in Galilaea, regione praedictis tribubus attributa, coepit promulgare salutis evangelium suamque doctrinam miraculis et signis confirmare. . . . Tametsi quae hoc loco leguntur, nonnulla ad Ezechiam pertineant, sunt tamen multa, quae in illum nullo modo quadrant, sed et illa ipsa, quae ad Ezechiam referri possent, iuxta arcanum et mysticum sensum ad illius Dominum ex eiusdem stirpe nasciturum traducenda sunt." [4]

In hymno nono de ecclesia legimus: „Testamentum Moysi evangelium exspectabat. Vetus velut alis translatum requievit in Novo Testamento. Prophetae effuderunt in Christum praeclaras suas figuras; sacerdotes et reges mirabiles suos typos, ea omnia in omnem eius personam effuderunt. . . . Et si adeo obcaecati forent, ut dicerent typos et figuras Scripturarum illi, qui venturus est, reservari, pudore publice afficerentur, cum Christus iam venerit." [5] Alibi Christum alloquitur: „Figuras sparsas collegisti e libro legis ad depingendam puchritudinem tuam, et protulisti effigies in evangelio tuo datas simulque virtutes et signa in natura exsistentia; miscuisti colores ad depingendam imaginem tuam. Te considerasti et depinxisti. O pictor! quo etiam Pater depictus est: duo, unus ab altero, depicti sunt." [6]

105. **Aphraates** episcopus, aliud lumen ecclesiae syriacae, eadem fere ratione, qua S. Ephraem, utitur Sacra Scriptura. Atque pleni

[1] Adversus haereses sermo 31; Opera syriace II 509 sq.
[2] Instit. ad monach.; Opera graece III 331. [3] Opera syriace I 463.
[4] Opera syriace II 35 sq.
[5] Hymni et Sermones; Ed. *Lamy* IV, Mechliniae 1902, 498.
[6] Ib. hym. 28; 588.

quidem sunt sermones eius testimoniorum biblicorum, in quibus explicandis fideliter sensui litterali inhaeret. Sed theoreticas expositiones de dignitate Scripturae paucissimas habet.

Ait e. g.: „Quicumque Scripturas Sacras cum priores tum posteriores in utroque Testamento legit, erudiri cupiens, hic discit et docere potest. Si vero de iis, quae non valet intellegere, iurgium committat, ipsius animus disciplinam non recipit. Si igitur quaestiones reppererit suis viribus sublimiores, quarum significationes non percepit, ita dicat: Quaecumque scripta sunt, optime scripta sunt; at eorum intellegentiam assequi nequeo.... Simile est enim verbum Dei margaritae; sub qualibet inspectatione eam convertas, iucundam praebet speciem. Recordare, o discipule, quid dicat David: Ab omnibus praeceptoribus meis edoctus sum (Ps 118, 99). Et rursum apostolus ait: Omnem Scripturam, quae in Spiritu Dei est, lege (2 Tim 3, 16). Proba omnia; quod bonum est, tene, et omne, quod malum est, fuge (1 Thess 5, 21 22). Si enim vita hominis per spatium omnium dierum mundi, ab Adam usque ad consummationem temporum prolataretur, et sedens Scripturas sanctas meditaretur, totam intellegentiam altitudinis verborum non contingeret. Ut in decimo sermone scripsi, Dei sapientiam nemo potest assequi. . . . Haec pro parvitate mea scripsi . . . discipulus Scripturarum Sanctarum.“ [1] „Verba autem nostra audientibus utilitatem proferent, quia nihil contrarium legi vobis scripsimus nec furtivum thesaurum ad vos misimus, sed de semine et conspersione Scripturarum Sanctarum.“ [2] Ceterum „Scripturas Dei discere ac legere non sufficit, sed ipsas oportet efficere.“ [3]

Dedit quidem Deus legem Moysi „misitque de Spiritu suo in prophetas“ [4]. Nihilominus deficientes erant lex et prophetae.

„In quo vero deficiebant lex et prophetae, ut adimpleri deberent? nisi quod absconditum manebat in iis Testamentum, quod est ipsum promissionis verbum. Non enim obsignatum fuit Testamentum illud Moysi datum, donec veniret hoc Testamentum posterius, quod et prius est, quodque ante promissum posterius consignatum fuit, mortuo illo, qui Testamentum protulerat, et confirmata sunt duo Testamenta, fecit utraque unum, et legem praeceptorum mandatis suis abrogavit.“ [5]

Ideo Aphraates saepe ostendit, quomodo vaticinia et typi veteris legis in Christo impleta sint [6].

106. Multum nocuerunt ecclesiae syriacae bella cum externa tum interna. Haereses Nestorianismi et Monophysitismi eam laceraverunt, bella vero inter Romanos et Persas gesta malis mala cumulaverunt. Unde factum est, ut Schola Edessena mox periret; Nisibi quidem similis Schola diutius perseveravit, sed haec sedes erat Nestorianismi. Nihilominus circa dogma inspirationis et Nestoriani et Monophysitae cum Catholicis consentiebant. Quare sufficit singula ex hac et illa haeresi exempla proponere.

---

[1] *Aphraatis* Demonstrationes; Ed. *J. Parisot,* Parisiis 1894, demonstr. 22, 1046 sq.
[2] Demonstr. 14, 718. [3] Ib. 14, 654. [4] Ib. 1, 43. [5] Ib. 2, 58.
[6] Cf. p. 15 sqq 515 sqq 778 sqq 803 sqq.

Iacobus Sarugensis, Batuarum episcopus, monophysita (de cuius orthodoxia aut heterodoxia olim multum disputatum est), sententiam suam satis indicat in homilia „De velamine super faciem Moysis posito".

„Velamen super faciem Moysis positum significat occultos esse sermones propheticos. Ideo velavit Dominus faciem Moysis, ut esset typus prophetiae velatae. Pater possedit Filium in abscondito, cuius notitiam mundo annuntiare et per prophetias de Dilecto suo loqui volebat. Velavit igitur Moysen, ut esset figura prophetiae, et ut omnis propheta, qui in terra ad loquendum prodiret, non ignoraret verba sua audientibus esse velata, et mysterium latere in sermonibus suis, quod capere non possent nisi initiati. Quare in prophetia clamabat: Mysterium habeo, mysterium habeo! ut mundus perciperet in prophetia mysteria esse eiusque dicta et facta esse velata. Res ita docet, ut simul abscondat, ne cognoscantur. Aenigmata facit et mysteriose loquitur, ne mundus Filium Dei clare cognoscat. Nam populus, qui iam tum simulacra deorum multiplicabat et terram idolis replebat, cum nesciebat Deo esse Filium, quanto magis idololatriae serviisset, si de abscondito Dei Filio nuntium accepisset. Haec ei occasio fuisset multiplicandi in terra idola. Hanc autem occasionem Pater dare noluit, sed cotidie clamabat: Unus solus est Dominus, unus solus est Dominus! Filius autem eius interea a prophetis annuntiabatur, per aegnimata et similitudines de eo loquentibus. Velato et occulto modo prophetae a Spiritu inspirati occultum Filium mundo annuntiabant. Velamen illud super faciem Moysis etiam super verba eorum extendebatur, quando de Unigenito loquebantur. Splendor Moysis erat Christus, qui in eo fulgebat; sed coram Hebraeis velabatur, ne eum viderent. . . . Hoc velamen ablatum est per Dominum nostrum Iesum Christum, qui toti mundo mysteria explicavit. . . . Venit Novum Testamentum et illuminavit Vetus; iam mundus verba sine velamine intellegit." Antequam Christus veniret, Moyses occulte locutus est de futuris nuptiis Christi cum ecclesia (Gn 2, 23 24). Sed post nuptias factas „processit Paulus, vidit velamen, abstulit a speciosis illis [Christo et ecclesia], manifestavit et ostendit toti mundo Christum et ecclesiam esse eos, quos Moyses in spiritu prophetico figuraverat. Exclamavit apostolus, vehementer inspiratus: Hoc est mysterium magnum (Eph 5, 32). Coepit monstrare, quos figura illa velata repraesentaret, quae in prophetia vir et mulier appellabatur. Ego scio, inquit, esse Christum et ecclesiam, qui ex duobus unum facti sunt." [1]

107. In Schola Nisibena praevalebat Nestorianismus. Praecipuus doctor habebatur Theodorus Mopsuestenus, cui qui contradiceret, esset haereticus. Ex hac Schola pervenit ad nos tractatus quidam de Sacra Scriptura, qui inscribitur „Instituta regularia divinae legis". Quem tractatum latine edidit **Iunilius Africanus** et dedicavit Primasio episcopo. Ait se accepisse has „regulas" a Paulo quodam, qui in Syrorum Schola in urbe Nisibi docuerit. Constat tractatus duobus libris,

[1] Homilia de velamine ante faciem Moysis; *Bickell*, Ausgewählte Schriften der griechischen Kirchenväter, Kempten 1872, 260 sqq.

qui in titulos subdividuntur, et quaestionibus et responsis absolvuntur. Omissis quaestionibus quaedam ex responsis excerpo.

Libri Sacrae Scripturae dividuntur in libros historicos, propheticos, proverbiales, simpliciter doctrinales. In *libris historicis* habetur „praeteritarum rerum praesentiumve narratio“. Sunt autem Pentateuchus, Iudicum, Ruth, Regum, Evangeliorum, Actuum. At Paralipomenon, Iob, Tobiae, Esdrae, Iudith, Esther, Machabaeorum libri duo, etsi a quibusdam adiunguntur, „non inter canonicas Scripturas currunt, quoniam apud Hebraeos quoque super haec differentia recipiebantur“. „Cum ipse Moyses dicit: ‚In principio factum coelum et terram‘, prophetico quidem spiritu dicit, sed specie narrat historica.“

„*Prophetia* est rerum latentium praeteritarum aut praesentium aut futurarum ex divina inspiratione manifestatio.“ Prophetici libri sunt Psalmorum, Oseae, Isaiae, Ioel, Amos, Abdiae, Ionae, Michaeae, Nahum, Habacuc, Sophoniae, Ieremiae, Ezechiel, Daniel, Aggaei, Zachariae, Malachiae. „Ceterum de Ioannis Apocalypsi apud Orientales admodum dubitatur. „*Proverbialis species* est quaedam figurata locutio, aliud sonans, aliud sentiens, et in praesenti commonens tempore.“ Haec species invenitur in Proverbiis Salomonis et in libro Iesu, filii Sirach. „Adiungunt quidam librum, qui vocatur Sapientiae, et Cantica canticorum.“ In hac tantum specie „licitum nobis est non textum Scripturae ipsius considerare, sed sensum, cum in ceteris tribus ita allegoriam mystice admittamus, ut narrationis fidem praesentare necesse sit, quia, si voluerimus praeter proverbialem speciem ubique allegoriam sic recipere, ut narrationis veritas infirmetur, locum damus inimicis, prout voluerint divinos libros interpretari.“ Allegoria quadruplex est: Metaphora, ut „Deus iratus est et descendit“; Parabola, quales multae sunt in evangeliis; Comparatio, ut „Simile est regnum caelorum grano sinapis“; Proverbia. „*Simplex doctrina* est, qua de fide aut de moribus in praesenti tempore simpliciter odocemur“ sine historia, prophetia, proverbiis. Tales libri sunt Ecclesiastes, epistolae 14 beati Pauli, beati Petri prima, beati Ioannis prima. „Adiungunt quam plurimi quinque alias, quae apostolorum canonicae nuncupantur, i. e. Iacobi una, Petri secunda, Iudae una, Ioannis duae.“

108. „*Divinorum librorum auctoritas* ita consideratur: Quaedam perfectae auctoritatis sunt, quaedam mediae, quaedam nullius. Perfectae sunt auctoritatis, quae canonica in singulis speciebus absolute numeravimus; mediae, quae adiungi a pluribus diximus; nullius auctoritatis sunt reliqua omnia.“ Qui sint librorum scriptores, partim ex ipsis libris, partim ex traditione discimus. „Sciendum praeterea, quod quorundam librorum penitus ignorantur auctores... quod ideo credendum est divinitus dispensatum, ut alii quoque *divini libri non auctorum merito, sed Sancti Spiritus gratia tantum culmen auctoritatis obtinuisse noscantur.*“ [1]

In Scriptura multi habentur typi.

„Typus sive figura est praesentium aut praeteritarum aut futurarum rerum ignotarum per opera, secundum id quod opera sunt, manifestatio.... In prophetia verbis. secundum hoc quod verba sunt, futura significantur; in typis

[1] L. 1, c. 1 sqq; Ed. *Kihn*, Freiburg 1880, 471 sqq; cf. ib. 215.

autem res declarantur ex rebus. Possunt tamen haec duo ita definitione misceri, ut dicamus, quia prophetia est typus in verbis, secundum id quod verba sunt, et contra typus prophetia est in rebus, in quantum res esse noscuntur." [1]

„*Libros religionis nostrae divina esse inspiratione conscriptos* probamus ex multis, quorum prima est ipsius Scripturae veritas, deinde ordo rerum, consonantia praeceptorum, modus locutionis sine ambitu, puritasque verborum. Additur conscribentium et praedicantium qualitas, quod divina homines, excelsa viles, infacundi subtilia non nisi divino repleti Spiritu tradidissent; tum praedicationis virtus, quae mundum, licet a paucis despectis praedicaretur, obtinuit. Accedunt his testificatio contrariorum, ut Sibyllarum vel philosophorum, expulsio adversariorum, utilitas consequentium, exitus eorum, quae per acceptiones et figuras praedictionesque praedicta sunt; ad postremum miracula iugiter facta, donec Scriptura susciperetur a gentibus, de qua hoc nunc maxime ad miraculum sufficit, quod ab omnibus suscepta cognoscitur." [2]

Maxime in iis, quae Iunilius, vel potius Paulus, de canone disserit, Theodorus Mopsuestenus loquens percipitur. Ceterum haec „Instituta regularia" medio aevo fuerunt in usu frequenti tamquam utilis quaedam in Sacram Scripturam introductio [3].

ART. VIII.

DE POSTERIORIBUS PATRIBUS LATINIS.

109. Vinculum quoddam uniens Orientem cum Occidente est **S. Hieronymus** [4], qui hebraicarum, graecarum, latinarum litterarum erat peritissimus et multos thesauros spirituales ab Orientalibus ad Latinos et a Latinis ad Orientales transtulit. Maxima eius laus est in versione et interpretatione Sacrae Scripturae.

Scripturae diligens studium omnibus commendare solet. Nepotiano scribit: „Divinas Scripturas saepius lege, immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur." [5] Ad Eustochium virginem: „Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat." [6]

Laetam matronam docet Paulam filiam ita educare, ut eam „nusquam alibi reperiant nisi in adyto Scripturarum, prophetas et apostolos de spiritualibus nuptiis sciscitantem. . . . Reddat tibi pensum cotidie de Scripturarum floribus carptum. . . . Pro gemmis et serico divinos codices amet. . . . Discat primo Psalterium, his se canticis avocet, et in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat, quae mundi sunt, calcare. In Iob virtutis et patientiae exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. . . . Caveat omnino apocrypha." [7] Ratio autem, cur adeo commendandum sit Scripturae studium, haec est, quod „in Sanctarum Scripturarum testimoniis cotidie credentibus loquitur Deus" [8].

---

[1] L. 2, c. 16; 509 sq. [2] L. 2, c. 28; 527.
[3] Cf. *Kihn*, Theod. von Mops. und Iunilius Afric. 314 sqq.
[4] Cf. *L. Sanders*, Etudes sur S. Jérome, Bruxelles 1903, 121 sqq.
[5] Epist. 52, 7; *M* 22, 533. [6] Ib. 22, 17; *M* 22, 404.
[7] Ib. 107, 7 9 12; *M* 22, 874 sqq. [8] Ib. 133, 13; *M* 22, 1160.

Quare iis, qui ipsi emendationem Scripturae obiciebant, respondere se ait: „Non adeo me hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim, aut non *divinitus inspiratum,* sed latinorum codicum vitiositatem, quae ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad graecam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare.“ [1] „Omnes historiae Scripturarum, quas in terra gestas Spiritus Sanctus enumerat.“ [2] „Scripturae a Spiritu Sancto conscriptae sunt et editae.“ [3] *Quia ab uno Spiritu ut principali auctore conscripta, tota Scriptura, non obstante multiplicitate humanorum scriptorum, unus liber est.* Ideo Apc 5, 1 sqq sermo est de uno libro, quem leo de tribu Iuda aperuit. „Leo autem de tribu Iuda Dominus Iesus Christus est, qui solvit signacula libri, non proprie unius, ut multi putant, Psalmorum David, sed omnium Scripturarum, quae uno scriptae sunt Spiritu Sancto, et propterea unus liber appellantur.“ [4] *Scriptores vero humani sunt instrumentum Spiritus Sancti eos moventis.*

Verba Ps 44, 2: „Lingua mea calamus scribae velociter scribentis“ sic circumscribit Hieronymus: „Debeo ergo et linguam meam quasi stilum et calamum praeparare, ut per illam in corde et auribus audientium scribat Spiritus Sanctus. Meum enim est quasi organum praebere linguam, illius quasi per organum sonare, quae sua sunt. . . . Si enim lex per manum mediatoris digito Dei scripta est, et quod destructum est, glorificatum est, quanto magis evangelium [illius Psalmi, quem docet esse dictum de Christo], quod mansurum est, per meam linguam scribetur a Spiritu Sancto.“ [5]

110. Quare indubitanter affirmandum est *„omnem Sanctam Scripturam non posse sibi esse contrariam,* et maxime unum adversum se non discrepare librum, et, ut plus adiciam, eundem eiusdemque libri locum“ [6]. Scripturam mentiri „dicere nefas est“ [7].

„Quidquid in Vetere legimus Testamento, hoc idem in Evangelio reperimus, et quod in Evangelio fuerit lectitatum, hoc ex Veteris Testamenti auctoritate deducitur; nihil in iis dissonum, nihil diversum est.“ [8] „Sequenda est auctoritas Scripturarum et Dei docentis imperium.“ [9] „Pseudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter Scripturarum verba accipiunt, quam Spiritus Sanctus sonat.“ [10] Propterea haeretici „non habent Dei evangelium, quia non habent Spiritum Sanctum, sine quo humanum fit evangelium, quod docetur“ [11]. „Omnis ad Romanos epistula interpretatione indiget et tantis obscuritatibus involuta est, ut ad intellegendam eam Spiritus Sancti indigeamus auxilio, qui per apostolum haec ipsa dictavit“ [12], videlicet Tertio dictavit (Rom 16, 22).

---

[1] Ib. 27, 1; *M* 22, 431. [2] In Eph. 1, 10; *M* 26, 454.
[3] In Mich. 7, 5—7; *M* 25, 1222; cf. In Zach. 4, 2 sqq; *M* 25, 1442.
[4] In Is. 29, 9 sqq; *M* 24, 332. [5] Epist. 65, 7; *M* 22, 627.
[6] Ib. 46, 6; *M* 22, 486 sq. [7] In Nahum 1, 9; *M* 25, 1238.
[8] Epist. 18, 7; *M* 22, 366. [9] In Ier. 10, 12 sqq; *M* 24, 743.
[10] In Ier. 29, 8 9; *M* 24, 859. [11] In Gal. 1, 11 12; *M* 26, 322.
[12] Epist. 120, 10; *M* 22, 997.

111. Nihilominus *non ita efferenda est operatio Spiritus Sancti, ut quasi inanimum instrumentum fiant scriptores humani,* quemadmodum imaginati sunt Montanistae.

„Neque vero, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetae in ecstasi sunt locuti, ut nescierint, quid loquerentur, et cum alios erudirent, ipsi ignorarent, quid dicerent. . . . Si enim sapientes erant prophetae, quod negare non possumus . . . quomodo sapientes prophetae instar brutorum animantium, quid dicerent, ignorabant? Legimus et in alio apostoli loco: ‚Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt' (1 Cor 14, 32), ut in sua habeant potestate, quando taceant, quando loquantur." [1] Non tamen prophetae de Messia vaticinantes omnia tam distincte cognoscebant, quam nos nunc post impletionem Christiani. Unde quod Paulus dicit (Eph 3, 5) aliis generationibus hoc mysterium non fuisse notum, hoc ita intellegendum est, „sic, quomodo nunc revelatum est sanctis eius et apostolis, nescisse patriarchas veteres et prophetas; aliud est enim in spiritu ventura cognoscere, aliud ea cernere opere completa" [2]. Admittit tamen Hieronymus propheticam visionem, in qua sensus ligati sunt et mens sola ad altiorem cognitionem evehitur [3].

In verbis seligendis, in quantum sensum non mutant, scriptores sacros suo ingenio reliquit Spiritus Sanctus. Ait quidem Hieronymus de illis verbis apostoli: „Gentes esse coheredes et concorporales et comparticipes promissionis" (Eph 3, 6):

„Scio appositionem coniunctionis eius, per quam dicitur ‚coheredes et concorporales et comparticipes', indecoram facere in latino sermone sententiam. Sed quia ita habetur in graeco, et singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus, propterea magis volumus in compositione structuraque verborum quam intellegentia periclitari." [4]

Haec verba caece tenenti nec sensum consideranti possunt videri eo valere, ut Spiritus Sanctus singulas syllabas, apices, puncta scriptoribus inspiraverit. At sine dubio Hieronymus sibi conscius erat se nescire, quos apices, quae puncta Paulus posuisset, neque unquam conatur ex punctis et apicibus a Paulo positis argumentum vel commentarium facere. Est igitur emphaticus loquendi modus, qui significat sensui verbis expresso esse quam artissime inhaerendum. Reapse in sequentibus nihil aliud nisi sensum illorum trium vocabulorum „coheredes, concorporales, comparticipes", non vero syllabas, apices, puncta explicat. Ceterum ipse Hieronymus brevi ante clarissime manifestavit suam de hac re sententiam.

Nam in Eph 3, 1 haec scribit: „Puto autem, quod et vitiosa in hoc loco elocutio sit. Pro eo enim, quod debuit dicere: Huius rei gratia ego Paulus, vinctus Iesu Christi pro vobis gentibus, cognovi mysterium, sicut et praescripsi in modico, prout potestis legentes intellegere — ait: Huius rei gratia ego Paulus vinctus, secundum revelationem cognitum factum est mihi my-

[1] In Is. Prol.; *M* 24, 19 sq; cf. Prol. in Habac. et Nahum; *M* 25, 1232 1274.
[2] In Eph. 3, 5; *M* 26, 479. [3] In Ezech. 11, 24; *M* 25, 101.
[4] In Eph. 5, 6; *M* 26, 481.

sterium, et reliqua. Si vero quis potest etiam iuxta sermonis et eloquii contextum docere apostolum fuisse perfectum et in artis grammaticae vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. Nos quotiescumque soloecismos aut tale quid annotavimus, non apostolum pulsamus, ut malevoli criminantur, sed magis apostoli assertores sumus, quod Hebraeus ex Hebraeis absque rhetorici nitore sermonis . . . numquam ad fidem Christi totum mundum traducere valuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei.... Iste igitur, qui soloecismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere sententiamque concludere, audacter sibi vindicat sapientiam." [1]

Diversitatem locutionis Hieronymus non ex inspiratione Spiritus Sancti, sed ex naturalibus condicionibus scriptorum sacrorum derivat.

„De Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae nec habens quidpiam in eloquio rusticitatis admistum." [2] „Ieremias propheta sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii de loco ei, in quo natus est, accidit. Fuit enim Anasthotites, qui est usque hodie viculus, tribus ab Ierosolymis distans milibus." [3] „Ex numero pastorum Amos propheta fuit, imperitus sermone, sed non scientia. Idem enim, qui per omnes prophetas, in eo Spiritus Sanctus loquebatur." [4] „Naturale est, ut omnes artifices suae artis loquantur exemplis, et unusquisque, in quo studio trivit aetatem, illius similitudinem proferat.... [Hoc dictum varie illustrat et pergit:] Cur haec dicta sunt? Ut scilicet ostendamus etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit, et pastor non in locis cultis ... sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas et interfectio pecorum, artis suae usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum et fremitum nominaret." [5]

112. Quia *ex inspiratione non fluunt verba,* apostoli, sermonis graeci non valde periti, interpretibus utebantur.

Paulus, „cum haberet scientiam Sanctarum Scripturarum et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret . . . divinorum sensuum maiestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum, cuius evangelium, Petro narrante et illo scribente, compositum est. Denique et duae epistulae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intellegimus, pro necessitate rerum, diversis eum usum esse interpretibus." [6]

Atqui certe non venit Hieronymo in mentem dicere apostolis inspiratas esse res, eorum autem interpretibus verba; verum in quantum verba sensum non afficiunt, sed ad nitorem tantum sermonis pertinent, in tantum ea ad humanam peritiam et industriam refert.

---

[1] In Eph. 3, 1; *M* 26, 478.
[2] In Is. Praef.; *M* 28, 771.
[3] In Ier. Prol.; *M* 28, 847.
[4] In Amos Prol.; *M* 25, 990.
[5] In Amos 1, 2; *M* 25, 993.
[6] Epist. 120, 11; *M* 22, 1001 sq; cf. Epist. 121, 10; *M* 22, 1029 sq.

Consequenter monet: „*Nec putemus in verbis Scripturarum esse evangelium, sed in sensu;* non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.“ [1] „Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quaere sententias. Dies me deficiet, si omnium, qui ad sensum interpretati sunt, testimonia replicavero. Sufficit in praesenti nominasse Hilarium confessorem, qui homilias in Iob et in Psalmos tractatus plurimos in latinum verterit e graeco, nec assedit litterae dormitanti et putida rusticorum interpretatione se torsit, sed quasi captivos sensus in suam linguam victoris iure transposuit. Nec hoc mirum in ceteris saeculi videlicet aut ecclesiae viris, cum septuaginta interpretes et evangelistae atque apostoli idem in sacris voluminibus fecerint.“ Proponit multa exempla, quorum nonnulla videntur etiam probare apostolos et evangelistas ipsum sensum mutasse et in rebus errasse. „Sed absit hoc de pedissequo Christi [Matthaeo] dicere, cui curae fuit, non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere. . . . Haec replico, non ut evangelistas arguam falsitatis (hoc quippe impiorum est, Celsi, Porphyrii, Iuliani), sed ut reprehensores meos arguam imperitiae, et impetrem ab iis veniam, ut concedant mihi in simplici epistula, quod in Scripturis Sanctis, velint nolint, apostolis concessuri sunt. . . . Ex quibus perspicuum est apostolos et evangelistas in interpretatione Veterum Scripturarum sensum quaesisse, non verba, nec magnopere de ordine sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret.“ Neque tamen hic explicat Hieronymus, quomodo verba tantum, non sensum et res, mutaverint apostoli et evangelistae in liberioribus suis citationibus. Excusat se, partim quod epistulae angustiis coartetur, partim quod velit haec adversariis suis invenienda relinquere. „Differo solutionem et istius quaestiunculae, ut obtrectatores mei quaerant et intellegant non verba in Scripturis consideranda, sed sensus.“ [2] Multa explicantur ex „evangelistarum et apostolorum more vulgato, qui, verborum ordine praetermisso, sensus tantum de Vetere Testamento proferunt in exemplum“ [3]. „Hoc autem in omnibus paene testimoniis, quae de veteribus libris in Novo assumpta sunt Testamento, observare debemus, quod memoriae crediderint evangelistae vel apostoli, et, tantum sensu explicato, saepe ordinem mutaverint, nonnumquam vel detraxerint verba vel addiderint.“ [4]

113. *Neque a versione LXX neque a conservatione textus sacri omnes defectus abfuisse censet Hieronymus.* De nova sua versione latina ex textu hebraico facta ait:

„Periculosum opus certe et obtrectatorum meorum latratibus patens, qui me asserunt in Septuaginta interpretum sugillationem nova pro veteribus cudere.“ Hoc tamen esse falsum, cum solum velit ad primitivum textum magis accommodare novam versionem et ea addere, quae Septuaginta omiserint, „maximeque quae evangelistarum et apostolorum auctoritas promulgavit, in quibus multa de Vetere Testamento legimus, quae in nostris codicibus non habentur, ut est illud: Ex Aegypto vocavi filium meum . . . et multa alia, quae proprium σύνταγμα desiderant. Interrogemus ergo eos, uoi

[1] In Gal. 1, 11 12; *M* 26, 322.

[2] Epist. 57, 6 7 9 10; *M* 22, 572 sqq. Quomodo solvat ea, quae primo aspectu indissolubilia videntur, vide e. g. Epist. 36, 10 sqq; *M* 22, 456 sqq. Plura postea videbimus (n. 525 sqq).

[3] In Matth. 27, 9 10; *M* 26, 205.

[4] In Gal. 3, 8, 9; *M* 26, 353 sq.

haec scripta sint, et cum dicere non potuerint, de libris hebraicis proferamus. . . . Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt aut omnino tacuerunt, ut et regi [Ptolemaeo] satisfacerent et arcanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, cum Aristeas eiusdem Ptolemaei ὑπερασπιστής, et multo post tempore Iosephus, nihil tale rettulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud esse interpretem. Ibi Spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copia ea, quae intellegit, transfert. . . . Aut aliter de iisdem libris per septuaginta interpretes, aliter per apostolos Spiritus Sanctus testimonia texuit, ut, quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint? Quid igitur? Damnamus veteres? Minime! Sed post priorum studia in domo Domini, quod possumus, laboramus. Illi interpretati sunt ante adventum Christi, et quod nesciebant, dubiis protulere sententiis. Nos post passionem et resurrectionem eius non tam prophetiam quam historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur. Quod melius intellegimus, melius et proferimus." [1]

114. At non obstantibus ingenio et diligentia Hieronymus non potuit omnes difficultates e sacro textu removere. Id ipse imprimis testatur de numeris corruptis. „*In rebus obscuris diversas ponimus opiniones,* ut non tam scribere, quam loqui tibi coram videamur. Ceterum apostolus interminabiles genealogias et iudaicas fabulas prohibens, de istiusmodi mihi videtur interdicere quaestionibus. Quid enim prodest haerere in littera et vel scriptoris errorem vel annorum seriem calumniari, cum manifestissime scribatur: Littera occidit, spiritus autem vivificat? (2 Cor 3, 6.) Relege omnes et Veteris et Novi Testamenti libros, et tantam annorum reperies dissonantiam, et numerum inter Iudam et Israel, id est, inter regnum utrumque confusum, ut huiusmodi haerere quaestionibus non tam studiosi quam otiosi hominis esse videatur." [2] Quod hic Hieronymus indicat, hoc alibi quoque repetit, non omnia, quae in commentariis scribat, sibi imputanda esse, cum multa ex aliorum scriptis excerpserit.

Ad Augustinum scribit: „Asseris reprehensionem apostolicam (Gal 2, 14 sqq) non fuisse dispensatoriam sed veram, et me non debere docere mendacium [officiosum apostolorum], sed universa, quae scripta sunt, ita sonare, ut scripta sunt. Ad quae primum respondeo debuisse prudentiam tuam praefatiunculae commentariorum meorum meminisse, dicentis ex persona mea: . . . Imbecillitatem virium mearum sentiens, Origenis commentarios secutus sum. . . . Praetermitto Didymum [et alios, quos nominat]. E quibus si vel pauca decerperem, fieret aliquid, quod non penitus contemneretur. Itaque ut simpliciter fatear, legi haec omnia, et in mente mea plurima coacervans, accito notario, vel mea vel aliena dictavi, nec ordinis nec verborum, interdum nec sensuum

---

[1] Praef. in Pentat.; *M* 28, 147 sqq. Post novam versionem Hieronymus saepe loquitur de „hebraica veritate". Antea non semel significaverat LXX „plenos Spiritus Sancti" traduxisse veritatem. E. g. in Praef. in Paral.; *M* 29, 402.

[2] Epist. 72, 5; *M* 22, 676.

memor. . . . Ex quo ostendi me non ex definito id defendere, quod in graecis legerem, sed ea expressisse, quae legeram, ut lectoris arbitrio derelinquerem, utrum probanda essent, an improbanda." [1]

115. Tandem quod expositionem attinet, *Hieronymus primum vult statui sensum litteralem et dein ex eo derivari sensum spiritualem.* „Post historiae veritatem [apud Isaiam] spiritualiter accipienda sunt omnia." [2] Laudat Paulam, quod, „cum amaret historiam et hoc veritatis diceret fundamentum, magis tamen sequebatur intellegentiam spiritualem et hoc culmine aedificationem animae protegebat" [3].

Allegoria „aliud praetendit in verbis, aliud significat in sensu. . . . Scriptura quoque divina per hanc non modica ex parte contexta est. . . . Nos spiritualem, quia omnia iudicet et ipse a nemine diiudicetur, eum virum dicimus, qui universa Scripturarum sacramenta cognoscens sublimiter ea intellegat, et Christum in divinis libris videns nihil in iis iudaicae traditionis admittat" [4].

Bene quidem Hieronymus hanc regulam statuit: sensum allegoricum esse ubique admittendum, ubi sensus litteralis sit absurdus, ut in descriptione Ierusalem caelestis, quae habetur in Apocalypsi [5]. Attamen negari nequit eum in allegorizando non raro iustam mensuram excedere, ut, quando docet Abisag (3 Rg 1) non fuisse veram mulierem, sed sapientiam [6], vel quando quadraginta duas mansiones Israelitarum in deserto allegorice singulas exponit [7].

116. Ceterum etsi ne Hieronymus quidem suis naevis careat in re exegetica, multum praevalent eius merita, laudibus superiora. Nam cum verissimum sit, quod dicit, neminem „in Scripturis Sanctis sine praevio et monstrante semitam posse ingredi" [8], ipse multis saeculis dux fuit et semitam monstravit.

Irridet ipse eos, secundum quos omnis alia ars necessario addiscenda est, „sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant. . . . Nec scire dignantur, quid prophetae, quid apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia".

Recenset dein singulos Scripturae libros et ostendit, quot et quanta mysteria contineant, a Genesi, in qua „de natura et de initio generis humani" agitur, usque ad Apocalypsim Ioannis, quae „tot habet sacramenta. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior est; in verbis singulis multiplices latent intellegentiae. Oro te, frater carissime, inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere nonne tibi videtur iam hic in terris regni caelestis habita-

---

[1] Epist. 112, 4; *M* 22, 917 sq. Idem dicit Contra Ruf. 1, 16; *M* 23, 409 sq.
[2] In Is. Prol.; *M* 24, 20; cf. in Is. l. 5, Prol.; *M* 24, 153 sq.
[3] Epist. 108, 26; *M* 22, 902.
[4] In Gal. 4, 24; *M* 26, 389 sq.
[5] Epist. 46, 7; *M* 22, 487.
[6] Ib. 52, 2 sqq; *M* 22, 527 sqq.
[7] Ib. 78; *M* 22, 698 sqq.
[8] Ib. 53, 6; *M* 22, 544.

culum? . . . [Sed oratio adiungenda; nam] petenti datur, pulsanti aperitur, quaerens invenit. Discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in caelis“ [1]. Oratio autem ideo est necessaria, quia, „nisi aperta fuerint universa, quae scripta sunt, ab eo, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, nullo alio reserante pandentur“. [2] Ideo Iudaei Scripturam non intellegunt, quia a Christo discere nolebant [3].

117. Alius insignis doctor ecclesiae, Hieronymo coaevus, est **S. Augustinus**, qui, etsi in interpretanda Scriptura illi par non est, tamen propter singularem plane auctoritatem, qua fruitur in doctrina dogmatica, prae ceteris audiendus est in quaestione de inspiratione biblica. Iam testimonia eius et multa et praeclara sunt.

Libri Scripturae sunt litterae a Deo scriptae et ad nos missae.

„De illa civitate, unde peregrinamur, litterae nobis venerunt; ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus.“ [4] „Peregrinamur enim, suspiramus, gemimus. Venerunt ad nos litterae de patria nostra, ipsas vobis recitamus.“ [5] „Qui prophetas ante descensionem suam praemisit, ipse et apostolos post ascensionem suam misit. Omnibus autem discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium et in divinis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit.“ [6]

Itaque Scripturam Sacram, etsi ab hominibus scripta est, tamen Deus ipse condidit. „Deus prius per prophetas, dein per se ipsum, postea per apostolos, quantum satis esse iudicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, quae canonica nominatur, altissimae auctoritatis.“ [7] „Legite Scripturas; ideo voluit Deus, ut scriberentur, ut nos consolaremur.“ [8] „Audiamus ergo, quid Spiritus Sanctus per os prophetae sancti dicat in isto sermone Psalmi.“ [9] „O Domine, nonne ista Scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam?“ [10]

---

[1] Ib. 53, 7 sqq; M 22, 544 sqq. Quaestio de canone Hieronymi est intricatior, quam quae hic commode tractari possit. Quare vide, si placet, *Cornely*, Introd. I 112 sqq. [2] Epist. 58, 9; *M* 22, 585. [3] In Is. 39, 9 sqq; *M* 24, 331 sqq.
[4] In Ps. 90, sermo 2, 1; *M* 37, 1159. [5] In Ps. 149, 5; *M* 37, 1952.
[6] De consensu evangelistarum 1, 35, 54; *M* 34, 1070.
[7] De civitate Dei 11, 3; *M* 41, 318. [8] In Ps. 33, 13, sermo 2, 17; *M* 36, 317.
[9] In Ps. 33, sermo 2, 1; *M* 36, 307.
[10] Confessiones 13, 29; *M* 32, 864. Quia inspiratio revocatur ad prophetiam et ad „visionem“, breviter indicemus, quid Augustinus de utraque dicat. De *prophetia*

118. *Ergo quidquid „divinarum Scripturarum, earum scilicet, quae canonicae in ecclesia nominantur, perspicua firmatur auctoritate, sine ulla dubitatione credendum est.* Aliis vero testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse persuadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis". [1]

„Solis iis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in iis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt." [2] „Mihi videtur exitiosissime credi aliquod in Scripturis Sanctis haberi mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos. Alia

---

ait: Spiritus Sanctus „afficit non omnes eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorundem hominum, ubi rerum demonstrantur imagines, alios per fructum mentis ad intellegentiam, alios utraque inspiratione, alios etiam nescientes. Sed per informationem spiritus duobus modis: aut per somnium, sicut non solum plerique sancti, sed et Pharao et Nabuchodonosor rex vidit, quod nemo eorum intellegere valebat, sed tamen videre uterque potuerat (Gen 41; Dan 2), aut per demonstrationem in ecstasi . . . sicut demonstratum est Petro illud vas submissum de caelo (Act 10, 11); nam et ipse, quid illa demonstratio figuraret, postea cognovit. Per fructum autem mentis ad intellegentiam uno modo, cum haec ipsa, quae demonstrantur imaginibus, quid significent et quo pertineant, revelatur; quae certior prophetia est; nam magis ipsam vocat apostolus prophetiam (1 Cor 13, 2), sicut Ioseph meruit intellegere, quod Pharao nonnisi videre, et Daniel exponit regi, quod ille cernit et nescit. Cum vero ita mens afficitur, ut non rerum imagines coniecturali examinatione intellegat, sed res ipsas intueatur, sicut intellegitur sapientia et iustitia omnisque incommutabilis et divina species, ad prophetiam, de qua nunc agimus, non pertinet. Utroque autem munere prophetiae donantur hi, qui et rerum imagines in spiritu vident et, quid valeant, simul intellegunt. . . . Nescientes autem afficit Spiritus, sicut Caiphas prophetavit (Io 11, 49 sq). . . . Hoc autem verbo: ‚Et insiluit in eum Spiritus' (1 Reg 10, 10) tamquam ex abdito divinitatis secreto repentinus significatur afflatus". Tales autem non sunt veri prophetae, sicut neque asina Balaam vere humanam loquelam habuit (De div. quaest. ad Simpl. 2, 1 sq; *M* 40, 129 sq).

Similiter loquitur de *„visione"*, quae idem est ac prophetia: „Multa genera visionis in Scripturis Sanctis inveniuntur. Unum secundum oculos corporis, sicut vidit Adam tres viros sub ilice Mambre (Gen. 18, 1). . . . Alterum, secundum quod imaginamur ea, quae per corpus sentimus . . . sicut Petrus vidit discum illum submitti e caelo cum variis animalibus (Act 11, 5 6). . . . Tertium autem genus visionis est secundum mentis intuitum, quo intellecta conspiciuntur veritas atque sapientia; sine quo genere illa duo, quae prius posui, vel infructuosa sunt vel etiam in errorem mittunt. . . . Non est autem propheta Dei veri et summi, qui oblata divinitus visa vel solo corpore vel etiam illa parte spiritus videt, qua corporum capiuntur imagines, et mente non videt" (Contra Adimantum 28, 2; *M* 42, 171 sq). Plura de ecstasi et visione prophetica vide De Genesi ad lit. 12, 1 sqq; *M* 34, 453 sqq.

[1] Epist. 147, 4: *M* 33, 598. [2] Ib. 82, 3; *M* 33, 277.

quippe quaestio est, sitne aliquando mentiri viri boni; et alia quaestio, utrum scriptorem Sanctarum Scripturarum mentiri oportuerit. Immo vero non alia, sed nulla quaestio est. Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla librorum illorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur." [1] Contra auctoritatem Scripturae nihil valet auctoritas aliorum scriptorum Quare ad Vincentium Donatistam scribit: „Noli ergo, frater, contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia [Scripturae antea proposita] colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis, sive nostrorum, sicut Hilarii, sive, antequam pars Donati separaretur, ipsius unitatis, sicut Cypriani et Agrippini; primo quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tamquam ita ex iis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerunt, quam veritas postulat." [2] Idem saepe repetit contra Donatistas [3].

119. Quia tamen *apparentes contradictiones et errores* sunt in Sacra Scriptura, Augustinus multum laboravit ad has difficultates tollendas. Qua in re notissimi sunt libri, quos scripsit „De consensu evangelistarum". Placet autem ex hoc opere locum exscribere, quo Augustini de inspiratione sententia clarius manifestatur. Agitur de verbis Matthaei (27, 9), quibus evangelista dicit de triginta argenteis a Iuda acceptis et agro empto exstare vaticinium apud Ieremiam, cum potius videatur dicere debuisse: apud Zachariam (11, 12). Dat Augustinus triplex responsum: Imprimis in multis codicibus non legitur: Ieremias, sed simpliciter: per prophetam; ergo fortasse evangelista nullum nomen posuerat. Sed quia plures codices indicant nomen Ieremiae, praeferenda est alia explicatio.

„Quid ergo intellegendum est, nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiae Dei, qua mentes evangelistarum sunt gubernatae? Potuit enim fieri, ut animo Matthaei evangelium conscribentis pro Zacharia Ieremias occurreret, ut fieri solet, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suae, quae Sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen prophetae, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa causa utilissima debet facillime cogitari, etiam sic esse insinuatum ita omnes sanctos prophetas uno Spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quam si omnium omnia prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, et ideo indubitanter accipi debere, quaecumque per eos Spiritus Sanctus dixit, et singula esse omnium et omnia singulorum. Cum igitur et quae dicta sunt per Ieremiam, tam sint Zachariae quam Ieremiae, et quae dicta sunt per Zachariam, tam sint Ieremiae quam Zachariae, quid opus erat, ut emendaret Matthaeus, cum aliud pro alio sibi nomen occurrens a se scriptum relegisset, ac non potius sequens auctoritatem Spiritus Sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relin-

[1] Epist. 28, 3; *M* 33, 112 sq. [2] Ib. 93, 35; *M* 33, 338 sq.
[3] E. g. De baptismo contra Donatistas 2, 3; *M* 43, 128.

queret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus ad informandos nos tantam verborum suorum inter prophetas esse concordiam, ut non absurde, immo congruentissime etiam Ieremiae deputaremus, quod per Zachariam dictum reperiremus?" Tertia solutio est, quod Ieremias loquitur de agro empto, Zacharias de triginta argenteis, Matthaeus vero utrumque vaticinium in unum componens, solum Ieremiam nominavit [1].

120. Ex hac expositione colligitur, *secundum Augustini sententiam Spiritum Sanctum ita movere mentem sacrorum scriptorum, ut singulas res iis in memoriam revocet et scribendas inspiret* [2].

„Quid interest, quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum ante praeoccupat, dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti, nec sibi nec alteri? Quia enim nullius in potestate est, quamvis optime fideliterque res cognitas quo quis ordine recordetur (quid enim prius posteriusve homini veniat in mentem, non est ut volumus, sed ut datur), satis probabile est, quod unusquisque evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa, quae narrabat, eius recordationi suggerere, in iis dumtaxat rebus, quarum ordo, sive ille sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique evangelicae. Cur autem Spiritus Sanctus, dividens propria unicuique, prout vult, et ideo mentes quoque sanctorum propter libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo, quae scriberent, sine dubio gubernans et regens, alium sic, alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quaesiverit, divinitus adiutus poterit invenire." [3] „Omnem autem falsitatem abesse ab evangelistis decet, non solum eam, quae mentiendo promitur, sed etiam eam, quae obliviscendo." [4]

Si praeterea notaverimus secundum Augustinum scriptores sacros sensisse mentem suam specialiter regi a Spiritu Sancto, quemadmodum supra audivimus, sine dubio fatebimur elementa divina inspirationis satis fortiter esse expressa. Unde perspicitur, quomodo Deum alloqui possit: „Avidissime arripui venerabilem stilum Spiritus tui [libros sacros] et prae ceteris apostolum Paulum; et perierunt mihi illae quaestiones, in quibus mihi aliquando visus est adversari sibi et non congruere testimoniis legis et prophetarum textus sermonis eius. Et apparuit mihi una facies eloquiorum castorum, et exsultare cum tremore didici." [5]

121. *Neque tamen neglegit Augustinus elementa humana.* „Audeo dicere, fratres mei, forsitan nec ipse Ioannes dixit, ut est, sed et ipse,

[1] De cons. evang. 3, 7, 28 sqq; 34, 1174 sqq.

[2] Ceterum illa Augustini explicatio caute recipienda est, ne ridicula fiat. Verum quidem est ea, quae de rebus fidei et morum dicuntur a sacris scriptoribus, omnia esse eiusdem auctoritatis, quatenus principaliter a Spiritu Sancto dicuntur. At si quis propterea vellet omnia dicta alicuius scriptoris sacri indiscriminatim cuivis alii auctori sacro tribuere, quantae absurditates secuturae essent, unusquisque videt, ut si qui vellet ea, quae in Exodo narrantur, tribuere Ioanni apostolo, et ea, quae in Apocalypsi leguntur, adscribere Moysi.

[3] De cons. evang. 2, 20, 51 52; *M* 34, 1102. [4] Ib. 2, 12, 29; *M* 34, 1091.

[5] Conf. 7, 21; *M* 32, 747.

ut potuit, quia de Deo homo dixit, et quidem inspiratus a Deo, sed tamen homo. Quia inspiratus, dixit aliquid; si non inspiratus esset, dixisset nihil. Quia vero homo inspiratus, non totum, quod est, dixit; sed quod potuit homo, dixit." [1] Deus „per hominem more hominum loquitur, quia et sic loquendo nos quaerit" [2].

Maxime inculcat Augustinus *evangelistas, sicut alios veraces homines, id tantum curasse, ut res veras narrarent, non quibus verbis narrarent.*

„Si quaeritur, quae verba potius Ioannes Baptista dixerit, utrum quae Matthaeus, an quae Lucas eum dixisse commemorat, an quae Marcus in ipsis paucis, quae illum dixisse posuit, tacens cetera, nullo modo hinc laborandum esse iudicat, qui prudenter intellegit ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae. . . . Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est. Et in hoc satis apparet, quod ad rem maxime pertinet, quoniam veritas evangelii verbo Dei, quod supra omnem creaturam aeternum atque incommutabile permanet, per creaturam temporalibus signis et linguis hominum dispensato summum culmen auctoritatis obtinuit, non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si, pluribus rem, quam audierunt vel viderunt, reminiscentibus, non eodem modo atque iisdem verbis eadem tamen res fuerit indicata, aut sive mutetur ordo verborum, sive alia pro aliis, quae tamen idem valeant, verba proferantur... sive rem bene tenens non assequatur, quamvis id conetur, memoriter etiam verba, quae audivit, ad integrum enuntiare. Quisquis autem dicit evangelistis certe per Spiritus Sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum nec in ordine nec in numero discreparent, non intellegit, quanto amplius evangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam ceterorum hominum vera loquentium securitatem, ut, pluribus eandem rem forte narrantibus, nullo modo quisquam eorum de mendacio recte arguatur, si ab altero ita discrepaverit, ut possit etiam evangelistarum exemplo praecedente defendi. Cum enim fas non sit evangelistarum aliquem mentitum fuisse vel existimare vel dicere, sic apparebit nec eum fuisse mentitum, cui recordanti tale quid acciderit, quale illis accidisse monstratur.... Simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intellegeremus non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus." [3] Hoc nosse ipsi fidei utile esse ait Augustinus, „ne putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba, quae propter illam sunt dicenda, commendet, cum potius ita res, quae dicenda est, sermonibus, per quos dicenda est, praeferatur, ut istos omnino quaerere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut illam novit Deus, et in ipso angeli eius" [4].

Itaque verba, in quantum sententiam non mutant, ita Deus scriptoribus sacris permittit, ut loquantur, sicut ceteri homines veraces

[1] In Ioan. tract. 1, 1; *M* 35, 1379 sq. [2] De civ. Dei 17, 6, 2; *M* 41, 537.
[3] De cons. evang. 2, 12, 27 sqq; *M* 34, 1090 sq.
[4] Ib. 2, 66, 128; *M* 34, 1139.

loqui solent, rem solam per se intendentes, verba vero tantum, in quantum sunt signa apta rei exprimendae.

122. Saepe etiam et merito monet Augustinus *sensum Scripturae non esse confundendum cum nostra expositione Scripturae.*

„In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae possint salva fide, qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita proiciamus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus, non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quae nostra est, cum potius eam, quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.“ [1] „Plerumque enim accidit, ut aliquid de terra, de caelo, de ceteris mundi huius elementis, de motu et conversione, vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis et lunae, de naturis animalium, fruticum, lapidum atque huiusmodi ceteris etiam non christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus secundum christianas litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab iis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cum enim quemquam de numero Christianorum in ea re, quam optime norunt, errare deprehenderint et vanam sententiam suam de nostris libris asserere, quo pacto illis libris credituri sunt de resurrectione mortuorum et de spe vitae aeternae regnoque caelorum, quando de his rebus, quas iam experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos?“ [2] „Quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est, catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum.“ [3]

123. *Regula autem exponendae Scripturae est fides catholica.*

„In libris maxime, quos nobis divina commendat auctoritas, in quibus temeritas asserendae incertae dubiaeque opinionis difficile sacrilegii crimen evitat, ea tamen quaerendi dubitatio catholicae fidei metas non debet excedere. Et quoniam multi haeretici ad suam sententiam, quae praeter fidem est catholicae disciplinae, expositionem Scripturarum divinarum trahere consueverunt, ante tractationem huius libri catholica fides breviter explicanda est.“ [4] Manichaeis, qui legebant epistulam, cuius initium erat: „Manichaeus, apostolus Iesu Christi providentia Dei Patris“, obicit: „Quaero, quis sit iste Manichaeus? Respondebitis: Apostolus Iesu Christi. Non credo; quid iam dicas aut facias, non habebis. Promittebas enim scientiam veritatis, et nunc quod nescio, cogis, ut credam. Evangelium mihi fortasse lecturus es, et inde

[1] De Genesi ad litteram 1, 18, 37; *M* 34, 260.
[2] Ib. 1, 19, 39; *M* 34, 261. [3] Ib. 1, 21, 41; *M* 34, 262.
[4] De Genesi liber imperf. 1, 1; *M* 34, 220 sq.

Manichaei personam tentabis asserere. Si ergo invenires aliquem, qui evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi: Non credo? Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas [quia ex sola traditione catholica constat evangelium esse librum divinum]. Quibus ergo obtemperavi dicentibus: Crede evangelio, cur iis non obtemperem dicentibus mihi: Noli credere Manichaeis? . . . Quodsi forte in evangelio aliquid apertissimum de Manichaei apostolatu invenire potueris, infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem, qui iubent, ut tibi non credam. Qua infirmata iam nec evangelio credere potero, quia per eos illi credideram. . . . Sed absit, ut ego evangelio non credam."[1]

124. Verum quidem est *revelationem non esse factam, ut homines sint boni mathematici, sed ut sint boni Christiani.* „Non legitur in evangelio Dominum dixisse: Mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos."[2] At hinc minime colligitur Spiritum Sanctum, si quid de rebus ad salutem non pertinentibus dicat, posse falsa dicere. Nam „Scripturam esse veracem nemo dubitat nisi infidelis aut impius"[3]. „Maior est quippe Scripturae huius auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas."[4] Itaque finis quidem Sacrae Scripturae seu Spiritus Sancti, auctoris Scripturae, non est de rebus saecularibus edocere homines; sed si propter alium finem de his rebus loquitur, verum dicit, et si res nullo modo sunt profuturae ad salutem, de iis tacet.

„Quaeri etiam solet, quae forma et figura caeli credenda sit secundum Scripturas nostras. Multi enim multum disputant de iis rebus, quas maiore prudentia auctores nostri omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus. . . . Sed quia de fide agitur Scripturarum, propter illam causam, quam non semel commemoravi, ne quisquam eloquia divina non intellegens, cum de his rebus tale aliquid vel invenerit in libris nostris, vel ex illis audierit, quod perceptis a se rationibus adversari videatur, nullo modo iis cetera utilia monentibus vel narrantibus vel pronuntiantibus credat, breviter dicendum est de figura caeli hoc scisse auctores nostros, quod veritas habet, sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines, nulli saluti profutura."[5]

Ergo ait quidem Augustinus finem Scripturae non esse docere profana propter se, sed nulla ratione concedit profana, quae in Scriptura leguntur, posse esse falsa. „Nos vero in nostrae religionis historia, fulti auctoritate divina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet se habeant cetera in saecularibus litteris."[6]

125. Sub duplici respectu Augustinus minus feliciter explicavit indolem supernaturalem Sacrae Scripturae. Imprimis statuitur ab eo *multiplex sensus litteralis* Loquens de variis commentariis in primum caput Genesis, ait:

---

[1] Contra epistulam Manichaei 5, 6; *M* 42, 176.
[2] De actis cum Felice Manichaeo 1, 10; *M* 42, 525.
[3] De Gen. ad lit. 7, 28, 42; *M* 34, 371. [4] Ib. 2, 5, 9; *M* 34, 267.
[5] Ib. 2, 9, 20; *M* 34, 270. [6] De civ. Dei 18, 40; *M* 41, 600.

„In hac diversitate sententiarum verarum concordiam pariat ipsa veritas, et Deus noster misereatur nostri, ut legitime lege utamur, praecepti fine, pura caritate; ac per hoc si quis quaerit ex me, quid horum Moyses ille tuus famulus senserit, non sunt hi sermones confessionum mearum [i. e. in libris confessionum tales quaestiones non vult discutere]. Si tibi non confiteor, nescio [i. e. in his libris nolo nisi te laudare]. . . . Sed omnes, quos in iis verbis vera cernere ac dicere fateor, diligamus nos invicem . . . eundemque famulum tuum, Scripturae huius dispensatorem, Spiritu tuo plenum, ita honoremus, ut hoc eum, te revelante, cum haec scriberet, attendisse credamus, quod in iis maxime et luce veritatis et fruge utilitatis excellit. Ita cum alius dixerit: Hoc sensit, quod ego, et alius: Immo, illud, quod ego, religiosius me arbitror dicere: Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut, quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis atque cogitavit, cum illa scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, aut quidquid nos non potuimus aut nondum possumus, et tamen in iis inveniri possit. Postremo, Domine, qui Deus es, et non caro et sanguis, si quid homo minus videt, numquid et Spiritum tuum bonum, qui deducet me in terram rectam, latere potuit, quidquid eras in iis verbis ipse revelaturus legentibus posteris, etiam si ille, per quem dicta sunt, unam fortassis ex veris sententiam cogitavit? Quod si ita est, sit igitur illa, quam cogitavit, ceteris excelsior. Nobis autem, Domine, aut ipsam demonstra, aut, quam placet, alteram veram, ut sive nobis hoc, quod etiam illi homini tuo, sive aliud ex eorundem verborum occasione patefacias, tu tamen pascas, non error. . . . Sine me itaque brevius confiteri tibi et eligere unum aliquod, quod tu inspiraveris verum, certum et bonum, etiamsi multa occurrerint, ubi multa occurrere poterunt, ex fide confessionis meae, ut si hoc dixero, quod senserit minister tuus, recte atque optime; quod si assecutus non fuero, id tamen dicam, quod mihi per eius verba veritas tua dicere voluerit, quae illi quoque dixit, quod voluit.“ [1]

Hoc loco Augustinus sententiam suam de multiplici sensu litterali latius quam alibi exposuit. Posuit autem hoc principium ex animo pacifico, ne lites essent inter eos, qui omnes in catholicam veritatem consentirent. At etsi hoc principium forte periculosum non sit iis, qui iam in veritate firmati unice quaerunt, quomodo verba quaedam Scripturae intellegi possint, plane tamen perniciosum est, cum agitur de quaestione disputata ex Scripturae auctoritate solvenda. Quando enim Catholicus disputat cum haeretico agnoscente quidem Scripturam, sed negante ecclesiae magisterium, et Catholicus et haereticus dicent:

[1] Conf. 12, 30 31 32; *M* 32, 843 sq.

Mea sententia est vera, hanc intellexit auctor sacer. Finiri quidem tunc potest disputatio, si admittendus est unus sensus litteralis, et si hic inveniri et demonstrari potest. Sed actum est de auctoritate Scripturae ad solvendas tales quaestiones, si disputantes prius scire debent, quid sit verum, et si dein secundum hanc scientiam subicere quamlibet sententiam verbis Scripturae possunt, quae cum his verbis non aperte pugnat. Itaque tum maxime, cum „ad culmen auctoritatis scribitur", ut ait Augustinus, talem multiplicitatem sensuum prorsus excludi necesse est, ne quivis sub praetextu veri ad suam opinionem possit dicta auctorum sacrorum trahere. Illis autem, qui iam firmiter tenent veritatem, talis sensus multiplex ad nihilum utilis esset, nisi ut id, quod aliunde iam norunt, etiam in libris sacris scriptum invenirent. Ob has et alias rationes multiplex sensus litteralis, pace tanti doctoris, omni modo est reiciendus.

126. Ceterum *ipsum Augustinum periculum huius doctrinae non fugit.*

Scripturam „legentes nihil aliud appetunt quam cogitationes voluntatemque illorum, a quibus conscripta est, invenire et per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos credimus" [1]. „Quisquis in Scripturis aliud sentit quam ille, qui scripsit, illis non mentientibus fallitur; sed tamen, ut dicere coeperam, si ea sententia fallitur, qua aedificet caritatem, quae praecepti finis est, ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, et quam sit utilius viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur. Asserendo enim temere, quod ille non sensit, quem legit, plerumque incurrit in alia, quae illi sententiae contexere nequeat, quae si vera et certa esse consentit, illud non possit verum esse, quod senserat; fitque in eo, nescio quomodo, ut amando sententiam suam, Scripturae incipiat offensior esse quam sibi." [2] Itaque quando mens scriptoris manifesta est, standum est in sensu obvio et litterali. „Sed cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam ... consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et ecclesiae auctoritate percepit.... Quodsi ambae vel etiam omnes, si plures fuerint, partes ambiguitatem secundum fidem sonuerint, textus ipse sermonis a praecedentibus et consequentibus partibus, quae ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus, ut videamus, cuinam sententiae de pluribus, quae se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur.... Ubi autem neque praescripto fidei neque ipsius sermonis textu ambiguitas explicari potest, nihil obest secundum quamlibet earum, quae ostenduntur, sententiam distinguere.... Rarissime igitur et difficillime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros divinarum Scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis, qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio aut praecedentis linguae [ex qua facta est versio] solvat inspectio." [3] „Quando autem ex iisdem Scripturae verbis non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet, quid senserit ille, qui scripsit, nihil periculi

---

[1] De doctr. christ. 2, 5; *M* 34, 38.
[2] Ib. 1, 36 37; *M* 34, 34 sq.
[3] Ib. 3, 2 4; *M* 34, 65 sqq.

est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest, id tamen eo conante, qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam Sanctus operatus est Spiritus." Repetita doctrina de multiplici sensu, addit: „Ubi autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat, ut ratione reddita manifestus appareat, etiamsi ille, cuius verba intellegere quaerimus, eum forte non sensit. Sed haec consuetudo periculosa est; per Scripturas enim divinas multo tutius ambulatur, quas verbis translatis opacatas cum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam, aut si habet, ex eadem Scriptura inventis atque adhibitis testibus terminetur." [1]

Itaque *doctrina de sensu multiplici dicitur restringenda ad locos ambiguos.* Ceterum Augustinus, quoties ei ex Scriptura argumentandum est, relinquit hanc doctrinam et unum verum sensum locorum, de quibus disputatur, demonstrare studet. Quare contra Augustini doctrinam, etiam ut ab ipso limitatam, satius erit Augustini exemplum sequi. Recte vero monet cum sensu litterali non esse confundendum sensum crasse materialem. „Nam cavendum est, ne figuratam locutionem ad litteram accipias. . . . Cum enim figuratum sic accipitur, tamquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur." [2] „Sciant autem litterati modis omnibus locutionis, quos grammatici graeco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse." [3]

127. *Neque tropis tantum, sed etiam typis Scriptura figurate loquitur,* etsi alio modo; nam in tropis figura est in modo loquendi, in typis figura est in re significata.

Ergo quando agitur de typis, prius attendendum est „ad litteram rerum gestarum, antequam tractetur latebra sacramenti [i. e. sensus typicus] . . . ut, quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis quae gesta sunt, prius illud, quod lectum est, credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestae, quasi in aëre quaeratis aedificare [sensum typicum]." [4] „Vetus enim Testamentum est promissio figurata; Novum Testa-

---

[1] De doctr. christ. 3, 27 28; *M* 34, 80. [2] Ib. 3, 5; *M* 34, 69.
[3] Ib. 3, 29; *M* 34, 80.
[4] Sermo 2, c. 4 6; *M* 38, 29 sq. De eadem re alibi ait: „Nonnulli totum ipsum paradisum, ubi primi homines, parentes generis humani, Sanctae Scripturae veritate fuisse narrantur, ad intellegibilia referunt, arboresque illas et ligna fructifera in virtutes vitaeque mores convertunt, tamquam visibilia illa et corporalia non fuerint, sed intellegibilium significandorum causa eo modo dicta vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intellegi, tamquam ideo non fuerint duae mulieres, Agar et Sara, et ex illis duo filii Abrahae, unus de ancilla et alius de libera, quia duo Testamenta in iis figurata dicit apostolus (Gal 4, 22 sqq); aut ideo nulla de petra, Moyse percutiente, aqua defluxerit (Ex 17, 6), quia potest illa figurata significatione etiam Christus intellegi, eodem apostolo dicente: Petra autem erat Christus (1 Cor 10, 4). Nemo itaque prohibet intellegere paradisum vitam beatorum, quattuor eius flumina quattuor virtutes. . . . Haec et si quae alia commodius dici possunt de intellegendo spiritua-

mentum est promissio spiritualiter intellecta.... Circumcisio carnalis pertinet ad Vetus Testamentum, circumcisio cordis pertinet ad Novum Testamentum. Liberatur secundum Vetus Testamentum populus de Aegypto, liberatur secundum Novum Testamentum populus a diabolo. . . ." [1] Hac igitur ratione quae in Vetere Testamento narrantur, tenemus „non sine aliqua praefiguratione futurorum gesta atque conscripta, neque nisi ad Christum et eius ecclesiam, quae civitas Dei est, esse referenda, cuius ab initio generis humani non defuit praedicatio, quam per omnia videmus impleri.... Illa itaque exsequitur litterarum sacrarum scriptor istarum, vel potius per eum Dei Spiritus, quibus non solum narrentur praeterita, verum etiam praenuntientur futura, quae tamen pertinent ad civitatem Dei. . . . Non sane omnia, quae gesta narrantur, aliquid etiam [typice] significare putanda sunt; sed propter illa, quae aliquid significant, etiam illa, quae nihil significant, attexuntur." [2]

Unde non arbitrarie omnia typice exponenda sunt, sed ea tantum, quae aut ex ipsa Scriptura aut ex eccleciae doctrina typos esse constat[3].

Sensum Scripturae secundum materiam Augustinus distinguit in ea, „quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrentur, quae futura praenuntientur, quae agenda praecipiantur vel moneantur" [4].

Alio modo explicandam docet Scripturam „secundum historiam, secundum aetiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam. . . . Secundum historiam ergo docetur, cum docetur, quid scriptum, aut quid gestum sit; quid non gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit [quatenus scribere est etiam aliquid gerere]. Secundum aetiologiam, cum ostenditur, quid qua de causa vel factum vel dictum sit. Secundum analogiam, cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta Vetus et Novum. Secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quaedam, quae scripta sunt, sed figurate intellegenda" [5]. Singula illustrat exemplis, allegoriam exemplo Ionae (Mt 12, 39 40) et iis, quae Paulus scribit (1 Cor 10, 1 sqq et Gal 4, 22 sqq). Unde colligitur, nomine allegoriae etiam typos comprehendi, quemadmodum ipse quoque Paulus loquitur. Ceterum allegoriam, prout a typo distinguitur, Augustinus non minus admisit, immo frequentius, quam patiuntur hermeneuticae regulae. Sufficit in memoriam revocare libros „De Genesi contra Manichaeos" [6]

128. Alterum, in quo videtur S. Augustinus minus recte sensisse, est *exaggerata notio auctoritatis versionis Septuaginta.* Firmiter enim

---

liter paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen et illius historiae veritas fidelissima, rerum gestarum narratione commendata, credatur" (De civ. Dei 13, 21; *M* 41, 394 sqq).

[1] Sermo 4, c. 8; *M* 38, 37. [2] De civ. Dei 16, 2, 3; *M* 41, 479.

[3] Cf. de Gen. ad lit. 8, 2; *M* 34, 374. [4] Ib. 1, 1, 1; *M* 34, 247.

[5] De utilitate credendi 3, 5; *M* 42, 68 sq.

[6] Vide 2, 2 sqq; *M* 34, 197 sqq. Monet tamen Augustinus: „Quis non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habet et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?" (Epist. 93, 8, 24). Ad quae verba saepe Scholastici provocant, ut ostendant, ex sola allegoria non posse fieri argumentum, et quae uno loco allegorice dicantur, alio loco expresse dici (cf. infra n. 176 nota).

sibi persuasit interpretes septuaginta fuisse veros prophetas, qui non solum miraculoso modo versionem fecerint, sed etiam novas revelationes acceperint et veteres prophetias, quae sunt in textu hebraico, ex inspiratione Spiritus Sancti partim omiserint. Ubi vero contradictiones inter textum graecum et hebraicum manifeste apparent, studet eas allegorica expositione removere [1]. Hac in re Hieronymus clarius vidit, eiusque sententia paulatim perfectam victoriam obtinuit.

129. Tandem Augustinus docet, et recte quidem, *prophetas ad scribendos sacros libros speciali inspiratione indiguisse.*

„In ipsa historia regum Iuda et regum Israel, quae res gestas continet, de quibus eidem Scripturae canonicae credimus, commemorantur plurima, quae ibi non explicantur et in libris aliis inveniri dicuntur, quos prophetae scripserunt, et alicubi eorum quoque prophetarum nomina non tacentur (1 Par 29, 29; 2 Par 9, 29), nec tamen inveniuntur in canone, quem recepit populus Dei. Cuius rei, fateor, me causa latet, nisi quod existimo etiam ipsos, quibus ea, quae in auctoritate religionis esse deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse, atque haec ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, haec ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon.“ [2]

Sed finienda est haec de S. Augustini doctrina inquisitio; nam si omnia colligerentur, quae scripsit ad inspirationem pertinentia, iustae molis conficeretur volumen. Compensatur autem haec in exponenda Augustini sententia prolixitas eo, quod sequentes scriptores brevissime absolvere vel etiam omittere licet; nam tantum valuit per multa saecula Augustini auctoritas, ut catholici omnes se fideles eius discipulos gloriarentur neque nova addenda eius doctrinae esse censerent. Quare paucos tantum alios audiamus.

130. **S. Salvianus** de Scriptura Sacra loquens ait: „Alia omnia, i. e. humana dicta, argumentis ac testibus egent, Dei autem sermo ipse sibi testis est, quia necesse est, quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis. Sed tamen cum per Scripturas Sacras scire nos quasi de arcano animi ac mentis suae quaedam voluerit Deus noster, quia ipsum quodammodo Scripturae Sacrae oraculum Dei mens est, quidquid vel agnosci vel praedicari Deus voluit, non tacebo.“ [3]

131. Brevissime **S. Leo M.**: „Sacra (inquit) et digito Dei evangelia scripta.“ [4] Ideo „ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem

---

[1] De civ. Dei 18, 42 43 44; *M* 41, 602 sqq. [2] Ib. 18, 38; *M* 41, 598.
[3] De gubernatione Dei 3, 1; *M* 53, 57. [4] Sermo 69, c. 3; *M* 54, 377.

verbo liceat dissidere aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt“ [1], „cum indubitabilem obtineat auctoritatem sacra narratio“ [2]. Immerito autem S. Leoni adscribitur formula: Deum esse auctorem Novi et Veteris Testamenti. Haec quidem formula invenitur in editionibus operum S. Leonis (e. g. apud *M* 56, 880), at non sunt ipsius verba, sed pertinent ad „Statuta ecclesiae antiqua“, de quibus infra (n. 138).

132. **S. Gregorius M.** Expositioni in librum Iob haec inter alia praefationis instar praemittit:

„Inter multos saepe quaeritur, quis libri beati Iob scriptor habeatur. . . . Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui in illius opere inspirator exstitit et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistulis legeremus verba, sed, quo calamo fuissent scripta, quaereremus, ridiculum profecto esset epistularum auctorem scire sensumque cognoscere, sed, quali calamo earum verba impressa essent, indagare. Cum ergo rem cognoscimus eiusque rei Spiritum Sanctum auctorem teneamus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo percontamur.“ [3]

Haec videri potest exaggeratio elementi divini in inspiratione; nam, etsi Deus per homines loquitur, homines non sunt calami inanimi, sed instrumenta rationalia, quae a Deo per intellectum et voluntatem moventur. Utitur vero Deus creaturis modo naturae earum congruo. Modus autem huius hominis non est modus illius hominis in concipiendis et exprimendis rebus, et homines huius aetatis aliter cogitare et loqui solent atque homines illius aetatis. Unde saepe plurimi refert nosse, quo tempore et a quo homine liber aliquis conscriptus sit. Accidit quidem, ut alicuius libri sacri neque auctorem humanum neque aetatem cum certitudine definire possimus, quemadmodum liber Iob ostendit. Tunc utique valet, quod ait Gregorius: Quando auctor humanus ignotus est, sufficit nobis auctorem divinum nosse. De hoc solo casu loquitur Gregorius; unde eius verba non indefinite ad omnia alia extendere licet.

Similiter caute accipienda sunt, quae Gregorius profert ad explicandum, cur scriptores sacri de se ipsis ut de aliis loquantur.

„Scriptores sacri eloquii, quia impulsu Sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium tamquam de aliis proferunt. Ergo Sanctus Spiritus per Moysen locutus est de Moyse; Sanctus Spiritus per Ioannem locutus est de Ioanne. . . . Itaque scriptores sacri, quia repleti Sancto Spiritu super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt, et sic de se sententias quasi de aliis proferunt.“ [4]

---

[1] Epist. 82, 1; *M* 54, 918. [2] Sermo 52, c. 1; *M* 54, 314.
[3] In Iob, Praef. 1 sq; *M* 75, 515 sqq. [4] Ib. 3.

133. Bene dixit Gregorius *de interpretanda Scriptura,* attendendum esse ad contextum sermonis et sensum historicum imprimis esse eruendum.

In prooemio expositionis in primum librum regum [1] dicit se interdum ex necessitate cogi ad relinquendas sententias priorum expositorum, cum hi saepe ad contextum non attenderint, „quia et Patres venerabiles, si seriatim cuncta exponerent, quae ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere visi sunt, observare nequaquam potuissent“ [2].

De recta interpretandi ratione ait:

„In verbis sacri eloquii, fratres carissimi, prius servanda est veritas historiae et postmodum requirenda spiritalis intellegentia allegoriae. Tunc namq e allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur.“ [3] „In Scriptura Sacra et ea, quae accipi secundum historiam possunt, plerumque spiritaliter intellegenda sunt, ut et fides habeatur in veritate historiae, et spiritalis intellegentia capiatur de mysteriis allegoriae. . . . Si ergo, cum aliquid deest historiae, aperta ratione ducimur ad intellectum allegoriae, quanto magis illa spiritaliter accipienda sunt, in quibus iuxta rationem litterae nihil historicum invenitur.“ [4] „Ecce enim Sacram Scripturam legimus; si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amisimus; si omnia ad spiritalem allegoriam ducimus, similiter indiscretionis stultitia ligamur. Legunt enim sacra eloquia praedicatores sancti, et aliquando in historia litteram suscipiunt, aliquando vero per significationem litterae spiritum requirunt. Et modo bona facta patrum praecedentium, sicut iuxta litteram inveniunt, imitantur; modo quaedam, quae iuxta historiam imitanda non sunt, spiritaliter intellegunt et ad profectum tendunt.“ [5] „Nonnumquam sibi litterae verba contradicunt; sed dum a semetipsis per contrarietatem dissident, lectorem ad intellegentiam veritatis mittunt. . . . Dum enim alia ex aliis colligimus, facile in eius verbis agnoscimus, aliud esse, quod intimant, aliud, quod sonant.“ [6] Unde sibi hanc viam in exponenda Scriptura eligit: „Sciendum est, quod quaedam historica expositione transcurrimus, et per allegoriam quaedam typica investigatione perscrutamur; quaedam per sola allegoricae moralitatis instrumenta discutimus; nonnulla autem per cuncta simul sollicitius exquirentes, tripliciter indagamus. Nam primum quidem fundamenta historiae ponimus; deinde per significationem typicam in arcem fidei fabricam mentis erigimus; ad extremum quoque per moralitatis gratiam quasi superducto aedificium colore vestimus. . . . Aliquando vero exponere aperta historiae verba neglegimus, ne tardius ad obscura veniamus; aliquando vero intellegi iuxta litteram nequeunt, quia superficie tenus accepta nequaquam instructionem legentibus sed errorem gignunt. . . . Aliquando autem qui verba accipere historiae iuxta litteram neglegit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit; cumque laboriose invenire in iis aliud extrin-

[1] Hic commentarius ex homiliis S. Gregorii in primum librum regum a Claudio eius discipulo, collectis coaluisse videtur (cf. *M* 79, 10 sqq).

[2] In 1 Reg., Prooem. 5; *M* 79, 21. [3] In evang. hom. 40, 1; *M* 76, 1302.

[4] In Ezech. l. 2, hom. 1, n. 3; *M* 76, 936 sq.

[5] Ib. l. 1, hom. 4, n. 4; *M* 76, 807.

[6] In Iob 4, 1; *M* 75, 633.

secus appetit, hoc, quod foris sine difficultate assequi poterat, amittit. . . . Divinus etenim sermo, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat; servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat." [1]

134. Quidquid de principiis hermeneuticis Gregorii censendum est, patet ex mente eius sola ea scripta, quae Deum ipsum auctorem habeant, tam varia et alta sensuum fertilitate abundare posse, ut sub simplicissimis verbis lateant mysteria maxima, futurorum vaticinia, rerum supernaturalium indicia, vitae praecepta sublimissima. Ceterum notandum est, si Gregorius dicat sensum litteralem Scripturae interdum esse absonum et erroneum, hoc ab ipso explicari de locutionibus tropicis et proverbialibus, de parabolis, de similitudinibus, de visionibus imaginariis. Nam improprie dicta sensu proprio accipere, signa habere pro ipsis rebus, populares locutiones premere ut sententias ad scientiae amussim prolatas, haec et similia utique absurda sunt. Neque in his condicionibus sensus materialis est verus sensus litteralis, sed potius est sensus ineptus et alienus. Attamen negari nequit Gregorium saepe neglecto sensu historico et litterali nimis indulsisse expositionibus allegoricis, mysticis, moralibus, etsi ita agendo probabiliter melius tempori serviebat, quam si artius litterae inhaesisset.

Omni autem acceptione digna sunt, quae scribit ad Theodorum medicum, ut eum ad frequentem Scripturae lectionem excitet.

„Erga dulcissimam mentem gloriosissimi filii mei domni Theodori habeo aliquam querelam, quia donum ingenii, donum rerum, donum misericordiae atque caritatis a sancta Trinitate percepit; sed tamen saecularibus indesinenter causis adstringitur, assiduis processionibus occupatur, et cotidie legere neglegit verba Redemptoris sui. Quid est autem Scriptura Sacra nisi quaedam epistula omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et certe sicubi esset gloria vestra alibi constituta et scripta terreni imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi imperator terrenus scripsisset, agnovisset. Imperator caeli, Dominus hominum et angelorum pro vita tua tibi suas epistulas transmisit, et tamen, gloriose fili, easdem epistulas ardenter legere neglegis. Stude ergo, quaeso, et cotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad aeterna suspires, ut mens vestra ad caelestia gaudia maioribus desideriis accendatur. Tanto enim tunc maior ei erit requies, quanto modo amore Conditoris sui requies nulla fuerit. Sed ad haec agenda infundat vobis omnipotens Deus consolatorem Spiritum, ipse mentem vestram sua praesentia impleat et implendo levet." [2]

ART. IX.

DE VETERUM CONCILIORUM ET PONTIFICUM DOCTRINA.

135. Ex iis, quae hucusque vidimus, *manifestum est, quam unanimis et constans sit catholica de inspiratione traditio.* Unica fere inter

[1] Moral. epist. dedicatoria 3 4; *M* 75, 513 sqq. [2] L. 4, epist. 31; *M* 77, 706.

catholicos ipsos dubitatio erat de quibusdam libris, essentne canoni adscribendi necne. Immo etiam haeretici non tam ipsam inspirationis notionem quam canonem aggressi sunt. Ita Manichaei, partim quoque Gnostici libros Veteris Testamenti, legem et alia instituta iudaica non a supremo omnium Deo descendisse, sed aut malum principium aut inferiorem aliquem angelum (aeonem) auctorem habere volebant. De qua re videri possunt Augustinus contra Faustum et Epiphanius haer. 66. Praeterea huc aliqua ratione pertinent pneumatomachi, qui negantes Spiritus Sancti divinitatem, necessario negabant aut a Spiritu Sancto inspiratos esse prophetas, aut ex eius inspiratione Scripturam esse divinam. Contra quos SS. Patres argumentantes audivimus: Quomodo Spiritus Sanctus Deus non est, cuius Scriptura divinitus inspirata vocatur? (Supra n. 69 74.)

Quare *Symbolum Constantinopolitanum* profitetur: „Credimus in Spiritum Sanctum, dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas.“ [1]

Num iam Nicaenum Concilium de Scripturae canone definitionem ediderit, disputatur inter doctos [2]. Videntur quidem nonnulli veteres loqui de canone ab Choc oncilio statuto, ut *S. Hieronymus* in praefatione in librum Iudith et *Cassiodorius* De instit. div. litt. c. 14. Sed quia verba eorum non satis determinata sunt, et quia decretum Nicaenum, si forte exstitit, ad nos non pervenit, hanc rem missam facio.

136. De alio Concilio scribit *S. Augustinus* ad Quintianum presbyterum:

„Nolite in scandalum mittere ecclesiam legendo in populis scripturas, quas canon ecclesiasticus non recipit; his enim haeretici, et maxime Manichaei, solent imperitas mentes evertere, quos in campo vestro libenter latitare audio. Miror ergo prudentiam tuam, quod . . . non memineris in Concilio institutum, quae sint Scripturae canonicae, quae in populo Dei legi debeant. Recense ergo Concilium, et omnia, quae ibi legeris, commenda memoriae.“ [3]

Concilium, de quo hic est sermo, est *Hipponense* a. 393, cuius canones repetuntur in *Carthaginiensi* a. 397. Canon 36 hic est:

„Ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum

---

[1] *Mansi* 3, 565. Inter opera *S. Athanasii* exstat Symbolum, in quo haec leguntur: „Credimus in Spiritum Sanctum, qui non alienus est a Patre et Filio, sed consubstantialis est Patri et Filio, inoreatus, perfectus, paracletus, qui locutus est in lege et in prophetis et in evangeliis, qui descendit super Iordanem, qui praedicavit apostolis, qui habitat in sanctis“ (*M* 26, 1232).

[2] Cf. *Hefele*, Conciliengeschichte I ², Freiburg 1873, 371 sq. *Cornely*, Introd. I ², Parisiis 1894, 89 sqq.

[3] Epist. 64 (al. 235), 3; *M* 33, 233.

libri quattuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, Duodecim libri prophetarum, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, Iudith, Hester, Hesdrae libri duo, Machabaeorum libri duo. Novi autem Testamenti: Evangeliorum libri, Actus apostolorum liber unus, Pauli apostoli epistulae tredecim, eiusdem ad Hebraeos una, Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, Apocalypsis Ioannis. Ita ut de confirmando isto canone transmarina [Romana] ecclesia consulatur." [1]

Decretum hoc exscribere visum est, quia est primum decretum conciliare de canone, quod ex antiquitate christiana ad nos pervenit.

137. Ex „ecclesia transmarina" provenit *Decretum Gelasianum*, quod vocant, cuius illa pars, quae est de Sacra Scriptura, multo probabilius ad Damasum papam et Concilium Romanum a. 382 sub eo habitum referenda est [2]. Haec pars decreti incipit: „De Scripturis divinis quid universaliter catholica recipiat ecclesia, vel post haec quid vitare debeat." In codice Lucensi praemittitur hic Prologus:

„Ad discutiendas vel intellegendas Scripturas, quas in Novo vel in Vetere Testamento a pluribus editas [novimus], illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: Prophetias, inquit, nolite spernere, omnia autem probate, ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas, quas de adventu Domini ac nativitate vel passione ipsius et resurrectione certissime fuisse locutas, per quas enim credimus nos esse salvatos; ibi intellegimus illud, ubi dixit: Quod bonum est, tenete. Ad [At] repellandas vel a Catholicis renuendas scripturas esse cognovimus, quas etiam vir eruditissimus Hieronymus repudiavit esse damnatas, sufficit nobis dicere, ut ab omni specie mala abstineamus." [3]

138. Itaque his decretis non solum catalogus librorum sacrorum exhibetur, sed etiam eorum origo divina docetur. Atque haec origo divina ita iis attribuebatur, ut nullis aliis libris talem dignitatem adscribere liceret. Ita *Concilium Toletanum* a. 447 statuit canone 12: „Si quis dixerit vel crediderit alias Scripturas, praeter quas ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas vel esse venerandas, anathema sit." [4]

Contra Manichaeorum vero doctrinam dirigitur illa quaestio, quae episcopo ordinando facienda praescribitur in „Statutis ecclesiae antiquis", quae communiter, sed falso, referuntur ad *Concilium Carthaginiense IV.* „Quaerendum etiam ab eo, si Novi et Veteris Testamenti, i. e. legis et prophetarum et apostolorum, unum eundemque

---

[1] *Mansi*, Conc. Coll. III 924; cf. 891, can. 47 et *Theod. Zahn*, Geschichte des neutestamentlichen Kanons II, 1, Erlangen 1890, 246 sqq.

[2] Cf. *Zahn* l. c. 259 sqq; cf. ib. de can. 59 vel 60 non genuino synodi Laodicenae.

[3] *M* 59, 165, vel *Mansi*, Suppl. 1, 357.

[4] *Mansi*, Conc. Coll. III 1004; sed canones ibi tribuuntur priori Concilio Toletano. Canone 8 idem Concilium definivit: „Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse priscae legis, alterum evangeliorum, anathema sit."

credat auctorem et Deum." [1] Sive quis haec verba interpretatur immediate de Deo auctore librorum Veteris et Novi Testamenti, sive de omnibus institutis Veteris et Novi Testamenti, certe libri comprehenduntur, quia Manichaei, Marcionitae, alii libros Veteris Testamenti, utpote a malo spiritu inspiratos, reiciebant et solos libros Novi Testamenti Deo auctori tribuebant.

139. Concilium quintum oecumenicum, *Constantinopolitanum II,* inde a Collatione quarta egit contra Theodorum Mopsuestenum, ex cuius scriptis multa lecta sunt, inter alia ea, quae de libro Iob et de libris Salomonis dixit [2]. Quae fuerit mens Patrum Concilii de Theodori opinione, satis apparet ex inscriptionibus capitum (si sunt ex auctoritate Concilii additae), ut ante caput 63: „Eiusdem Theodori reprobantis et librum Iob, et contra conscriptorem eius, i. e. Sanctum Spiritum, dicentis, quod paganus sapiens hunc librum conscripsit." Sed Concilium quidquam vel de inspiratione vel de canone definivisse dicendum non est, cum omnes eius definitiones unice falsam de naturis et persona Christi doctrinam respiciant.

---

140. Proposuimus seriem testium a saeculo primo usque ad saeculum septimum et ultra ex ecclesia orientali et occidentali, qui omnes unanimiter et constanter ut dogma fidei catholicae proponunt vel supponunt Sanctum Spiritum esse auctorem Sacrae Scripturae, ipsum libros eius inspirasse et ecclesiae ut verbum Dei tradidisse, cui contradicere vel de quo dubitare nulli liceret.

Unde *argumento traditionis nixi has theses ut probatas statuere possumus:*

1. Deus est auctor Sacrae Scripturae, quia eam scribendam inspiravit.

2. Deus in condenda Scriptura usus est hominibus ut instrumentis vivis et rationalibus, quatenus eos movit ad ea omnia et sola scribenda, quae suo nomine scribi voluit.

3. Ideo Sacra Scriptura et singulae eius sententiae sunt verbum Dei infallibiliter verum.

4. Consequenter omnia et singula, quae in Scriptura a Deo inspirata leguntur, eo sensu, quo ibi dicuntur, fide divina credenda sunt.

5. Deus Sacram Scripturam ut suum librum ecclesiae tradidit tamquam normam divinitus constitutam fidei et morum.

6. Qui sint libri inspirati, discendum est ex doctrina ecclesiae, cuius est de libris ad canonem pertinentibus iudicium ferre.

Haec breviter hic indicata sint per modum corollarii ex praecedenti expositione necessario fluentis. Singula in parte dogmatica magis explicabuntur.

---

[1] *Mansi,* Conc. Coll. III 950. [2] *Mansi* l. c. IX 223 sqq.

CAPUT III.

DE SCRIPTORIBUS INTERMEDIIS INTER PATRES ET SCHOLASTICOS.

141. Doctrinam Patrum omnium fere integram de inspiratione rettulimus, quia maximi momenti erat ostendere apostolicam originem et traditionem non interruptam huius articuli fidei. In sequentibus, etsi numerus scriptorum magis magisque augetur, breviores esse licebit, quia ad firmitatem argumenti traditionis posteriores non iam quidquam addere possunt. Quidquid enim habent, ex Patribus hauserunt, id quod maxime valet de aetate, quae interiacet inter saeculum sextum et duodecimum. Unde singulos quosque scriptores recensere non valde utile, sed valde taediosum foret. Id quod etiam valet de plurimis theologis scholasticis. Nam pauci fuerunt duces, quos reliqui secuti sunt. Unde sufficiet imposterum de illis tantum loqui, qui ad doctrinam inspirationis magis enucleandam et expoliendam aliquid contulerunt.

142. Quid factum sit temporibus illis intermediis inter SS. Patres et theologos scholasticos non exposuit quisquam clarius quam **Cassiodorius**, et eo quidem loco, quo maxime de Sacra Scriptura eiusque inspiratione et interpretatione loquitur. Libros enim „De institutione divinarum litterarum“ ita exorditur:

„Cum studia saecularium litterarum magno desiderio fervere cognoscerem, ita ut multa pars hominum per ipsa se mundi prudentiam crederet adipisci, gravissimo sum (fateor) dolore permotus, quod Scripturis divinis magistri publici deessent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent. Nisus sum ergo cum beatissimo Agapito, papa urbis Romae, ut sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi, civitate Syrorum [cf. supra n. 106 107], ab Hebraeis sedulo fertur exponi, collatis expensis in urbe Roma professos doctores scholae potius acciperent christianae, unde et anima susciperet aeternam salutem, et casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur. Sed cum per bella ferventia et turbulenta nimis in italico regno certamina desiderium meum nullatenus valuisset impleri, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis, ad hoc divina caritate probor esse compulsus, ut ad vicem magistri introductorios vobis libros istos, Domino praestante, conficerem, per quos (sicut aestimo) et Scripturarum divinarum series et saecularium litterarum compendiosa notitia Domini munere panderetur.“ [1]

Deinde breviter percurrit singulos libros sacros, simul indicans, qui singulorum librorum commentatores exstiterint. Capite tertio decimo

[1] De inst. Praef.; *M* 70, 1105 sqq.

proponitur „divisio [i. e. canon] Scripturae divinae secundum Augustinum", capite quarto decimo duae aliae „divisiones". Docet Cassiodorius textum latinum, si necesse sit, ad normam textus graeci corrigendum esse.

Porro: „restat nunc, ut dicere festinemus, quemadmodum in Scripturis divinis librariorum vitia corrigere debeamus. . . . Istud enim genus emendationis, ut arbitror, valde pulcherrimum est et doctissimorum hominum negotium gloriosum" [1]. Ad quam emendationem rite faciendam regulas tradit, et monet Sacras Scripturas maxima reverentia esse tractandas. „Istas siquidem litteras non ratio humana repperit, sed hominibus sanctis virtus caelestis infudit, quas tunc bene datur intellegi, quando eas vera et utilia praedicare mens devota crediderit. Quid enim in illis litteris utilitatis et suavitatis non invenietis, si purissimo lumine mentis intendatis? Lectio divina cuncta virtus est, verbum non inaniter cadens, nec tardat effectus, quod promittit affectus." [2]

His igitur efficitur, illius aetatis hominibus doctis, monachis praecipue, propositum fuisse inter maximas omnium rerum perturbationes colligere et posteritati servare ea, quae a prioribus viris insignibus tradita erant, ut vel ipse Cassiodorius, qui tot muneribus publicis maxima cum laude perfunctus esset, dedignatus non sit, quemadmodum ipse scribit, „ad amantissimos orthographos discutiendos anno aetatis nonagesimo tertio" transire et ex variorum grammaticorum scriptis regulas orthographicas colligere, ut his adiuti monachi rectius et uniformius possent codices describere et corrigere [3].

In theologicis autem Cassiodorius presse sequitur Augustinum, quare opus non est quidquam hic addere ex eius dictis de inspiratione.

143. Saeculo septimo inter doctores ecclesiae eminet **S. Isidorus Hispalensis**, qui eodem modo, quo Cassiodorius non tam propria proponit, quam incredibili diligentia veterum sapientiam colligit. Opus suum „Etymologiarum" dicit „ex veteris lectionis recordatione collectum . . . sicut exstat conscriptum stilo maiorum" [4]. In hoc differt a Cassiodorio, quod in iis, quae de Scriptura tradit, magis sequitur Hieronymum quam Augustinum. In libro sexto Etymologiarum c. 2 recenset auctores et nomina sacrorum librorum et ita concludit: „Hi sunt scriptores sacrorum librorum, qui per Spiritum Sanctum loquentes ad eruditionem nostram et praecepta vivendi et credendi regulam conscripserunt." [5] Eadem verba repetit in libro primo „De ecclesiasticis officiis", sed quaedam addit: „Hi sunt scriptores sacrorum librorum. . . . Auctor autem earundem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui prophetis suis scribenda dictavit." [6]

---

[1] De inst. 14 sq; *M* 70, 1126. [2] Ib. 16; *M* 70, 1131.
[3] De orthographia, Praef.; *M* 70, 1241.
[4] Etymologiarum, Praef.; *M* 82, 73 sq. [5] Ib. 6, 2; *M* 82, 235.
[6] De eccl. officiis 1, 12, 13; *M* 83, 750.

„Quidam ideo non recipiunt Vetus Testamentum, pro eo quod aliud in tempore prisco, aliud agatur in novo. Non intellegentes, quod Deus, quid cuique congruerit tempori, magna quadam distributione concesserit. . . . Et tamen pro ista mutatione non est credendus Deus mutabilis, sed potius inde admirabilis praedicandus est, quia manens incommutabilis, quid cuique (ut diximus) tempori commodum fuit, magna cum distributione concessit.“ [1] „Historia sacrae legis non sine aliqua praenuntiatione futurorum gesta atque conscripta est. . . . Proinde quaedam, quae in ea figuratim dicta vel facta sunt et sunt plena mysticis sacramentis, adiuvante superna gratia, in hoc opusculo exsequentes intexuimus, veterumque ecclesiasticorum sententias congregantes, veluti ex diversis pratis flores lectos ad manum fecimus. . . . Et quia iam pridem iuxta litteram a nobis sermo totus contextus est, necesse est, ut praecedente historiae fundamento allegoricus sensus sequatur. Nam figuraliter quaedam intelleguntur, vere tamquam prophetica indicia praecedentia futurorum. Sane non omnia, quae in lege et prophetis scripta sunt, mysteriorum aenigmatibus obteguntur, sed pro his, quae aliquid significant, etiam quae nihil significant, conectuntur [cf. supra n. 127]. Sicut enim in citharis et huiusmodi organis musicis non quidem omnia, quae tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordae, cetera tamen in toto citharae corpore ideo facta sunt, ut esset, ubi conecterentur, et quo tenderentur illa, quae ad cantilenae suavitatem modulaturus est artifex, ita in his propheticis narrationibus quaeque dicuntur, aut aliquid sonant in significationem futurorum, aut, si nihil sonant, ad hoc interponuntur, ut sit, unde illa significantia tamquam sonantia conectantur. Has autem rerum gestarum figuras de mysticis thesauris sapientium, ut praediximus, depromentes, in unam formam compendio brevitatis contraximus, in quibus lector non nostra leget, sed veterum releget. Quod enim ego loquor, illi dicunt, et vox mea ipsorum est lingua. Sumpta itaque sunt ab auctoribus Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Fulgentio, Cassiano ac nostri temporis insigniter eloquenti Gregorio.“ [2]

Haec ostendunt Isidorum cum veteribus plane consentire quoad doctrinam inspirationis.

144. Eodem plane modo saeculo octavo **Beda Venerabilis** Patrum vestigia sequitur.

„De principio libri Genesis, in quo mundi huius creatio descripta est, multi multa dixere, multa posteris ingenii sui monimenta reliquere, sed praecipue, quantum nostra pusillitas ediscere potuit, Basilius Caesariensis. . . . Ambrosius Mediolanensis, Augustinus Hipponensis episcopus. . . . Verum quia haec tam copiosa, tam sunt alta . . . placuit vestrae sanctitati [Acca episcopo] id nobis officii iniungere, ut de omnibus his, velut de amoenissimis late florentis paradisi campis, quae infirmorum viderentur necessitati sufficere, decerperemus.“ [3] Similia aliis commentariis praemittit.

Expositio eius semper fere est allegorica et moralis, id quod ipsi tituli librorum plerumque indicant.

[1] Sent. 1, 20; *M* 83, 586.

[2] Quaest. in Gen., Praef.; *M* 83, 207 sqq.

[3] In Hexaëm., Praef.; *M* 91, 9 sqq.

„Studium nobis frequentiamque legendi ac meditandi litteras sanctas commendans apostolus ait: Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Et alibi: Omnia in figura contingebant illis. . . . Si enim ad nostram correptionem, doctrinam vel consolationem omnia scripta sunt . . . insistendum nobis summopere est et pro suo cuique modulo, Christi iuvante gratia, nitendum, ne ea, quae propter nos scripta sunt, nostro nos torpore vel incuria quasi aliena praetereant; sed quo sensu in his correptionem, qua ratione doctrinam, quo intellectu consolationem nanciscamur, qualiter omnia dies istos loquantur et annuntient, sollicite et vigilanter intendamus, imitantes pro captu nostri ingenioli scribam illum doctum in regno caelorum, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Nam si vetera tantum de thesauro Scripturarum proferre, hoc est solas litterae figuras sequi iudaico more curamus, quid inter cotidiana peccata correptionis, inter crebrescentes aerumnas saeculi consolationis, inter innumeros vitae huius errores doctrinae legentes vel audientes acquirimus?“ [1]

145. *Elementum divinum in inspiratione Beda aeque effert atque humanum.*

De prooemio Lucae ait: „Quo manifestissime prooemio significat eam sibi maxime causam evangelii fuisse scribendi, ne pseudoevangelistis facultas esset falsa praedicandi . . . qui non Spiritus Sancti munere donati, sed vacuo labore conati, magis ordinarint narrationem, quam historiae texuerint veritatem. . . . Quod autem visum etiam sibi scribere dicit, non quasi a se sibi visum, sed Spiritu Sancto instigante sibi quoque visum significat.“ [2] S. Ioannes a discipulis rogatus erat, ut ipse quoque evangelium scriberet. „Quod ille se non aliter facturum respondit, nisi indicto ieiunio omnes in commune Dominum precarentur, ut illo donante digna scribere posset. Et hoc ita patrato, instructus revelatione caelesti ac Spiritus Sancti gratia inebriatus, omnes haereticorum tenebras, patefacta subito veritatis luce, dispulit dicens: In principio erat Verbum.“ [3]

Elementum humanum maxime apparet in modo dicendi. „Admonere curabimus ipsum evangelistam Lucam, ut dictum est, iuxta traditionem veterum ecclesiae tractatorum medicinae artis fuisse peritissimum et magis graecas litteras scisse quam hebraeas. Unde sermo eius tam in evangelio quam in actibus apostolorum comptior est et saecularium redolet eloquentiam magisque testimoniis graecis utitur quam hebraeis.“ [4] Explicans illa Petri verba: „Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines“ (2 Petr 1, 21), Beda haec scribit: Sicut non erat in potestate prophetarum „semper futura posse praedicere, sed ipse Spiritus eorum corda, quando voluit, implevit, ita etiam eorum potestatis non erat, ut, quaecumque vellent, docerent, sed quae Spiritu illustrati didicerant, ea sola dicebant. Haec ideo dicimus, ne quis ad libitum suum Scripturas exponere audeat. Ridicule quidam haec beati Petri verba interpretatus est, dicens, quod, sicut fistula flatum oris humani, ut resonet, accipit, nec sonum tamen ipsa, quem ministrat, quia insensibilis naturae est, intellegere valet, ita prophetae Dei Spiritu inspirati ea, quae idem Spiritus

[1] In Sam., Prol.; *M* 91, 499. [2] In Luc., Prooem.; *M* 92, 307 sq.
[3] In Ioann. 1; *M* 92, 637. [4] Epist. 10 ad Accam; *M* 94, 692.

vellet, ore proferrent, nec tamen ea, quae dicerent, ipsi mente tenerent iuxta illud Maronis: ‚Dat sine mente sonum'; quod impudentissimi erroris esse palam claret. Quomodo enim audientibus tam sana vivendi consilia darent, si insanis similes ipsi, quae loquerentur, nescirent? Quare ‚videntes' appellantur prophetae? Qua ratione scriptum est: ‚Verbum, quod vidit Isaias' aut aliquis propheta, nisi quia in occulto visionum caelestium lucidissimo mentis intuitu cognoscebant arcana, quae foras suis auditoribus palam verbis, quibuscumque vellent, efferrent?" [1] Ergo delectum verborum ipsorum voluntati adscribit.

Ceterum Beda propter criticas in Sacram Scripturam inquisitiones in haeresis suspicionem venit, et consolatur se Hieronymi exemplo, qui ob similem rationem „paene a Latinis simul et Hebraeis est lapidibus oppressus" [2].

146. Idem fere quod Bedae, saeculo nono accidit **Agobardo**, Lugdunensi episcopo, qui *Fredegiso* (vel Fridugiso) abbati, Alcuini discipulo, videbatur liberius locutus de Scriptura et eius interpretibus; quare hic abbas dicebat se velle „tota intentione divinam Scripturam cum editoribus, interpretibus atque expositoribus suis" ab Agobardi imperitiae calumniis defendere. Docuerat enim Agobardus *et sacros auctores et eorum interpretes interdum soloecismos et alia peccata contra grammaticam commisisse, idque in hunc finem, ut eo facilius a legentibus intellegerentur.* At Fredegisus censebat eiusmodi apparentibus defectibus semper subesse magna mysteria, cum Spiritus Sanctus non sine ratione haec et non alia verba scriptoribus suggessisset.

„Ita igitur hoc uno modo apostoli et evangelistae et totius divinae Scripturae interpretes cum catholicis eius expositoribus ab imperitiae calumnia rationabiliter defendi queunt. Nihil enim omnino contra regulam grammaticae dixerunt, quod non ita aut ratio aliqua aut causa mysterii dici exigeret. Turpe est enim credere Spiritum Sanctum, qui omnium gentium linguas mentibus apostolorum infudit, rusticitatem potius per eos quam nobilitatem uniuscuiusque linguae locutum esse."

Respondet Agobardus in Scriptura quaerendum esse sensum, non verba.

„Apparet in his verbis vestris, quod ita sentiatis de prophetis et apostolis, ut non solum sensum praedicationis et modos vel argumenta dictionum Spiritus Sanctus iis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ore illorum ipse formaverit. Quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit?" Illustratur exemplo Moysis et Aaronis, quorum ille ob defectum facundiae excusatur, hic vero ob eloquentiam ad Pharaonem loqui debet. „Attendite, quia, si secundum vos ipsa verba corporalia in ore Moysi sonantia eius [Dei] erant, quare ergo gracilis vox? quare ergo impeditior sermo? Aaron erat propheta Moysi, Moyses propheta Dei. Quare ergo robustior vox et expeditior sermo in propheta Moysi quam

[1] In 2 Petr. 1; *M* 93, 73 sq. [2] Epist. 3; *M* 94, 673.

in propheta Dei? Numquid et hoc vitium, gracilitatem scilicet vocis et linguae impeditionem Spiritui Sancto tribuetis? Restat ergo, ut, sicut ministerio angelico vox articulata formata est in ore asinae, ita dicatis formari in ore prophetarum. Et tunc talis etiam absurditas sequetur, ut, si tali modo verba et voces verborum acceperunt, sensum ignorarent. Sed absit talia deliramenta cogitare." Provocat ad Hieronymi dicta de soloecismis Pauli [cf. supra n. 111] et ad eius praefationes in Isaiam, Ieremiam, Ezechielem. „Quid de differentia locutionis prophetarum eorum dixerit, diligenter perpendite, et invenietis nobilitatem divini eloquii non secundum vestram assertionem more philosophorum in tumore et pompa esse verborum, sed in virtute sententiarum, secundum quod ipse apostolus ait: Non enim in sermone est regnum Dei sed in virtute. . . . Ecce quia laus divinae sapientiae in sacris mysteriis et in doctrina Spiritus invenitur, non in adinventionibus verborum. . . . Vos sic laudatis, ut laude vestra magis minoretur quam augeatur [maiestas divinae locutionis], quoniam in his, quae extrinsecus sunt, dicitis nobilitatem linguarum ministrasse apostolis Spiritum Sanctum, ut confuse et indifferenter cum apostolis omnes interpretes et quoscumque expositores laudetis atque defendatis. Nam si secundum vos omnibus auctoribus divinorum librorum exteriorem nobilitatem aequaliter ministravit Spiritus Sanctus, quare unus apostolus, id est Paulus, disertior invenitur in lingua hebraica quam in graeca, sicut praedictus Hieronymus in praefatione epistulae, quae ad Hebraeos praetitulatur, scribit, dicens: ‚Non est sane mirum, si eloquentior videatur in proprio quam in peregrino, id est graeco sermone, quo ceterae epistulae sunt scriptae.' Ecce, habes disertiorem Paulum in una epistula quam in ceteris. Sed tamen ipsae ceterae epistulae, licet in sermone minus ab illa aliquid habere videantur, tamen in arcanis sensibus, secretis mysteriis ac figuris locutionum, in quibus omnem sapientiam huius mundi incomparabiliter superant, minoris virtutis non sunt."

147. Neque cum his pugnant ea, quae brevi ante dixit:

„Ista tamen inconcussa et firma auctoritas illorum auctorum est, per quos Spiritus Sanctus Novi et Veteris Testamenti volumina confecit, de quibus *nulli umquam homini licuit aut licet cogitare vel unam litteram aliter eos dicere debuisse quam dixerunt, quoniam eorum auctoritas firmior est caelo ac terra,* secundum quod Dominus ait: Facilius est caelum et terram transire quam de lege unum apicem cadere."

Hic nihil aliud vult nisi Fredegiso ostendere magnam differentiam inter auctoritatem sacrorum auctorum et auctoritatem interpretum et expositorum.

Ideo ait: In Scriptura nihil est vituperandum, sed omnia cum reverentia suscipienda. Interpretum autem non est tanta auctoritas, sed quaedam versiones sunt bonae et sua auctoritate non carent, ut Septuaginta, Hieronymi, vetus latina; quaedam sunt reprehensibiles, ut Aquilae, Theodotionis, Symmachi. Item genus expositorum „non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legendum est" secundum Augustinum. „Haec omnia idcirco dicimus, ut appareat, quia, quam iniuste a vobis criminamur, cum dicitis nos reprehensores apostolorum et divinarum Scripturarum esse, tam iniuste vel potius multo iniustius quoscumque interpretes atque expositores coaequatis apostolis et evangelistis, cum Symmachum et Paulum et Didymum

et Ioannem una defensione indifferentique laude dignos ducitis. Bonum est recordari verborum Domini: ‚Nonne, si recte offeras et non recte diiudicas, peccasti?' Qui enim recte credit catholicam fidem, recte videtur offerre. Sed si quibuscumque doctoribus aut interpretibus cum apostolis et evangelistis aequalem venerationem tribuit, non recte dividit atque ideo peccat."

Itaque in oppositione ad alios scriptores vult summam auctoritatem Scripturae efferre. Quod cum facit negando vel ullam eius litteram esse vituperandam, utitur figura locutionis ad exemplum Christi, nequaquam vero inspirationem verbalem docet, quam immediate post refutat [1].

148. **Rabanus Maurus** ideo dignus est, qui audiatur, quia ea proponit, quae suis temporibus censuit omnibus clericis scitu necessaria esse de Sacra Scriptura. *Exhibet canonem Veteris et Novi Testamenti eundem, quem nunc habemus.*

„Hi sunt ergo libri Veteris Testamenti, quos sub amore doctrinae et pietatis legendos recipiendosque ecclesiarum principes tradiderunt. Primi namque legis, id est, Moysi libri quinque sunt.... Sic complentur libri Veteris Testamenti quadraginta quinque." Libri Novi Testamenti viginti septem. „Hi sunt libri canonici septuaginta duo, et ob hoc Moyses septuaginta elegit presbyteros, qui prophetizarent; ob hoc et Iesus Dominus noster septuaginta duos discipulos praedicare mandavit. Et quomodo septuaginta duae linguae in hoc mundo erant diffusae, congrue providit Spiritus Sanctus, ut tot libri essent, quot nationes, quibus populi et gentes ad perficiendam fidei gratiam aedificarentur." [2] Dein recenset nomina scriptorum Veteris et Novi Testamenti et varias versiones, et repetit duas fabulas de Esdra miraculoso modo restituente libros sacros a Chaldaeis combustos et de septuaginta interpretibus in singulas cellulas inclusis. Concludit iisdem fere verbis, quibus Isidorus (supra n. 143): „Hi sunt scriptores sacrorum librorum, divina inspiratione loquentes, ad eruditionem nostram praecepta caelestia in ecclesia dispensantes. Auctor autem earundem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui per prophetas suos scribenda dictavit." [3]

„Fundamentum autem, status et perfectio prudentiae scientia est Sanctarum Scripturarum, quae ab illa incommutabili aeternaque sapientia profluens, quae ex ore Altissimi prodiit, primogenita scilicet ante omnem creaturam, Spiritus Sancti distributionibus per vasa Scripturae lumen indeficiens quasi per laternas orbi lucet universo" [4] „Sed multis et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes.... Quod totum provisum esse divinitus non dubito ad edomandam labore superbiam et intellectum a fastidio renovandum. . . . Qui enim prorsus non inveniunt, quod quaerunt, fame laborant; qui autem non quaerunt, quia in promptu habent, fastidiose permarcescunt. In utroque autem languor cavendus est. Magnifice ergo et salubriter Spiritus Sanctus medicavit, ut locis aper-

[1] Liber contra obiectiones Fredegisi abbatis 7 sqq; *M* 104, 162 sqq.
[2] De clericorum institutione 2, 53; *M* 107, 364 sq.
[3] Ib. 2, 54; *M* 107, 367. [4] Ib. 3, 2; *M* 107, 379.

tioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil autem fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.“ [1] Ad utile autem Scripturae studium praerequiritur, ut homo in timore et caritate Dei sit solide fundatus.

In studio Scripturae hic ordo est servandus, ut primo quis omnes libros legat et dein se ad expositionem convertat. „Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit notasque habuerit etsi nondum intellectu, iam tamen lectione.“ Sed ab initio solas canonicas Scripturas legat, apocryphas vero omittat. Canonicae sunt, quae ab apostolicis ecclesiis agnoscuntur. Si de quo libro est disputatio, sequatur meliores auctoritates [2].

149. Hebraei non sicut nos quadraginta quinque libros Veteris Testamenti accipiunt, sed viginti duo „dividentes eos in tres ordines, legis scilicet, prophetarum et hagiographorum“.

Primus ordo complectitur Pentateuchum, secundus ordo praeter Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, duodecim minores prophetas etiam complectitur libros Iosue, Iudicum, Samuelis, Regum; tertius ordo complectitur Iob, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum, Danielem, Paralipomena, Esdram, Esther. „Quidam autem Ruth et Cinoth, quod latine dicitur lamentatio Ieremiae, hagiographis adiciunt et viginti quatuor volumina Veteris Testamenti faciunt iuxta viginti quattuor seniores, qui ante conspectum Dei adsistunt. Isti sunt libri, qui apud Hebraeos canonicam auctoritatem habent. Quartus est apud nos ordo Veteris Testamenti eorum librorum, qui in canone hebraico non sunt, quorum primus Sapientiae liber est, secundus Ecclesiasticus, tertius Tobiae, quartus Iudith, quintus et sextus Machabaeorum, quos, licet Iudaei inter apocrypha separent, ecclesia tamen Christi inter divinos libros honorat et praedicat. In Novo autem Testamento duo sunt ordines, primus evangelicus, in quo sunt Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes; secundus apostolicus, in quo sunt epistulae apostolorum Petri, Iacobi, Ioannis, Iudae et Pauli et liber Actus apostolorum et Apocalypsis. In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti quaerunt voluntatem Dei, cuius operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriae vel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quae in iis aperte posita sunt, vel praecepta vivendi vel regulae credendi, sollertius diligentiusque investiganda sunt, quae tanto plura quisque invenit, quanto est intellegentia capacior. In his enim, quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem, mores vivendi, spem scilicet atque caritatem. Cum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum in ea, quae obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum est, [servetur regula] ut ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem ceteris auferant, in qua re memoria valet plurimum, quae si defuerit, non potest his praeceptis dari.“ [3]

[1] De clericorum institutione 3, 3; *M* 107, 380.

[2] Ib. 3, 6; *M* 107, 383. Haec et alia hausta sunt ex *Augustino*, De doctrina christiana 2, 8 sqq; *M* 34, 40 sqq.

[3] De clericorum institutione 3, 7; *M* 107, 383.

150. Procedit Rabanus ad danda *praecepta hermeneutica.* Agit de signis seu de vocabulis et locutionibus, quae partim sunt propria, partim impropria et figurata. Ad signa recte intellegenda necessariam esse notitiam linguae, et si de versionibus agatur, aut etiam addiscendam esse eam linguam, ex qua versio facta sit, aut variorum interpretum versiones esse comparandas. Ad significationes figuratas recte intellegendas, discendum esse sensum nominum propriorum, naturam rerum, de quibus agatur, vim numerorum et rationem rerum musicarum. Ambiguas locutiones esse diiudicandas secundum analogiam fidei et ex contextu sermonis [1]. „Rarissime et difficillime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros divinarum Scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis, qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio aut praecedentis linguae [ex qua facta est versio] solvat inspectio." [2] Maxime vero cavendum esse, ne locutiones figuratae sumantur sensu proprio, vel locutiones propriae accipiantur ut figuratae. Ut autem distingui possit, quid proprie, quid figurate dictum sit, haec regula statuitur: Quidquid caritati servit, proprie accipiendum est; quidquid sensu proprio contra caritatem videtur esse, figurate accipiendum est. „Si praeceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam vitare, figurata est." [3] Ceterum locutiones figuratas pro varietate contextus varias et oppositas posse habere significationes. Tandem Rabanus ex libris S. Augustini de doctrina christiana excerpit ea fere, quae supra (n. 126) vidimus, et ostendit, quomodo doctrinae gentilium, grammatica, rhetorica, dialectica, mathematica, arithmetica, geometria, musica, astronomia aliquid utilitatis conferre possint perscrutatoribus Sacrarum Scripturarum [4].

151. Hac igitur ratione illa aetate concipiebatur ea pars disciplinae theologicae, quae nunc vocari solet „Introductio in Sacram Scripturam", multo utique tunc simplicior et brevior, quam nunc est. Tam de inspiratione quam de canone omnia fere definita censebantur per doctrinam ecclesiae, quam doctrinam cum ne haeretici quidem impugnarent, quod auctoritatem Scripturae attinet, vix ullae inquisitiones historicae vel refutationes falsarum opinionum videbantur necessariae. Notum quidem supponebatur Iudaeos palaestinenses quosdam libros Veteris Testamenti non habuisse in canone, quos ecclesia habet. Sed nihil valebat Iudaeorum sententia contra ecclesiae auctoritatem. Notum quoque erat de quibusdam libris inter ipsos catholicos disputatum fuisse. Sed haec disputatio iam diu cessaverat et unanimi consensui locum dederat. Itaque interim in pace fruebantur Sacra Scriptura, neque ad ea, quae sancti Patres de Scriptura exposuerant, quidquam addendum esse putabant. Erant compilatores, neque ob hoc reprehendendi sunt, sed maximopere laudandi, quod illis turbulentissimis tem-

[1] Ib. 3, 8 sqq; *M* 107, 384 sqq.

[2] Ib. 3, 12; *M* 107, 388. Rabanus haec sumpsit ex *Augustino*, De doctrina christiana 3, 4.

[3] De clericorum institutione 3, 13; *M* 107, 390.

[4] Ib. 3, 15 sqq; *M* 107, 391 sqq.

poribus thesauros antiquitatis christianae, qui in periculo erant, ne perirent, nobis tam fideliter servaverunt.

Non pauci inter hos scriptores, nixi auctoritate Gregorii Magni, valde exaggerant divinam inspirationem, ob quam necesse non sit multum quaerere de scriptoribus humanis, sed potius conandum sit inexhaustam Scripturae profunditatem magis magisque penetrare. Ideo multiplicitatem sensuum Scripturae augere studuerunt, sed in definitione variorum sensuum valde inter se discrepant. Ex iis, quae supra (n. 127) Augustinum dicentem audivimus, quadruplicem sensum Scripturae statuerunt.

152. Iam saeculo quinto **S. Eucherius Lugdunensis** haec scripsit:

„Sapientia mundi huius philosophiam suam in tres partes dividit: physicam, ethicam, logicam. . . . Quam tripartitam doctrinae disputationem non adeo abhorret illa nostrarum in disputatione distinctio, qua docti quique hanc caelestem Scripturarum philosophiam secundum historiam, secundum tropologiam, secundum anagogen disserendam putarunt. Quapropter historia veritatem nobis factorum ac fidem relationis inculcat. Tropologia ad vitae emendationem mysticos intellectus refert. Anagoge ad sacratiora caelestium figurarum secreta perducit. Sunt etiam, qui allegoriam in hoc scientiae genere quarto in loco adiciendam putent, quam gestorum narrationem futurorum umbram praetulisse confirment. Haec vero ipsa ut subiectis plenius manifestentur exemplis, caelum est secundum historiam hoc, quod intuemur, secundum tropologiam vita caelestis; aquae secundum allegoriam baptismus, secundum anagogen angeli, unde est illud: Et aquae, quae super caelos sunt, laudent nomen Domini.“ [1]

153. Hunc igitur quadruplicem sensum alii magis expanderunt. Secundum **Angelomum Luxoviensem** secretum Scripturae „doctorum sollertia attestante septemforme dignoscitur“, sicut liber ille in Apocalypsi septem sigillis signatus erat.

Sensus „*primus* historicus ille est [simpliciter litteralis], ubi nihil spiritale continetur, sicut ait Samuel: ‚Melior est oboedientia quam victimae‘, et mille talia. *Secundus* allegorialis, ubi ait, quod in omnibus finibus Israel puella speciosa regi David requiritur, in cuius sinu dormiat et calefiat, tam casta, ut calefactum ad libidinem non provocet: quae sapientiam figurat, quae etiam in senibus non senescit, sed frigescentibus membris dilectores suos igne ampliore non succendit. *Tertius* uterque modus [i. e. historicus simul et allegorialis seu potius typicus], sicut in David ostenditur, ubi Bethsabee, uxorem Uriae, incaute respexisse dicitur et peccasse, ut demonstretur, quod nullus debeat iuxta historiam mulierem incaute respicere. In quo facto allegorica etiam significatio continetur, sicut in suo loco abunde descripsimus [2].

[1] Liber formularum, Praef.; *M* 50, 728.

[2] Secundum ipsum David est figura Christi, Bethsabee figura ecclesiae lavacro baptismi mundatae etc. In 2 Reg. 11; *M* 115, 361 sqq.

Quartus modus, ubi nobis aliquando proprie, aliquando tropice divinitas sacris eloquiis intimatur. Proprie, sicut Elias ait: ‚Vivit Dominus, in cuius conspectu sto'. . . . Tropice, iuxta quod Michaeas: ‚Vidi Dominum sedentem' . . . et cetera talia, quae de Deo translate, non proprie accipi solent. *Quintus* parabolaris, quo cum aliud dicitur, aliud in sacris paginis invenitur. . . . Cui convenit illud: Carduus, qui est in Libano, misit ad Cedrum, quae est in Libano, ut daret ei filiam suam (4 Rg 14, 9), et reliqua. De *sexto* vero, ubi geminus adventus Christi continetur, cunctis patet, quis sit primus, quis erit futurus, qui uterque praefiguratur. *Septimus* proinde modus, qui geminam praeceptorum retinet qualitatem, ille est vitae agendae, ut exempli gratia: ‚Diliges proximum tuum sicut te ipsum' . . . ipse est et figurandae vitae, carnalium videlicet victimarum et vasorum compositione. Victimae enim hoc praefigurabant. quod hortatur apostolus, ut ‚exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem'. Vasa vero similiter electos designabant, divinis officiis occupatos. Qui modus cum secundo similis videatur, illa tamen ratione discernitur, quod hic ad mores tantum, ille etiam redigendus est ad fidem. Verum licet illi modi multipliciter istic inveniantur, tamen iuxta iugitatem triplicis divisionis studuimus primum historicam, quae gesta depromit, tangere, deinde allegoricam significationem, quae fidem aedificat, pandere, ad extremum quoque moralitatem, quae vitam honestam componit, subnectere" [1].

154. Similiter ex epitome S. **Odonis** in Iob collegit operum eius editor *Marrier* septem sensus, cui octavum aliunde addit.

„In ipsa igitur Scriptura Sacra octo numero sensus praecipue propriissimis locis comperiuntur, scilicet: litteralis vel historicus, allegoricus vel parabolicus, tropologicus vel etymologicus, anagogicus vel analogicus, typicus vel exemplaris, anaphoricus vel proportionalis, mysticus vel apocalypticus, et ultimus boarcademicus (?) vel primordialis." Sensus allegoricus est, „quando unum dicitur et aliud intellegitur". Tropologicus est „comparatio quaedam moralis ante actorum superioribus temporibus ad nostra usque tempora, ut similiter agamus". Anagogicus est „sensus reductivus a terrestribus ad caelestia". Typicus est „in persona una alius repraesentativus", ut Iacob est typus electorum, Esau vero reproborum. Anaphoricus est sensus „relativus temporum, ut, qualia fuerint tempora sub Isaac et Ismaele, talia sint sub ecclesia et synagoga, et, ut Ismael persequebatur Isaacum, ita synagoga insectetur ecclesiam". Mysticus sensus „est totus divinus", ut quid Deus praeparaverit diligentibus se, non possit ascendere in cor hominis. „Ultimus sensus boarcademicus, i. e. quo ipsa principia rerum comparantur cum beatitudine aeterna et tota dispensatione salutis, veluti loquendo de regno Dei, quod omnia sint ad Deum ipsum, unde manarunt, reditura. . . . Sed iste sensus est tantum usitatus apud Iudaeos cabbalistas. Alii sensus sunt celebres in doctoribus: litteralis in Hieronymo, allegoricus in Gregorio, tropologicus in Ambrosio, anagogicus in Augustino, typicus in Basilio et Bernardo, anaphoricus in Clemente, Petri successore, et mysticus in Nazianzeno." [2]

---

[1] In libros Regum, Praef.; *M* 115, 245 sq. [2] *M* 133, 105 sqq.

Haec sint exempli gratia posita, quia ex altera parte ostendunt, qua veneratione illi scriptores Sacram Scripturam prosecuti sint, utpote libros ex divina inspiratione ultra omnes alios libros abundantes profundissimis sensibus; ex altera parte, quomodo posthabitis logicae praeceptis in istis expositionibus varia permisceantur. Nam sub nomine sensuum Scripturae praeter verum sensum Scripturae indicantur tropicae locutiones, artificiosae deductiones, alia, quae non constituunt multiplices Scripturae sensus, sed partim sunt applicationes morales et asceticae, partim materiae divisiones, partim etiam sunt mentis errata. Non est tamen dubium, quin multi ex illis scriptoribus putaverint singulis fere Scripturae verbis revera subesse sensus varios et inter se vix cohaerentes [1]. Postea autem Scholastici, ut S. Thomas et alii, has miras inventiones ad sanam doctrinam reduxerunt. Sed haec, quae elegimus, exempla, etiam satis patefaciunt, cur in similibus congerendis diutius immorandum non sit. Nam usque ad Scholasticos nullus apparet progressus in doctrina inspirationis, sed aut ea repetuntur, quae sancti Patres dixerunt, aut, si quae nova adduntur, plerumque ea sunt, quae ad veri cognitionem promovendam vix quidquam contulerint.

CAPUT IV.

DE THEOLOGIS ANTE CONCILIUM TRIDENTINUM.

ART. I.

DE PRAECURSORIBUS THEOLOGIAE SCHOLASTICAE.

155. Theologi scholastici vocantur ii, qui inde a saeculo duodecimo integram theologiam speculative et systematice tractaverunt. Prae-

[1] *Scotus Erigena* discipulum facit dicentem: „Non solummodo in parabolis, verum etiam in multis divinae Scripturae locis talis [multiplicis] formae locutionis divinum nectar eructant, facilemque interpretationis viam studiosis mysticorum sermonum theoriae praestant. Non enim alio modo sanctorum prophetarum multiplex in divinis intellectibus contextus potest discerni, nisi per frequentissimos non solum per periodos, verum etiam per cola et commata transitus ex diversis sensibus in diversos et ab iisdem iterum in eosdem per occultissimas creberrimasque reversiones. . . . O Domine Iesu, nullum aliud praemium, nullam aliam beatitudinem, nullum aliud gaudium a te postulo, nisi ut ad purum absque ullo errore fallacis theoriae verba tua, quae per tuum Sanctum Spiritum inspirata sunt, intellegam Haec est enim summa felicitatis meae finisque perfectae est contemplationis, quia nihil ultra rationabilis anima etiam purissima inveniet, quia nihil ultra est“ (De divisione naturae 5, 38: *M* 122, 1010). Alibi ipse magister ait: „Infinitus conditor Sacrae Scripturae in mentibus prophetarum, Spiritus Sanctus, infinitos in ea constituit intellectus, ideoque nullius expositoris sensus sensum alterius aufert, dummodo ut sanae fidei catholicaeque professioni conveniat, quod quisque dicat“ (ib. 3, 24; *M* 122, 690).

ierant viri docti, qui unam alteramve quaestionem hac ratione discutiendam susceperant vel de universa theologia sententias Scripturae et Patrum collegerant et quibusdam disputationibus elucidare studuerant.

Eminet inter hos **Hugo a S. Victore**, qui de Sacra Scriptura duobus maxime locis agit, et magna ex parte iisdem verbis, nimirum opusculo „De Scripturis et scriptoribus sacris" et libris quarto, quinto, sexto „Eruditionis didascalicae".

„Lectorem divinarum Scripturarum primum erudire oportet, quae Scripturae divinitatis nomine singulariter dignae sunt honorari. . . . *Sola autem illa Scriptura iure divina appellatur, quae per Spiritum Sanctum aspirata est,* et per eos, qui Spiritu Dei locuti sunt, administrata hominem divinum facit, ad similitudinem Dei illum reformans, instruendo ad cognitionem et exhortando ad dilectionem ipsius. In qua quidquid docetur, veritas, quidquid praecipitur, bonitas, quidquid promittitur, felicitas est." [1]

„*Secundum triplicem intellegentiam exponitur sacrum eloquium.* Prima expositio est historica, in qua consideratur prima verborum significatio ad res ipsas, de quibus agitur. Habet enim sacrum eloquium proprietatem quandam ab aliis scripturis differentem, quod in eo primum per verba, quae recitantur, de rebus quibusdam agitur, quae rursum res vice verborum ad significationem aliarum rerum proponuntur [typi]." Historiae proprie est visa narrare, „sed solet largius accipi, ut dicatur historia sensus, qui primo loco ex significatione verborum habetur ad res. Secunda expositio est allegorica. . . . Et est simplex allegoria, cum per visibile factum aliud visibile factum significatur [per Iob patientem Christus patiens]. Anagoge, id est sursum ductio, cum per visibile invisibile factum declaratur [per Iob anima iusta et paenitens]. . . . Et haec facta ad litteram, quae repraesentant huiusmodi spiritualia, sacramenta [mysteria] dicuntur" [2].

„*Sane non omnia, quae in divino reperiuntur eloquio, ad hanc triplicem torquenda sunt interpretationem,* ut singula historiam, allegoriam et tropologiam simul continere credantur. Quod etsi in multis congrue assignari possit, ubique tamen observare aut difficile est aut impossibile. Sicut enim in cithara et huiusmodi organis musicis [et reliqua, quae supra a S. Isidoro audivimus n. 143] . . . ita in divinis eloquiis quaedam posita sunt, quae tantum spiritualiter intellegi volunt, quaedam vero morum gravitati deserviunt, quaedam etiam secundum simplicem historiae sensum dicta sunt, nonnulla vero, quae secundum historiam et allegoriam et tropologiam convenienter exponi possunt." [3]

„Cum igitur mystica intellegentia non nisi ex iis, quae primo loco littera proponit, colligatur, miror, qua fronte quidam allegoriarum se doctores iactitant, qui ipsam adhuc primam litterae significationem ignorant. . . . *Noli itaque de intellegentia Scripturarum gloriari, quamdiu litteram ignoras.* Litteram autem ignorare est ignorare, quid littera significet, et quid significetur a

---

[1] De Scripturis 1; *M* 175, 9 sqq. [2] Ib. 3; *M* 175, 11 sq.
[3] Ib. 4; *M* 175, 12 sq.

littera. . . . Nam in eo etiam, quod figurative dictum accipitur, littera suam significationem habere non negatur. . . . Dicitur igitur aliquid et significatur a littera tunc etiam, quando id, quod dicitur, non ita intellegitur, ut dicitur, sed aliud, quod per id dictum significatur [metaphora]. . . . Ad hunc modum lectorem admonitum esse volumus, ne forte haec prima doctrinae rudimenta despiciat. Neque contemnendum putet harum rerum notitiam, quas nobis Sacra Scriptura per primam litterae significationem proponit, quia ipsae sunt, quas Spiritus Sanctus carnalibus sensibus et nonnisi per visibilia invisibilia capere valentibus quasi quaedam simulacra mysticorum intellectuum depinxit et per similitudines propositas eorum, quae spiritualiter intellegenda sunt, claram demonstrationem figuravit. Quodsi, ut isti dicunt, a littera statim ad id, quod spiritualiter intellegendum est, transiliendum foret, frustra a Spiritu Sancto figurae et similitudines rerum, quibus anima ad spiritualia erudiretur, in sacro eloquio interpositae fuissent." [1] „*Omnis Scriptura secundum propriam interpretationem exposita et clarius elucescit et ad intellegendum se faciliorem legentibus pandit accessum.* Multi virtutem Scripturarum non intellegentes, expositionibus peregrinis decorem ac pulchritudinem earum obnubilant et, cum occulta reserare debuerint, etiam manifesta obscurant. Mihi vero simili culpae subiacere videntur, vel qui in Sacra Scriptura mysticam intellegentiam et allegoriarum profunditatem negant, ubi est, vel apponendam superstitiose contendunt. ubi non est." [2] „Aedificaturus ergo, primum fundamentum historiae pone, deinde per significationem typicam in arcem fidei fabricam mentis erige, ad extremum ergo per moralitatis gratiam quasi pulcherrimo superducto colore aedificium pinge. Habes in historia, quo Dei facta mireris; in allegoria, quo eius sacramenta [mysteria] credas; in moralitate, quo perfectionem ipsius imiteris." [3] In omni autem expositione insistendum traditioni catholicae. „Neque a te ipso erudiri praesumas, ne forte, dum te introducere putas, magis seducas. A doctoribus et sapientibus haec introductio quaerenda est, qui et auctoritatibus sanctorum Patrum et testimoniis Scripturarum eam tibi, prout opus est, et facere et aperire possint." [4]

Quod canonem attinet, „Scripturae divinae sunt, quas a catholicae fidei cultoribus editas, auctoritas universalis ecclesiae ad eiusdem fidei corroborationem in numero divinorum computandas recepit et legendas retinuit" [5]. Numerat viginti duos libros Veteris Testamenti. „Sunt praeterea alii quidam libri, ut Sapientia Salomonis, liber Iesu filii Sirach, et liber Iudith et Tobias et libri Machabaeorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in canone. His viginti duobus libris Veteris Testamenti octo libri Novi Testamenti iunguntur." Quattuor libros constituunt Evangelia, quattuor reliquos Actus, epistulae Pauli, epistulae catholicae, Apocalypsis. Sequuntur decretalia et libri sanctorum Patrum. „Haec tamen scripta Patrum in textu divinarum Scripturarum non computantur, quemadmodum in Vetere Testamento quidam libri sunt, qui non scribuntur in canone et tamen leguntur, ut Sapientia Salomonis et ceteri: Textus igitur divinarum Scripturarum quasi totum corpus principaliter triginta libris continetur." [6]

---

[1] De Scripturis 5; *M* 175, 13 sq.
[2] In Ecclesiasten, Praef.; *M* 175, 114 sqq.
[3] Eruditio didascalica 6, 3; *M* 176, 801.
[4] Ib. 6, 4; *M* 176, 805. [5] Ib. 4, 1; *M* 176, 778.
[6] De Scripturis 6; *M* 175; 15 sq.

Hugo quoque repetit fabulas de Esdra restitutore sacrorum librorum et de cellulis septuaginta interpretum; hoc alterum tamen cum hac cautela: „Sed Hieronymus dicit huic rei non esse adhibendam fidem.“ [1]

156. Ut Hugo Victorinus, sic **S. Bruno Astensis** ait: „Non minus vitium est, in his, quae ad litteram intellegenda sunt, allegoriam quaerere, quam ea, quae allegorice intellegenda sunt, ad litteram tantum velle interpretari.“ [2] Sed notandum est, quod iam saepius observare potuimus, nomine allegoriarum intellegi etiam metaphoras et alias figuratas locutiones.

E. g. Bruno ad ostendendam necessitatem allegoricae expositionis provocat ad illa verba: „Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis“ (Act 7, 51), ita argumentans: „Sola ista sufficiunt contra eos, qui omnia ad litteram intellegere volunt; aut, si non sufficiunt, abscindant aures et secent corda, quod a nemine usque hodie factum audivimus. Aut hoc igitur non intellegunt, aut, si intellegunt, facere neglegunt.“ [3]

Hoc sensu allegorias inveniri in Sacra Scriptura tam certum est, quam certum est in ea esse locutiones metaphoricas. Item typos esse in Scriptura, i. e. praefigurationes futurorum per nomina, res, personas praeteritas, convenit inter theologos catholicos. Quia vero S. Paulus loquens de his typis utitur nomine allegoriae (Gal 4, 24), scriptores ecclesiastici non raro typorum explicationem vocant allegoricam expositionem. Sed praeterea Bruno et multi alii allegoricam intellegunt illam expositionem, qua sensum litteralem ad significationes plane alienas trahunt [4]. Ostendunt quidem hac ratione, quantum tri-

[1] Eruditio didascalica 4, 5; *M* 176, 781.

[2] In Iob 22; *M* 164; 627. [3] In Gen. 17; *M* 164, 193.

[4] E. g. in libro Iob secundum *Philippum* (Hieronymi discipulum) tres filiae Iob significant legem, prophetiam, evangelium; secundum *Lyranum* fidem Trinitatis; secundum *Gregorium M.* pastores, continentes, coniugatos; secundum *Brunonem Astensem* Asiam, Africam, Europam. Tres amici Iob secundum *Ephraem* sunt figura pontificum, sacerdotum, phrophetarum; secundum *Gregorium M.* sunt figura haereticorum; secundum *Duguet* sunt figura Iudaeorum. Onager secundum *Ephraem* figurat diabolum; secundum *Augustinum* homines Dei servitio perfecte deditos; secundum *Gregorium M.* incarnatum Dominum. *S. Augustinus* leaenam intellegit diabolum, *Gregorius M.* ecclesiam; et ita alia, quae videri possunt apud *Knabenbauer* (Comment. in Iob, Parisiis 1886, 28 sqq), qui recte infert: „Hisce exemplis satis elucet, quam incerta res sit haec mystica vel allegorica et moralis explicatio“, et allegat verba *Ubaldi* (Introd. in S. Script. III 94): „Si interpreti semel persuasum fuerit sub omnibus vel plerisque Scripturae locis latere sensum aliquem mysticum, cum re ipsa in magna locorum parte nullum huiusmodi sensus vestigium occurrat, ingenium suum torquebit, similitudines longe petitas captabit, imaginationis vires contendet, ut aliquid huiusmodi proferat, atque ita demum interpretationes in medium adducet violentas.“ Aliud est, si contionator litterali sensu exposito morales applicationes facit, dummodo hae ne proponantur ut sensus Scripturae, sed ut piae considerationes ad aedificationem audientium (cf. *Cornely*, Introd. in S. Script. I 535 sqq).

buant divinae inspirationi (et ideo solum has res hic commemoramus), at ex hac opinione doctrina inspirationis minime dependet.

Pauca ex Brunone addam, ut mens eius de Scriptura Sacra magis manifestetur. Moyses iubebatur quattuor circulos aureos ponere in angulis arcae, in arca ipsa testificationem et super eam duos Cherubim (Ex 25, 11 sqq). „Quattuor evangelia per quattuor circulos intelleguntur, quae, quoniam sapientiae fulgore rutilant, non immerito auro comparantur; horum autem praedicatione haec arca construitur, levatur et portatur. . . . Inducuntur autem [vectes] per circulos aureos, ut arca portetur in iis, quoniam evangeliorum sententiis involuti [doctores] ad arcam sublevandam debent esse parati. . . . Non ergo separentur vectes a circulis, non recedant doctores ab evangeliis, semper praesto sint, semper ad arcam ferendam et evangelium praedicandum sint parati. . . . Testificationem legem intellege, quam in duabus tabulis lapideis Dominus scripsit. . . . Et bene lex in arca clauditur, evangelium autem circa eam per quattuor angulos ponitur, quoniam legis ritus et caerimoniae absconsae iacent, evangeliorum vero praecepta per quattuor mundi partes diffunduntur et praedicantur. . . . Quid per duos Cherubim nisi duo Testamenta intellegere debemus? . . . Qui ergo vult loqui cum Deo, veniat ad Cherubim, currat ad Scripturarum Testamenta, ibique Dominum et loquentem et propitiantem inveniet." [1] Thymiama (Ex 30, 34 sqq) sic explicatur: „Tunc in tenuissimum pulverem universa contundimus, quando evangeliorum sententias subtiliter indagantes et frequenter ruminatione frangentes, ad spiritualem intellegentiam redigimus. Sicut enim aromata, quando teruntur, suavius redolent, ita et Sancta Scriptura, quanto plus ruminatur, tanto suaviorem praestat odorem. Ponimus autem ex hoc thymiamate coram testimonio tabernaculi, quando Novum Testamentum Veteris Testamenti testimonio comprobamus. Stat autem Novum Testamentum quodammodo coram Vetere, dum ad se defendendum eius testimonium exspectat. Sicut enim evangelium testimonium est ecclesiae, ita et lex testimonium est tabernaculi, et ibi quidem, id est in testimonio, in sacris voluminibus apparet Dominus Moysi, quia Sanctarum Scripturarum documentis Deum cognoscimus. Vis videre Deum? Vis eum cognoscere? Vis audire loquentem? Lege evangelia, lege Exodum, lege libros Moysi, lege apostolos et prophetas; hic enim apparebit tibi Dominus, hic eius potentiam et virtutem cognosces" [2] „Credamus ergo testimonio legis, quae, quia semper verum dicit et numquam mentitur, non immerito testimonium appellatur. Huic enim testimonio nemo contradicere audet, ultima probatio est legis auctoritas. Haec autem scripta est manu Dei, opera Dei et scriptura Dei; nihil humanum est in ea, tota divina, tota Deo dictante et scribente composita est." [3]

Haec, quae ex Hugone et Brunone speciminis gratia elegimus, sufficiant ad ostendendum etiam aetate nascentis theologiae scholasticae fideliter quidem theologos mansisse in doctrina sanctorum Patrum neque vero ullum progressum fecisse in inspirationis conceptu magis elucidando. Idem valet de iis, qui libros „Sententiarum" composuerunt, ut Rolandus, Robertus Pullus, Petrus Lombardus, fortasse

---

[1] In Ex. 25; *M* 164, 309 sqq. [2] Ib. 30; *M* 164, 364.
[3] Ib. 32; *M* 164, 368.

ipse quoque Hugo Victorinus. Nam in „Sententiis“ multa quidem ex Scriptura proponuntur, at inspirationis doctrina vix leviter tangitur. Unde quia ad rem nostram nihil esset singulos recensere, transeamus ad eos, qui in theologia scholastica maximi doctores et duces habentur.

ART. II.

DE VETERE SCHOLA FRANCISCANA.

157. In quaestionibus theologicis Hugonis Victorini pedissequus est Alexander Halensis, cuius doctrinam suam facere solet S. Bonaventura. Itaque de his imprimis loquendum erit.

Alexander Halensis de inspiratione agit in quaestione prima et praeliminari „Summae theologicae“. In „membro secundo“ quaeritur, „an doctrina Sacrae Scripturae sit sicut una aliarum scientiarum conumerabilisque inter eas“. Respondetur: „Cum *doctrina Sacrae Scripturae divinitus inspirata* sit . . . aliae autem scientiae humanitus adinventae sint . . . profecto inter has nullatenus illa est conumeranda.“ Omnes quidem scientiae verae sunt a Deo, quaedam etiam de Deo et ductivae ad Deum. Sed Sacra Scriptura haec omnia habet ut bonum gratuitum seu ordinis supernaturalis. „Si gratuitum, sic est assimilatio ad Spiritum Sanctum, qui est bonitas, et ideo huiusmodi acceptio [boni] est a Spiritu Sancto per modum ipsius. Hinc est, quod antonomastice, id est per excellentiam, dicitur haec Scriptura seu doctrina tradita a Spiritu Sancto.“

In „membro tertio“ quaeritur, *„quae materia quodve subiectum sit Sacrae Scripturae“*. Respondetur: „Alia et alia ratione et opera redemptionis et Christus et Deus sive divina essentia Scripturae materia subiectumve statui possunt.“ Omnis enim scientia agit aut de essentia aut de potentia aut de operatione. Essentia, de qua Scriptura agit, est Deus; potentia, de qua agit, est Christus, qui est virtus Dei; operatio, de qua agit, est redemptio generis humani. Loquitur quidem Scriptura etiam de prima condicione rerum, sed hoc solum, ut clarius manifestet opus redemptionis. „Non enim ostendere posset convenienter, qualiter homo reparatus sit, nisi prius ostenderet, qualiter sit lapsus; neque lapsum eius convenienter ostenderet, nisi prius, qualiter a Deo institutus fuerit, explicaret; ad ostendendam autem primam institutionem hominis oportuit, ut totius mundi constitutio poneretur, quia propter hominem factus est mundus.“ Cognoscitur tamen in his quoque causa omnium, quae est Deus, quia Dei virtus et divinitas cognoscuntur in operibus divinis.

„Membrum quartum“ dividitur in quattuor articulos. In primo articulo quaeritur, *„an modus in Sacra Scriptura artificialis scientialisve sit“*. Respondetur: Est quidem, sed aliter quam in aliis scientiis, quatenus Scriptura ea tantum tradit, quae ad salutem pertinent, secundum dispositionem sapientiae divinae, dum aliae scientiae de quibuscumque rebus agunt secundum comprehensionem rationis humanae. Quod autem Sacra Scriptura utitur figuris

poeticis et historiis et parabolis, hoc fit ex una parte propter infirmitatem intellectus humani, qui hoc modo manuducendus est ad contemplanda divina, ex altera parte propter dignitatem veritatis, quae occultanda est hominibus malis. Praeterea Sacra Scriptura non procedit per definitiones, divisiones, ratiocinationes, sed eius „modus dicitur esse praeceptivus [in lege et evangelio], exemplificativus [in historicis libris], exhortativus [in libris Salomonis et epistulis apostolicis], revelativus [in prophetis], orativus [in psalmis], quia huiusmodi competunt affectui pietatis". Sicut autem proprium est scientiae humanae tradi per sermones manifestos, „ita proprium est divinae sapientiae, ut sit per sermones occultos" propter meritum fidei, propter excitationem studii, propter absconsionem veritatis a malis.

In articulo secundo quaeritur, *„an modus sciendi in Sacra Scriptura sit certior modo sciendi in aliis scientiis"*. Respondetur: „Modus sciendi in Sacra Scriptura certior quidem est certitudine experientiae secundum affectum [assensum]; modus autem in aliis scientiis certior certitudine speculationis secundum intellectum", quia credens firmius adhaeret revelatis, sciens evidentius cognoscit naturaliter proposita.

In articulo tertio quaeritur, *„an modus Sacrae Scripturae uniformis vel multiformis esse debuit"*. Respondetur: „Sacrae Scripturae modum ratione efficientiae et ratione finis ac materiae multiformem esse decuit." „Prima est ratio efficientis, id est Spiritus Sancti, qui est (ut dicitur Sap 7, 22) Spiritus intellegentiae multiplex unicus. Propterea, ut in scientia sacra modus efficientis appareat, debet esse multiplex seu multiformis. Secunda est ratio materiae, quae est multiformis sapientia Dei. Propterea, ut materiae modus respondeat, debet esse multiformis. Tertia est ratio finis, qui est instructio in iis, quae pertinent ad salutem." Cum ergo fuerint homines in lege vetere et in lege nova, cum alii sint boni, alii mali, alii hebetes, alii acuti, his omnibus hominibus debuit Scriptura providere diversis modis. Ideo alii libri sunt praeceptivi, alii exemplificativi etc., ut iam dictum est. Ideo quoque multiplex est sensus Sacrae Scripturae.

In articulo quarto quaeritur, *„quotuplex sit modus [sensus] Sacrae Scripturae"*. Respondetur: „Modus sive intellectus Sacrae Scripturae quadruplex est, scilicet historicus, allegoricus, moralis vel tropologicus, et anagogicus." *„Unus litteralis" est sensus seu „litteralis exterior", qui „non multiplicatur"*. Alter est spiritualis seu interior. Hic „aut refertur ad mores aut ad fidem, et si ad fidem, aut ad fidem divinitatis aut ad fidem humanitatis; primo modo est moralis, secundo modo anagogicus, tertio allegoricus". Parabolicus vero sensus refertur ad historicum; parabolae enim ponuntur, ut res ipsae facilius intellegantur.

In articulo quinto quaeritur, „an sensus litteralis fundetur supra verum". Nam in figuratis locutionibus non videtur supra verum fundari. Respondetur: „Sensus litteralis semper supra verum fundatur, sive sit supra verum dicti sive supra verum signati." Tales enim locutiones (ut cum Deus dicitur sol iustitiae vel lapis angularis) ad hoc adhibentur, non ut intellectus in iis sistat, sed ut per visibilia manuducatur ad invisibilia „non valens immediate in invisibiles extendi contemplationes".

Notat praeterea Alexander, „quod una sententia Sacrae Scripturae multis modis potest exponi. Licet enim unus sit intellectus princi-

palis, scilicet litteralis, plures tamen possunt esse secundum plures modos adaptionis" (Pars IV, quaestio 15, membrum 4, articulus 1, responsum).

Quibus perlectis fatendum est per expositionem Alexandri divinam Scripturae originem valde efferri.

158. **S. Bonaventura** ad exemplum Alexandri de inspiratione agit in prooemio Summulae theologicae, quam „Breviloquium" [1] vocat. *Sacrae Scripturae „ortus* non est per humanam investigationem, sed per divinam revelationem, quae fluit a Patre luminum". Ad eam intellegendam debemus habere fidem „tamquam totius Scripturae lucernam et ianuam et etiam fundamentum". *Progressus Scripturae* non fit „ad leges ratiocinationum, definitionum et divisionum iuxta morem aliarum scientiarum", neque solum est de rebus huius mundi. „Sed potius cum secundum lumen supernaturale procedat ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, secundum quod expedit ad salutem, partim per plana verba, partim per mystica, describit totius universi continentiam", constitutionem, cursum, finem. *„Status vero sive fructus Sacrae Scripturae* non est quicumque, sed plenitudo aeternae felicitatis. Nam haec est Scriptura, in qua sunt verba vitae aeternae, quae ideo scripta est, non solum ut credamus, verum etiam ut vitam possideamus aeternam."

159. Est autem „Scriptura secanda in *duo Testamenta,* scilicet in Vetus et Novum. Vetus autem occurrit cum multitudine librorum; habet enim libros legales, historiales, sapientiales et prophetales, ita quod primi sunt quinque, secundi decem, tertii quinque, et quarti sunt sex, ac per hoc in universo viginti sex. Novum Testamentum similiter habet libros his correspondentes secundum quadruplicem formam; nam legalibus correspondent libri evangelici, historialibus actus apostolici, sapientialibus epistulae apostolorum et maxime Pauli, prophetalibus correspondet liber Apocalypsis, ut sic mira sit conformitas inter Vetus et Novum Testamentum, non solum in continentia sensuum, verum etiam in quadriformitate partium." „Quoniam Scriptura Sacra est notitia movens ad bonum et revocans a malo, et hoc est per timorem et amorem, ideo dividitur in duo Testamenta, quorum brevis differentia est timor et amor. . . . Libri legales movent per praecepta maiestatis omnipotentissimae, historiales per exempla bonitatis innocentissimae, sapientiales per documenta veritatis providentissimae, prophetales movent ex omnium praedictorum aggregatione, sicut in iis manifestissime apparet. Unde ipsi sunt quasi rememorativi totius legalis sapientiae et doctrinae. Est igitur Scriptura Sacra similis latissimo fluvio, qui ex concursu multarum aquarum aggregatur magis ac magis, secundum quod longius decurrit . . . ut sic [apostoli] omnem veritatem per Spiritum Sanctum iuxta divinum promissum edocti, omnis veritatis salutaris doctrinam ecclesiae Christi darent et Sacram Scripturam consummando veritatis notitiam dilatarent." Describit autem Scriptura

[1] S. Bonaventurae opera; Ed. Ad Claras Aquas V (1891) 201 sqq.

omnia tempora ab initio mundi usque ad finem, quae decurrunt per legem naturae, per legem mosaicam, per legem gratiae, quae dividit in septem aetates ab Adam usque ad ultimum iudicium.

Est Scriptura tam sublimis, ut per omnem hierarchiam ascendat usque ad ipsam SS. Trinitatem; et est *tam profunda,* ut abundet multiplicitate mysticarum intellegentiarum. „Nam praeter litteralem sensum habet in diversis locis exponi tripliciter, scilicet allegorice, moraliter et anagogice. Est autem *allegoria,* quando per unum factum indicatur aliud factum, secundum quod credendum est. *Tropologia* sive moralitas est, quando per id, quod factum est, datur intellegi aliud, quod faciendum est. *Anagogia,* quasi sursum ductio, quando datur intellegi illud, quod desiderandum est, scilicet aeterna felicitas beatorum." Adest hic multiplex sensus in Scriptura ratione subiecti multiplicis. „Subiectum enim quoad substantiam Deus est, quoad virtutem Christus, quoad operationem reparationis opus, quoad omnia haec est ipsum credibile." Adest etiam multiplex sensus ratione auditoris, ut „et superbi comprimantur et immundi repellantur et fraudulenti declinentur et neglegentes excitentur". Scriptura enim, quia est pro omnibus salvandis, capit, condescendit, superexcedit omnem intellectum, „ut omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis suae illuminet pariter et accendat". Multiplicitas sensuum Scripturae „competit etiam principio, a quo est, quia est a Deo per Christum et Spiritum Sanctum loquentem per ora prophetarum et aliorum, qui hanc doctrinam scripserunt. Quoniam autem Deus non tantum loquitur per verba, verum etiam per facta, quia ipsius dicere facere est, et ipsius facere dicere, et omnia creata tamquam Dei effectus innuunt suam causam, ideo in Scriptura divinitus tradita non tantum debent significare verba, verum etiam facta". Christus autem est Deus-homo; ideo doctrinam eius „decebat habere humilitatem in sermone cum profunditate sententiae". „Spiritus etiam Sanctus diversimode illustrabat et revelationes faciebat in cordibus prophetarum; ipsum etiam nullus latere potest intellectus, et missus erat omnem docere veritatem; ideo competebat eius doctrinae, ut in uno sermone multiplices laterent intellegentiae." Tandem ratione finis idem competit, quia Scriptura inducit hominem ad recte cognoscendum, agendum, optandum. Hinc Scriptura per Spiritum Sanctum ita instituta est, „ut per tropologiam habeamus notitiam agendorum viriliter, per allegoriam credendorum veraciter, per anagogiam desiderandorum delectabiliter". Ad hunc finem Scriptura non procedit per „modum definitivum, divisivum et collectivum", sed modus eius est „narrativus, praeceptorius, prohibitivus, comminatorius, promissivus, deprecatorius et laudativus . . . ut, si quis non movetur ad praecepta et prohibita, saltem moveatur per exempla narrata; si quis non per haec movetur, moveatur per beneficia sibi ostensa; si quis nec per haec movetur, moveatur per monitiones sagaces, per promissiones veraces, per comminationes terribiles, ut sic saltem excitetur ad devotionem et laudem Dei". Procedit autem Scriptura non per modum ratiocinationis, sed „*providit Deus huic Scripturae certitudinem auctoritatis,* quae adeo magna est, quod omnem perspicacitatem humani ingenii superexcellit. Et quia non est certa auctoritas eius, qui potest fallere vel falli, nullus autem est, qui falli non possit et fallere nesciat, nisi Deus et Spiritus Sanctus, hinc est, quod ad hoc, quod Scriptura Sacra modo sibi debito esset perfecte authentica, non per humanam investigationem est tradita, sed per revelationem divinam. Ideo in ipsa nihil con-

temnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro eo quod Spiritus Sanctus, eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum".

160. Quod *expositionem Scripturae* attinet, loci obscuri per locos claros manifestandi sunt. „Ad quod non potest quis de facili pertingere, nisi per assuefactionem lectionis textum et litteram Bibliae commendet memoriae; alioquin in expositione Scripturarum numquam poterit esse potens. . . . *Qui litteram Sacrae Scripturae spernit, ad spirituales eius intellegentias numquam assurget. Attendat autem expositor, quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda.* Propter quod notandum est, quod Scriptura Sacra quattuor habet partes. Una est, in qua secundum litteram agit de mundanis naturis, et per illas significat reparationem nostram, sicut apparet in descriptione formationis mundi. Alia est, in qua agit de actibus et processibus illius populi israelitici, et per illos significat reparationem generis humani. Tertia est, in qua nudis verbis significat et exprimit, quae pertinent ad nostram salutem quantum ad fidem et mores. Quarta est, in qua praenuntiat nostrae salutis mysterium, partim verbis nudis, partim aenigmaticis et obscuris. Et propterea Scriptura in his locis variis non est uniformiter exponenda." Deinde tradit quasdam regulas de his variis expositionibus.

Haec sunt, quae S. Bonaventura docet de Sacra Scriptura, in quibus de dignitate, materia, sensibus Scripturae plurima proponit. De conceptu inspirationis haec statuit: Deus dicitur auctor Sacrae Scripturae, Spiritus Sanctus eam condidit per viam auctoritatis faciendo revelationes prophetis et aliis; quare Scriptura est infallibilis, summopere utilis et multiplex sensibus. Sed quomodo concipienda sit ista revelatio, quas partes Deus, quas scriptores humani habeant in conficienda Scriptura, non explicatur. Idem valet de „Collationibus in Hexaëmeron", ubi, maxime a collatione 13 usque 19 [1], latius exponit ea, quae in prooemio Breviloquii dixit, sed de conceptu inspirationis tacet. Neque in Commentariis in Sententias specialem de inspiratione tractatum habet, sed obiter tantum de hac re loquitur [2]. Unde oportet contentos nos esse iis, quae hucusque ex eius scriptis excerpsimus.

161. Addamus hic statim tertium theologum, qui dux et princeps fuit Scholae Franciscanae, qui est **Duns Scotus.** Ipse diligenter probat *Scripturam esse a Deo inspiratam,* idque *octo argumentis,* „quae sunt: praenuntiatio prophetica, Scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, ecclesiae stabilitas, miraculorum claritas" [3].

[1] Opera omnia V 387 sqq.

[2] E. g. l. 3, d. 23, a. 1, q. 4, ad 4; ibidem III 482; item d. 23, dub. 5; p. 505 etc.

[3] Ioannis Duns Scoti opera omnia VIII, Parisiis 1893, Prolog. Commentarii in librum 1 Sent. q. 2, n. 3, p. 77.

Quae argumenta sic explicat: *Primum.* „Solus Deus potest naturaliter, non ab alio, futura contingentia certitudinaliter praevidere; ergo solus ille vel ab illo instructus potest ea certitudinaliter praedicere. Talia autem multa praenuntiata in Scriptura impleta sunt.“ Ergo Scriptura est originis divinae. *Secundum.* In rebus non evidentibus homines aetate, locis, animi dispositione diversi non possunt firmiter et infallibiliter inter se consentire, „nisi a causa superiore ipsorum intellectus inclinentur ad assensum“, ut ostendit exemplum discordiae philosophorum. „Sed scriptores sacri canonis varie dispositi et diversis temporibus exsistentes in talibus non evidentibus [in rebus fidei et morum] omnino consonabant.“ Ergo a causa superiore, i. e. a Deo, qui solus omnium intellectus regit, ad tam consonantem doctrinam inclinati sunt. *Tertium.* Illi auctores, qui Scripturam tradiderunt, sunt fide digni. Nam si libri sunt eorum, quorum esse dicuntur, hi fuerunt viri probi, qui omne mendacium, praecipue in fide et moribus, damnant, et qui sine spe temporalis lucri doctrinam suam proposuerunt, immo pro ea saepe tribulationes maximas sustinuerunt. Velle vero dicere illis libros ab aliis esse immerito adscriptos, contra rationem est, quia genuinitas horum librorum non minus certa est quam genuinitas profanorum librorum antiquorum, sed potius magis certa est. Praeterea neque Christiani neque non-Christiani hanc fraudem commisisse censendi sunt, quia nemo gratis mendax. *Quartum.* Admittenda sunt illa, quae „tota communitas approbat, et maxime quae communitas famosa et honesta cum maxima diligentia approbata recipit. Talis est canon divinae Scripturae; tanta enim apud Iudaeos sollicitudo fuit de libris habendis in canone, et tanta apud Christianos de libris recipiendis tamquam authenticis, quod de nulla alia scriptura habenda pro authentica tanta sollicitudo fuit inventa, praecipue cum tam sollemnes communitates de Scripturis istis curaverunt tamquam de continentibus necessaria ad salutem.“ *Quintum.* Quae Scriptura docet quoad fidem et mores tam rationabilia sunt, ut hinc divina origo eius quam maxime suadeatur. *Sextum.* Contra vero, quae gentiles et asseclae Mohammedis docent, plurimas absurditates continent. Idem valet de Iudaeis et haereticis, in quantum partem Sacrae Scripturae reiciunt, cum pars canonis non possit rationabiliter recipi, nisi totus recipiatur, quia eadem auctoritas, quae stat pro parte, stat etiam pro toto. *Septimum.* Ipsa stabilitas ecclesiae, quae non obstantibus omnibus difficultatibus permansit in sua doctrina, ostendit eam speciali adiutorio divino conservari; ergo etiam quoad doctrinam de Scriptura. *Octavum.* In specie Deus miraculis hoc comprobavit. „Non potest esse testis falsus Deus; sed Deus invocatus a praedicante Scripturam, ut ostenderet doctrinam eius esse veram, fecit aliquod opus sibi proprium, utpote miracula, ac per hoc testificatus est illud esse verum, quod iste praedicavit.“ His principalibus argumentis addit duo alia, unum ex testimonio Flavii Iosephi et librorum sibyllinorum; alterum ex eo, quod tot homines sincere quaerentes Deum hanc fidem amplexi sunt.

In sequenti quaestione, quae est tertia, quaedam addit *de variis sensibus Sacrae Scripturae.* Ab initio quaestionis „Secunda via. Item secundo“ ait: „Scriptura habet quattuor sensus, scilicet anagogicum, tropologicum, allegoricum et litteralem.“ Haec proponit ad faciendam obiectionem, ad quam postea sic respondet: „*Quicumque sensus*

in una parte Scripturae non est litteralis, in alia parte est litteralis, et ideo licet aliqua pars Scripturae habeat diversos sensus, tamen tota Scriptura habet omnes sensus istos pro sensu litterali." [1] Unde secundum Scotum nulli textui Scripturae subest sensus vel anagogicus vel tropologicus vel allegoricus, qui non alibi ipsis litteris Sacrae Scripturae doceatur. Ceterum idem alii theologi ante Scotum iam dixerant, sequentes hac in re S. Augustinum (cf. infra n. 176).

162. Evidens est Scotum argumentis, quae iam apud sanctos Patres leguntur, probare omnia, quae in Scriptura docentur, aliquo modo inniti revelatione divina, non vero explicare, qua actione divina Scriptura facta sit. Alibi loquitur de *certitudine, quam „habuerunt illi, quibus Scripturae veritas primo revelabatur"*, et de ea sic argumentatur:

„Omnem effectum, quem potest Deus facere mediante causa effectiva secunda [i. e. creata], potest facere immediate. Nunc autem si res ipsae, de quibus Scriptura tractat, essent clare apprehensae et intuitive, generarent notitiam certam absque omni dubitatione, et haec notitia, quia evidens est, diceretur scientia. Sed Deus absque motione obiecti potest sic causare notitiam certam absque omni dubitatione, ita quod habens talem notitiam revelatam a Deo non possit dubitare de veritate illius, cuiusmodi notitiam creditur prophetas habuisse et multos alios sanctos in Scriptura, et tales habuerunt habitum praebentem magnum assensum, ita quod illo stante non potuerunt non assentire veritati; illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidentia rei, quia tunc contradictio esset, quod huiusmodi notitia et fides simul starent. Fuit tamen illa certitudo firma, sicut est certitudo scientialis, quae causatur ex principiis notis ex evidentia terminorum, sed non causabatur a talibus principiis, sed aliunde, ideo scientia non potuit dici ex evidentia rei; fuit tamen maior certitudo quam certitudo fidei, quia fides non excludit omnem dubitationem, sed aliqua dubitatio potest stare cum fide." [2]

Itaque secundum Scotum prophetae, apostoli, omnes illi, qui primi missi sunt ad res a Deo revelatas sive verbo sive scripto hominibus tradendas, habuerunt speciale adiutorium vel lumen supernaturale, quo de rebus a se proponendis tantam certitudinem acceperunt, ut de earum veritate dubitare plane non possent. Hoc lumen a Deo immediate eorum intellectui inditum non reddebat res docendas intrinsecus evidentes, sed solum eundem effectum producebat, quem in alio ordine evidentia producere solet, i. e. certitudinem indubitabilitatis. Hic igitur unum ex illis elementis tangitur, quae ad inspirationem necessaria sunt; alia vero Scotus non explicat.

163. Non praetereundus videtur **Rogerus Bacon**, qui, etsi conceptum inspirationis non explicavit, quaedam tamen scripsit, quae maxime huc referuntur, quia ostendunt, quantum Scripturae tribuerit ratione

---

[1] Opera omnia VIII 119 166.
[2] In 3, d. 24, n. 17; Ed. Paris. XV (1894) 47 sq.

divinae originis. Tria sunt eius opera, in quibus de Sacra Scriptura agit: „Opus maius“, „Opus minus“, „Opus tertium“. In „Operis maioris“ parte secunda[1] loquitur de causis perfectae sapientiae in Sacra Scriptura.

Quae ibi ait, brevius repetit in „Opere tertio“[2] c. 24: „Deinde probo [scilicet in Opere maiore], quod tota sapientia philosophiae data est a Deo, quia sancti patriarchae et prophetae a principio mundi eam receperunt a Deo, quibus Deus dedit longitudinem vitae; et haec est valde notanda consideratio. Nam ut probem, quod sancti primo habuerunt philosophiam et sapientiam totam antequam philosophi infideles, revolvo totum tempus a principio mundi, discurrens per omnes aetates et saecula, ut inveniam, quando primo fuerunt singuli, qui aliquem titulum sapientiae habuerunt, sive sint poetae praeclari, sive Sibyllae, sive septem sapientes, sive philosophi, qui post illos septem venerunt. . . . Nam philosophi habuerunt haec omnia a sanctis Dei. Unde philosophi non invenerunt haec primo nec homo, sed Deus revelavit suis sanctis . . . et hi sancti scripserunt libros philosophiae omnes. Et non solum in Sacra Scriptura fecerunt mentionem de veritate fidei, sed in suis libris philosophicis, et praenuntiaverunt omnia, antequam philosophi fuerunt; et ab his tunc philosophi habuerunt omnem sapientiam, sicut Aristoteles, dominus philosophorum, confitetur in libro Secretorum. Et cum his infero, quod perfectio philosophiae non est uti ea secundum vias philosophorum infidelium, sed debet elevari ad statum legis christianae, et hoc est ad theologiam et ecclesiam et directionem reipublicae fidelium et conversionem infidelium et reprobationem eorum, qui non possunt converti. Et addo ad confirmationem sapientiae philosophorum prophetiam Sibyllae de Christo et de ecclesia et de vita futura. Nam si una muliercula potuit haec a Deo recipere, multo fortius et rationabilius est, quod viri tam boni et tam sapientes, sicut Pythagoras et Socrates et Plato et Aristoteles et alii zelatores maximi sapientiae, receperunt a Deo speciales illuminationes, quibus intellexerunt multa de Deo et salute animae, et forsan magis propter nos Christianos quam propter eorum salutem.“

„Et sic terminatur pars secunda [„Operis maioris“], in qua principale propositum est ostendere, quod *tota sapientia concluditur in Sacra Scriptura*, per ius tamen et philosophiam explicanda, ut sicut in pugno colligitur, quod latius in palma explicatur, sic tota sapientia utilis homini continetur in sacris litteris, licet non totaliter explicatur, sed eius explicatio est ius canonicum cum philosophia. Nam utrumque iacet in visceribus Sacrae Scripturae et de his eruuntur, et super hoc fundantur omnia, quae utiliter dicuntur in iure canonico et philosophia. . . . Nam in sensu litterali iacet tota philosophiae potestas in naturis et proprietatibus rerum naturalium, artificialium et moralium, ut per convenientes adaptationes et similitudines eliciantur sensus spirituales, ut sic simul sciatur philosophia cum theologia, quia philosophia nihil facit nisi explicare naturas et proprietates rerum naturalium, quae iacent in textu sacro, a summis caelorum usque ad terminos eorum, et artificialium et moralium. . . . Unde haec est via propria sciendi Scripturam . . . ut sic tota philosophiae sapientia sciatur in textu Dei. Et tota potestas iuris canonici iacet in sensu litterali et spirituali et ab illis elicitur. Nam

[1] Ed. *Jebb*, Londini 1733. [2] Ed. *Brewer*, London 1859, 79 sqq.

quidquid sacri et summi pontifices statuerunt in iure canonico, confirmaverunt per auctoritates textus sacri et per dicta sanctorum.... Nam sicut per Vetus Testamentum litteraliter ecclesia antiquorum regebatur, sic nunc per sensum spiritualem Veteris Testamenti et per Novum habet regi Dei ecclesia.... Et totam hanc probationem facio ... quod philosophiae utilitas sciri non potest nec intellegi, nisi prout in sacro usu consideratur. Nam creaturae verius positae sunt in Scriptura, quam philosophi infideles scirent cogitare, sicut probo per exemplum de iride, cuius causam finalem ignoraverunt, quae est dissipatio aquae humiditatis et diluviorum, ut liber Genesis docet.... Deus enim fecit creaturas, et in Scriptura sua posuit eas, et ideo accepit eas secundum omnem veritatem, quam veritatem nititur philosophia infidelium exponere. Sed quia non habuerunt usum istius Scripturae, ideo non potuerunt omnino venire ad certitudinem veritatis. Et ideo, qui vult scire philosophiam, sciat eam in usu Scripturae, et secundum quod Scriptura requirit, et tunc veraciter potest eam scire.... Non tamen nego, quin aliquod scriptum philosophiae de quibusdam communibus debeat fieri, quae non possunt poni in explanatione Scripturae. Sed tamen illa debent anteponi, ut totum fiat unum volumen.... Et sic omnis superfluitas infinita, et omnis falsitas tolletur, et omnis vanitas excludetur."

164. In c. 25 quaeritur *de corruptione textus Sacrae Scripturae,* quae provenerit ex ignorantia linguarum [1].

Nam quaedam fuerunt male translata, et „illa, quae fuerunt bene translata, sunt modo corrupta, propter hoc quod linguas ignoramus, sicut patet per totam Bibliam et philosophiam. Quia nec scimus scribere ea nec legere nec proferre; et ideo per consequens perit verus intellectus. Et haec causa habet locum in corruptione textus sacri; nam pro maiori parte est corruptus in exemplari vulgato, quod est Parisiense.... Et in hoc aggravatur haec corruptio, quod quilibet corrigit pro sua voluntate. Nam quilibet lector in ordine Minorum corrigit, ut vult, et similiter apud Praedicatores, et eodem modo saeculares.... Et longe minus malum est et sine comparatione uti exemplari Parisiensi non correcto quam correctione eorum [Praedicatorum] vel aliqua alia". Etiam oportet scire linguas „pro sensu litterali sciendo et spirituali eliciendo veraciter ex litterali.... Nam si littera est falsa, sensus litteralis et spiritualis sunt falsi".

Propterea in „Opere minore" inter „septem *peccata studii principalis,* quod est theologiae" [2], secundum est, „quod scientiae optimae et maxime contingentes theologiae non sunt in usu theologorum ... ut grammatica secundum linguas alienas, a quibus tota theologia venit". Quartum peccatum est, quod expositores „Sententiarum" (Lombardi) praeferuntur expositoribus Sacrae Scripturae.

Nam illi habent „principalem horam legendi secundum suam voluntatem". „Sed qui legit Bibliam, caret his et mendicat horam legendi, secundum quod placet lectori Sententiarum" (loquitur de universitate Parisiensi). Et tamen „textus hic [Scripturae] de ore Dei et sanctorum allatus mundo, est ita magnus, quod vix sufficeret aliquis lector ad perlegendum eum in tota vita

[1] Ib. 88 sqq. [2] Ib. 322 sqq.

sua, secundum quod magistri legunt. . . . Et mirum est, quod sic est exaltatus liber Sententiarum, quia liber Historiarum est magis proprius theologiae. Nam prosequitur textum [biblicum] a principio usque in finem exponendo ipsum. Et liber Sententiarum non adhaeret textui, sed vagatur extra textum per viam inquisitionis. Si igitur aliqua Summa deberet praeferri in studio theologiae, debet liber Historiarum factus vel de novo fiendus, ut scilicet aliquis tractatus certus fieret de historia sacri textus, sicut fit in omni facultate" [1].

Quintum peccatum est corruptio textus, ubi inter alia loquitur de „Vulgata" [2], etsi ipse non primus hoc nomen vel versioni Septuaginta vel Hieronymi imposuit.

Sextum peccatum est, „quod sensus litteralis habet infinitas falsitates et alibi dubitationes intolerabiles, ita quod non potest sciri veritas; ex quo sequitur novum peccatum, quod tunc sensus spiritualis habebit eandem falsitatem et dubitationem.... Nam si littera est falsa pro maiore parte et dubia in aliis, quae dubitatio cadit in virum sapientem, ut probatum est, tunc oportet, quod sensus litteralis sit consimilis et per consequens sensus spiritualis. Deinde posito quod littera esset totaliter correcta cum certa probatione, adhuc loquitur falsa et dubia quasi infinita. Et una rei huius radix est ignorantia linguarum, de quibus textus est translatus, ex quibus infinita paene sunt vocabula in textu relicta" [3].

165. His, ni fallor, efficitur *Baconem nequaquam addictum fuisse rationalismo,* ob quem interdum recentes eum laudant, sed immo plurimum revelationi et inspirationi supernaturali tribuisse. Non videtur in ulla re a doctrina catholica recessisse, sed potius anxius fuisse, ut haec suae integritati restitueretur. Immo divinam Scripturae auctoritatem valde praedicat. Multa egregie dixit, multa temporum futurorum facta ingeniose praesagivit. At nihilominus ipsi ex magna parte adscribendum est, quod ad finem desideratum pervenire non potuit. Nam immanis pruritus suggilandi, exaggerandi, viros etiam optime meritos levandi, se solum fere ut hominem sapientem praedicandi, consuetudo admiscendi cum veris alia manifeste falsa et ab-

---

[1] „Liber Historiarum", de quo hic sermo est, sine dubio est „Historia Scholastica" *Petri Comestoris* (*M* 198, 1053 sqq), quae libros historicos Veteris et Novi Testamenti a Genesi usque ad mortem apostolorum Petri et Pauli compendiose complectitur, aucta tamen quibusdam narrationibus ex Flavii Iosephi et aliorum Iudaeorum libris. Est haec Historia quasi continuus quidam commentarius Sacrae Scripturae. Secundum Petrum Deus „Sacram Scripturam habet pro coenaculo, in qua sic suos inebriat, ut sobrios reddat.... Coenaculi huius sunt tres partes: fundamentum, paries, tectum. Historia fundamentum est . . . allegoria paries superinnitens, quae per factum aliud factum figurat. Tropologia doma culmini superimpositum, quae per id, quod factum est, quid a nobis sit faciendum, insinuat. Prima planior, secunda acutior, tertia suavior" (ib. 1053 sq). In sermone 12 laudat Scripturam ut speciale „adiutorium Altissimi" hominibus datum. Vituperat inter alios eos, „qui imagines cordis sui in paginis Sacrae Scripturae depingunt, qui litteram renitentem suis adinventionibus accommodant et intellectum Scripturae usque ad sanguinem emungunt" (ib. 1755).

[2] Opus tertium; Ed. *Brewer* 339 sqq. [3] Ib. 349.

surda, ut e. g. conatus introducendi Sacram Scripturam ut unicum librum textus in omni disciplina naturali et supernaturali, ex quo derivanda essent cuncta, quae sciri possent, haec et alia fuerunt obstacula, quae ipse sibi plane sine ratione in via posuit, et quibus conatus suos irritos fecit. Excusavit se quidem, quod „sancti quoque, i. e. ecclesiae Patres, aliquid humani passi essent et inter se disputassent et opiniones suas retractassent“ [1]. Sed a S. Augustino, ad quem in specie provocat, et quem affirmat S. Hieronymo „multa opprobria“ dixisse, potuit discere modo pacato et modesto procedendi multo plus effici quam turbulentis declamationibus, quantumvis haec ex sincero veri amore procedant.

166. Ceteros theologos scholasticos veteris Scholae franciscanae omitto, qui plerumque sequuntur Scoti doctrinam, interdum S. Bonaventuram magistrum eligunt, rarius etiam ex S. Thoma hauriunt. Unum tantum commemoro, qui in exegesi sibi celebre nomen fecit. Hic est **Nicolaus Lyranus**, de quo illud (sive vere sive falso) circumfertur: „Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset“, quia Lutheri exegesis non pauca Lyrano debeat. Lyranus vero ipse permulta ex Thomae Aquinatis operibus hausit [2]. Lyrani opus praecipuum est „Postilla“ in omnes libros Veteris et Novi Testamenti. Sed nobis considerandi sunt soli Prologi, in quibus habetur doctrina de inspiratione [3].

„*Sacra Scriptura, quae proprie theologia dicitur, cum ipsa sola sit textus huius scientiae, omnes scientias antecellit,* primo, quia habet Deum pro subiecto. . . . Licet enim philosophi habuerint cognitionem de Deo, hoc tamen solum fuit quantum ad proprietates, quae de ipso possunt concludi per investigationem rationis procedentem ex creaturis. . . . Sed prophetae et apostoli sancti, qui hanc Scripturam nobis tradiderunt per revelationem Spiritus Sancti, habuerunt cognitionem de proprietatibus divinis transcendentibus investigationem rationis, ut de pluralitate personarum et earum distinctione in unitate essentiae et consimilibus. . . . Sed quoniam Sacra Scriptura non solum excellit alias, inquantum est de subiecto nobiliori, sed etiam inquantum pro-

[1] Opus maius; Ed. *Jebb* 19 sq; Opus tertium; Ed. *Brewer* 28 sq.

[2] Ait *Paulus Burgensis:* „A quo etiam sancto doctore [Thoma] ipse postillator [i. e. Lyranus] multa frequenter accipit, licet eum non alleget nisi solum reprehendendo“ (*M* 113, 46). Haec verba leguntur in „Additionibus“ Pauli ad Postillam Lyrani. In epistula praemissa his additionibus maxime exponitur, quomodo sensus litteralis et spiritualis Scripturae inter se habeant, et docetur sensum litteralem omnium esse dignissimum et ante omnes alios quaerendum. Exponitur praeterea, quis sit sensus litteralis, utrum sit unus an multiplex. Commendat Paulus Lyrani Postillam imprimis „ex parte sensus litteralis, qui ceteris modo praedicto est dignior; haec enim Postilla inter alias, quae in communem usum veniunt, magis intendit litteralem sensum, ceteris sensibus praetermissis seu valde modicum tactis, ut ipse dicit in prologo“.

[3] *M* 113, 25 sqq.

cedit modo certiori, videlicet per divinam revelationem, cui non potest subesse falsum . . . quidquid ex Sacra Scriptura manifeste concluditur, verum iudicatur; quod autem ei repugnat, falsum simpliciter reputatur." Prophetae legerunt in libro divinae scientiae. „Quod tamen non sic est intellegendum, quod prophetae viderint ipsam Dei essentiam, quae idem est cum eius praescientia . . . sed pro tanto dicuntur prophetae in libro praescientiae Dei legisse, quia per species divinitus impressas mentibus prophetarum et per lumen propheticum iis proportionatum videbant suo modo veritatem a Dei scientia ad eos derivatam per revelationem. . . . Nos autem, qui talem cognitionem non habemus, quia lumine prophetico illustrati non sumus, non possumus legere in dicto libro, sed in libro Scripturae Sacrae nobis tradito a prophetis."

167. „*Habet tamen iste liber hoc speciale, quod una littera continet plures sensus.* Cuius ratio est, quia principalis huius libri auctor est ipse Deus, in cuius potestate est non solum uti vocibus ad aliquid significandum (quod etiam homines facere possunt et faciunt), sed etiam rebus significatis per voces utitur ad significandum alias res; et ideo commune est omnibus libris, quod voces aliquid significent, sed speciale est huic libro, quod res significatae per voces aliud significent. Secundum igitur primam significationem, quae est per voces, accipitur sensus litteralis seu historicus; secundum vero aliam significationem, quae est per ipsas res, accipitur sensus mysticus seu spiritualis, qui est triplex in generali. Quia, si res significatae per voces referantur ad significandum ea, quae sunt in nova lege credenda, sic accipitur sensus allegoricus; si autem referantur ad significandum ea, quae per nos sunt agenda, sic est sensus moralis vel tropologicus; si autem referantur ad significandum ea, quae sunt speranda in beatitudine futura, sic est sensus anagogicus. . . . Unde versus:

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia."

In Prologo secundo [1] haec addit: *Sensus omnes „praesupponunt sensum litteralem tamquam fundamentum.* Unde sicut aedificium declinans a fundamento disponitur ad ruinam, ita expositio mystica discrepans a sensu litterali reputanda est indecens et inepta, vel saltem minus decens ceteris paribus et minus apta. Et ideo volentibus proficere in studio Sacrae Scripturae necessarium est incipere ab intellectu sensus litteralis, maxime cum ex solo sensu litterali, et non ex mystico possit argumentum fieri ad probationem vel declarationem alicuius dubii, secundum quod dicit Augustinus in epistula contra Vincentium Donatistam. Ulterius considerandum, quod sensus litteralis, a quo est incipiendum, ut dictum est, videtur multum obfuscatus diebus modernis, partim scriptorum vitio, qui propter similitudinem litterarum in multis locis aliter scripserunt, quam habet veritatis textus; partim imperitia aliquorum correctorum . . . partim ex modo translationis nostrae, quae in multis locis aliter habet quam libri hebraei. . . . Sciendum etiam quod sensus litteralis est multum obumbratus propter modum exponendi communiter traditum ab aliis, qui, licet multa bona dixerint, tamen parum tetigerunt litteralem sensum, et sensus mysticos in tantum multiplicaverunt, quod sensus litteralis,

[1] *M* 113, 29 sqq.

inter tot expositiones mysticas interceptus, partim suffocatur.... Haec igitur et similia vitare proponens, cum Dei adiutorio intendo circa litteralem sensum insistere et paucas valde et breves expositiones mysticas aliquando interponere, licet raro". Praeterea dicit se velle uti etiam adiumento linguae hebraicae ad exponendam Scripturam, qua in re sine dubio utilia praestitit.

Ceterum ea quoque, quae de inspiratione et sensu Scripturae in prologis et praefationibus scripsit, ex S. Thoma sumpsit, qui has res copiosius et clarius exponit[1]. In ipsis etiam commentariis Lyranus interdum magnas partes ad litteram e S. Thoma exscripsit.

ART. III.

DE VETERE SCHOLA DOMINICANA.

168. Primus magnus doctor Scholae Dominicanae est **Albertus Magnus**, cuius de inspiratione haec dicta exstant. Theologia „innititur inspirationi factae per speciem veritatis, circa quam dubitare non licet. Aliae autem [scientiae] innituntur inquisitionibus humanis et inventionibus a spiritu humano inventis. . . . Ista ergo est certior omnibus aliis". Et licet Sacra Scriptura non procedat modo stricte philosophico, sed magis populari et poetico, tamen „Sacra Scriptura poeticis utitur ex divina sapientia formatis et figuratis, in quorum figuris secundum proportionem similitudinum resultant infigurabilia et immaterialia, eo quod ab illis et ad illa figurata sunt et ideo certissima sunt; ex certissimis enim oriuntur et ad certissima dirigunt". In aliis quidem

[1] E. g. in Praefatione in Psalmos propugnat quidem contra S. Thomam Davidem fuisse maiorem prophetam quam Moysen, sed cetera fere omnia ex S. Thoma excerpta sunt. „Ad actum prophetandi concurrit Deus mentem prophetae tangens seu elevans ad supernaturalem cognitionem, et mens prophetae hoc modo tacta seu illuminata." Sunt duo modi prophetandi: „unus est in vigilia, alius est in somno. In utroque tamen modo concurrit Deus ut agens principale, et mens prophetae ut agens instrumentale. . . . Alii prophetae per quasdam rerum imagines atque verborum tegumenta prophetaverunt, David autem solius Spiritus Sancti instinctu sine omni exteriori adminiculo suam edidit prophetiam. Et hic modus est excellentior". Praeterea Psalmi se extendunt ad omnem materiam totius Scripturae per modum divinae laudis. Propheta dicitur quasi procul fans. Maxime procul sunt ipsa divina, ut Trinitas personarum, secundo secreta cordium, tertio ea, quae loco vel tempore distant. Ex parte quoque subiecti distant ea, ad quae cognoscens non potest pertingere, sive propter defectum (e. g. caecitatis), sive propter modum cognoscendi (ut in scientia infusa). Ad prophetiam requiritur, ut non solum alicui communicetur aliquid supernaturale, sed ut etiam intellegentiam rei habeat (Pharao non fuit propheta neque asina Balaam). A prophetia igitur distinguitur instinctus divinus, ut fuit in Iephte ad pugnandum. Primus gradus prophetiae est, quando datur visio rei et intellegentia; secundus, quando auditur vox; tertius, quando simul apparet persona loquens; et haec omnia aut fiunt in somno, aut in vigilia, quod est excellentius; quartus gradus est, quando sine ulla sensibili apparentia capitur veritas intellegibilis supernaturalis. Hic ultimus gradus est excellentissimus, et talis fuit prophetia David. Haec et alia, quae ibi exhibet Lyranus, melius audiemus explicata a S. Thoma.

scientiis argumentatio ex auctoritate est infirmior ceteris argumentationibus, sed „in theologia locus ab auctoritate est ab inspiratione Spiritus veritatis. Unde Augustinus in libro 1 super Genesim ad litteram dicit, quod maior est Scripturae auctoritas quam omnis humani ingenii perspicacitas“ [1]. In theologia ipsa non probatur Scripturam esse veracem, sed hoc per modum principii praesupponitur; hoc autem principio posito et admisso, ita ut de nullo dicto Sacrae Scripturae dubitare liceat, argumentatio fit de iis, quae ex Scriptura per modum conclusionum colliguntur [2].

„*Quattuor sunt modi exponendi id, quod dicit Sacra Scriptura.* . . . Litteralis sensus primus est, et in ipso fundantur tres alii sensus spirituales. Tria enim sunt, ad quae nos instrui oportet, verum scilicet illuminans intellectum per fidem, et ad hoc deservit sensus allegoricus; et bonum virtutis, quo perficitur affectus ad meritum, et ad hoc deservit tropologicus sive moralis. Et finis beatitudinis, ad quem tendimus per verum et bonum, et ad hoc deservit anagogicus. Et isti tres stant in litterali sicut in fundamento.“ [3] Alio loco haec ita explicat: „Scriptura potest attendi penes intentum a scribente, vel penes intentum a Spiritu inspirante et illuminante. Si primo modo, sic est sensus historicus. Si secundo modo, intentum a Spiritu Sancto, aut est respectu viae, aut respectu patriae. Si respectu viae, aut secundum verum fidei, et sic est sensus allegoricus; aut secundum bonum operum, et sic est moralis; si autem est intentum respectu patriae, tunc est anagogicus.“ [4] Ex quibus concludendum videtur sacros scriptores secundum Albertum non perspexisse totum sensum, quem Spiritus Sanctus per eorum scripta intendebat.

Quia *sacri scriptores scripserunt, quae viderunt,* Albertus in Prologo commentarii in evangelium Ioannis exponit, quot modis res divinae videri possint.

„Videre intellectualia divina visione corporali sive sensibili, videre intellectualia divina visione imaginaria, et videre intellectualia divina visione intellectuali simplici. . . . Ioannes autem omnes istas visiones est adeptus. . . . Et ideo intellectuali visione contemplatus aeterna Verbi, visione imaginaria dispensationem et gubernationem ecclesiae usque in finem, et visione corporali humana Verbi vidit . . . quae et a tribus intellectum eius illuminantibus didicit: primum quidem Sancti Spiritus inspiratione, secundum angelica illuminatione, tertium autem Iesu Christi corporali instructione. . . . Per primum est Ioannes evangelista sublimissimus, per secundum propheta eximius, per tertium doctor egregius. . . . Ioannes, licet divina solus viderit, tamen non sibi soli retinuit, sed ad utilitatem ecclesiae episcopis et doctoribus communicavit, tali modo scribens et tali sermone, quod intellegi possit. . . . Evangelium in nido ecclesiae posuit, ultimus scribens inter evangelistas, ne virus haereticae pravitatis serpens antiquus immittens aliorum evangelistarum Scripturam corrumperet.“ Huius autem evangelii „efficiens causa prima sapientia divina

[1] Summa theol. P. 1, tract. 1, q. 5, membr. 2; Opera omnia XXXI, Parisiis 1895, 24.

[2] Ib. membr. 3, p. 26 sq. [3] Ib. membr. 4, p. 28.

[4] In 1 Sent. dist. 1, a. 5; Opera omnia XXV, Paris. 1893, 20.

est, se in Verbo increato Ioanni manifestans et in Verbo incarnato Ioannem erudiens et movens ad scribendum. Mt 10, 20: ‚Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.' Spiritus autem Patris est sapientiae loquentis; propter quod indubitata huius Scripturae est auctoritas. . . . Causa vero efficiens proxima exterius est Ioannes, qui arcana Verbi ab ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. . . . Sic ergo haec Scriptura ex interno auctore est authentica et ex exteriori est fidelis" [1].

Indicat quidem illis verbis Albertus omnia fere, quae ad conceptum inspirationis pertinent, non tamen evolvit, sed hoc negotium reliquit discipulo, qui illustri magistro illustrior exstitit in rebus theologicis.

169. **S. Thomas Aquinas** doctrinam de inspiratione S. Scripturae ita expolivit, ut per multa saecula vix quidquam alicuius momenti ad eam additum sit. *Scripturam esse divinitus inspiratam* potius ut ab omnibus admissum supponit quam probat. „Scripturam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse." [2]

Sacra theologia utitur quidem argumentis ex ratione et dictis philosophorum, sed „huiusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis et probabilibus. Auctoritatibus autem canonicae Scripturae utitur proprie et ex necessitate argumentando, auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiae quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi apostolis et prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta. Unde dicit Augustinus in epist. ad Hieron. 19, c. 1, prope finem: Solis iis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt" [3]. „Auctor Sacrae Scripturae est Deus" [4], „homo vero instrumentum" [5]. „Nam aliae scientiae sunt per rationem humanam editae, haec autem Scriptura per instinctum inspirationis divinae." [6]

170. S. Thomas secundum exemplum sanctorum Patrum *inspirationem ad scribendum reducit ad conceptum prophetiae late dictae,* quia, ut ipse ait a. 13 de prophetia: „Largo modo accipiendo prophetiam, omnis supernaturalis [charismaticus] influxus ad prophetiam reducitur" (c. supra n. 38 39 64 65 83 88 92 etc.). Dicuntur enim prophetae ob tria: „primo quia a Deo inspirati . . . secundo quia a Deo [ipso] missi [ad annuntiandum aliquid nomine Dei hominibus] . . . tertio, quia Deum testificati." [7] Haec autem valent de scriptoribus sacris; ergo eorum charisma recte reducitur ad prophetiam.

---

[1] Opera omnia XXIV, Paris. 1899, 2 sqq.
[2] In 2 Sent. dist. 12, a. 2.
[3] Summa theol. 1, q. 1, a. 8, ad 2. Integra verba Augustini vide supra (n. 118).
[4] Ib. a. 10. [5] Quodl. 7, a. 16.
[6] Prooem. comment. in Psalmos; Opera omnia XVIII, Paris. 1876, 229.
[7] Prooem. comment. in Ierem. XIX, Paris. 1876, 66 sq.

Prophetia „principaliter consistit in cognitione [supernaturali] . . . secundario consistit in locutione, prout prophetae ea, quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum annuntiant“ [1]. Omnis autem manifestatio cognoscitiva fit per aliquod lumen. „Cum ergo prophetia pertineat ad cognitionem, quae supra naturalem rationem exsistit, consequens est, quod ad prophetiam requiratur quoddam lumen intellectuale excedens lumen naturalis rationis. . . . Lumen autem propheticum non inest intellectui prophetae per modum formae permanentis; alias oporteret quod semper prophetae adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum. . . . Relinquitur ergo, quod lumen propheticum insit animae per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis.“ Remanet tamen recedente influxu divino dispositio quaedam in mente prophetae ad similem influxum recipiendum. [2] „Quia prophetia est de his, quae procul a nostra cognitione sunt, tanto aliqua magis ad prophetiam pertinent, quanto longius ab humana cognitione exsistunt. Horum autem triplex est gradus.“ Quaedam ab aliis hominibus naturaliter cognoscuntur, quae ab aliis solum supernaturaliter cognoscuntur, ut quae sunt aliis praesentia, aliis vero distantia loco et tempore, vel quae unus naturaliter cognoscit, ut secreta cordis sui vel scientiam suam acquisitam, alius naturaliter non cognoscit. Secundus gradus est eorum, „quae excedunt universaliter cognitionem omnium hominum“, etsi in se sunt cognoscibilia, ut mysterium Trinitatis. Tertius est gradus eorum, quae „in se ipsis non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata“. Et ex horum praedictione praecipue prophetae vocantur [3].

Prophetia est igitur quaedam participatio luminis divini, sed imperfecta.

Nam „principium eorum, quae divino lumine prophetice manifestantur, est ipsa veritas prima, quam prophetae in se ipsa non vident; et ideo non oportet, quod omnia prophetabilia cognoscant, sed quilibet eorum cognoscit ex iis aliqua secundum specialem revelationem huius vel illius rei“, quia Deus omnia quidem, „quae sunt necessaria ad instructionem fidelis populi, revelat prophetis, non tamen omnia omnibus, sed quaedam uni, quaedam alii“ [4]. Quando propheta a Deo accipit revelationem, ut eam hominibus annuntiet, „maximam certitudinem habet, et pro certo habet, quod haec sunt divinitus sibi revelata. . . . Alioquin si de hoc ipse certitudinem non haberet, fides, quae dictis prophetarum innititur, certa non esset“ [5]. Sed est quidam infimus gradus prophetiae, qui potest vocari *instinctus divinus* sine expressa revelatione. Hic est in eo, „in quo invenitur quaedam audacia vel promptitudo ad aliquid dicendum vel faciendum sine hoc, quod ei revelatio fiat, sicut si dicamus aliquem gradum prophetiae fuisse in Samsone, largo modo accipiendo prophetiam, secundum quod omnis supernaturalis influxus ad pro-

---

[1] Summa theol. 2, 2, q. 171, a. 1. Doctrina de prophetia etiam ab aliis theologis exponitur, sed placet eam referre secundum formam, quam apud S. Thomam habet, quia sub hac forma ad plerosque posteriores theologos transiit.

[2] 2, 2, q. 171, a. 2. Alibi addit: Quia prophetia est per modum influxus transeuntis, sancti Patres „de ea per modum passionis loquuntur, dicentes eam inspirationem vel tactum quendam, quo Spiritus Sanctus dicitur tangere cor prophetae“ (De veritate q. 12, a. 1).

[3] 2, 2, q. 171, a. 3. [4] Ib. a. 4. [5] Ib. a. 5.

phetiam reducitur“ [1]. Ad ea igitur, quae propheta cognoscit per instinctum divinum, „aliquando sic se habet, ut non plene discernere possit, utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu vel per spiritum proprium . . . talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiae“. Si tamen ex hoc accidit, ut propheta aliquid falsi dicat, Deus corriget [2].

Prophetiae autem revelationis non magis potest subesse falsum quam ipsi scientiae divinae, quia ipsa Veritas prima menti prophetae cognitionem per modum doctrinae imprimit. Interdum vero prophetia condicionem annexam habet, ut, quando alicui praedicitur eum laborare morbo, ex quo naturaliter moriturus sit, vel eum a Deo punitum iri. Talis prophetia est vera, etiamsi Deus miraculose effectum causarum naturalium impediat, vel propter paenitentiam hominum poenas intentatas avertat [3].

His igitur explicata est *essentia prophetiae, quae est cognitio et annuntiatio rerum, quae naturaliter a propheta non cognoscuntur, sed a Deo prophetae ita manifestantur, ut perfecta earum certitudo habeatur, et omnis error excludatur tam in ipsa cognitione quam in annuntiatione.* Sequitur, ut de causa prophetiae agatur.

171. Itaque *de causa prophetiae* imprimis statuendum est: „Prophetia non est a natura, sed ex dono Spiritus Sancti.“ Etsi enim a quibusdam hominibus quaedam futura cognosci possunt ex causis, ut mors ex morbo, haec non est prophetia, quia solummodo ad ea se extendit, quae in causis iam sunt aliquo modo determinata, et quia haec cognitio plus minus est coniecturalis et errori obnoxia [4]. Angelis vero utitur Deus ad producendas species in vi imaginativa et ad alia efficienda in prophetis, ad quae angeli cooperari possunt [5].

Porro in ipso propheta non praerequiritur ulla naturalis dispositio ad recipiendam prophetiam, quia „prophetia vere et simpliciter dicta est ex inspiratione divina. . . . Est autem considerandum, quod, sicut Deus, qui est causa universalis in agendo, non praeexigit materiam nec aliquam materiae dispositionem in corporalibus effectibus, sed simul potest et materiam et dispositionem et formam inducere, ita etiam in effectibus spiritualibus non praeexigit aliquam dispositionem, sed potest simul cum effectu spirituali inducere dispositionem convenientem, qualis requiritur secundum ordinem naturae. Et ulterius etiam posset producere ipsum subiectum, ut scilicet et animam in ipsa sui creatione disponeret ad prophetiam et daret ei gratiam prophetalem“. Non tamen mutat Deus naturalia hominis, e. g. modum concipiendi et exprimendi res, sed removet „divina virtute, si quid prophetiae repugnat“; nam „aliqua naturalis indispositio, si non removeretur, impedire posset prophetalem revelationem, puta si aliquis esset totaliter sensu naturali destitutus“. Hoc est evidens, quia, qui omnino cognoscere non potest, neque supernaturaliter cognoscere potest; sed Deus potest utrumque simul dare.

---

[1] De verit. q. 12, a. 13. [2] 2, 2, q. 171, a. 5.
[3] Ib. a. 6; cf. Contra gentiles 3, 154. [4] 2, 2, q. 172, a. 1.
[5] De verit. q. 12, a. 8.

Etiam motus passionum valde vehementes possunt impedire cognitionem rationalem; sed etiam „talem indispositionem naturalem removet virtus divina, quae est prophetiae causa“ [1]. Potest quidem ipse quoque homo hanc negativam dispositionem aliquo modo perficere, ut iram sedare et similia, sed hoc neque sufficit ad accipiendam prophetiam neque requiritur necessario, immo videtur conveniens, ut prophetia „aliquando conferatur illis, qui videntur ad hoc maxime indispositi, ut sic divinae virtuti attribuatur, et non glorietur omnis caro coram illo“ [2]. „*Usus* autem prophetiae cuiuslibet est in potestate prophetae, et secundum hoc dicitur 1 Cor 14, 32: ‚Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.‘ Et ideo ab usu prophetiae aliquis potest se ipsum impedire, et ad debitum prophetiae usum de necessitate dispositio debita requiritur, cum prophetiae usus ex virtute prophetae creata procedat; unde et determinatam dispositionem praeexigit.“ [3] Impeditur igitur usus prophetiae per malos mores et nimias actiones externas. „Nam ad prophetiam requiritur maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, quae quidem impeditur per vehementiam passionum et per inordinatam occupationem rerum exteriorum.“ Sed prophetia potest esse sine caritate iustificante, quia caritas est in voluntate, prophetia autem in intellectu; caritas infunditur ad utilitatem recipientis, prophetia datur ad utilitatem ecclesiae [4].

Haec *de causa prophetiae, quae non est ulla naturalis dispositio hominis, sed solus Deus, qui cooperatione angelorum utitur.*

172. Porro *de modo propheticae cognitionis* considerandum est. Iam dictum est prophetas non videre ipsam essentiam divinam. quia in caelo prophetia evacuabitur ob hoc ipsum, quod essentia divina videtur, sed in prophetarum mente refulget quaedam similitudo veritatis divinae, in qua similitudine ut in quodam „aeternitatis speculo“ prophetae vident res distantes [5]. Quaeritur autem, in quo consistat haec similitudo. Ad hoc respondendum est: *In prophetica revelatione saepe imprimuntur novae species rerum et semper datur lumen quoddam intellegibile supernaturale.*

Nam sicut in cognitione naturali adsunt et similitudines rerum in facultate cognoscitiva, quae vocantur species, et iudicium de rebus repraesentatis, ita „per donum prophetiae confertur aliquid humanae menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque, scilicet et quantum ad iudicium per influxum luminis intellectualis, et quantum ad acceptionem seu repraesentationem rerum, quae fit per aliquas species. Et quantum ad hoc secundum potest assimilari doctrina humana revelationi propheticae, non autem quantum ad primum. Homo enim suo discipulo repraesentat aliquas res per signa locutionum, non autem potest interius illuminare, sicut facit Deus“.

---

[1] 2, 2, q. 172, a. 3. [2] De verit. q. 12, a. 4 ad 6.

[3] Ib. in corp.

[4] 2, 2, q. 172, a. 4. Ib. a. 5 et 6 docet daemones posse quidem aliquid manifestare, quod homines ignorent, non tamen proprie dictam prophetiam dare; porro eos interdum vera dicere, „unde etiam Sibyllae multa vera praedixerunt de Christo“.

[5] 2, 2, q. 173, a. 1.

Hoc autem *lumen est principalius in prophetia;* nam si cui divinitus fit repraesentatio aliquarum rerum per similitudines, quas non intellegit, is non est propheta (Pharao, Baltassar). Erit autem propheta is, cui datur solum lumen ad iudicandum de istis similitudinibus (Ioseph, Daniel). Similitudines possunt fieri sive per res externas, ut est scriptura in pariete apparens, sive per species imaginarias, ut in somniis, sive per species intellegibiles immediate menti impressas, ut fit in scientia infusa. Sed quomodocumque fiunt, lumen intellegibile est necessarium, ut propheta de rebus per eas repraesentatis iudicium ferat. Itaque hoc lumen per se sufficit ad veram prophetiam constituendam; quandoque vero etiam novae species infunduntur, vel species iam acceptae per divinum influxum aliter ordinantur[1]. Sicut in homine facultas naturalis iudicandi, ita etiam haec supernaturalis iudicandi facultas non diversificatur nisi ratione obiectorum, circa quae versatur; unde ipsum lumen non dividitur in varias species neque prophetia ratione luminis, sed ratione obiectorum. Ad accipiendum autem lumen illud divinum *non requiritur, ut homo alienetur a sensibus,* neque ad percipiendas species sensibiles neque ad recipiendas species intellegibiles, quia nihil horum impedit usum sensuum. Solum tum, cum revelatio prophetica fit per visionem imaginariam, homo alienatur a sensibus, ut in somniis supernaturalibus vel in ecstasi, attamen sine ulla perturbatione mentis, qualem Montanistae finxerunt[2]. In quaestione autem, num prophetae semper cognoscant ea, quae prophetant, distinguendum est inter prophetiam perfectam et prophetiam imperfectam seu instinctum divinum. Per instinctum igitur divinum interdum homines moventur ad aliquid percipiendum vel loquendum vel agendum, neque tamen intellegunt, quid hoc ex intentione Dei

---

[1] Ib. a. 2.

[2] De hac re S. Thomas alio loco haec exponit: „Prophetia habet duos actus, unum principalem, scilicet visionem; alium secundarium, scilicet denuntiationem. *Denuntiatio* autem fit a propheta vel verbis vel etiam factis. . . . Utrolibet autem modo denuntiatio prophetica fiat, semper fit ab homine non abstracto a sensibus, quia huiusmodi denuntiatio per signa quaedam sensibilia fit. Unde prophetam denuntiantem oportet sensibus uti ad hoc, quod eius denuntiatio sit perfecta; alias denuntiaret quasi arreptus. . . . Acceptio autem supernaturalis propria prophetae est secundum *imaginariam visionem,* ad quam visionem inspiciendam rapitur vis humana ab aliquo spiritu et a sensibus abstrahitur, ut Augustinus dicit 12 super Genesim ad litteram. . . . In hoc tamen differt prophetia in sua abstractione a sensibus . . . ab omnibus aliis, qui abstrahuntur, quod mens prophetae illustratur de his, quae in visione imaginaria videntur . . . de quibus certum iudicium habet per lumen mentis. . . . Apostolus [scribens 1 Cor 14, 32: Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt] loquitur quantum ad prophetiae denuntiationem, quia suo arbitrio subiacet denuntiare, de quibus inspiratur, non autem quantum ad revelationem, qua ipse propheta spiritui subicitur. . . . Error Montani fuit in duobus: Primo quia subtrahebat prophetis lumen mentis, quo de visis verum iudicium haberent; secundo quod in ipsa denuntiatione eos a sensibus abstractos dicebat, sicut in furiosis contingit vel in his, qui loquuntur in dormiendo" (De verit. q. 12, a. 9).

significet, ut Caiphas loquens de morte Christi (Io 11, 51), vel milites dividentes vestimenta Christi. In prophetia autem perfecta cum illa motione datur etiam intellegentia rei. „Sciendum tamen, quod, quia mens prophetae est instrumentum deficiens [non tam perfectum quam est mens divina], etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut factis Spiritus Sanctus intendit." [1] Ergo dicendum non est in verbis Sacrae Scripturae non posse esse ullum verum sensum, quem scriptor humanus non intenderit.

173. *Dividitur prophetia* in prophetiam comminationis, praescientiae, praedestinationis. Per primam „praenuntiatur ordo causae ad effectum, qui quandoque aliis supervenientibus impeditur", ut poena per conversionem. Huc pertinet etiam prophetia promissionis, quia homines interdum non implent condicionem, a qua pendet impletio divinae promissionis. Per prophetiam praescientiae manifestantur, quae Deus praecognoscit, „ut fienda per liberum arbitrium hominis", per prophetiam praedestinationis ea, quae Deus praecognoscit „ut fienda ab ipso" [2]. Alio modo dividitur prophetia in eam, quae fit per visionem pure intellectualem, et eam, quae adiunctam habet etiam visionem imaginariam. Si agitur de cognoscendo obiecto aeque nobili, pure intellectualis prophetia est excellentior; „magis enim appropinquat ad visionem patriae, secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur." Quia tamen „prophetia importat quandam obscuritatem et remotionem ab intellegibili veritate, ideo magis proprie dicuntur prophetae, qui vident per imaginariam visionem, quamvis illa prophetia sit nobilior, quae est per intellectualem visionem" [3].

Quae hic in textu eiusdem articuli immediate sequuntur, maxime notanda sunt, quia *theoriam inspirationis biblicae* ex parte facultatis cognoscitivae continent. Cum enim S. Thomas consideret inspirationem ut quiddam ad prophetiam pertinens, hic indicat, quomodo inspiratio ad scribendum a prophetia presse dicta differat. Quod exponit his verbis:

„Si lumen intellectuale alicui divinitus infundatur, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea, quae humana ratione cognosci possunt, sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem, cuiusmodi prophetiam habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine prophetarum [stricte dictorum], quia prophetico officio fungebantur. Unde ex persona Domini loquebantur, dicentes ad populum: ‚Haec dicit Dominus', quod non faciebant illi, qui hagiographa conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his, quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adiutorio tamen divini luminis." [4]

Ergo secundum S. Thomam *ad inspirationem biblicam non requiritur supernaturalis acceptio specierum, sed sufficit lumen supernaturale, vi*

---

[1] 2, 2, q. 173, a. 4. [2] Ib. q. 174, a. 1. [3] Ib. a. 2.
[4] Ib. ad 3.

cuius hagiographi cum absoluta certitudine iudicabant de rebus scribendis. „Quandoque igitur in prophetia non est aliqua supernaturalis acceptio, sed iudicium tantum supernaturale, et sic solus intellectus illustratur sine aliqua imaginaria visione. Et talis forte fuit inspiratio Salomonis, in quantum de moribus hominum et naturis rerum, quae naturaliter accipimus, divino instinctu ceteris certius iudicavit.“ [1] Hagiographi, etsi interdum visiones habuerunt quantum ad acceptionem rerum, eo tamen distinguuntur a prophetis presse dictis, quod prophetarum visiones sunt imaginariae, hagiographorum vero ut talium pure intellectuales. „Specialius prophetae nuncupantur, qui secundum *imaginarias* visiones prophetiam habuerunt. . . . Hagiographi autem dicuntur, qui supernaturaliter solum visiones *intellectuales* habuerunt, sive quantum ad iudicium tantum, sive quantum ad iudicium et acceptionem simul.“ [2]

Quid hagiographus supernaturaliter iudicet de rebus sibi aliunde notis, S. Thomas non dicit, sed per se patet eum debere saltem iudicare sibi haec vel illa ut vera scribenda esse. Alibi ait: „Iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spirituales significentur“, ut cum „Deus aliquando metaphorice significetur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem, aut aliud huiusmodi“ [3]. Non colligitur ex doctrina S. Thomae hagiographos necessario distinxisse, utrum loquerentur ex instinctu divino, an ex spiritu proprio [4].

Propheta a Deo non solum accipit illuminationem intellectus, sed etiam motionem supernaturalem voluntatis ad loquendum. Idem valet de hagiographis quoad scriptionem. Hanc motionem fieri ex instinctu divino, S. Thomas diserte docet, ut supra iam audivimus (n. 169). *Sacram Scripturam esse ex instinctu divino* probat verbis 2 Petr 1, 21: „Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.“ Et addit: „Ideo lingua hominis se habet in Scriptura Sacra sicut lingua pueri dicentis verba, quae alius ministrat. Ps 44, 2: ‚Lingua mea calamus‘, et 2 Reg 23, 2: ‚Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam.‘“ [5] Haec fere sunt, quae S. Thomas tradit de inspiratione Sacrae Scripturae.

174. Deinde distinguit *gradus prophetiae* secundum visionem imaginariam, quia secundum visionem intellectualem non possunt a nobis immediate distingui.

Primus gradus est, „cum aliquis ex interiori instinctu movetur ad aliqua exterius facienda“, ut Samson.

Secundus gradus est, „cum aliquis ex interiori lumine illustratur ad cognoscendum aliqua, quae tamen non excedunt limites naturalis cognitionis“, sicut Salomon disputavit de lignis et animalibus. „Hi tamen duo gradus

[1] De verit. q. 12, a. 12. [2] Ib. ad 10.
[3] 3, q. 60, a. 5 ad 1. [4] Cf. 2, 2, q. 173, a. 4.
[5] Prooem. comment. in Psalmos.

sunt infra prophetiam proprie dictam, quia non attingunt ad supernaturalem veritatem." Alii gradus dividi possunt in duas classes, prout aut sola signa percipiuntur, aut etiam personae apparent, et iterum prout haec aut in dormiendo aut in vigilando fiunt. Sic autem habebimus novem alios gradus, etsi S. Thomas non expresse sic enumerat.

Tertius gradus est, quando propheta in dormiendo videt res imaginarias.

Quartus gradus, quando in dormiendo audit voces.

Quintus gradus, quando in vigilando videt propheta res imaginarias, ut Ieremias vidit ollam succensam.

Sextus gradus est, quando propheta in vigilando audit voces.

Septimus gradus est, quando propheta in dormiendo videt hominem sibi colloquentem aut aliquid demonstrantem.

Octavus gradus est, quando is, quem in dormiendo videt, est in specie angeli.

Nonus gradus, quando in vigilando apparet homo loquens.

Decimus gradus, quando in vigilando apparet angelus loquens.

Undecimus gradus, si colloquens vel demonstrans „videatur in dormiendo vel in vigilando in specie Dei". „Super hos omnes gradus est tertium genus prophetiae, in quo intellegibilis veritas et supernaturalis absque imaginaria visione ostenditur, quae tamen excedit rationem prophetiae proprie dictae. Et ideo consequens est, quod gradus prophetiae proprie dictae distinguantur secundum imaginariam visionem." [1]

Maximus prophetarum fuit Moyses, primo quia aliquoties vidit Dei essentiam, secundo quia in visione imaginaria non solum verba audivit, sed etiam loquentem in specie Dei vidit, tum in dormiendo tum in vigilando, tertio quia nomine Dei loquebatur toti populo, novam legem proponens, quarto quia miracula operatus est coram toto populo infidelium. Ministri tamen Novi Testamenti praeferuntur ipsi Moysi propter clariorem revelationem [2]. Beati caelestes non sunt prophetae; nam, etsi iis aliquid a Deo revelatur, non tamen ut procul a Deo exsistentibus, sed ut intime Deo coniunctis [3].

175. Quod attinet quaestionem, *utrum Deus sacris scriptoribus inspiraverit etiam ipsa vocabula* an res tantum scribendas, eam S. Thomas non ex professo tangit. Attamen diversitatem in modo loquendi et scribendi derivat ex indole scriptoris humani.

E. g. in epistula ad Hebraeos S. Paulus „ideo est elegantior in stilo, quia, etsi sciebat omnem linguam 1 Cor 14, 18: ‚Omnium vestrum lingua loquor',

---

[1] 2, 2, q. 174, a. 3, ubi, ut dictum est, illos gradus paulo quidem aliter disponit, sed tamen omnes enumerat. Haec manifeste sumpta sunt ex Maimonide (supra n. 27) sicut et alia, quae de prophetia docet. Thomae notam fuisse illam Maimonidis doctrinam inde efficitur, quod in quaestione disputata de prophetia (12 de veritate), quam saepe allegavimus, pluries ad doctrinam Maimonidis provocat, ut in articulo 2 ad 6, in corpore articuli 5, in articulo 12 ad 6. Attamen in multis, iisque essentialibus, a doctrina Maimonidis recedit, ut statim patebit consideranti utramque expositionem. Maimonides illos gradus prophetiae collegerat ex variis locis Sacrae Scripturae; unde eatenus nihil obstat, quominus eius doctrina retineatur. Alia vero receperat ex philosophia Arabum peripateticorum, quae in multis non congruit cum dogmatis christianis, sed necessario reicienda est (ceterum cf. supra n. 69 nota, n. 79 117 nota).

[2] 2, 2, q. 174, a. 4. [3] Ib. a. 5.

tamen melius sciebat hebraeam tamquam sibi magis conaturalem, in qua scripsit epistulam istam. Et ideo magis ornate potuit loqui in idiomate suo quam in aliquo alio. Unde dicit 2 Cor 11, 6: ‚Etsi imperitus sermone, sed non scientia.' Lucas autem, qui fuit optimus prolocutor, istum ornatum transtulit de hebraeo in graecum" [1]. „Paulus et alii apostoli fuerunt instructi divinitus in linguis omnium gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam [recte exprimendam], sed quantum ad quaedam, quae superadduntur humana arte ad ornatum et elegantiam locutionis, apostolus instructus erat [naturaliter] in propria lingua, non autem in aliena." [2]

176. Restat quaestio *de sensu Scripturae inspiratae,* quam sic solvit S. Thomas:

„Sacra Scriptura ad hoc divinitus est ordinata, ut per eam nobis veritas manifestetur necessaria ad salutem. Manifestatio autem vel expressio alicuius veritatis potest fieri de aliquo rebus et verbis, in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius, et secundum hoc in Sacra Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo, secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit *sensus litteralis.* Alio modo, secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit *sensus spiritualis,* et sic Sacrae Scripturae plures sensus competunt. . . . Sed sensus spiritualis semper fundatur super litteralem et procedit ex eo. Unde ex hoc, quod Sacra Scriptura exponitur litteraliter et spiritualiter, non est in ipsa aliqua multiplicitas" seu ambigua vel aequivoca locutio. Praeterea „nihil est, quod occulte in aliquo loco Scripturae tradatur, quod non alibi manifeste exponatur. Unde spiritualis expositio semper debet habere fulcimentum ab aliqua litterali expositione Sacrae Scripturae, et ita vitatur omnis erroris occasio." Nihilominus „ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum", quia una res potest plura significare. „Verbi gratia leo propter aliquam similitudinem significat Christum et diabolum. Unde per hoc, quod aliquid de leone dicitur in Sacra Scriptura, ad neutrum fieri potest processus, in Sacra Scriptura argumentando." [3] Explicatur dein, quomodo sensus spiritualis dividatur in

---

[1] Prologus comment. in epist. ad Hebr.; Opera omnia XXI, Paris. 1876, 562.

[2] 2, 2, q. 176, a. 1 ad 1.

[3] Quodlibetum 7, a. 14. Cavendum est, ne ex hac doctrina falsa conclusio fiat. Quod S. Thomas cum S. Augustino (supra n. 127) intendit, est hoc: non licere ex figuris quascumque possibiles similitudines colligere et inde argumentari. At aliud est, si Sacra Scriptura docet aliquam rem esse figuram alterius rei secundum hanc vel illam rationem, sicut loquitur e. g. de aeneo serpente, de Melchisedech, de transitu maris rubri, aliis multis. Cum primum enim certo constat rem praeteritam ex divina institutione figurare rem futuram sub hoc vel illo respectu, sine dubio cum absoluta certitudine argumentari licet rem et rationem figuratam per typum necessario inveniri in antitypo. Hoc argumento et S. Thomas et ante eum SS. Patres et post eum theologi saepe utuntur, ut notum est. Illis autem allegoricis expositionibus, quae apud multos scriptores ecclesiasticos inveniuntur, nullum argumentum biblicum fieri posse evidens est.

Ceterum docet S. Thomas in *omnibus, quae historice narrentur in Sacra Scriptura, semper retinendum esse sensum historicum.* „Ea, quae de paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicae proponuntur. In omnibus autem, quae

allegoricum, moralem, anagogicum [1], id quod iam saepius audivimus. Notat autem ibi S. Thomas, figurativas locutiones, comparationes similiaque pertinere ad sensum litteralem, et ideo posse etiam ab hominibus adhiberi, sed sensum spiritualem solius Dei esse, quia res in cursu suo ita ordinare, ut aliquid futurum significent „eius solius est, qui sua providentia res gubernat“ [2]. Sensus enim typicus est prophetia realis.

Patet igitur *S. Thomam admisisse duplicem sensum Sacrae Scripturae, litteralem et typicum,* et divisisse typicum pro re, quae praefigurabatur, in tres: allegoricum, quo res in hac vita credenda; moralem, quo res facienda; anagogicum, quo res in caelo speranda praefiguratur. Hoc modo omnes doctores catholici multiplicem sensum Scripturae admittunt.

177. Sed *numquid S. Thomas docuit ipsum sensum litteralem, prout a typico distinguitur, posse esse multiplicem?* De hac re non convenit inter doctos, quia nonnullis locis videtur Thomas Augustini (supra n. 125 sq) sententiam amplecti; aliis vero locis ea dicit, quae cum multiplici sensu litterali pugnant.

Primus textus. In Summa theologiae ad obiectionem: „Multiplicitas sensuum in una scriptura parit confusionem et deceptionem et tollit arguendi firmitatem“, respondet: „Multiplicitas horum sensuum [Sacrae Scripturae] non facit aequivocationem aut aliam speciem multiplicitatis, quia sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia res ipsae significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa. Et ita etiam nulla confusio sequitur in Sacra Scriptura, *cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem,* ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur.“ [3]

Hic igitur expresse ait: In Sacra Scriptura una vox non multa significat, sed unum; unus est sensus litteralis, super quem omnes alii sensus fundantur. Tacite vero concedit per multiplicem sensum litteralem creari confusionem et deceptienem et tolli arguendi firmitatem. Iamvero haec verba immediate sequuntur illa, ad quae defensores multiplicis sensus litteralis provocare solent: postquam enim exposuit Thomas triplicem sensum spiritualem, addit: „Quia vero sensus litteralis est, quem auctor intendit, auctor autem Sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus, si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus.“ Si haec phrasis exponitur ita: Praeterquam, quod Scriptura multiplicem sensum spiritualem admittit, etiam litteralis sensus est in ea multiplex, Thomas sibi contradiceret, quia statim pergit dicere: Sensus multiplex litteralis parit confusionem et deceptionem et tollit arguendi firmitatem,

---

sic Scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiae, et desuper spirituales expositiones fabricandae“ (1, q. 102, a. 1).

[1] Quodl. 7, a. 15. [2] Ib. a. 16. [3] S. 1, q. 1, a. 10.

in Scriptura vero multiplices sensus fundantur super unum sensum litteralem, et ideo illi mali effectus non oriuntur. Ergo phrasis illa explicanda est sic: Quia Spiritus Sanctus omnem verum sensum intendit, et quia omnis sensus, quem auctor intendit, potest vocari litteralis, cum S. Augustino dicere licet non esse inconveniens attribuere Sacrae Scripturae multiplicem sensum litteralem, scilicet historicum, allegoricum, moralem, anagogicum. Verum quidem est Augustinum etiam admittere multiplicem sensum litteralem ut distinctum a sensu spirituali; at S. Thomas non raro Patrum dicta minus recta potius benigne interpretari studet quam falsitatis arguere. Quae cum ita sint, quaestio per se est soluta; nam, quidquid Thomas alibi scripsit, in praecipuo suo opere dogmatico unicum tantum sensum litteralem in Sacra Scriptura agnoscit. Sed integrae tractationis gratia inspiciamus ceteros quoque textus.

Secundus textus. Ad obiectionem, quod auctor alicuius scripturae per unam scripturam non potest intellegere nisi unum sensum, respondetur: „Auctor principalis Sacrae Scripturae est Spiritus Sanctus, qui in uno verbo Sacrae Scripturae intellexit multo plura, quam per expositores Sacrae Scripturae exponantur vel discernantur. Nec est etiam inconveniens, quod homo, qui fuit auctor instrumentalis Sacrae Scripturae, in uno verbo plura intellegeret, quia prophetae, ut Hieronymus dicit super Osee, ita loquebantur de factis praesentibus, quod etiam intenderunt futura significare. Unde non est impossibile simul plura intellegere, in quantum una res est figura alterius.“ [1]

Secundum haec igitur multiplex est sensus Scripturae, quatenus est et litteralis et typicus.

Tertius textus. Sed praecipuum argumentum eorum, qui S. Thomam propugnatorem multiplicis sensus litteralis faciunt, legitur in quarta quaestione de potentia a. 1, ubi quaeritur: „Utrum creatio materiae informis praecesserit duratione creationem rerum.“ Respondetur: Si materia intellegitur materia prima, non praecessit duratione sed natura tantum; sin intellegitur materia secunda, sed carens perfecto complemento et decore, potest dici duratione praecessisse. Occasione huius quaestionis quaedam ex Augustino profert. Ait enim: Potest esse duplex disceptatio: una de ipsa re, alia de sensu litterae. „Circa secundam disceptationem duo sunt vitanda, quorum primum est, ne aliquis id, quod patet esse falsum, dicat in verbis Scripturae, quae creationem rerum docet, debere intellegi; Scripturae enim divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur. Aliud est, ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent et possunt salva circumstantia litterae Scripturae aptari, penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et in diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit Et per hoc etiam contra infideles facilius defenditur, dum, si aliquid, quod quisque ex Sacra Scriptura velit intellegere, falsum apparuerit, ad alium

[1] Quodl. 7, a. 14 ad 5.

eius sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile Moysi et aliis Sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intellegere, ipsi cognoscerent et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus Sacrae Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intellegit, non est dubium, quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas, quae salva litterae circumstantia potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus." Proposita dein duplici illa explicatione materiae concludit: „Quia ergo neutrum a virtute fidei discordat, et utrumque sensum circumstantia litterae patitur, utrumque sustinentes ad utrasque rationes respondeamus." [1]

Haec verba[2] sine dubio multis Thomae asseclis fuerunt ratio admittendi in Sacra Scriptura multiplicem sensum litteralem. At quia in Summa aliter loquitur, hoc argumentum efficacia caret. Propterea ubi in Summa eandem quaestionem tractat, nihil tale repetit, sed simpliciter ait: De informi materia sunt diversae opiniones sanctorum, quae parum inter se differunt; et relinquit lectori, quam ex iis velit eligere[3]. Primum illud principium „ut veritas Scripturae inconcusse teneatur", ibidem repetit. Sed secundum principium alio modo ponit: „Cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne iis via credendi praecludatur." [4] Hoc est principium omnibus incunctanter admittendum. Hoc utique est etiam id, quod in illa quaestione de Potentia praecipue inculcare vult: Ubi est dubia et disputata expositio textus, nemo ita cogat Scripturam ad unum sensum, qui ei placet, ut omnem alium sensum ut impossibilem reiciat, ne, si forte sensus ipsi placens postea falsus appareat, recursus ad alium sensum occludatur. Ad hoc autem non requiritur, ut admittamus multiplicem sensum litteralem, sed solum ut fateamur nos interdum non certo scire, quis ex variis sensibus sit sensus litteralis. Cetera, quae ibi adduntur, si secundum defensores sensus multiplicis litteralis recipiuntur, sunt ex iis, „quae pariunt confusionem et deceptionem et tollunt arguendi firmitatem". Satius igitur est sequi ea, quae S. Thomas in Summa docuit et in argumentando ubique practice applicavit.

178. Illud unum addendum est secundum S. Thomam *sensum litteralem non idem esse ac sensum crude materialem.* Sacra enim Scriptura utitur metaphoris et popularibus locutionibus, ut sic omnes homines facilius ad capienda spiritualia instruantur.

„Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum natūrae. Est autem naturale homini, ut per sensibilia ad intellegibilia veniat, quia

[1] De potentia q. 4, a. 1.
[2] Similia sed brevissime dicit in 2, dist. 12, a. 2 ad 7.
[3] 1, q. 66, a. 1. [4] Ib. q. 68, a. 1.

omnis nostra cognitio a sensu initium habet. Unde convenienter in Sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium. . . . Convenit etiam Sacrae Scripturae, quae omnibus communiter proponitur . . . ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intellegibilia secundum se capienda non sunt idonei." [1] Unde loquens de rebus mundi visibilis „Moyses rudi populo condescendens secutus est quae sensibiliter apparent" [2], non vero internas rerum naturas exposuit. Hoc autem non de solo Moyse valet.

179. Theologi dominicani, qui post S. Thomam scripserunt, plerique eius doctrinam secuti sunt et in quaestione de inspiratione vix quidquam addiderunt ad eam illis temporibus, de quibus hic loquimur. Pauci eius doctrinam in variis quaestionibus impugnarunt, ex quibus celeberrimum nomen nactus est **Durandus a Sancto Porciano.** Hunc igitur unum ex theologis scholasticis veteris Scholae dominicanae eligo ad ostendendum ne adversarios quidem S. Thomae aliam atque ipsum de inspiratione doctrinam tradidisse. In praefatione commentarii in libros sententiarum Durandus haec ait: Deus multis modis se revelat, quorum infimus est revelatio naturalis per creationem ipsam facta, suprema vero visio beatifica in caelis. Sed „ex primo modo infimo et imperfectissimo non deducimur ad supremum et perfectissimum nisi per medium modum, quo Deus nobis revelat se ipsum in libro Sacrae Scripturae, in quo nobis revelavit quaedam de se ipso, quae naturalem cognitionem excedunt . . . et alia ad salutem nos promoventia".

„*Sacra Scriptura excellit omnes alias scientias celsitudine dignitatis et auctoritatis,* quam habet a principio originali, quia est immediate inspirata a Deo. . . . Ergo inter scientias et scripturas, quae ad spiritualem perfectionem animae pertinent, Sacra Scriptura, quae est immediate a Deo inspirata, quandam praerogativam dignitatis obtinet, quia est emanatio quaedam claritatis Dei sincera."

„*Secundo excellit Scriptura Sacra alias in plenitudine bonitatis,* quam habet ex finali intento; et istud secundum sequitur ex primo. Quae enim ex altiori principio derivantur, ad altiorem finem ordinantur. . . . Ceterae enim scientiae humanitus inventae, sicut habent creatum et quasi terrenum principium, sic et ad finem creatum et quasi terrenum perducunt. . . . Sicut ergo terra est insensibilis quantitatis respectu caeli, sic bonitas ex aliis scientiis acquisita est quasi nullius momenti respectu bonitatis, ad quam Sacra Scriptura dirigit et conducit. . . . Ut dicit Hieronymus ad Paulinum: Discamus in terris, quorum scientia perseverat nobiscum in caelis. Hoc autem solum est in Sacra Scriptura."

„*Tertio Sacra Scriptura excellit omnes alias in certitudine veritatis,* quam habet ex formali ornamento. . . . Quaecumque in Sacra Scriptura traduntur, aut solum aut principaliter divina revelatione tenentur; talia autem certissima

[1] Ib. q. 1, a. 9. [2] Ib. 70, a. 1 ad 3.

sunt. Ratio huius est, quia supremum inferioris deficit ab infimo superioris. In omni enim genere visa sunt certiora auditis; sed audita a Deo, quamvis sint infima in gradu certitudinis in illo genere cognitionis, tamen certiora sunt et veriora his, quae sciuntur et videntur a nobis in lumine creaturae rationalis. Unde clarae et certae auctoritati divinae cedit ratio. . . . Et ideo prae ceteris scientiis, in quibus est plurimum falsitatis et modicum utilitatis, transeundum est ad istam."

„*Quarto Sacra Scriptura excellit omnes alias in voragine profunditatis,* quam habet ex contento materiali. . . . Scibilium tria sunt genera: quaedam infra rationem, quaedam iuxta, quaedam supra. Infra rationem sunt, quae sensu percipimus; iuxta rationem, quae per viam rationis; supra rationem autem, quae nec sensus docet nec ratio persuadet, sed aut divina revelatione comprehenduntur aut Scripturarum auctoritate creduntur. Et haec sunt profundissima mysteria, de quibus agitur in Scriptura Sacra. . . . In uno et eodem sermone dum narrat gestum, prodit mysterium. . . . Quia, sicut dicitur 1 ad Cor 14, Spiritu loquitur mysteria. Iste autem est, qui Sacram Scripturam et doctrinam revelavit. . . . His igitur et aliis consideratis patet, quod Sacra Scriptura plena est caelestibus mysteriis, quae Deus suis fidelibus revelavit." In exponenda autem Scriptura servanda est recta mensura, „videlicet, ut non subtrahatur fidei, quod sub fide est, nec attribuatur fidei illud, quod sub fide non est. Utroque enim modo mensura fidei exceditur et a continentia Sacrae Scripturae, quae fidei mensuram exprimit, deviatur. Et hunc modum Deo adiuvante tenere volumus, ut nihil scribamus vel doceamus Sacrae Scripturae dissonum. . . . Et quia interpretatio dubiorum Sacrae Scripturae ad sanctam ecclesiam romanam et catholicam pertinet, omnia opera nostra huius libri et sequentium eius correctioni totaliter supponimus, utpote, qui ab initio in fide et oboedientia romanae ecclesiae nutriti sumus et in romana curia in scholis sacri palatii veritatem Sacrae Scripturae docuimus et per sedem apostolicam ad episcopalem dignitatem, quamvis immeriti, promoti sumus. Modus autem loquendi ac scribendi in ceteris, quae fidem non tangunt, est, ut magis innitamur rationi quam auctoritati cuiuscumque doctoris, quantumcumque celebris vel sollemnis, et parvipendatur omnis humana auctoritas, quando per humanam rationem elucescit contraria veritas. Quamvis enim captivandus sit intellectus noster in obsequium Christi, et in his, quae fidem tangunt, plus acquiescere debeamus auctoritati Sacrae Scripturae quam cuicumque rationi humanae, quia divina notitia, quam exprimit Sacra Scriptura, plus excedit humanam notitiam quam humana notitia bestiales, tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam incidit in insipientiam bestialem, ut comparatus sit iumentis insipientibus et similis factus sit illis."

Ipse igitur Durandus, non obstante ingenio suo valde independente, de inspiratione Sacrae Scripturae plane consona docet cum S. Thoma et ceteris doctoribus catholicis.

180. Inter doctores, qui non theologiam scholasticam sed alias disciplinas theologicas excoluerunt, eminet **Raimundus Martini**, cuius opus apologeticum incribitur „Pugio fidei", quia, ut ait, „iniunctum

est mihi, ut de illis Veteris Testamenti, quos Iudaei recipiant, libris vel etiam de Talmud ac reliquis scriptis suis apud eos authenticis opus tale componam, quod quasi pugio quidam praedicatoribus christianae fidei atque cultoribus possit esse in promptu ad scindendum quandoque Iudaeis in sermonibus panem verbi divini, quandoque vero ad eorum impietatem atque perfidiam iugulandam eorumque contra Christum pertinaciam et impudentem insaniam perimendam". Cum enim Iudaei divinam originem Veteris Testamenti agnoscant, „materia istius pugionis, quantum ad Iudaeos maxime, duplex erit: prima et principalis auctoritas legis et prophetarum totiusque Veteris Testamenti, secundaria vero quaedam traditiones, quas in Talmud et Midrashim, i. e. glossis et traditionibus antiquorum Iudaeorum repperi. . . . Has autem traditiones . . . Deum Moysi simul cum lege in monte Sinai credunt et referunt tradidisse". Sed hoc „de omnibus, quae in Talmud sunt, credere propter innumeras absurditates, quas continet, nihil aliud reputandum est quam praecipitatae mentis insania", etsi forte de quibusdam, quae veritatem sapiunt, hoc probabiliter admitti possit.

Proponit autem ubique ad originalem Sacrae Scripturae textum recurrere.

„Inducendo auctoritatem textus, ubicumque ex hebraico fuerit desumptum, non Septuaginta sequar nec interpretem alium, et quod maioris praesumptionis videbitur, non ipsum etiam in hoc reverebor Hieronymum, nec tolerabilem linguae latinae vitabo improprietatem, ut eorum, quae apud Hebraeos sunt, ex verbo in verbum, quotiescumque servari hoc potuit, transferam veritatem. Per hoc enim Iudaeis falsiloquis lata valde spatiosaque subterfugiendi praecludetur via, et minime poterunt dicere non sic haberi apud eos, ut a nostris contra ipsos me interprete veritas inducetur." Praevidet quidem sibi ex hoc calumniam paratum iri, sed defendit se exemplo S. Hieronymi, cuius verba allegat. „Haec autem ex ore S. Hieronymi propterea induxerim, antequam opusculum exordiar, ut in eo, quod eum vel alios in transferendo propter causam, quam dixi multoties, non sequar, contra illos, qui saepius arguunt, quidquid ipsi non fecerint, et omnia fere vituperant, quae ignorant, quare et hoc procul dubio reprehensuri sunt [me defendam]." Dein variis exemplis ex Sacra Scriptura desumptis ostendit saepe recursum ad textum originalem esse necessarium [1]. Septuaginta interpretes „tria, i. e. subtrahere, addere, mutare, in multis valde Sacrae Scripturae locis perpetrasse noveris" [2].

Iamvero cum *„Sacram Scripturam mentiri et apud eos [Iudaeos] et apud nos sit impossibile et absurdum"* [3], Raimundus ostendit secundum textum hebraicum Veteris Testamenti Messiam venisse ante destructionem secundi templi, veterem legem esse abrogatam et novum foedus, olim promissum, esse institutum.

„Futurum enim erat, ut lex Moysis evanesceret coram lege Messiae seu Christi in cunctis caerimoniis suis, i. e. ut cum lege Christi non quidem

[1] Ed. Lipsiae 1587, Prooem. 2 sqq. [2] Ib. 870, P. 3, d. 3, c. 16, n. 43.
[3] Ib. 316, P. 2, c. 4, n. 9.

iuxta litteram, sed secundum mysticam ac spiritualem intellegentiam servaretur." Quare Christus prius per triginta annos totam legem Moysis servavit tum vero „novam evangelii sui legem per tres annos et quasi dimidium factis et verbis in cordibus credentium et praecipue apostolorum et septuaginta duorum discipulorum scribere non cessavit ac finaliter Spiritu Sancto, quidquid in cordibus eorum docendo scripserat, sic firmavit, quod nulla persecutione, nulla inde poterit oblivione ulterius deleri" [1].

Sunt quidem in Sacra Scriptura metaphorae, quae recta interpretatione indigent.

„Sacra Scriptura saepe loquitur mystice atque parabolice, frequenter quoque translative sive transsumptive vocat res quaslibet aliarum rerum nominibus, et etiam ipsos homines, secundum quod eorum requirunt opera sive mores vel etiam qualitates." [2] Multa quoque in Scriptura sunt obscura, sed „quandocumque in Scriptura ambiguitatis alicuius controversia oritur, in praecedentibus vel subsequentibus quaerendum est, Scriptura illa qualiter intellegenda sit, et controversia qualiter dirimenda". Itaque „si ea, quae in Sacra Scriptura ambigue dicta sunt, decernenda atque intellegenda sunt secundum praecedentia et subsequentia . . . illos, qui ea, quae manifeste et aperte dicta sunt, omnino volunt a praecedentibus discrepare, non solum caecitate, sed etiam insania laborare manifestum est" [3]. Nam quidquid ex Sacra Scriptura manifeste demonstratur, omni humana ratione fortius est. „Ne videatur ergo fides catholica in vanis rationibus constituta, et non potius in solidissima Dei doctrina, ingenue confitemur [rationes contra aeternitatem mundi allatas esse probabiles tantum]. Porro nos habemus, ut ait B. Petrus ep. 2, c. 1, firmiorem propheticum sermonem, cui bene facimus attendentes, quasi lucernae ardenti in caliginoso loco, i. e. in hebraica veritate, in populo iudaico. Nec non et sermonem evangelicum. De Vetere autem Testamento iam habes testimonia superius. Haec ergo et his similia sunt in Sacra Scriptura, quae rationes nostras omni humanae rationi et praeponderare et sufficienter faciunt praevalere." [4]

ART. IV.

DE ALIIS QUIBUSDAM THEOLOGIS MEDII AEVI.

181. Praeter theologos duorum ordinum S. Francisci et S. Dominici nemo ex doctoribus medii aevi maiore fama fruebatur quam **Henricus Gandavensis** (secundum sententiam nunc communiorum sacerdos saecularis), discipulus Alberti Magni. Henricus omnibus copiosius de Sacra Scriptura disseruit. Quia autem nostra aetate paene est ignotus, liceat ex eius doctrina paulo plura excerpere [5].

Statuit igitur imprimis theologiam, i. e. notitiam rerum supernaturalium, non statim ab initio humani generis scribendam fuisse, sed tum demum, cum homines doctrinam et legem ab initio acceptam

[1] Ed. Lipsiae 1587, 778 sq, P. 3, c. 11, n. 12.
[2] Ib. 427, P. 2, c. 12, n. 5. [3] Ib. 294, P. 1, c. 3, n. 32 sq.
[4] Ib. 229, P. 1, c. 13, n. 4.
[5] Summa; Ed. Ferrariae 1646, P. 1, a. 8 sqq, p. 164 sqq.

per exuberantiam peccatorum quasi de corde suo deleverant[1]. Neque tamen debuit statim tota doctrina conscribi, sed paulatim, ut homines prius e peccatorum et errorum caeno educti, deinde ad perfectiora proveherentur[2]. In omnibus vero libris Veteris et Novi Testamenti simul sumptis doctrina supernaturalis tam perfecte tradita est, ut nihil ad eam addendum sit. Nam apostoli acceperunt Spiritum Sanctum, qui eos induceret in omnem veritatem. Apostolica et evangelica doctrina est una et eadem, quae ad Vetus Testamentum se habet „ut explanativa quorundam eorum, quae obscure in illis [libris Veteris Testamenti] dicta sunt in sensu litterali, et ut interpretativa eorundem secundum sensum mysticum, allegoricum, tropologicum vel anagogicum. Specialiter autem se habet ad Vetus Testamentum . . . caerimoniales observantias spiritualiter interpretando et defectum moralium supplendo“[3]. Itaque evangelica doctrina non iam est augenda, sed magis magisque usque ad finem mundi explicanda. Neque doctrina Novi Testamenti est dicenda contraria doctrinae Veteris Testamenti neque est alii auctori attribuenda, ut Manichaei voluerunt, sed idem Deus imperfecto populo imperfecta tradidit, perfecta vero reservavit ei populo, quem voluit ad perfectionem adducere[4].

182. *Deus est principalis auctor Scripturae, scriptores vero humani sunt secundarii auctores.*

„In artificialibus, ubi est unus artifex, qui opus dirigit et regulat, et alius manu operans secundum regulas ab artifice traditas, manu operans non dicitur auctor operis, sed artifex, maxime ob hoc, quia hic rationes et regulas operandorum novit, ille autem non. . . . Similiter ergo erit in aliis artibus et scientiis, quod, secundum quod describens artem novit vel non novit regulas artis, secundum hoc debet dici auctor artis vel non auctor, ut ille, qui per se novit rationes et regulas artis, quas alteri describendas dictat et proponit, debeat dici auctor principalis et primus scientiae, non autem qui eam immediate describit. Nunc autem ita est, quod rationes et regulas huius scientiae [supernaturalis] solus Deus per se et de se novit, nec potuit creatura ulla ex puris naturalibus ad eam attingere, sed secundum regulas et rationes eius sibi inspiratas a Deo prophetae et apostoli eam conscripserunt et conscribere potuerunt. . . . Solus ergo Deus potest dici auctor huius scientiae. Quia tamen per homines ministratae sunt Scripturae, qui eas conscripserunt, et contemplati sunt ipsam sapientiam, quantum potuit humanis cordibus contingi, et sic regulas artis huius, quam conscripserunt, perfectissime intellexerunt, non solum organa et canalia, ut per quae transierunt verba huius scientiae . . . immo vero, licet secundarii, debent dici auctores ex thesauro artis sibi infusae eam describentes.“ Itaque haec scientia alio modo reducitur ad auctoritatem divinam atque scientia naturalis et acquisita, et multo magis est infallibilis. „In tantum etiam dependet veritas huius scientiae a divinae auctoritatis inspiratione, ut non solum homines conscribentes hanc scientiam per inspirationem conciperent sententias

[1] Ib. a. 8, q. 4. [2] Ib. a. 8, q. 5. [3] Ib. a. 8, q. 6, n. 13.
[4] Ib. a. 9, q. 1.

conscribendas, sed etiam verborum qualitatem ac formam . . . quia prophetia non est talibus verbis et tali modo locutionis scripta, quali utuntur homines in locutione sua, et quali saeculares litterae sunt compositae. Et vere non erat locutio prophetarum secundum suam vel audientium, sed secundum voluntatem Spiritus Sancti, qui loquebatur in illis. Sicut enim in prophetarum potestate non erat, semper habere spiritum, semper futura praedicere, ita non erat potestatis eorum, ut, quaecumque vellent, docerent, sed ea sola docebant, quae a Spiritu didicerant . . . ut possit quoad hoc homo dici auctor secundarius et ministerialis."

„*Et quod Deus principalis auctor dicitur huius scientiae, hoc diversimode attribuitur toti Trinitati et singulis personis in Trinitate.* Dicitur enim auctor principalis Deus Trinitas, quia actio revelationis seu inspirationis, eo quod est respectu creaturae, communis est toti Trinitati. Sed quia hoc, quod agunt Filius et Spiritus Sanctus, sicut et hoc, quod sunt, habent a Patre, ideo principalitas auctoritatis huius scientiae, sicut et cuiuslibet alterius divini operis, attribuenda est Deo Patri. . . . Ipsa autem scientia, quae per revelationem conscripta est, quia appropriatur Filio, et similiter ipsa revelatio, quoad hoc principalis auctoritas huius scientiae attribuitur Filio. Ipsa etiam revelatio, quia non nisi ex dono procedit, quod appropriatur Spiritui Sancto, quoad hoc auctoritas haec attribuitur Spiritui Sancto. Et secundum hoc diversimode Deo attribuitur auctoritas huius scientiae." [1]

Quamprimum autem constat Deum esse auctorem S. Scripturae, sequitur omnibus dictis Sacrae Scripturae fidem absolutam adhibendam esse, quia maior auctoritas quam divina esse non potest.

183. Sed restat quaestio, *num „rationale sit credere auctorem huius scientiae fuisse Deum"*. Hoc affirmandum est ob quattuor rationes.

„Primo ex miraculorum operatione in eius praedicatione. . . . Secundo . . . quod nihil terrenum, nihil, quod carnis et voluptatis erat, praedicavit, sed quae paupertatis, abstinentiae et asperitatis, et quod nihil eorum, quae sensus attingit, pro Deo colendum docuit. Tertio patet idem, quod secundum doctrinam eius imperitum vulgus credit et praedicat, servat perpetua ieiunia, contemnit coniugia, cruces et flammas neglegit, patrimonia pauperibus tribuit. Quarto patet idem eo, quod per tam humilem doctrinam Christi, per apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces et sanguinem, per sanctorum praedicatam vitam totus fere mundus conversus est, quod per philosophos et eorum doctrinam perspicacem fieri non potuit. . . . Haec ergo et huiusmodi ad rationabiliter credendum huic scientiae propter Dei auctoritatem sufficientia debent esse indicia, non solum pro tempore ecclesiae primitivae, sed etiam pro toto ecclesiae decursu usque in finem, licet de cetero non fiant. . . . Et licet per prophetas et apostolos intermedios illa doctrina tradita sit, et auctoritate eorum divina auctoritas nobis in iis credita sit, tamen propter Christi auctoritatem, immo Dei in Christo, ei ipsi principaliter credendum est. . . . Quare cum Sacra Scriptura directa sit humano generi a Deo per medios prophetas et apostolos et eorum successores, certitudo notitiae veritatis huius scientiae non potest attribui alicui mediorum, nisi quia in ipso cognoscitur primum dirigens, scilicet virtus divina, refulgens in mira-

[1] Summa a. 9, q. 2.

culis circa medios ad nos scientiam istam deferentes. . . . Quod autem credimus posterioribus, circa quos non apparent virtutes divinae, hoc est, quia non praedicant alia, quam quae illi in scriptis certissimis reliquerunt, quae constat per medios in nullo fuisse vitiata ex consensu concordi in iis omnium succedentium usque ad nostra tempora. . . . Huius enim fidem faciunt illa . . . quae [Deus] operatus est circa universalem ecclesiam usque ad tempora nostra, propter quae credendum esset ipsi ecclesiae, etsi non esset testimonium ipsius Scripturae. . . . Non est igitur incerta Dei auctoritas circa hanc Scripturam, nec levitatis est ei credere." [1] Ille igitur, qui primum ad fidem accedit, potius credere debet ecclesiae quam Sacrae Scripturae, „quia facta possunt eum magis certificare quam nuda verba nondum intellecta". Praeterea particularia credi debent, ergo etiam proponi, . in quo magis valet praedicatio ecclesiae quam inspectio Scripturae, quia distincta magis in ea fit articulorum explicatio". Sed si quis semel debito modo instructus est et fidem concepit, „ad fidem iam genitam confirmandam in fideli maxime valet auctoritas intellecta Sacrae Scripturae, cui fidelis adhaeret, etsi videret illos, per quos fidem acceperat, a fide resilire et per impossibile totam ecclesiam in aliis a fide recedere". Hoc valet de dispositione credentis; nam ex parte rei creditae „omnino credendum est aequaliter Scripturae et ecclesiae, quia in nullo discrepare possunt". „Fideles, quanto magis in intellectu huius scientiae [Scripturae] proficiunt, tanto firmiores in fide et magis catholici fiunt." [2]

Si *comparatur auctoritas Scripturae cum ratione humana,* „quantum est ex parte rei creditae, dicendum est simpliciter, quod magis credendum est auctoritati Scripturae quam cuicumque naturali rationi, quia Scriptura ex rectitudine divinae veritatis conscripta est, quae in infinitum excedit rectitudinem humanae rationis, unde et Scriptura continet veritates naturalem rationem excedentes". Sed si quis evidenter cognoscit aliquam naturalem veritatem, et si huic veritati „littera Scripturae videatur esse contraria, hoc non est, nisi quia male est intellecta [Scriptura], et tunc magis credendum est rationi naturali quam auctoritati Scripturae quoad illum sensum, quem littera praetendit contrarium rationi, et quaerendus est alius [sensus], quousque inveniatur ille, qui rationi congruit; et si non statim possit inveniri, non propter hoc omnino litteram habere veritatem negandum est". Ceterum contra ea, quae ecclesia tenet ex Scriptura, non potest esse talis evidens ratio, unde contra haec pugnare est haereticum [3].

184. Primi quidem *doctores huius scientiae* supernaturalis debuerunt esse simplices, ut ista scientia Deo auctori tribueretur, non hominibus, sed posteriores doctores, qui debent fideles in intellectum Scripturae inducere, debent esse versati in iis, quae scientiae naturales docent in communi cum Scriptura, et quae ex scientiis naturalibus possunt esse adiumento ad Scripturam interpretandam. „Est autem triplex ratio, propter quam isti secundi doctores non simplices, sed instructi esse debent in scientiis saecularibus. Prima, ut errores sapientiae mundanae contrarii veritati fidei cognoscantur et improbentur. . . . Secunda, ut veritates contentas in iis agnoscant et in usum doctrinae fidei convertant. . . . Tertia, ut, postquam circa eos divinae auctoritatis miracula deficiunt, quae primos doctores et eorum doctrinam

[1] Ib. a. 9, q. 3. [2] Ib. a. 10, q. 1. [3] Ib. a. 10, q. 2.

honorabiles reddebant, saltem iis peritia rationis assistat, ne despicabiles a sapientibus mundi habeantur, et per eos scientia fidei ab infidelibus blasphemetur. . . . Unde postquam Deus fecit, quod in se est, fidem fundando, homo debet facere, quod in se est, ipsam manifestando, et ad hoc totis viribus studere." [1] Idem suo modo valet de auditore huius scientiae, qui vult ad eius perfectam notitiam pervenire [2].

Debetne quivis Christianus legere Sacram Scripturam? Ad hoc respondendum est: Omnis homo debet addiscere ea, quae scitu necessaria sunt ad salutem. Iamvero „quidam hominum nec sunt sic ingenio praediti nec sic aliis disciplinis imbuti, ut ad mysteria huius Scripturae investiganda et ad populum instruendum umquam utiles esse possint. . . . Et de istis dicendum, quod non oportet eos esse auditores huius scientiae per lectionem, sed solum per praedicationem, quousque instruantur in fide et moribus, quantum iis sufficit ad salutem, et se custodire in fide, spe et caritate, et per illa attingere finem ultimum huius scientiae, secundum quod talis instructio cuilibet adulto baptizato proponenda est, grosso modo ea, quae sunt huius Scripturae, transcurrendo". Illi vero, qui sunt naturali ingenio praediti et aliis disciplinis imbuti, si se praeparant ad alios instruendos, debent addiscere hanc scientiam, ut patet. Sin autem non proponunt aliorum curae et doctrinae intendere, et si sunt aliis legitimis negotiis impediti, possunt sola audita praedicatione esse contenti. „Si vero negotiis legitimis impediti non sunt, tunc omnino ad auditum huius Sacrae Scripturae debent se transferre, quia reddituri sunt rationem de talento sibi commisso, pro eo scilicet, quod ingenium naturale et scientias acquisitas in usum huius scientiae non ordinant, cui famuiari debent, ut in ea Deus cognoscatur et diligatur, quantum possibile est pro statu huius vitae, etiamsi ex sola desidia et neglegentia ab auditu eius se alienent. Quodsi eam audire ex aliquo contemptu omittant, vel quia eius auditum non esse necessarium dicant aut parvipendant, vel aliarum scientiarum auditum eius auditui tamquam pretiosiorem anteponant, isti maiorem damnationem incurrunt." [3] Demonstrat dein multis Henricus, quomodo ad Scripturam recte intellegendam necessarium sit auxilium divinum supernaturale [4].

185. *Scriptores inspirati, etsi naturaliter debuerunt esse indocti, supernaturaliter tamen perfectum intellectum acceperunt eorum, quae scripserunt.*

„Error erat quorundam haereticorum prophetas et Sacrae Scripturae conscriptores tamquam arreptitios locutos fuisse et ita ea, quae conscripserunt, non intellexisse." Sed hoc est falsum, quia Spiritu Sancto inspirati locuti sunt, qui non dementat homines; neque solum inspirati erant ad verba scribenda, sed etiam ad eorum intellectum habendum. „Quicumque sacri doctores, qui Spiritu inspirati locuti sunt, perfecte intellexerunt, quae scripserunt", etsi non omnes illo summo gradu perfectionis, quem Moyses habuit, qui dicente Augustino omnes veros sensus suorum verborum intellexit, qui umquam ex eius verbis deduci possunt [5].

Nobis autem, qui non tam immediate omnem sensum Scripturae percipimus, necessaria est Scripturae expositio. „Procul dubio Sacra Scriptura exponenda

---

[1] Summa a. 11, q. 7. [2] Ib. a. 12, q. 5. [3] Ib. a. 12, q. 6.
[4] Ib. a. 13. [5] Ib. a. 13, q. 9.

est, et hoc requirit modus traditionis ipsius scientiae. Sic enim tradita et involuta est mysteriis, ut sensus spiritualis nec non et litteralis sit frequenter obscurus, et etiam, quantum apparet prima facie, frequenter sensus litteralis absurdus sit. Ne ergo in ea absurditas aliqua appareat, et ut veritas eius tecta pateat, attentissime Sacra Scriptura exponenda est." [1] Maxime id valet de Vetere Testamento, quod datum est in prophetiam Novi Testamenti. „Licet illud Testamentum non sit modo servandum litteraliter, est tamen servandum spiritualiter; et ideo multo diligentius est nunc legendum et exponendum." [2] „Cum Scripturae cuiuslibet expositio hoc quaerit, ut veritas eius elucescat discenti . . . si liquida veritas, quae quaeritur, ultro in littera se offert, profundius investiganda expositione non est. Cum vero veritatem littera abscondit, quousque liquida veritas inveniatur, expositio profunda quaerenda est. . . . Et sic non est cessandum, donec ad solidam sapientiae veritatem perveniamus." At nihil affirmandum, „nisi quod iuxta regulam fidei certissime inventum cognoscatur". Hac enim regula neglecta ortae sunt haereses [3].

186. *Estne multiplex sensus et expositio Scripturae?*

„Quidam dicebant, quod simpliciter erant intellegendae Scripturae, ita quod nonnisi litteralem sensum oporteret advertere, quod aperte falsum est", quia praeter sensum litteralem est mysticus. Et ideo Scriptura multipliciter exponenda est. Neque hic modus est sophisticus, quia solum tum, cum „sub eadem voce, sive complexa sive incomplexa, significantur plura vel consignificantur, sermo est sophisticus. Sed talis diversitas expositionum non est illa, quae competit huic scientiae, sed quae fit secundum aliam et aliam rationem, quia videlicet expositio historica fit secundum significationem vocum, expositiones vero mysticae secundum significationes rerum." [4] „Non solum enim scientia ista loquitur vocibus, sicut aliae, sed etiam loquitur rebus. Ex factis autem et gestis notitia insinuari non potest nisi gestis ipsis primo in se litteraliter praecognitis. Duplex igitur expositio Scripturae nobis imprimis necessaria est: Una ad cognoscendam veritatem rei in ipsis factis et gestis, quibus alia intellegenda nobis insinuantur, quae appellatur expositio historica sive litteralis, supra quam debet fundari expositio spiritualis. Alia vero ad cognoscendum illa, quae per facta et gesta huiusmodi intellegenda insinuantur, quae appellatur expositio mystica sive spiritualis. . . . Et quia per facta et gesta huius scientiae fidei nobis intellegenda non insinuantur nisi illa, in quibus ipsa nos informare intendit, videlicet quid credendum, quid diligendum, quid sperandum, ad quae tendere debet omnis spiritualis expositio huius scientiae secundum regulam fidei, idcirco spiritualis expositio est tantum triplex": allegorica, tropologica, anagogica. Ergo „quattuor sunt sensus huius scientiae, et non possunt esse plures". Nam si dicuntur esse „multi alii sensus et modi exponendi, scilicet parabolice, ironice, metaphorice et huiusmodi, dicendum, quod omnes illae expositiones ad expositionem historiae reducuntur, quia historica veritas aliquando exprimitur sermone proprio, aliquando sermone translato et figurativo et diversimode secundum diversos modos figurarum locutionum. Unde parabolae evangelicae ad sensum historicum pertinent, et similiter earum expositio expositio est historiae" [5].

---

[1] Ib. a. 15, q. 1. [2] Ib. a. 15, q. 2. [3] Ib. a. 16, q. 1.
[4] Ib. a. 16, q. 2. [5] Ib. a. 16, q. 3.

Si quaeritur, *num Scriptura ubique multipliciter exponenda sit,* respondetur.

„Ubique multiplex expositio in Sacra Scriptura exquirenda est, praeterquam ubi litteraliter spiritualis expositio expressa est, ut est illud: ‚Diliges Dominum Deum tuum' et cetera praecepta moralia, aperto sermone proposita, quae non sunt nisi litteraliter exponenda, et nullum mysterium in iis quaerendum, quia magis obumbraret intellegentiam, quam illuminaret, sicut et in pluribus dictis Salomonis." Ubicumque vero sola litteralis expositio nihil ad aedificationem confert, etiam spiritualis expositio est quaerenda, quia omnia scripta sunt ad nostram utilitatem [1].

187. Sed *estne omnis expositio, quae verbis verum exprimit, ut vera expositio Scripturae accipienda?* Respondetur: Expositio, quae aliquid in se verum dicit, potest tamen plane non pertinere ad id, quod exponendum est.

„Impertinens autem potest esse duplex, quia aut impertinens est circumstantiae litterae, immo circumstantia litterae aliud intellegendum indicat, aut impertinens intentioni litterae, quia non valens ad fidei aedificationem aut morum, ad quae tota expositio Sacrae Scripturae debet tendere. Expositio vera primo modo, si tamen ex circumstantia litterae deprehendi poterit esse talis, tamquam impertinens respuenda est. . . . Et similiter est in ea, quae est impertinens secundo modo. . . . Si vero expositio pertinens sit utroque modo, ut scilicet circumstantia litterae eam non refutet et ad fidei et morum aedificationem ducat, omnis talis expositio vera acceptanda est. Sed tunc distinguendum est: Quoniam si littera habere poterit sensum historicum et litteralem et similiter mysticum, *historiae expositio primo et principaliter attendenda est* et accipienda et deinde mystica, et non primo mystica, nisi cum non potuerit haberi litteralis [e. g. in figuratis locutionibus]. . . . Est autem advertendum, quod tam in sensu litterali quam mystico, cum utrobique plures congruentes possint haberi, ad cognoscendum, quis eorum magis sit acceptandus, sentiendum est cum Augustino", cuius verba ex tractatibus De Genesi ad litteram et De doctrina christiana affert, ubi Augustinus dicit omni modo conandum esse, ut inveniamus, quid scriptor sacer senserit; si hoc incertum maneat, ut teneamus id, quod cum fide catholica concordet et cum circumstantia litterae non pugnet; sin autem ipsa circumstantia litterae obscura maneat, ut saltem id solum teneamus, quod sana fides praescribit. Itaque ea fere refert Henricus, quae supra n. 126 dedimus; non vero excerpit, quae n. 125 ex libris Confessionum exscripsimus, sed de iis haec tantum habet: Si unam veram expositionem habemus, non debemus aliam addere „tamquam illam, quam scriptor intellexit principaliter in illo genere expositionis. In alio tamen genere expositionis [mysticae] non est inconveniens aliam acceptare sententiam tamquam congruam, licet non tamquam principaliter a scriptore intentam. Unde non est inconveniens ipsum scriptorem sub eadem littera plures expositiones intellexisse et unam aliis excellentiorem et principaliorem, ut dicit Augustinus in fine 12 Conf." [2]

Apparet igitur hic idem studium mitigandi Augustini doctrinam de multiplici sensu litterali, quod iam supra in S. Thoma observa-

[1] Summa a. 16, q. 4. [2] Ib. a. 16, q. 6.

vimus (n. 177). Ipsi Henrico multiplex sensus litteralis idem est atque sophisticus, ut paulo ante vidimus.

188. „*Sacra Scriptura ad duo exponitur,* quorum unum est, ut recta fides credendorum ex eius expositione capiatur; aliud vero est, ut ea, quae recta et certa fide tenentur, clara intellegentia cognoscantur. Et quia secundum Augustinum, quod credimus, debetur *auctoritati,* quod intellegimus, debetur *rationi,* expositio Sacrae Scripturae prima intentione debet potius fieri auctoritatibus quam ratione, secunda vero intentione potius debet investigari ratione quam auctoritate. Auctoritatibus autem exponi potest secundum dicta sanctorum Patrum et ex iis, quae tenet consuetudo universalis ecclesiae, sed maxime exponenda sunt obscure dicta Sacrae Scripturae ex quibusdam aliis clarioribus dictis eiusdem Scripturae." Ratione autem exponenda est Sacra Scriptura, primo, „ut, quae ex Scripturis credimus, clara intellegentia capiamus"; secundo, ut, quae Scriptura non diserte dicit, per rectas conclusiones colligamus; „quaerendum ratione, quid consentiat veritati, fitque ipsa veritas auctoritas, sine qua necesse est nec valeat auctoritas"; tertio, „ut adversarios Sacrae Scripturae, quos non possumus convincere sola auctoritate, convincamus et ratione consentiente auctoritati". Si ipsa Scriptura exponit se ipsam in eodem vel alio loco, potior est haec expositio omni ratione. „Sed illa expositio, quae fit ratione dilucida, semper est potior quam illa, quae fit alia auctoritate non canonica", sed alicuius doctoris humani. Dubia autem expositio cedit auctoritati. Ad intellegentiam Scripturae praebendam potior est quidem per se ratio quam auctoritas. Quia tamen propter intellectus nostri debilitatem ad clarum intellectum credibilium et ad discernendum, quae sit ratio veridica et quae non, vix pervenire possumus, cum frequenter nobis vera ratio videatur, quae vera non est, in hac scientia fidei omnis ratio super fidei auctoritatem fundari debet et secundum eam dirigi. Idcirco et simpliciter et absolute potior est expositio in hac scientia auctoritate canonis facta quam ratione quacumque. . . . Peccant ergo multum, qui in exponendis et tractandis illis, quae sunt fidei, plus rationibus quam auctoritatibus inniti volunt, immo per hoc fidem despectam reddunt, cum rationem nituntur ostendere de iis, quae non rationibus probari possunt, sed auctoritate fidei teneri absolute debent, ubi etiam, licet quandoque ea, quae credimus, rationibus nitimur confirmare, semper tamen auctoritati magis quam rationi inniten-dum est." [1]

Haec sunt fere, quae Henricus de Scriptura tradit. Ipse copiosius quam ullus alius theologus medii aevi de Sacra Scriptura scripsit; quoad rem cum S. Thoma in plurimis consentit.

189. Alius insignis theologus medii aevi est **Aegidius Romanus** (Colonna), cuius pauca tantum dicta audiamus, quia nihil addit ad praecedentia.

Etsi omne verum est a Deo, „*specialiter tamen veritas tradita in Scriptura Sacra dicitur esse a Deo sive a Spiritu Sancto,* quia huius veritatem non possumus investigare per naturalem causam, sed oportet, ut habeamus eam

[1] Ib. a. 16, q. 8.

per divinam inspirationem. Ideo vult Augustinus, quod maior sit huius Scripturae auctoritas quam totius humani ingenii perspicacitas, quia firmior veritas est, quae innititur iudicio divino, cui non potest subesse falsitas, quam quae innititur humano, cui falsitas subesse potest.... Ideo bene dictum est, quod totius Scripturae Sacrae, quae divinae inspirationi innititur, Deus creator omnium est causa efficiens principalis" [1]. „Scriptura Sacra ad hoc inspirata est sanctis hominibus, ut nos tamquam parvuli ducamur per ipsam. Ideo eo modo loquitur, qui magis congruit nobis, et per quem sumus magis apti doceri." [2] Etsi multa dicuntur in Scriptura de rebus naturalibus, tamen, „si consideretur tota Scriptura vel totus canon Bibliae, valde modica pars est de talibus, et illud, quod est ibi, non est propter corporalia, sed propter animam, ut ex hoc assurgamus ad laudandum Deum, quod faciendo merebimur secundum animam" [3]. „Si enim volvamus et revolvamus Scripturam, non inveniemus ibi nisi verba vitae aeternae et ordinantia ad vitam aeternam.... Vetus ergo Testamentum et Novum non sunt nisi rota in rota [4]; unum enim per aliud declaratur, utrumque verba vitae aeternae habet. Nam etsi in Vetere promittebantur temporalia, hoc erat, ut per talia manuducerentur ad aeterna, ita quod Christus, praedicans non temporalia sed caelorum regnum, legem non solvit, sed adimplevit. Omnia ergo considerata in sacra pagina sunt verba vitae aeternae, quia sunt propter vitam aeternam." [5]

Ideo est differentia inter theologiam et scientiam humanam; nam „scientiae humanitus inventae sequuntur modum humanum, ista autem divina scientia sequitur modum divinum. Modus autem humanus est, ut per intellectum primo feratur in creaturas et in sensibilia, et postea per creaturas feratur in Deum et per sensibilia in intellegibilia. . . . Sed theologia, quae sequitur modum divinum, cum Deus prius cognoscat se et cognoscendo se cognoscat alia, prius tractabit de Deo et postea de aliis, non quod in via per hanc scientiam videamus Deum per essentiam . . . sed quia scientia, quae principaliter innititur auctoritati divinae, debet prius tractare de ipso Deo, cuius auctoritati innititur.... Nisi enim sciremus, qualis est ille, cuius auctoritati debemus inniti . . . nesciremus, cui debemus credere." Non obstat, quod Moyses prius coepit dicere de mundo sensibili. „Quia Moyses loquebatur populo grosso et rudi, ideo incepit a quibusdam sensibilibus, ut a creatione caeli et terrae, ut per illa sensibilia manuduceret populum ad credendum, quod non erant veri dii idola, quae colebantur, sed erat unus verus Deus et omnipotens." [6]

Quod *modum exponendi Scripturam* attinet, statuenda sunt haec: Ubi in Scriptura „modus loquendi est rerum gestarum, i. e. litteralis, bonum est etiam ad litteram salvare, quod dicitur". Porro ubi res naturaliter explicari possunt, non est recurrendum ad miracula. „Quanto enim magis possum Scripturam Sacram salvare cum his, quae conveniunt naturis rerum, debemus facere." [7]

---

[1] In 1 Sent., Prolog.; Ed. Veneta 1581, I 3.
[2] Ib. dist. 12, q. 3, a. 1; I 544.
[3] Ib. in 2, dist. 23, dub. 5 lit.; II 241.
[4] Cf. Ez 1, 16.
[5] Ib. in 1, dist. 1, P. 1, q. 1, a. 1; I 5 sq.
[6] Ib. in 1, dist. 1, P. 1, q. 1, a. 2; I 8 sq.
[7] Ib. in 2, dist. 18, dub. 3; II 98.

Praeterea „in exponendo Scripturam Sacram quinque sunt attendenda: Primo, ut non trahamus Scripturam Sacram ad sententiam nostram et ad id, quod magis nobis placet, sed quod nos conformemus illi sententiae, quam Scriptura Sacra magis sonare videtur. Multi enim sic Scripturas exponunt, quod magis, quod animo conceperunt, volunt, quod Scriptura dicat, quam velint conformare animum ei, quod magis Scriptura sonat.... Secundo attendendum est, ne in expositione Scripturae magis appretiemur scripturas alias quam ipsam Sacram Scripturam.... Tertio attendendum est, ne Scripturam Sacram taliter exponamus, quod merito possimus ab infidelibus irrideri, propter quod inducantur, ut credant Scripturae Sacrae subesse errorem. Quarto attendendum est, ne obscuritatem Scripturae in aliquam partem sic trahamus pertinaciter, quod aliquo tempore, si appareat non sic esse, videri possit, quod labes aliqua vel falsitas subsit Scripturae Sacrae. Quinto attendendum est, ne sic nostram opinionem in talibus asseramus, vel quod expositionem aliquam in tantum approbemus, quod expositioni alii, quae vera esse potest, praeiudicemus." [1]

Haec pauca de Aegidio, qui in plurimis sequitur S. Thomam, etsi modo prorsus suo doctrinam exponit. Plura iuverit excerpere ex alio theologo saeculi decimi quarti, non quia hic magna auctoritate in theologia pollet, sed quia ob expositiones suas biblicas saepe nominatur, et quia liber eius rarissime invenitur.

190. **Richardus Armachanus** (Fitzralph), ita dictus, quia erat archiepiscopus urbis Armagh, sedis primatialis totius Hiberniae. Scripsit „Summam de quaestionibus Armenorum", in qua dubia ab Armenis proposita discutit per modum dialogi inter Ioannem interrogantem et Richardum respondentem. Antequam ad ipsas quaestiones disputatas procedit, praemittit tractatum de sensu et auctore Sacrae Scripturae.

Ioannes interrogat: „Quia ex litterali sensu Scripturae Sacrae intendis in hoc opere tractare Armenorum propositas quaestiones, ostende mihi in primo, *quis sensus Scripturae Sacrae debeat dici litteralis.*"

Respondet *Richardus:* „Non refert, quis sensus proprie dici debeat litteralis alicuius scripturae, dum tantum scias mentem auctoris; nam in hoc opere semper accipio litteralem sensum illum, quem Scripturae conditor sive auctor, non dico scriptor, intellegit, quia forte auctor ipse non scripsit, sed alius ab ipso instructus, qui forte non omnia sic intellexit ut auctor sive editor, sicut habes, quod Baruch scripsit ex ore Ieremiae omnes sermones Domini. Unde sensus litteralis talium dictorum, sicut accipimus in praesenti, est sensus, qui aliquando nonnisi figurative aut transsumptive per verba significatur, quibus exprimitur." [2]

Ioannes: „Sed non video, quem vocem scriptorem, editorem sive auctorem." Nam in libris Moysis mendacia narrantur. Numquid ergo Moyses est auctor mendaciorum? An sunt alii auctores eorum, quae narrantur?

---

[1] Ib. in 1, dist. 2. q. 1, a. 1; I 105; cf. in 2, dist. 14, q. 1, a. 1, dub. 2.
[2] Summa 1, 1; Ed. Paris. 1512.

Richardus: „Tripliciter intellegi potest quis esse auctor alicuius scripturae, vel quia est ipsius editor, vel compilator, aut simul utroque modo, et sic proprie accipitur. In his autem, quae dicis mendacia, Moyses non est assertor, sed editor sive compilator. In illis enim loquentes ea, quae Moyses refert dicta fuisse, assertores dicuntur seu illorum mendaciorum auctores.... In ceteris, quae asseruntur a Moyse, Moyses est etiam editor seu assertor, et sic utroque modo est auctor; et hoc modo sola illa scriptura habet auctorem, cuius idem est editor et assertor, et iste modus est proprius. Alii vero duo modi sunt minus proprii, veniunt tamen frequenter in usum loquendi; et ideo ista, quae ab uno dicta dicuntur et ab alio conscribuntur tamquam gesta per ipsum, non dicuntur per hunc modum habere auctorem.... Unde breviter collige, quod auctor scripturae sive editor redargui non potest de falsitate aut errore nisi quoad illa, quae asserit, non de his, quae refert alium dixisse." [1]

191. *Ioannes:* Si sic intellegitur auctor, prophetae non sunt dicendi auctores prophetiarum suarum, quia praemittunt: „Dominus dixit", neque essent arguendi de falsitate, quae fortasse in eorum scriptis occurreret.

Richardus: „Verum concludis, quod nullus propheta tertio modo praedicto seu proprie auctor dici debet suae Scripturae propheticae, quam ipse non asserit, sed tantum affirmat Deum eam dicere. Sed illius Scripturae Deus est auctor, quia Deus illam asserit et componit, cum propheta non sit nisi Dei notarius in conscribendo. . . . Unde quod infers, scilicet quod, si falsa sunt ea, quae proferuntur, non sunt prophetae redarguendi de mendacio, verum est, si vere appareat ex Scripturae circumstantiis, quod propheta illa dicta a Deo asserit et affirmat. . . . Sed unusquisque fidelis nihilominus laborabit ad intendendum, qualiter illud dictum a propheta tamquam a Dei notario veritatem contineat, quod fiet per nos, si Deus voluerit, suis locis." [2]

Ioannes: „Sequi videtur eiusdem Scripturae saepe esse duos aut plures sensus litterales. . . . Quod enim inspiratur a Spiritu Sancto, non dubium, quin ab ipso asseratur.... Item ad diversum constat sensum frequenter dicta Scripturae Sacrae a Deo accipi et ab ipso propheta", sicut illud Caiphae dictum de morte Christi et multa alia, quae enumerantur, ut illud „Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus" (Dt 18, 15), quod videtur „manifeste ad sensum Moysi de Iosue, Samuele et aliis prophetis dictum, qui in gubernatione populi debebant sibi succedere, quia sic petebat populus . . . cui petitioni annuit Dominus.... Et tamen apostolus Petrus Act. 3, 22 sqq dicit illud dictum fuisse de Christo. Unde consequitur, quod hoc dictum habet duplicem sensum litteralem.... Ecce ex hoc, quod superius posuisti, scilicet quod sensus litteralis Sacrae Scripturae est ille, quem eius auctor sive assertor habuit de ipsa Scriptura, sequi videtur eiusdem Scripturae duplicem esse auctorem et duplicem sensum litteralem: quod si concesserimus, sequi videtur absurditas, videlicet quod sensus litteralis alicuius Scripturae aliquando ex ipsa Scriptura non appareat omnino" [3].

Richardus: „Verum concludis *de duplici auctore Sacrae Scripturae propheticae. Tenemus enim omnem Scripturam propheticam assertam a propheta esse et a Spiritu Sancto inspiratam et sic a Deo assertam.* Verumtamen debes attendere, quod non vocamus omnem sensum litteralem sive historicum, quem

[1] Summa 1, 2. [2] Ib. 1, 3. [3] Ib. 1, 4.

auctor eius sive assertor per eam intellexit. Scilicet illum solum appellamus sensum litteralem sive historicum Sacrae Scripturae, quem auctor immediatus de illa habuit. . . . Cum propheta aut assertor aut editor Sacrae Scripturae aliquid per ipsam Scripturam intellegit, et illud idem et cum hoc aliud per eandem Scripturam Spiritus Sanctus, qui est auctor primarius, innuit, *sensum prophetae sive editoris litteralem vocamus*, quia propheta eius immediatus est auctor, et *alium sensum spirltualem sive allegoricum appellamus* . . . cum sit manifestum, quod duo sensus eius dicti ex circumstantiis ipsius dicti probari non poterunt, sed alter dumtaxat. Ex hoc enim, quod unus sensus probatur ex littera, consequitur alium ex ea non posse probari, licet ex auctoritate alterius inspirati et ex alio loco Sacrae Scripturae probari possit alter sensus esse illius [dicti. Ergo] sensus litteralis dicendus, qui ex ipsa forma Scripturae et circumstantiis ipsius dicti clarius poterit apparere, et alter est allegoricus. . . . Et hunc sensum [litteralem] appello primarium, quia ex Sacra Scriptura primo apparet, alter vero non ex ipsa apparet, sed ex alio loco Scripturae. . . . Sic sensus litteralis illius dicti Dt 18 est de prophetis aliis indistincte, qui fuerant praedicaturi populo Iudaeorum, et allegoricus [?] est de Christo. . . . Iudaei alium sensum praeter primarium, quem litteralem appello, de Scriptura Veteris Testamenti omnino non accipiunt, cum nullus alius ex Vetere Scriptura praeter litteralem probari possit, licet aliquando possit alius sensus illius ex Novo Testamento probari."

192. *Ioannes:* „Si solus sensus litteralis probari potest ex littera, sic ex illo solo sensu potest assumi probatio, nec Petrus et Paulus sufficienter probaverunt, quorum unus accepit dictum de Christo, quod prophetam de gente tua etc., et alter de ipso dictum accepit illud: ego ero illi in patrem etc., et nullum illorum dictorum de ipso litteraliter, ut dicis, valet intellegi. Idem sequitur de Ioanne et de quibuscumque utentibus auctoritatibus aliis supra dictis de Christo, scilicet quod nullus eorum probabit vel probavit intentum."

Richardus: „Non satis provide illud infers, quoniam ipsorum assertio, quod illa intellegenda spiritualiter erant de Christo, fuit principium sufficienter Christianis omnibus probatum, cum legant iis Christum dixisse: Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia . . . licet apud extraneos, qui eos non existimassent inspiratos fuisse, talis probatio valida non fuisset. Unde *generaliter apud omnes nulla probatio ex Scriptura est valida nisi ex sensu litterali ipsius, licet ex alio sensu propter auctoritatem allegantis Scripturam ad sensum spiritualem, apud habentes fidem de inspiratione eius probatio satis sit efficax.* Si quis vero dicere velit duplicem sensum litteralem propter duplicem talem modum probandi, sicut sibi videtur, affirmet, dum tamen secundum sensum historicum non appellet. Non illi resisto, quamvis id apte dici posse non videam; nec ex hoc, quod spiritualis sensus vocatur litteralis, magis posset vel potest affirmari probatio ex ipso esse valida, quam si non vocetur litteralis sed mysticus, cum ille sensus ex littera probari non possit, sed solum probet aliquid propter auctoritatem illius, qui illum allegat." [1]

193. Haec sunt, quae Richardus disputationibus cum Armenis praemittit. Libris vero 18 et 19 difficultates, quae contra auctoritatem

[1] Ib. 1, 5.

Scripturae obici possunt, pertractat. Incipit Ioannes a quaestione, qui sint scriptores singulorum librorum Sacrae Scripturae. Respondet *Richardus:* „Tibi curandum non est, quis homo libri cuiusquam auctor fuerit, dum tamen constet Deum illius libri esse auctorem, quoniam sic libri auctoritas quam scire satagis, claret." Ait Ioannes: „Fateor, nisi utrumque possis ostendere, sufficere mihi, si illud de praedictis libris mihi vales ostendere." Profert dein Richardus testimonia Novi Testamenti de libris Veteris Testamenti (c. 1—5) et provocat ad Iudaeorum fidem (c. 6). Novi Testamenti inspirationem probat ex doctrina ecclesiae.

Ioannes: „Si non aliud mihi pro auctoritate nostrae Scripturae ostenderis quam decreta ecclesiae christianae et doctorum christianorum scripturas, cum similes evidentias adhibeant Saraceni, Iudaei, Tartari et gentiles quicumque pro sectis ipsorum, scilicet decreta suarum ecclesiarum et suorum pontificum et scripturas suorum doctorum, non reddis mihi auctoritatem nostrae legis firmiorem, quam ipsi reddant auctoritatem legum seu sectarum suarum, et sic nihil adhibes, quod animae rationem inquirenti possit sufficere." [1]

Richardus, ut respondeat, instituit per multa capita comparationem Sacrae Scripturae cum Corano Mohammedanorum et ostendit, cur illa sit maioris auctoritatis (a cap. 10 usque ad cap. 22). Haec ad rem nostram non pertinent.

In libro 19 ostendit legem christianam praeferendam esse legi Iudaeorum, quia Christus est Messias in Vetere Testamento promissus, et quia praefigurata in vetere lege impleta sunt in nova (usque ad c. 15). Ioannes dicit sibi esse satisfactum, et quaerit, quomodo gentili ostendat auctoritatem Scripturae. Respondet Richardus: Per continuam ecclesiae testificationem tot miraculis firmatam.

194. *Ioannes:* „Adhuc ad unum aliud tuum responsum requiro. Ecce enim, *nos Latini multas translationes habemus,* et tres praecipuas, scilicet interpretum 70 translationem, Sancti Hieronymi, et eam, quam vocamus communem, quae magis solebat inesse in usu quam ceterae, quae sibi in multis locis repugnare videntur, in aliis discrepare in sensu, cum tamen nonnisi unus fuerit sensus primi auctoris. Et sic omnis translatio continens sensum alium ab illo est falsa. Ceterum etiam non habemus, quod translationes istae, quibus utimur, sunt translationes ipsorum, quibus adscribuntur, nisi hominum nuda verba, qui pro voto suo, ut loquar rusticiter, poterant fabricare mendacia. De ipsis insuper Scripturis hebraicis, de quibus isti suam translationem acceperint, nihil certum habemus nisi etiam Hebraeorum verba sola, quos in prima praedicatione legis evangelicae, tollentis in multis legem suam, praesumendum est verisimiliter sua exemplaria [2], ubi fit sermo de fide nostra, corrupisse. Unde cum ratio dictet: Certum tenendum, relinquenda sunt Incerta, videtur sequi, quod nunc omnes tenemur rationem naturalem sequi potius quam Scripturam talem, cuius veram certitudinem non habemus." [3]

---

[1] Summa 18, 8.

[2] Legitur in textu corrupta abbreviatio „extra", in responso vero Richardi sine abbreviatione scribitur: „Exemplaria corrupissent."

[3] Ib. 19, 18.

Richardus: „Primo te volo attendere, quod lex nostra est illa, quam Spiritus Sanctus per ministerium prophetarum, apostolorum et discipulorum Christi tradi mandavit et fecit hominibus ad recte vivendum, in cuiuscumque codicibus inseratur. Nec aliam Scripturam vocamus authenticam [nisi illam primam a Spiritu Sancto procedentem] et partes illius intellego sensum, non verba, quoniam tota Scriptura Veteris Testamenti erat tradita, non dubium, in Hebraeo, cuius sensum habemus translatum in sermone latino, et in graeco Graeci, et in ceteris idiomatibus aliae nationes, quod etiam actum fuit per multa annorum circula ante nostri Salvatoris adventum, et ob hoc, si Iudaei sua postmodum exemplaria corrupissent, per codices antiquos aliarum linguarum deprehensa fuisset corruptio. . . . Ad huius Scripturae primariae sensum debes fidem tuam de veritate nostrae Scripturae canonicae et omnes ecclesiae definitiones referre . . . quoniam sensum illum ecclesia non dubitat, sed firma fide tenet fuisse veracem." Etsi nobis in Scriptura, quam nunc habemus, varia sunt dubia et alia magis, alia minus certa, *„tota tamen ista Scriptura primaria quoad infallibilitatem et veritatem assertorum in ea a Spiritu Sancto tamquam ex fide tenetur, qua creditur Spiritum Sanctum locutum fuisse per prophetas et per Christi apostolos atque discipulos, qui etiam erant prophetae.* Et ex eadem fide tenes et ex divinitate Spiritus Sancti, quod nulla contrarietas seu falsa assertio auctoritatis est in ista Scriptura primaria, quia fides affirmat, quod nulla contrarietas et falsitas est a Spiritu Sancto asserendo Dei hominibus inspirata. Si igitur tibi in aliquibus locis repugnantia seu falsitas videatur in littera, nihilominus tu firmiter tene et nullatenus dubites, quod in sensu primario supradictoque nulla contrarietas seu falsitas est omnino, et ob hoc iuxta alia loca, in quibus non ambigis nec repugnantiam aut falsitatem reperis, illa loca expone, quae videntur ambigua, aut per inspectionem diversarum translationum et, si oportuerit, per inspectionem diversorum codicum, scilicet hebraicorum atque graecorum; aut sensum veracem inquire per solidam rationem", quia, si quis non diligenter attendit, videt falsitatem, ubi clara veritas expressa est. „De falsitate igitur sive repugnantia in nostra primaria Scriptura, ut puto, non dubitas." [1]

195. „Sed *de contrarietate aut falsitate trium translationum,* quas ecclesia in communi consilio approbavit, cum quaeris, ibi illud idem dico, quod ante, scilicet quod approbatio ista ecclesiae quoad translationes referenda est ad primum sensum, quem transferentes expresserant, non ad tuum codicem aut meum, qui forte ab indoctis aut neglegentibus scriptoribus vitiantur. Et sicut veritatem credis esse in primaria nostra Scriptura, sic pariter eam crede in omni translatione, quam ecclesia de communi consilio Latinorum, Graecorum, et Hebraeorum praelatorumque gentium aliarum cum diligenti examinatione et collatione ad antiquos codices cuiuscumque linguae, in qua erat nostra primordialis Scriptura, recepit et canonicam reputavit et censuit esse tenendam." Ob hanc ecclesiae industriam non est admittendum translationes esse corruptas; sed si tale quid invenitur, crede „codicem aliquem, quem vidisti, scriptoris sui fatuitate esse corruptum, in quo casu habes praemissum remedium, scilicet ut recurras ad alios codices". De auctoribus translationum non est multum inquirendum, quia non ex ipsis est auctoritas, sed ex primitiva Scriptura, quacum translationes convenire debent. Non admittit Richardus

[1] Ib. 19, 19.

pro LXX interpretibus specialem influxum divinum; unde „consequens est etiam, sicut tu superius intulisti, quod ipsorum translatio non est propter eos authentica, quamvis ab ecclesia auctorizetur, ut dixi“ [1].

In sequentibus capitibus 21 et 22 Richardus solvit varias difficultates speciales a Ioanne propositas. In capite 23 concedit translationes non esse factas de verbo ad verbum.

„Non enim omnis transferens intendit singulariter et seriatim omnium verborum exemplarem sensum exprimere, quia modus significandi in linguis verborum transferendorum non semper sustinet, ut transferatur, ut dixi superius, sed aliquotiens conatur transferens unius prolixae sententiae sensum solum exprimere.“ Unde mirum non est, quod variae translationes non eadem verba exhibent, et hoc eo minus, quia verba aequivoca ab aliis aliter accipi et verti potuerunt. „Non igitur inficitur auctoritas nostrae Scripturae nec veritas contentorum in aliqua translatione approbata, ut tibi videtur, etsi in aliquibus locis non sit vera translatio Scripturae primariae nec etiam sensum Scripturae primariae contineat, dum tamen contineat veritatem. Sed auctoritatis maioris sit illa Scriptura, quae maioribus testimoniis concordare cum primordiali Scriptura videtur seu cognoscitur, quam illa sola, quae per leges alias, ut deduxi superius, approbatur. . . . Sicubi vero haesitas de originali Scriptura, ad radices recurre, scilicet ad originalem linguam, in qua Scriptura primitus tradebatur.“ Interdum tamen ob exiguitatem ingenii verum sensum homo non invenit, id quod non multum nocet, si agitur de rebus ad fidem non pertinentibus, „quoniam nec Deus concedit, ut omnibus omnia fiant perspicua, sed acerrimis ingeniis saepe facillima reddit obscura, ut non in suo infirmo ingenio, sed in potentissimo Domino glorientur, qui multa abscondit a sapientibus et revelat ea parvulis suis“ [2].

„Et ob hoc nimis est ille improvidus, qui rationi naturali magis adhaerendum iudicat quam auctoritati nostrae Scripturae, cuius auctoritas tam patenti ratione confirmatur; immo, qui non dimitteret rationem suam naturalem propter rationem praemissam illi contrariam, merito in iudicio a Domino posset redargui, quod non sequeretur rationem fortiorem infirmiore relicta. . . . Quae Scriptura a Deo promulgata est hominibus ad bene vivendum, confirmata miraculis innumeris per apostolos, martyres, doctores maximos omnium linguarum sub caelo, et sic apte convincitur esse auctoritatis certioris quam aliqua alia scriptura de mundo.“ [3]

In cap. 25 Ioannes postulat, ut sibi ostendatur miracula vere facta esse et a falsis miraculis distingui posse. Desiderio satisfacit Richardus usque ad cap. 31. Cap. 32 fit quaestio de „lege Saracenorum“, ex qua Richardus varia deprompserat ad confirmandam Sacram Scripturam. Cap. 33 et 34 ostenditur, quomodo etiam lex vetus miraculis sit confirmata. Cap. 35, quod est ultimum, continet longam orationem, qua Richardus Iesu Christo gratias agit pro tot beneficiis sibi praestitis. Haec oratio plura quoque facta enarrat ad vitam Richardi spectantia.

---

[1] Summa 19, 20. [2] Ib. 19, 23.

[3] Ib. 19, 24. Nonnulla de Richardi libro vide in Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck 1891, 349 sqq.

Patet Richardum indubitanter docere inspirationem et inerrantiam Sacrae Scripturae; et maxime notatu digna sunt, quae docet de sensu litterali et de versionibus.

196. Venimus ad saeculum XV, cuius initio **Petrus de Alliaco** (D'Ailly), vir ceteroqui non integrae fidei, praedicat Sacrae Scripturae laudes. Applicat enim ad eam sensu non litterali sed spirituali, ut ipse notat, verba Christi: „Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam" (Mt 16, 18).

„Secundum spiritualem intellectum per hanc petram divinam Scripturam et sacram Christi doctrinam signare possumus, quae tam firmae soliditatis et tam solidae firmitatis exsistit, ut non immerito super eam Christi ecclesia fundata sit. Quid namque firmius, quid solidius quam sacra eloquia, quam divina testimonia a Christo in aeternum fundata? . . . Conspicite igitur orthodoxae ecclesiae fundamentum, videte mirabile mysterium. Nulla enim domus est, quae non habeat sua fundamenta. . . . Sola autem ecclesia suum fundamentum sursum habet, et dum ipsa deorsum in terra manet, veritas illa, super quam fundata est, sursum in caelo permanet. Sic tamen veritas in caelo permanet, quod etiam deorsum in terram descendit. Habet igitur ecclesia veritatis fundamentum in caelo sursum et in terra deorsum. Sed ubi deorsum?" In montibus sanctis. „Ascendamus igitur in montem, ut inveniamus ipsum fundamentum ecclesiae, ipsam scilicet Sacrae Scripturae veritatem." Describit montem sanctum, incipiens a philosophis, qui recta de Deo docuerunt et ascendens per patriarchas et prophetas usque ad Christum eiusque discipulos. „In cuius montis vertice Christus suum tabernaculum praedisponens, ibi ecclesiae suae fundamentum posuit et in altissimo verticis cacumine Sacrae Scripturae veritatem fundavit. . . . Habet siquidem domus ista catholica, scilicet ecclesia . . . singulas partes suas super Sacrae Scripturae veritatem fundatas. . . . Super Sacrae Scripturae fundamento tota haec domus aedificatur, et instruitur omnis ecclesiae coetus, omnis status, omnis gradus, omnis sexus." Hoc explicat verbis S. Augustini. Dein enarrat, quomodo ecclesia ex parva domo, qualis ab initio fuit, facta sit civitas magna, et quomodo contra hanc civitatem haeretici et alii hostes insurrexerint, sed eam superare nequaquam potuerint, quia ecclesia pugnat gladio spiritus, quod est verbum Dei. „Per haec igitur arma, hoc est per divini sermonis et Sacrae Scripturae documenta, ecclesia pugnando vincit, vincendo crescit crescendo proficit, proficiendo complementum accipit." [1]

His verbis efficitur ne tristissimis quidem exeuntis medii aevi temporibus Sacram Scripturam oblivioni datam, aut eius aestimationem minutam, aut fidem inspirationis et infallibilitatis eius debilitatam fuisse.

197. Sed hanc fidem melius explicat Petri discipulus, magistro maior, **Ioannes Gersonius** (Charlier), cancellarius universitatis Parisiensis, qui

[1] Recommendatio Sacrae Scripturae. Inter Gersonii opera; Ed. Antverpiae 1706, I 603 sqq.

multa egregie de Scriptura tradit, etsi non in unum tractatum omnia collegit.

In tractatu „Contra haeresim de communione laicorum sub utraque specie" ait:

„*Scriptura Sacra est fidei regula, contra quam bene intellectam non est admittenda auctoritas, ratio hominis cuiuscumque;* nec aliqua consuetudo nec constitutio nec observatio valet, si contra Sacram Scripturam militare convincatur. Haec regula communis est nobis et haereticis, quos impugnare conamur. . . . Si propositio aliqua Sacrae Scripturae, posita assertive per auctorem suum, qui est Spiritus Sanctus, esset falsa, tota Sacrae Scripturae, sicut dicit Augustinus, vacillaret auctoritas. . . . Sacra Scriptura, dum consideratur in aliqua sui parte vel propositione, non est tenenda in solis terminis illius propositionis, aut in illo sensu, quem illa propositio, sic per se et nude considerata, facit, sed conferenda est et concordanda per comparationem ad alios Sacrae Scripturae passus. . . . Sacra Scriptura in expositione partium suarum requisivit et requirit homines primo praeditos ingenio, secundo exercitatos studio, tertio humiles in iudicio, quarto immunes ab affectato vitio. Patet, quoniam ex opposito alterius istorum quattuor solet facillime falsus intellectus Scripturae suboriri. . . . Scriptura Sacra in sui primaria expositione habuit homines eruditos non solum humana ratiocinatione vel studio, sed divina revelatione et inspiratione Spiritus Sancti", ut constat ex variis locis Novi Testamenti. Ad hos igitur et posteriores doctores, doctrina et pietate insignes, recurrendum est ad veram Scripturae intellegentiam habendam. „Scriptura Sacra, dum per novellos homines inducitur, tamquam credenda sit in suis nudis terminis absque alterius interpretis vel expositoris admissione, exponitur gravibus periculis et scandalis. . . . Ex hac radice pestifera orti sunt et cotidie crescunt errores Begardorum et pauperum de Lugduno et omnium similium, quorum multi sunt laici habentes in suo vulgari translationem Bibliae in grande praeiudicium et scandalum catholicae veritatis. . . . Scriptura Sacra in sui receptione et expositione authentica finaliter resolvitur in auctoritatem, receptionem et approbationem universalis ecclesiae, praesertim primitivae, quae recepit eam et eius intellectum a Christo, revelante Spiritu Sancto in die Pentecostes et alias pluries. Patet, quia, quod Matthaeus scripserit evangelium et Nicodemus non, solum habemus ex auctoritate ecclesiae iuxta illud Augustini: Evangelio non crederem, nisi me auctoritas ecclesiae compulisset. Haec enim est infallibilis regula a Spiritu Sancto directa."

Addit magis audiendum esse vivum magisterium quam doctores mortuos. Deum permittere falsas interpretationes, ut homines eo magis excitentur ad quaerendum. Nihilominus qui pugnant contra manifestum sensum Scripturae aut eius expositionem ab ecclesia definitam, dignos esse poena[1].

198. In alio tractatu, cuius titulus est: „Declaratio veritatum, quae credendae sunt de necessitate salutis", plura de eadem re proponit.

„*Primus gradus veritatum credendarum est canon totius Scripturae Sacrae et singulorum, quae in ea litteraliter asserta sunt,* sic videlicet, quod non stat

[1] Opera omnia I, Antverpiae 1706, 457 sqq.

cum fide, ut aliquis dissentiat pertinaciter alicui contento in eadem Scriptura ad intellectum Spiritus Sancti, qui est vere et proprie sensus litteralis." Citat Mt 5, 17 sqq. „Constat autem, quod canon Bibliae lex est Dei per revelationem habita, cuius assertiones litterales innituntur huic unico litterali principio: Omne revelatum a Deo est verum, et quod Scriptura Sacra divinitus est a Deo revelata, sic quod in omni sua parte est verbum Dei, quod transire non potest." Itaque „falsum, blasphemum et haereticum est asserere, quod sensus litteralis Sacrae Scripturae sit aliquando falsus. . . . Secundum Augustinum potest solummodo ex sensu litterali Sacrae Scripturae efficax argumentum sumi. Non autem esset efficax argumentum, si sensus litteralis nedum in dubium, sed in falsum verteretur. . . . Est enim sensus litteralis vere et proprie dictus ille, quem Spiritus Sanctus principaliter intendebat, et qui ex circumstantiis litterae sacrae trahi potest et debet, sicut expositores sacri fecerunt atque docuerunt. Alioqui periret omnis soliditas probationis a Scriptura Sacra" [1].

199. *„De sensu litterali Sacrae Scripturae"* Gersonius specialem tractatum edidit, quo viam ostendit investigandi sensum litteralem et vitandi errores.

Quia enim, ut ait, „seminatores haeresium et impugnatores veritatis, quam agnoscunt vel agnoscere deberent, cum se Catholicos profiteantur, dicunt fundari dicta sua in Scriptura Sacra et eius sensu vero litterali, quam solam Scripturam dicunt se velle insequi et admittere, reiectis et pro nihilo habitis quibuscumque constitutionibus aliis vel scripturis Decretorum vel Decretalium, quas appellant apocryphas et Christo adversas, considerandum erit imprimis, quis dicendus sit sensus litteralis Scripturae Sacrae, et qualiter est investigandus et tenendus, considerandum proinde magis in particulari de ipsis erroribus, nostro tempore vel inventis vel renovatis, et de causis vel cautelis eorum". Statuit duodecim regulas de sensu litterali, quarum praecipuas iam audivimus. Sexta regula est haec: „Sensus litteralis Sacrae Scripturae fuit primum per Christum et apostolos revelatus et miraculis elucidatus, deinde fuit per sanguinem martyrum confirmatus, postmodum sacri doctores per rationes suas diligentes contra haereticos diffusius elicuerunt praedictum sensum litteralem et conclusiones ex illo clarius vel probabilius consequentes, postea successit determinatio sacrorum conciliorum, ut, quod erat doctrinaliter discussum per doctores, fieret per ecclesiam sententialiter definitum." Octava regula: „Sensus litteralis Sacrae Scripturae, si reperitur determinatus et decisus in Decretis et Decretalibus et codicibus conciliorum, iudicandus est ad theologiam et Sacram Scripturam non minus pertinere quam symbolum apostolorum. Propterea non est spernendus tamquam humana seu positiva constitutione fundatus. Et in hoc errant paene omnes haeretici, qui post compilationem Decretorum et Decretalium invaluerunt. Videntes enim, quod errores sui sufficienter coarguuntur per sententias doctorum et summorum pontificum et conciliorum generalium, dicunt omnes tales scripturas apocryphas esse vel falsas, nisi ostendatur, quod sint expresse in Scriptura Sacra." Undecima regula statuit nullius doctoris singularis expositionem esse absolute acceptandam, sed eam tantum, quae a suprema auctoritate sit sollemniter definita, nihilominus dioecesanum sub poena teneri

[1] Ib. I 22 sqq.

ad sequendam sententiam sui episcopi, quam hic ut doctor authenticus proponat, etsi pateat recursus ad superius tribunal. Causam vero errorum omnium Gersonius maxime videt in superbia hominum, qui fidentes suo ingenio nolunt niti supernaturali Dei adiutorio humili oratione obtinendo [1].

200. Contra haereticos, quos respicit Gersonius, maxime contra Wiclifitas, validissime pugnavit **Thomas Waldensis**, Carmelita. Inter praerogativas ecclesiae recenset, quod eius est de canone Sacrae Scripturae legem statuere. „Ipsa sola est, cuius testimonium est tantae auctoritatis et praeconii, ut ipsos libros divinarum Scripturam taxare et de eorum auctoribus certificare possit fideles; nec fas erit omnino tanto testimonio contraire.“ Unde constat „eos libros omni auctoritate canonica privatos esse, quibus eiusdem ecclesiae non suffragatur auctoritas“. Olim canon augeri poterat, nunc non iam potest. Nam „lex Christi per totum decursum Veteris Testamenti infans erat, dicente apostolo, quod nihil ad perfectum adduxit lex; temporis vero plenitudo fuit tempus Christi et apostolorum. Usque tunc ergo, quia fides habebat quo cresceret, potuit per appositionem librorum staturam perfectae proceritatis acquirere. Elapso autem apostolico tempore non potuit crescere amplius. . . . Sola Scriptura principum, id est apostolorum, post Dominum auctoritatis palmam consequitur, auctoritatis, inquam, canonicae. Habent enim dicta sanctorum sequentium auctoritatem suam, habent determinationes fideles ecclesiae auctoritatem suam, sed non canonicam. . . . Transiit ergo hora, non potest crescere iam canon in pluralitate librorum.“ [2]

Adhuc quidem sine ecclesiae auctoritate „Scriptura aliqua nec legi poterit nec haberi pro certa“. Sed postquam ab ecclesia accepimus Sacram Scripturam ut verbum divinitus inspiratum, agnoscimus Scripturam ratione dignitatis excellere prae omni auctoritate, quae est in ecclesia.

„Omnis ergo ecclesiastica auctoritas, cum sit ad testificandum de Christo et legibus eius, vilior est Christi legibus, et Scripturis Sanctis necessario postponenda. . . . Nec sunt ingrati filii matris ecclesiae, qui primo propter verbum ecclesiae testantis de Christo credunt, et cum crediderint, auctoritatem, qua inducti sunt, auctoritati eius postponunt, cui credunt. Immo auctoritate eiusdem ecclesiae hoc decretum est, omnium scilicet posteriorum hominum libros sive ecclesiarum auctoritati canonis debere submitti. . . . *Longe ergo distat auctoritas Scripturarum et eminet auctoritati cunctorum doctorum, etiam totius ecclesiae catholicae, quamvis super earum auctoritate catholica testetur ecclesia.* . . . Ideo quamquam in posteriorum libris invenitur ipsa veritas Scripturarum, non tamen erit in iis par auctoritas. Ita quamvis

[1] Opera omnia I 1 sqq.

[2] Doctrinale fidei catholicae l. 2, a. 2, c. 20; Ed. Veneta 1757; I, col. 345 sqq; cf. col. 1002 sqq.

fides universalis ecclesiae invenitur per Scripturas expressa, sicut est paene tota, non tamen est ei in auctoritate par, sed ipsa praeponitur, quia aliud sunt testes, aliud testimonium. . . . Fides autem, ut est ecclesiae catholicae, in hoc accedit fidei Scripturarum, quod non licet de ipsa dubitare, eo quod testimonium ecclesiae catholicae est obiectum fidei christianae, sicut est testimonium et legislatio Scripturae canonicae; subicitur tamen ipsi ut testis iudici et testimonium veritati." Attamen ex eo, quod sanctorum Patrum auctoritas minoris dignitatis est quam Scripturae auctoritas, minime consequens est licere contra eorum sententias pro arbitrio pugnare, quia, si Patrum consensus „causa fidei est, causa resistentis est perfidia" [1].

201. Unde prima quidem via ad inveniendam veritatem est per Scripturas divinas.

„Sed si scalam Iacob versus culmen caeli nonnisi per gradus quosdam angeli ipsi et caeli cives potuerunt ascendere, multo magis *per expositiones doctorum fidelissimas attingendum est in cacumen Scripturae* . . . et inter eos illi sunt aptiores in materia fidei, qui Christi et apostolorum temporibus viciniores erant. . . . Hos ergo Patres sequi necesse est, si velimus aliquid de mysteriis Scripturarum aut fidei recte scrutari, maxime si quaestio mota tam sensus quam rationis alta transcendit." „Docet Augustinus necessariam adiectionem testium sanctorum et proborum post auctoritatem canonicam, non quod in auctoritate aequentur, absit, sed sequantur, non quidem in subsidium auctoritatis canonicae, sed in admonitionem posterorum, ut noscant, quomodo sancti et sacri antistites et Patres ecclesiae in tali scrupulo divina eloquia sunt secuti. Et hanc doctrinam dicit Augustinus indubitanter catholicam. . . . Ecce viam Catholicorum, quam haeretici sequi contemnunt . . . et ideo solum Christum sine medio statim appellant, putantes se posse secure corrumpere verba Christi, et sic sine iudice pervertunt ad libitum. Sed ecclesia catholica non habet hunc morem. Susceptis enim cum omni reverentia Christi verbis, statim ex paternis regulis eius intellegentiam sciscitatur. Sic dixit Hieronymus interrogandum de semitis antiquis, quae multorum sanctorum sunt tritae vestigiis. . . . Sed dolo malo, parvipensa auctoritate universalis, id est, catholicae et apostolicae ecclesiae, currit omnis haereticus ad litteram Scripturae canonicae, ut hinc error suus protectus appareat, et ne apparentia illa dissolvatur auctoritate ecclesiae et Patrum fidelium, quia fides ipsa ecclesiae verissime interpretatur sensum Scripturae et aeque declarat falsitatem interpretationis haereticae. Non ergo inde est fidelis doctor, quia fidem Scripturae producit, nisi etiam fidem et auctoritatem sequatur, non unius particularis, sed universalis ecclesiae, in qua sola sensus Scripturarum verus habetur." [2]

Iam temporibus apostolorum iudaizantes et alii haeretici Scripturam corrumpere conabantur.

„Videbant ergo apostoli hoc factum tam experimento sensus, quam faciendum imposterum instinctu Spiritus Sancti, dicente S. Petro (2, 2, 1): Fuere et pseudoprophetae in populo, sicut et in nobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Idcirco cum mandarent fidelibus observare Scripturas canonicas, mandabant iis cum iis observare sermones

[1] Ib. a. 2, c. 21; col. 349 sqq.
[2] Ib. l. 2, a. 2, c. 22; I, col. 356 sqq.

suos vivos et traditiones, quas scribere non vacabat, sed viva voce alter alteri et senior traderet iuniori; qui semper ad verum intellectum ducerent Scripturas, nulla ex parte patientes eas perverti. . . . Hac ratione sermones non scriptos et traditiones eorum non scriptas commendat et servat ecclesia, qui omnes, si scripti essent, essent de canone Scripturarum. Putasne sermones illos, quos tot diebus praedicavit Paulus Athenis, debere esse abiectos? et quos praedicavit cotidie in synagogis Iudaeorum, et iterum multis diebus Ephesi et tandem finaliter Romae? Et quamvis morticina pellis [i. e. pergamena] sub atramento ipsos non contineat, credis tu, quos Spiritus sapientiae et intellectus tam elimatos linguae coaptavit apostolos, non incorporavit iam Scripturae perpetuae beatorum, ubi Scriptura verissime est? Et quamvis caelum et terra et omnes corrupti libri transierint, verba Christi non transient. Horum credo maiorem partem per traditiones et successiva documenta Patrum adhuc ecclesia catholica thesaurizat. . . . Respondeamus ergo et dicamus latitudinem christianae credentiae sic esse dispositam, ut primam fidem tribuamus Scripturis canonicis, secundam sub ista definitionibus et consuetudinibus ecclesiae catholicae iuxta illum articulum in symbolo: Credo in unam sanctam ecclesiam catholicam et apostolicam." Quam ecclesiam, quia in symbolo nominatur, solet Waldensis appellare ecclesiam symbolicam. S. Augustinus ait (De utilit. credendi c. 11): „Auctoritate quidem decipi miserum est, sed miserius non moveri." „Optima Augustini sancti doctrina. Prima beatitudo est ipsi credere veritati, ipsi scilicet fidei bipartitae, canonicae et symbolicae de ecclesia; utraque enim fidem vindicat, et ideo nomen veritatis meruit absolute." [1] „Tanti est auctoritas Scripturarum, tanti post eam auctoritas unius catholicae et apostolicae ecclesiae, documentum concors ab apostolorum temporibus usque ad haec tempora nostra, ut ipsis obtemperare oporteat sub poenis perfidiae." [2]

202. Praeterea monet: „Hoc unum Christianis omnibus esse commune, ut, *cum scripta divina proferimus, ea non captivemus sensibus nostris, sed iis potius nostros captivemus sensus.* . . . O miseri, qui sic non pro sententia divinae Scripturae, sed pro sua dimicant, ut eam velint esse Scripturae Sanctae sententiam, quae sua est." [3] „Taedet me vitae meae, cum audio Scripturas sacratissimas, quas Spiritus Sanctus per se scribere dignabatur, sic a perverso haeretico irrisas et delusas. . . . Sic igitur cum de hac Scriptura apostoli (1 Cor 10, 16) communicant, diligant id solum de textu elicere, quod intellexit apostolus, quantum perpendi potest ex circumstantiis talis Scripturae et fide sana." [4] Ad hoc etiam pertinet, ut inhaereatur sensui litterali, quamdiu ex contextu non postulatur figuratus [5]. „Placet ecclesiae Dei, quod in verbis divinae Scripturae diversae sententiae proferantur, sed inter omnes praeeligatur illa, quam certum est eum sensisse, quem legimus, aut quam circumstantia Scripturae non impedit, aut quae a sana fide non discordat. Et quomodo certius hoc notum esse potest, quam decreto concordi totius ecclesiae?" [6]

---

[1] Doctrinale fidei catholicae l. 2, a. 2, c. 23; col. 363 sqq.
[2] Ib. c. 27, n. 7; col. 385.
[3] De sacram. euchar. 36, 3 sq; col. 236. [4] Ib. 37, 1; col. 241.
[5] Ib. 25, 4; col. 167. [6] Ib. c. 64; col. 394.

203. Hucusque protuli variorum theologorum a saeculo XII usque ad saec. XV sententias de Sacra Scriptura et eius inspiratione. Multo utique plures sunt, quos omisi, quia nolui catalogum eorum texere, qui temporibus medii aevi de Scriptura tractatus ediderunt[1], sed volui exhibere doctrinam eorum, qui vel duces fuerunt in theologia vel ob alias rationes speciali mentione digni videbantur; et propriis quidem eorum verbis, in quantum fieri poterat, usus sum, ut legentes sibi ipsi iudicium formare possint. Unum autem, quod ex illis testimoniis efficitur, est, ni fallor, hoc: dogma inspirationis post saeculum XIII historiam non habuisse. Habuit suam historiam textus sacer, eamque tam intricatam, ut etiam nunc mediocriter tantum nota sit; habuit suam historiam expositio textus. Sed inspirationis notio, postquam a principibus Scholasticorum, praecipue a S. Thoma et Henrico Gandavensi, exposita fuit, ita a posterioribus recepta et retenta est, ut usque ad saeculum XVI vix quidquam novi, nedum diversi, ad eius explicationem attulerint. Omnes theologi, non ii tantum, quos citavi, sed ii quoque, quos omisi, unanimiter docent Scripturam ita esse divinitus inspiratam, ut Deus sit eius auctor primarius, humani scriptores auctores secundarii, ut Deus sit causa principalis, scriptores humani causae instrumentales; consequenter Scripturam esse verbum divinum non materialiter tantum propter res, quas continet, sed etiam formaliter propter modum, quo a Deo ad nos pervenit; hoc autem verbum divinum esse tantae infallibilitatis, ut nullum, ne minimum quidem, errorem affirmare possit, et tantae auctoritatis, ut omnia et singula eius dicta omnibus indubitanter recipienda et credenda sint. Hanc divinam Scripturae indolem omnes docent et efferunt, de humana vero cooperatione eiusque modo in componenda Scriptura tacent fere. Montanistarum error iam diu erat exclusus, ceterum ea, quae S. Thomas de prophetia docet, sufficere videbantur. Hac de causa superfluum est ex magno numero theologorum medii aevi plures audire, quia, quantumvis in aliis rebus forte differant, de inspiratione idem iterum iterumque nobis repeterent. Quam verum hoc sit, uno exemplo ostendam, quod apte ad concludendam hanc partem inquisitionis nostrae servire potest.

204. Dionysius Carthusianus (Ryckel) propositum habuit colligendi ex doctoribus medii aevi optima quaeque, quae in lucem prodierant. Unde ex ipso discere licet, quid usque ad finem circiter saeculi XV theologi praestiterint ad inspirationis conceptum elucidandum; fuit enim compilator admirandae eruditionis et diligentiae.

„Quia (inquit) iam quasi innumerabiles super ipsum sententiarum librum scripsisse noscuntur et adhuc cotidie aliqui scribunt, etiam plus forsitan quam

[1] Multos alios recenset *Holzhey* in opusculo iam laudato: „Die Inspiration der Heiligen Schrift in der Anschauung des Mittelalters."

expedit, dum per scripta quaedam novorum minus praeclara scripta antiquorum praeclariora minus curantur, leguntur et exquiruntur, hinc intentio mea est in opere isto ex commentariis et scriptis doctorum magis authenticorum, famosiorum et excellentiorum quandam facere extractionem et collectionem atque doctorum illorum mentem in unum volumen redigere." Doctores, quos indicat, sunt Guilelmus Parisiensis, Udalricus de Argentina, Henricus Gandavensis, S. Thomas, Albertus Magnus, Bonaventura, Petrus de Tarantasia, Richardus de Mediavilla. „Deinceps ponam aliorum maiorum responsa et sequacium eorundem." [1] Neque vero hi soli commentarii, sed etiam cetera Dionysii opera ex priorum doctorum libris compilata sunt.

De *Scripturae dignitate* ait: Sapientia alia est naturalis, „alia est supernaturalis, quoniam primordialiter ex divina revelatione innotuit nec naturali ratione potuit inveniri; quae in Scripturis digesta est et est Scripturarum notitia. . . . Haec ergo sapientia, quae est sacra doctrina et Scripturarum notitia, multipliciter est laudanda ac naturali sapientiae multiformiter praeferenda. Primo ratione suae originis, quia in supernaturali lumine est fundata, supernaturaliter revelata increataeque veritati innitens. . . . Secunda ratione sui obiecti. . . . Deus ipse altissimus sublimiori modo supernaturalis sapientiae est obiectum. . . . Tertio sapientia ista laudatur et ceteris praefulget humanis scientiis ac sapientiae naturali ratione sui decoris, quoniam nihil falsitatis, nihil erroris ei admixtum est, sicut illis. . . . Quarto sapientia ista ceteris rite praefertur certitudine et auctoritate, utpote cui nec falsitas nec ambiguitas potest subesse, cum increatae veritati ac supernaturali indeviabili lumini innitatur, loquendo de doctrina Scripturae canonicae. . . . Quinto sapientia ista commendatur ratione suae fructuositatis. . . . Sexto sapientia ista laudatur a sua excellenti dulcedine. . . . Septimo collaudatur et praefulget ratione opulentiae et sufficientiae suae. . . . Octavo sapientia seu divina Scriptura commendatur ac eminet ratione suae sententiositatis atque multiplicis sensus. Nam eadem littera interdum duplicem, aliquando triplicem, nonnumquam quadruplicem habet sensum, qui sunt quattuor fercula, quae ponuntur in mensa refectorii animae. Nam et ipsae res significatae per verba Scripturae aliquid significant. . . . Hinc Sacram Scripturam cum omm reverentia pertractemus, diligentissime legamus atque prae cunctis scientiis philosophicis et humanis appretiemur, cum ipsa sit velut epistula nobis a Spiritu Sancto missa, immo et ore Dei incarnati pro magna parte prolata. Propter quod, dum studemus et legimus eam, Deus loquitur nobis. . . . Qui studere itaque cupit salubriter et in divinorum notitia ordinate proficere, primo omnium satagat adimplere praecepta atque per artam incedere viam salutis, fugiat vanitates et carnis vitia detestetur. . . . Et quo magis se a mundanis et vilibus abstrahit ac circa intellectualia et divina se ipsum recolligit, eo ad proficiendum . . . aptior fortiorque efficitur, potissime vero dum lumen naturae per lumen gratiae vigoratur, dum scholastica exercitatio exercitio devotionis internae iuvatur, dum oratione sincera contemplationeque fervida mens fonti munditiae ac summae veritati unitur. Tunc quippe desuper illustratur atque a sole sapientiae gratiose perfunditur, ungitur, eruditur ad intellegendum abdita Scripturarum. . . . Etenim sicut Spiritus Sanctus Scripturarum est dator,

[1] In 4 libros Sententiarum 1, Prooem.; Opera omnia XIX. Tornaci 1902, 36 sq.

sic ipse ad earum intellegentiam est optimus illustrator."[1] Singula haec dictis Sacrae Scripturae, sanctorum Patrum, theologorum, immo et philosophorum illustrantur.

205. Iam si quaerimus ex Dionysio, *quae sit ratio, ob quam Sacra Scriptura adeo excellat* prae omnibus libris, respondet esse divinam originem. Hanc autem praecipue explicat in tractatu, quem praemittit expositioni Psalmorum. Postquam in praefatione dixit fuisse Davidi „gratiam prophetalem tam eminenter divinitus datam", procedit ad hanc gratiam prophetalem explicandam.

„Prophetia ad intellectum potissimum pertinet. Est enim prophetia supernaturalis futurorum cognitio ex divina inspiratione adepta. Prophetae namque dicuntur, qui Deo revelante cognoscunt ea, quae ceteris abscondita sunt et procul ab ipsis posita. . . . Porro prophetia ad gratias gratis datas pertinere cognoscitur, sicut operatio miraculorum, interpretatio sermonum, discretio spirituum. Tales enim et similes gratiae communes sunt bonis et malis. Gratiae vero gratis datae ad aliorum utilitatem dantur et ordinantur.... In quantum igitur prophetalis notitia ordinatur ad hoc, ut aliis innotescat, sic prophetia secundario pertinet ad locutionem; sicque propheta a praefando nomen accepit. . . . Porro quemadmodum naturale lumen intellectus agentis est omnium naturalium cognitionum intellectus possibilis principium, sic lumen supernaturale atque divinum est prophetalium cognitionum principium. . . . Quanto autem aliqua naturalem rationem magis excedunt remotiusque a nostra cognitione distant, tanto amplius magisque proprie rationem prophetiae concernunt, sicut sunt futura pure contingentia, ut actus humani. Propterea prophetia propriissime pertinet ad futurorum eventuum cognitionem. . . . Praeterea multi sunt gradus prophetiae, quorum infimus dicitur, dum aliquis ex interiori Spiritus Sancti instinctu movetur ad exteriora opera. . . . Secundus et altior prophetiae gradus est, dum aliquis ex illustratione Spiritus Sancti supernaturali modo cognoscit et percipit, quae tamen naturaliter cognosci possunt, quemadmodum de Salomone habetur, quod Dominus dedit ei sapientiam et prudentiam multam nimis, ita quod disputavit super lignis... (3 Rg 4, 29 33). De talibus enim gentiles quoque philosophi plura disseruisse subtiliter inveniuntur. Unde hi duo gradus ad perfectam prophetiae rationem non attingunt, quia ad supernaturalem veritatem non pertinent. Nihilominus aliqua Salomoni revelata sunt, quae naturalis rationis limites omnino excedunt, praesertim in canticis, propter quorum cognitionem Salomon vere et proprie propheta vocatur." Sequitur divisio aliorum graduum prophetiae secundum somnum et vigiliam etc., quam supra (n. 174) a S. Thoma audivimus. Item de speciebus prophetiae et modo, quo prophetiae comminationis et promissionis implentur, Dionysius vestigiis Aquinatis insistit. „Praeterea quaedam est prophetia de praeterito, sicut Moysi prophetica revelatione innotuit creatio mundi. Unde quod ait: In principio creavit Deus caelum et terram, prophetia est. Alia est prophetia de praesenti, sicut dum aliquis Spiritu Sancto revelante cognoscit, quid alius cogitat. Et sic Elisabeth de incarnatione Christi et eius praesentia prophetavit (Lc 1, 43). . . . Tamen, ut dictum est, prophetia proprie dicta non est nisi de futuro."

[1] Ib. 38 sqq.

206. „Tota fere Sacra Scriptura seu theologicalis doctrina sub quibusdam figuris ac similitudinibus mirabiliter est velata, quatenus veritas indignis et pravis hominibus occultetur, studiosis vero ac piis occasio bonae exercitationis praestetur. . . . Hinc ergo contingit, quod *Sacra Scriptura multis modis exponitur*, eo quod non solum nomina significent res, sed etiam res una significet aliam. Nam res ipsae comparantur ad intellectum divinum sicut verba ad proferentem. . . . Quattuor itaque modis exponitur Sacra Scriptura, videlicet litteraliter seu historice, et spiritualiter seu mystice. Sed mysticus sensus est triplex, scilicet allegoricus, tropologicus seu moralis, et anagogicus. . . . Sensus vero historicus seu litteralis est fundamentum seu basis intellectuum aliorum, et ex eo solo valet argumentum ad fidei probationem, sicut in epistula contra Vincentium Donatistam asserit Augustinus."

„Quoniam David ex sola Spiritus Sancti inspiratione ac intellectuali revelatione sine omni exteriori adminiculo Psalmos edidit, inter ipsum et Spiritum Sanctum quasi quoddam soliloquium fuisse videtur. . . . Omnes concordant in hoc, quod universi Psalmi ex divina inspiratione conscripti sunt ab aliquo prophetarum. Sed an ab uno dumtaxat vel certe a pluribus, de hoc varia exstat opinio. . . . Quidam enim affirmant omnes Psalmos a David compositos, nempe Augustinus, Cassiodorus, glossator et alii multi. Alii vero contra tenent oppositum, puta Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, quos sequitur Nicolaus de Lyra, asserentes Hebraeorum doctores affirmare multos esse auctores Psalmorum. Quid autem horum sit verius, certitudinaliter discernere nequeo. Verumtamen . . . videtur supervacuum curiose scrutari aut multum contendere, an solus David ediderit Psalmos, cum utique planum sit omnes Psalmos revelatione Spiritus Sancti esse conscriptos." „Ut paene omnes concorditer adstruunt, Esdras Spiritu Sancto revelante ac disponente Psalmos reparavit ac in unum collegit." Idem dicit de aliis libris Veteris Testamenti: „Esdra scriba velox, qui et prophetico spiritu fulsit, libros canonicos Veteris Testamenti, a Babyloniis combustos, Spiritu Sancto revelante dicitur reparasse praeter Pentateuchum, i. e. quinque libros Moysis, quos apud Samaritanos invenit." Commendat Dionysius, ut Psalmi cum magna devotione recitentur. „Nam Spiritus Sanctus, qui est ignis innocue ardens ac ardentissima caritas, affectuosissima verba in Psalmis deprompsit omnique generi hominum convenientes sermones descripsit, nunc ea proponens, quae perfectos respiciunt et ex magno caritatis fervore canenda sunt, nunc vero proponens, quae paenitentes et imperfectos concernunt. . . . Unde qui Psalmos cum perfecta devotione cantare seu legere cupit, necessario indiget, ut suum affectum sensui Psalmorum conformet. . . . Et si quispiam tantae scientiae non est, ut Scripturas sanctas intellegat et proinde psalmodiae sensum mente considerare nequeat . . . tunc studere debemus, ut mentem nostram cum cordiali affectu ad Deum levemus, pensantes nos ante Dei conspectum adstare et summo universorum dominatori et iudici ministrare." [1]

207. De Scripturae translationibus Dionysius agit iis, quae praemittit commentario in Genesim. De versione LXX refert varias opiniones, maxime Hieronymi et Augustini, et quamquam non vult quaestionem absolute decidere, magis tamen inclinat in Augustini

[1] Opera omnia V 389 sqq.

sententiam [1]. Ibidem art. 4 de numero et divisione sacrorum librorum disserit. In articulis vero quinto et sexto, quibus de primo versiculo Genesis tractat, varia principia hermeneutica exponit, quae, quia ex Thoma, Augustino, aliis doctoribus hausit, hic repetenda non sunt.

Magna illa et solida Dionysii opera exegetica in omnes libros Veteris et Novi Testamenti, quae etiam nunc cum utilitate consuluntur, praeclarum argumentum sunt contra falsam opinionem dicentium saeculo XV studium Sacrae Scripturae periisse, et Sacram Scripturam paene ignotam fuisse [2]. Quanti aestimati fuerint Dionysii commentarii, inde conici potest, quod post inventam artem typographicam commentarii eius in Psalmos saeculo XVI septies, in Matthaeum duodevicies, in Marcum septies decies, et similiter alii saepissime editi sunt.

ART. V.

DE DEFINITIONIBUS CONCILIORUM ET SUMMORUM PONTIFICUM.

208. Medio aevo imprimis verba illa ex Concilio quod vocatur Carthaginiensi quarto, supra (n. 138) relata, in fidei professiones recepta sunt. Ita repetuntur in professione Petri, electi patriarchae

---

[1] Ib. I 5 sqq.

[2] Ad calumniam hanc refutandam iuverit apponere aliud testimonium proveniens ex primis initiis Universitatis Lipsiensis. Exstat enim magistri cuiusdam Lipsiensis anonymi „Officii Missae sacrique canonis expositio et signorum, quae inibi quotidie fiunt, mysticae repraesentationis declaratio. . . . Impressura Magistri Ioannis Otmari Rutlingensis. Die Egidii anno Domini 1483." Prologus ita orditur: „Reverendi Patres et Domini. Cogitanti mihi crebrius, ac diligenti indagine diebus multis et noctibus in armario mentis meae revolventi, quid laboris, quidve utilitatis pro felici incremento novellae plantationis illustrium principum dominorum marchionum missenensium, videlicet almae nostrae universitatis libczensis, facere possem et exhibere cum affectu: inter cetera offerebat oculus mei cordis, sacri canonis expositionem et signorum, quae in sacratissimo Missae sacrificio per universum mundum dietim fiunt, mysticam repraesentationem intellegendam omnibus christifidelibus fore necessariam et ad salutem animarum necnon spiritualem consolationem maxime valituram." Sex primis capitibus agitur de studio Sacrae Scripturae, et quidem 1. de causis, propter quas Sacra Scriptura ferventer sit studenda; 2. quot et quae in se habere debeat lector Sacrae Scripturae; 3. quis sit finis, propter quem ipsa sit studenda; 4. quotupliciter contingat peccare in studendo ipsam vel aliam scientiam; 5. de modo studendi Sacram Scripturam; 6. quot modis Sacra Scriptura exponatur. „Quantum ad primum capitulum dico, quod Sacra Scriptura, quantum ad praesens occurrit, novem de causis ferventer est studenda. Primo propter sui originis et auctoris altitudinem. Ipsa namque est sapientia vera, quae de se gloriatur, Ecclesiastes 23: ‚Ego sapientia ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.' Nam divina pagina non humanis rationibus est adinventa, quemadmodum aliae scientiae, sed divinitus est inspirata. Eius namque auctor non homo nec creatura sed Deus est et creator; quare eius excellens est auctoritas. Maior enim est eius auctoritas quam omnis humani ingenii perspicacitas, ut inquit beatus Augustinus. . . ."

Antiocheni, et in professione Michaelis Palaeologi haec verba: „Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem, Deum et Dominum omnipotentem.“ [1] Eadem verba transierunt in „Pontificale Romanum“, secundum quod episcopus ante ordinationem „examini“ subicitur. Hoc autem „examen“ nihil aliud est nisi repetitio quaestionum, quae in illis „Statutis ecclesiae antiquis“ episcopo proponendae dicuntur. „Antiqua sanctorum Patrum institutio docet et praecipit, ut is, qui ad episcopatus ordinem eligitur, antea diligentissime examinetur de fide sanctae Trinitatis.“ Ultima quaestio est: „Credis etiam Novi et Veteris Testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem, Deum ac Dominum omnipotentem?“ Itaque cum omnes episcopi hanc fidem profiteri debeant, efficitur eam esse totius magisterii ecclesiastici fidem publice testificatam.

209. Saeculo XII in Gallia et alibi recrudescebat Manichaeismus inter Catharos, Albingenses, alios, qui, falsam spiritualitatem sequentes, reiciebant totum Vetus Testamentum vel saltem libros Moysis. Nonnulli dicebant in scriptis prophetarum quaedam esse a proprio ipsorum spiritu, quaedam a malo spiritu, quaedam a Spiritu Sancto. Alii dicebant etiam in evangeliis multa esse poetica, quae non essent vera. Quidam interrogati in Concilio Aurelianensi 1017, cur nollent credere Christi nativitatem, mortem, resurrectionem, inter alia responderunt: „Ista illis narrare potes, qui terrena sapiunt atque credunt figmenta carnalium hominum scripta in membranis animalium. Nobis autem, qui legem scriptam habemus in interiore homine a Spiritu Sancto et nihil aliud sapimus, nisi quod a Deo omnium conditore didicimus, incassum superflua et a divinitate devia profers.“ [2] Unde mirum non est, quod haereticis ad ecclesiam redeuntibus saepe profitendum iniungebatur „Novi et Veteris Testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum“ [3].

In *Eugenii IV* decreto pro Iacobitis eadem fit professio: „Sacrosancta Romana ecclesia . . . unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, legis et prophetarum atque evangelii, profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur: Genesis, Exodus. . . . Praeterea Manichaeorum anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium, et alium Novi Testamenti Deum, alium Veteris esse dixerunt.“ [4] In hoc igitur decreto et exhibetur canon

[1] *Denzinger,* Enchiridion symbolorum et definitionum 296 386 vel *Mansi* XIX 662 et XXIV 70.

[2] *Denzinger,* Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis I, Würzburg 1856, 306; II 215. [3] *Denzinger,* Enchiridion 367.

[4] *Denzinger* l. c. 600. Enumeratio librorum eadem est atque in Conc. Trid. infra n. 282.

sacrorum librorum, et docetur Deum eorum esse auctorem, cum sancti inspirante Spiritu Sancto locuti sint; et hanc esse rationem, cur ecclesia eorum libros suscipiat et veneretur.

210. Pluries quoque, occasione data, summi pontifices inculcarunt nullum plane errorem in Sacra Scriptura admittendum esse. *Ioannes XXII* contra quosdam Franciscanos docentes Christum et apostolos nihil umquam proprii in hac terra habuisse, haec statuit: „Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, cum Scripturae Sacrae, quae in plerisque locis ipsos habuisse nonnulla asserit, contradicat expresse ipsamque Scripturam Sacram, per quam utique fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacii, ac per consequens, quantum in ea est, eius in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam et incertam: deinceps erroneam fore censendam et haereticam de fratrum nostrorum consilio, hoc perpetuo declaramus edicto." [1] Itaque hic doctrina aliqua declaratur haeretica ob hanc rationem, quod cum facto aliquo historico in Scriptura narrato pugnat, cum vel per unum errorem in Scriptura contentum tota eius fides evacuetur, et tota fides catholica, quae Scriptura nitatur, incerta fiat.

Cum initio saeculi XIV Armeni a pontifice romano auxilium contra Saracenos petissent, voluit *Benedictus XII,* ut Armeni ab erroribus se purgarent, quorum suspecti essent. Misit igitur iis catalogum horum errorum in articulos centum septemdecim distinctum. Quare Armeni collecto Concilio ad singula responderunt. Articulus 114 est: „Item dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Cain, et ita fuit ad litteram, quia secundum eos nullus eum occidit, sed ipse de praecipiti se submisit. Ex quo innuunt Scripturam Genesis quoad hoc esse falsam, quae videtur dicere, quod Lamech interfecit Cain." Responderunt Armeni: „Si supradicta opinio invenietur in dictis alicuius stulti, tamen apud nos sic non invenitur, quoniam in Biblia nostra et in libris, qui leguntur in scholis, invenimus, quod Lamech interfecit Cain, sicut Gn 4 dicitur: Audite uxores Lamech vocem meam et auribus percipite, quoniam occidi virum." [2] Ergo ne innuere quidem licet Scripturam affirmare aliquid falsi.

Itaque etiam temporibus medii aevi ecclesia fidelissime servavit quoad Sacram Scripturam duas doctrinas sibi traditas: a) Deum ita inspirasse omnes libros Veteris et Novi Testamenti, ut eorum esset auctor primarius; b) Sacram Scripturam ratione originis divinae immunem esse ab omni errore. Ulterius autem ecclesia non definivit quidquam, neque quod attinet naturam inspirationis, neque quod attinet scriptores humanos singulorum librorum sacrorum. Has igitur quaestiones posterioribus theologis discutiendas reliquit.

[1] *Denzinger* l. c. 419. [2] *Mansi,* Collect. Conc. Suppl. 3, col. 534.

CAPUT V.
DE DOCTRINA PROTESTANTIUM.

ART. I.
DE HAERESIARCHIS SAECULI XVI.

211. Notum quidem est novatores saeculi XVI reiecta sacra traditione unam Scripturae auctoritatem praedicasse. At erraret, qui inde concluderet eos claram et constantem de Scriptura doctrinam proposuisse.

Lutherus quidem parcus non est in verbis, cum contra „Papistas" Scripturam ut unicam fidei regulam laudat. At quando adversarii eum ex Scriptura refutant, minime quoque timidus est in opinionibus suis Sacrae Scripturae doctrinae praeferendis. Inde accidit, ut illi ipsi, qui se asseclas eius profitentur, in oppositas partes abeant in solvenda quaestione, quid Lutherus de auctoritate Scripturae docuerit. Alii enim dicunt eum semper omne Scripturae dictum summa cum veneratione amplexum esse neque umquam, ne latum quidem unguem, a Sacra Scriptura recessisse. Alii econtra censent eum stupenda cum libertate Sacram Scripturam tractasse [1]. Iuverit *quaedam Lutheri dicta* audire ad has diversas opiniones illustrandas.

Quando Scriptura ipsi favere videtur, eam usque ad caelum exaltat: „Ego vero adversus dicta Patrum, hominum, angelorum, daemonum, pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed unius maiestatis aeternae verbum, evangelium, quod ipsimet coguntur probare. . . . Hoc enim opus et verbum Dei, non nostrum est. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis et omnibus portis inferi, nedum dictis hominum, quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei verbum est supra omnia, divina maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille ecclesiae Henricianae contra me starent." [2]

---

[1] E. g. *W. Rohnert* (Die Inspiration der Heiligen Schrift und ihre Bestreiter, Leipzig 1889, 135) ait: „Luther war so recht ein Mann der Schrift, der sich in sie vertieft, in sie eingelebt hat. . . . Gottes Wort war seine tägliche Nahrung . . . war der unbewegliche Fels, darauf er fest und unerschütterlich stand. Und hierin ist er sich vollkommen gleichgeblieben durch alle Perioden seines vielbewegten Lebens."

Contra vero *Kier* (Bedarf es einer besondern Inspirationslehre? Kiel 1891, 8): „Luthers, des allergrössten Schrifttheologen, erstaunlich freie Urteile sind ja bekannt, nicht bloss das über Jacobus, sondern auch wie er über den Hebräerbrief, über einzelnes bei den Propheten, ja bei Paulus geschrieben hat. Er las die Bibel als ein freies seliges Kind Gottes." Cf. ibidem 24 sqq, ubi *Kawerau* idem latius exsequitur et confirmat; et *O. Scheel*, Luthers Stellung zur Heiligen Schrift, Tübingen 1902.

[2] Contra Henricum regem. Opera lat.: Ed. Francofurt. VI 437; cf. Ed. Erlang. XXVIII 379.

At si „Papistae“ contra te ex Scriptura argumentantur, nec potes eorum argumenta solvere, sic te respondere iubet Lutherus: „Tu urges servum, hoc est Scripturam, et eam non totam neque potiorem eius partem, sed tantum aliquot locos de operibus; hunc servum relinquo tibi, ego urgeo Dominum, qui rex est Scripturae, qui factus est mihi meritum et pretium iustitiae et salutis. Illum teneo et in eo haereo et relinquo tibi opera, quae tamen numquam fecisti. Hanc solutionem neque diabolus neque ullus iustitiarius tibi eripere potest. . . . Hunc locum urge et oppone omnibus sententiis de lege et operibus, et dic: Audisne hoc Satan? Tum cedere eum oportet, quia novit Christum esse dominum suum.“ [1]

Modo audimus: „Utique Moyses fons est omnis sapientiae et intellectus, unde saluerunt omnia, quae prophetae omnes sciverunt et dixerunt. Item ex eo manat Novum Testamentum et in eo fundatur.“ [2]

Alia occasione: „Si prudens es, longissime ableges Moysen balbum et blaesum cum sua lege. Neque ullo modo te moveant terrores et minae ipsius. Hic simpliciter sit tibi suspectus ut haereticus excommunicatus, damnatus, deterior papa et diabolo, ideo prorsus non audiendus.“ [3] „Ne me vexent per Moysen; Moysen neque videre neque audire volumus. Quomodo hoc placet vobis, carissimi sectarii?“ [4]

Contra „Sacramentarios“ omnem litteram et apicem doctrinae biblicae defendit: „Doctrina nostra, Dei gratia, pura est, omnes articulos fidei solidos et fundatos in sacris litteris habemus. Illos libenter vellet diabolus contaminare et evertere.... Ne igitur et nos parvi faciamus fermentum doctrinae; quantumvis enim modicum, si contemnatur, causa est, ut paulatim veritas et salus amittatur ac Deus negetur. . . . Discamus igitur amplificare et magnificare maiestatem et auctoritatam verbi. Non enim est res levicula, ut fanatici homines hodie putant, sed unus apex maior est caelo et terra. Quare ibi nullam plane habemus rationem caritatis aut concordiae christianae, sed utimur simpliciter tribunali, hoc est, maledicimus et condemnamus omnes, qui vel in minimo depravant seu laedunt maiestatem divini verbi.“ [5]

Ipse tamen auctores et libros sacros, qui ei non placent, cum contumelia non mediocri tractat. „In summa, sancti Ioannis evangelium et prima epi-

---

[1] Comment. in Gal. 3, 10 in fine; Ed. Erlang. I 389. Versio germanica (Menii), ab ipso Luthero (a. 1539) edita, nonnihil differt: „Du poehest fast mit der Schrift, welche doch unter Christo als ein Knecht ist, und führest sie dazu nicht ganz an noch das beste Teil daraus, sondern etliche Sprüchlein, die von den Werken reden. Daran kehre ich mich gar nichts; poche immerhin auf den Knecht, ich aber trotze auf Christum, der der rechte Herr und Kaiser ist über die Schrift. Ich frage gar nichts nach allen Sprüchen der Schrift, wann du ihrer noch mehr wider mich aufbrächtest; denn ich habe auf meiner Seite den Meister und Herrn der Schrift“ (Ed. Wittenberg. I 147. *Walch* VIII 2140 sq).

[2] „Denn freilich Mose ein Brunn ist aller Weisheit und Verstands, daraus gequollen ist alles, was alle Propheten gewusst und gesagt haben. Dazu auch das Neue Testament eraus fleusst und drein gegründet ist“ (Vorrede auf das Alte Testament [1523] circa finem; Ed. Erlang. LXIII 22).

[3] Comment. in Gal. 4, 3. Opera lat.; Ed. Erlang. II 145.

[4] „Sollen uns unverworren lassen mit Mose; wir wollen Mosen weder sehen noch hören. Wie gefällt euch das, lieben Rottengeister?“ (Wider die himmlischen Propheten 1. Tl; Ed. Erlang. XXIX 150.

[5] Comment. lat. in epist. ad Gal. 5, 11 12; Ed. Erlang. II 341 346 sq.

stula, sancti Pauli epistulae, maxime ad Romanos, Galatas, Ephesios, sancti Petri epistula prima, hi sunt libri, qui tibi Christum ostendunt et omnia, quae tibi necessaria et salutaria sunt, etsi numquam ullum alium librum vel doctrinam vides neque audis. Ideo sancti Iacobi epistula, cum iis comparata, vere straminea epistula est, quia in se non habet spiritum evangelicum." [1] Haec verba Lutherus non retractavit, ut quidam volunt, sed multo postea Iacobum etiam hominem delirantem vocat. „Deinde quaestio hic agitari solet, an Abraham sit iustificatus ex operibus, sicut disputat Iacobus in sua epistula (2, 21). Quia enim dicitur: ‚Nunc te video iustum', vult inde colligere, quod prius non fuerit iustus. Sed facilis est responsio, quam ipsa verba ostendunt. Aliud enim est esse iustum, etiam grammatice loquendo, aliud cognoscere iustum. Abraham fuit iustus fide, antequam cognoscitur a Deo talis. Igitur male concludit Iacobus, quod nunc demum iustificatus sit post istam oboedientiam. Per opera enim tamquam per fructus cognoscitur fides et iustitia. Non autem sequitur, ut *Iacobus delirat:* Igitur fructus iustificant.... Facessant itaque e medio adversarii cum suo Iacobo, quem toties nobis obiciunt, et multa de iustitia operum blaterant, sed nihil intellegunt." [2]

De Apocalypsi Ioannis: „In hoc libro Apocalypsis Ioannis quemvis suo sensui committo, neque quemquam meae opinioni vel iudicio adstringo. Dico, quod sentio. Non una res deest mihi in hoc libro, cur eum neque apostolicum neque propheticum ducam. . . . Meum ingenium non convenit ad hunc librum, et causa sufficiens, ut eum non magni aestimem, haec est, quod Christus in eo neque docetur neque cognoscitur, id quod facere ante omnia apostolum oportet." [3]

„Ecclesiasticus perfectus praedicator legum seu iurista est, docet, quomodo externa conversatio polienda sit; at propheta non est, de Christo nihil scit nec docet." „Ecclesiastes deberet esse magis completus, nimis multa ei abscissa sunt, neque caligas neque calcaria habet, sed in soccis equitat, sicut et ego, quando in monasterio eram." „Libro illi [2 Mach] et Esther tam inimicus sum, ut velim eos non exsistere; nimis enim iudaizant et infecti sunt vitiis ethnicorum." [4]

---

[1] „Summa, Sanct Johannis Evangel. und seine erste Epistel, Sanct Paulus Epistel, sonderlich die zu den Romern, Galatern, Ephesern und Sanct Peters erste Epistel, das sind die Bucher, die dir Christum zeigen und alles lehren, was dir zu wissen noth und selig ist, ob du schon kein ander Buch noch Lehr nummer sehest noch hörist. Darumb ist Sanct Jakobs Epistel ein recht strohern Epistel gegen sie, denn sie doch kein evangelisch Art an ihr hat" (Welches die rechten und edlisten Bücher des Neuen Testamentes sind; Ed. Erlang. LXIII 115; cf. ib. 157, ubi ait, auctorem epistulae Iacobi fuisse fortasse hominem pium, sed confusum et infirmum spiritu).

[2] Comment. lat. in Gen. 22, 12; Ed. Erlang. V 227.

[3] „In diesem Buch der Offenbarung Johannis lass ich auch jedermann seines Sinnes walten, will niemand an mein Dunkel oder Urtheil verbunden haben. Ich sage, was ich fuhle. Mir mangelt an diesem Buch nicht einerlei, dass ichs widder apostolisch noch prophetisch halte. . . . Mein Geist kann sich in das Buch nicht schicken, und ist mir Ursach genug, dass ich sein nicht hoch achte, dass Christus darinnen widder gelehret noch erkannt wird, welches doch zu thun für allen Dingen ein Apostel schuldig ist" (Vorrede zur Offenbarung St Johannis [1522]; Ed. Erlang. LXIII 169 sq).

[4] „Ecclesiasticus ist ein rechter Gesetzprediger oder Jurist, lehret, wie man einen feinen äusserlichen Wandel führen soll; ist aber kein Prophet, weiss noch

De prophetis in genere ait: „Sine dubio prophetae in Moyse, et ultimi prophetae in prioribus studuerunt et bonas cogitationes suas, a Spiritu Sancto inditas, in librum rettulerunt.... Etsi vero his bonis et fidelibus magistris et scrutatoribus Scripturae interdum irrepserunt foenum, palea, lignum, neque purum argentum, aurum, lapides pretiosos aedificaverunt, fundamentum tamen manet, reliqua ignis diei consumet.“ [1]

212. Haec exempla sufficiunt ad explicandum, *cur inter Lutheri asseclas convenire non possit, utrum Lutherus habuerit „theoriam inspirationis“ necne.*

Qui affirmativam sententiam tenent, ex eius scriptis colligunt locos, quibus haec edicuntur: 1. Deus est proprius auctor Sacrae Scripturae, humani scriptores sunt eius instrumenta. 2. A Spiritu Sancto scriptores acceperunt impulsum ad scribendum secundum materiam et formam. 3. Ideo Scriptura Sacra est infallibile Dei verbum, non solum in rebus primariis, sed etiam in secundariis, et libera est ab omnibus erroribus, contradictionibus, defectibus. 4. Ut Dei verbum Sacra Scriptura auctoritatem divinam habet, est principium, fundamentum, regula, norma fidei et vitae, medium salutis aeternae [2].

Qui contrariam sententiam tenent, ad haec provocant: 1. Lutherus variis libris Sacrae Scripturae plane diversam dignitatem attribuit, quod non potuit facere, si habuit theoriam posteriorum theologorum protestantium. 2. Humanam indolem et proprietatem singulorum scriptorum sacrorum diligenter observat et indicat. 3. Canonem acri crisi subiecit, novum canonem constituit, ordinem sacrorum librorum mutavit. 4. Secundum internas rationes de libris Veteris Testamenti et eorum scriptoribus ita cum summa libertate iudicavit, ut quasi praecursor fuerit artis criticae nostrorum temporum [3].

---

lehret von Christus nichts.“ „Dies Buch [Ecclesiastes] söllt völliger sein, ihm ist zu viel abgebrochen, es hat weder Stiefel noch Sporn, es reitet nur in Socken, gleichwie ich, da ich noch im Kloster war.“ „Ich bin dem Buch [2 Mach] und Esther so feind, dass ich wöllte, sie wären gar nicht vorhanden; denn sie judenzen zu sehr und haben viel heidnische Unart“ (Tischreden 2261 2262; Ed. Erlang. LXII 127 128 131).

[1] „Und haben ohne Zweifel auf diese Weis die Propheten in Mose, und die letzten Propheten in den ersten studiert und ihre guten Gedanken, vom Heiligen Geist eingegeben, in ein Buch aufgeschrieben.... Ob aber denselben guten getreuen Lehrern und Forschern der Schrift zuweilen auch mit unterfiel Heu, Stroh, Holz, und nit eitel Silber, Gold, Edelstein bauten, so bleibt doch der Grund da; das andere verzehret das Feur des Tags“ (Vorred zu Wenceslaus Links Annotation in die fünf Bücher Mosis [1543]; Ed. Erlang. LXIII 379). Plura vide apud *Döllinger*, Die Reformation III, Regensburg 1848, 139 sqq 356 sqq. *Janssen*, Geschichte des deutschen Volkes II [18], Freiburg 1897, 217 sqq et VII 553 sqq.

[2] *W. Rohnert*, Was lehrt Luther von der Inspiration der Heiligen Schrift? Leipzig 1890.

[3] *Kawerau* apud *Kier*, Bedarf es einer besondern Inspirationslehre? 24 sqq. *E. Rabaud* ita de Luthero iudicat: „Fort personnel était son principe de critique: de l'intensité avec laquelle Christ est prêché, il concluait à l'inspiration et à la canonicité du livre. N'était-ce pas renverser l'autorité de la Bible et la remplacer

Nostrum non est hanc controversiam dirimere. Lutherus, etsi contra ecclesiam rebellabat, multa tamen, et imprimis Sacram Scripturam et doctrinam de inspiratione, secum ex vetere ecclesia tulerat ad aedificandum novum suum aedificium. Nova autem et vetera in eo non erant in unitatem conciliata, sed ut inimica elementa constanter inter se pugnabant. Unde fieri non potuit, quin doctrina eius plena esset contradictionum et perpetuarum mutationum. Quid mirum, quod et „orthodoxi“ et „liberales“ eum ut patronum suum invocant?

213. **Zwinglius** secundum Lutheri iudicium melius nihil scripsisset, cum sit homo ineptus, superbus, audax, inimicus fidei, probabiliter damnatus, cuius libri vitandi sint ut venena diaboli [1]. Hoc severum iudicium inde ortum est, quod Zwinglius in exponenda Scriptura saepe a Luthero discedebat.

De inspiratione vix loquitur. Scripsit longum sermonem vel tractatum „de perspicuitate et certitudine vel infallibilitate verbi divini“ [2], in quo incipiens a creatione Adami loquitur de similitudine hominis cum Deo, de peccato originali, de desiderio beatitudinis, ut tandem perveniat ad conclusionem huic desiderio satisfieri non posse nisi ope verbi divini, et hoc verbum divinum legi in Sacra Scriptura. Primum quidem, inquit, quod ad fidem confert, est verbum Dei externum et praedicatum; sed hoc verbum capi non potest nisi ab homine habente claros oculos fidei. Sine fide verbum externum est inutile; sed ubi fides est, ibi verbum Dei tam forte et certum est, ut non possit quidquam cum eo comparari [3]. Claritati verbi Dei non obstat, quod Deus saepe loquitur in parabolis et aenigmatis; hoc enim fecit, ut homines instigaret ad quaerendum, quia suavius tenetur, quod maiore labore comparatur. Nam qui cupit doceri verbo divino, hic intellegentiam accipiet. Qui vero non habet hanc claritatem, is spiritualiter aegrotus est et a Dei gratia alienus. Qui vero in gratia Dei est, statim verbum Dei intellegit. Sicut Moyses et patriarchae verbum Dei cognoverunt sine ope alicuius concilii vel doctorum humanorum, sic etiam nunc verbum Dei fidelibus propria per-

par l'autorité de la conscience individuelle? Qui déterminera le degré de fidélité de l'écrivain sacré? Qui appréciera la pureté de sa doctrine? Qui dira si Christ est prêché comme il convient? Ce principe, plus pratique en apparence, aussi subjectif en réalité que celui des autres héros de la Réforme, aboutit au même résultat: l'autorité de la conscience individuelle ou de la théologie du lecteur biblique. Luther en a fourni le premier et remarquable exemple. Par ses hardiesses critiques et son indépendance vis-à-vis de l'Écriture ‚extérieure' il posa les germes des futures objections qui ébranleront un jour et ruineront la doctrine de la théopneustie, qu'il accepte avec tous ses contemporains, mais qu'il reconnaît seulement dans les passages en harmonie avec sa théologie, ou son sens religieux“ (Histoire de la doctrine de l'inspiration des Saintes Écritures dans les pays de langue française, Paris 1883, 39); cf. *J. A. Dorner*, Geschichte der protest. Theologie, München 1867, 236 sqq.

[1] Luthers Werke (Ed. Erlang.) XXX 98 sqq 199 sq 224 sqq; LIX 248 sq; LXII 15; LXIII 380.

[2] Huldreich Zwinglis Werke (Ed. *Schuler* et *Schulthess*, Zürich 1828) I 52 sqq.

[3] Ib. I 55.

spicuitate lucet; cui non est perspicuum, hic non habet rectam fidem [1]. Qui episcopis et aliis hominibus credit et non soli Deo intus loquenti, rectam fidem non habet. Evangelium intellegitur non illud tantum, quod Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes scripserunt, sed omne verbum Dei ad homines. Hoc verbum Dei non invenies apud concilia et pontifices, sed in cubiculo tuo, ubi solus fueris cum Deo. Ora Deum, hauri ex Scriptura, noli quaerere ex Scriptura confirmationem sententiae tuae. Adi solum evangelium, abice nugas theologorum scholasticorum [2].

„Ego certo scio me a Deo doceri; nam sensi eum. Ne autem quis mihi obiciat hoc verbum, intellege, quomodo sciam me a Deo doceri. Quando adulescens eram, non minus progressus sum in doctrina humana quam quidam aequales mei. Sed ubi ante hos septem vel octo annos coepi me totum dare Scripturae, philosophia et theologia cavillatorum semper mihi faciebat obiectiones. Quare eo perveni, ut cogitarem (Scriptura et verbo Dei nixus): Haec omnia debes relinquere et sententiam Dei ex ipsius simplici verbo pure discere. Tunc coepi Deum rogare lucem suam, et Scriptura coepit mihi fieri multo lucidior, etsi eam solam legebam, quam si multos commentarios et commentatores legissem. En, hoc certum est Deum id tribuisse; nam secundum parvi ingenii mei intellectum numquam eo pervenissem. . . . Nunc certus sum sententiam Dei eam esse, quam intellexi. Nunc affer omnia mendacia et fictiones iuristarum, omnem simulationem cucullatorum, omnem iram praelatorum inflatorum, omne venenum Romanum, omnem ignem Aetnae vel gehennae: non me convertes ad aliam opinionem." [3] „Tandem, ut cessemus omnibus ad singulas obiectiones respondere, haec est nostra sententia: Verbum Dei (id est, quod venit a solo Dei Spiritu) summopere honorandum, neque ulli verbo tanta fides adhibenda est, quanta ipsi. Ipsum enim certum est, infallibile, lucidum, non sinit in tenebris errare, docet se ipsum, explicat se ipsum, illuminat mentem humanam omni salute et gratia, consolatur eam in Deo, humiliat eam, ut se sibi perdat, se abiciat, Deum in se capiat, in quo vivit, ad quem aspirat, desperat omne solatium omnium creaturarum, et Deus solus eius solatium et fiducia est, sine eo non quiescit, in ipso solo quiescit." [4]

214. *Extremus hic Zwinglii subiectivimus* argumentis quidem directis refutari non poterat. Quid enim valeat argumentatio contra hominem, qui a priori declarat se a sua subiectiva sententia nulla prorsus re moveri posse? At indirecte refutabatur, quatenus alii eadem via ad opiniones plane oppositas pervenerant. Nota est Lutheri et Zwinglii disputatio de ultima coena. Lutheri iudicia de Zwinglio audivimus.

Zwinglius vero de Luthero ait: „Perspicue sine ira et studio ostendam, in hac sacramenti doctrina Deum omnipotentem secreta consilii sui Martino Luthero non ostendisse. Neve quis censeat me esse cavillatorem vel calumniatorem, dico non ita esse; nam falsitas repellenda et detegenda est, quicumque est, de quo agitur. Martinus Lutherus meo simplici iudicio est vir singularis, at Deus maior est, cuius verbum neque ego neque alius debemus corrumpi sinere neque propter Martinum neque propter alium. Itaque breviter, carissime lector, habe firmiorem fidem, quam ut permittas te ad dubi-

[1] Ib. I 66 sqq. [2] Ib. I 74 sqq. [3] Ib. I 79 sqq. [4] Ib. I 81.

tandum vel discordandum duci. . . . Noli attendere, quid homines dicant, si agitur de verbo Dei et Scriptura, quia quidam valde praedicant fidem, sed docent, quae sunt contra Scripturam secundum fidem recte intellectam." [1] „Verum quidem est, quod docetur, verbo Dei sine ullo dolo credendum esse. At simul verbum Dei recte intellegendum est, priusquam ei fidem adhibemus. Secus nos ipsos seducimus, nisi intellegimus, et si malam nostram intellegentiam firmare volumus clamantes: Verbo Dei credendum est." [2] Neque fides, quae ex nobis est, valet ad salvandos nos, sed potius nos, qui credimus, Deus elegit; haec est salus nostra. Unde fides nihil est nisi in Deo fiduciam habere, id est, in Iesu Christo, qui est Deus noster. Si quis dicit ad salutem oportere credere nos in coena vere carnem et sanguinem Christi sumere, fidem nostram a Deo ad carnem et sanguinem avocat. Ergo talis doctrina falsa est. „Ceterum distinguendum est inter verba Dei. Illa verba, quae aliquid promittunt, referuntur ad fiduciam; illa, quae aliquid praecipiunt vel vetant, referuntur ad fidem. . . . Vides, quomodo Lutherus se ipsum seducat (confundendo fidem et fiduciam)." [3] His et aliis, quae ibidem addit, manifestum est, Zwinglio ultimam fidei regulam esse suam subiectivam rationem, et hoc est, quod ait: „Fides non ex verbis [Scripturae] discitur, sed Deus nos eam fidem docet, et postquam fidem habemus, eam etiam in verbis videmus." [4]

Sic illi qui dicuntur reformatores, conciliis quidem infallibilitatem abiudicarunt, sed singuli se ipsos infallibiles prophetas et iudices verbi Dei scripti constituerunt.

Commendat multum Zwinglius, ut alii quoque „reformatores", studium textuum originalium. Concedit tamen neque textum massorethicum neque textum LXX esse immunem ab erroribus.

„Si ergo nunc quis mihi dicat intolerabilem esse operam, quam parem; primum enim perhibes in eam linguam esse penetrandum, quae sit rabbinorum punctis tum vocalibus tum sententialibus vitiata non mediocriter. Deinde penetrandum esse instrumentis [LXX], quibus non tuto undique credas. Quis ergo iudicium meum ita illustrabit, ut et apud illos videam, ubi depravaverint, et apud hos, quid ipsi non viderint?" Respondetur: „Pete et accipies. Pulsa et aperietur tibi. . . . Fide igitur opus est." [5] In eodem opere tradit doctrinam de allegoria [6], qua immoderate utitur, et monet nullis verbis vel signis externis vim inesse ad effectum spiritualem producendum, cum omnis talis effectus intus in animo divina virtute producatur [7]. Alibi addit etiam in mentibus philosophorum gentilium fuisse eiusmodi divinas operationes, ideoque eorum scripta recte allegari, cum constet „litteras tum sacras rite appellari, cum nuntient, quid sancta, pura, aeterna et infallibilis mens sentiat." [8] Contra vero aliquos errores etiam in prophetis et scriptoribus sacris admittit [9].

---

[1] Über Luthers Predigt wider die Schwärmer; ib. II, Pars 2, p. 2; cf. ib. p. 149 sq., ubi Lutherum vocat blasphemum.

[2] Ib. 6 sq. [3] Ib. 7 sq.

[4] Ib. 9; cf. De providentia; ib. IV 121 sqq.

[5] Apologia in complanationem Isaiae, Praef.; ib. V 557.

[6] Ib. 594 sqq. [7] Ib. 611. [8] De providentia IV 93.

[9] Auslegung und Gründe der Schlussreden I 389. Annot. in Gen. V 26 sq.

215. Calvinus de Sacra Scriptura agit in libro 1 „Institutionum christianae religionis", inde a capite 6.

Postquam ostendit Deum cognosci ex mundo visibili, c. 6 ait: „Aliud tamen et melius adminiculum accedere necesse est, quod nos probe ad ipsum mundi conditorem dirigat. Itaque non frustra *verbi sui lumen* addidit, quo innotesceret ad salutem. . . . Scriptura confusam alioqui Dei notitiam in mentibus nostris colligens, discussa caligine liquido nobis verum Deum ostendit. . . . Sic autem habendum est, ut nobis affulgeat vera religio, exordium a caelesti doctrina fieri debere, nec quemquam posse vel minimum gustum rectae sanaeque doctrinae percipere, nisi qui Scripturae fuerit discipulus."

Cap. 7 agit imprimis *„de Scripturae auctoritate"*. Negat divinam librorum sacrorum originem cognosci ecclesiae traditione. Quomodo ergo cognoscitur? Prophetae et apostoli dicunt se Dei nomine loqui. „Nunc videndum, quomodo non opinione tantum probabili, sed liquida veritate pateat non temere nec fallaciter obtendi Dei nomen. Iam si conscientiis optime consultum volumus, ne instabili dubitatione perpetuo circumferantur aut vacillent, ne etiam haesitent ad minimos quosque scrupulos, altius quam ab humanis vel rationibus vel iudiciis vel coniecturis petenda est haec persuasio, nempe ab *arcano testimonio Spiritus*. . . . Si puros oculos et integros sensus illuc afferimus, statim occurret Dei maiestas, quae subacta reclamandi audacia nos sibi parere cogit. . . . Idem ergo Spiritus, qui per os prophetarum locutus est, in corda nostra penetret necesse est, ut persuadeat fideliter protulisse, quod divinitus erat mandatum. . . . Maneat ergo hoc fixum Scripturam esse αὐτόπιστον, neque demonstrationi et rationibus eam subici fas esse; quam tamen meretur certitudinem Spiritus testimonio consequi. . . . Illius ergo virtute illuminati . . . certo certius constituimus, non secus ac si ipsius Dei numen illic intueremur, hominum ministerio ab ipsissimo Dei ore ad nos fluxisse."

Cap. 8 exponit, quomodo testimonio Spiritus supposito nihilominus externae rationes „aptissima sint adminicula". Hae rationes sunt Scripturarum ordinata dispositio, dignitas, veritas, simplicitas, efficacia, maiestas. Modo quidem simplici, modo splendido loquendi genere utitur Scriptura. „Ac talibus exemplis voluit ostendere Spiritus Sanctus non sibi defuisse eloquentiam, dum rudi et crasso stilo alibi usus est." Neque parum ponderis habet Scripturae antiquitas, quia „nullum cuiusquam religionis monumentum exstat, quod non sit Moysis saeculo longe inferius". Et cum Moyses etiam dedecora populi sui narret, „dicemusne ex carnis suae sensu loqui an parere Spiritus Sancti imperio?" Accedunt miracula et prophetiae, quae in Scriptura narrantur. „Nuda haec [Isaiae] narratio sine ullo verborum ornatu nonne indubia esse Dei oracula, non hominis coniecturas, quae Isaias loquitur, plane demonstrat?" Idem valet de aliis prophetis. „Haec si probe meditata habeant pii homines, ad compescendos impiorum hominum latratus abunde instructi erunt; clarior enim est ista demonstratio, quam ut ullis cavillis sit obnoxia." Quodsi quaerunt, „quis nos certiores fecerit a Moyse et prophetis haec fuisse scripta, quae sub eorum nominibus leguntur?" ipsi libri sacri testantur, quomodo illa scripta per singula saecula tradita sint et vel sub ipso impio rege Antiocho non perierint. „Quid ergo aliud quam proterviam suam plus quam caninam produnt isti blaterones, dum supposititicios libros esse mentiuntur, quorum sacra vetustas historiarum omnium consensu approbatur?" Sine speciali Dei providentia illi libri numquam ad nos pervenissent. Qui vero

lecto Novo Testamento non statim agnoscit eius libros esse genuinos, omnis pudoris expers est. Accedit tandem ecclesiae consensus, piorum et eruditorum hominum confessio et martyrum constantia. Ceterum „inepte faciunt, qui probare volunt *infidelibus* Scripturam esse verbum Dei, quod nisi *fide* cognosci nequit".

216. Sed quia quidam, audita illa doctrina de interno Spiritus Sancti testimonio, concluserant hoc testimonium per se sufficere sine ulla externa Scriptura, Calvinus c. 9 hanc conclusionem refutat.

„Emerserunt enim nuper vertiginosi quidam, qui Spiritus magisterium fastuosissime obtendentes lectionem ipsi omnem respuunt et eorum irrident simplicitatem, qui emortuam et occidentem, ut ipsi vocant, litteram adhuc consectantur." Sed quis est spiritus, qui eos ducit? Apostoli enim, vere Spiritum Dei habentes, Scripturam non contempserunt. „Non ergo promissi nobis Spiritus officium est novas et inauditas revelationes confingere . . . sed illam ipsam, quae per evangelium commendatur, doctrinam mentibus nostris obsignare. Unde facile intellegimus Scripturae et lectioni et auscultationi esse studiose incumbendum, si quem a Spiritu Dei usum ac fructum percipere libet." Spiritus vero adversariorum illorum est satan, in angelum lucis se transfigurans. „Ne sub titulo suo satanae spiritus obrepat, [Spiritus Sanctus] in sua imagine, quam Scripturis impressit, vult a nobis recognosci. Scripturarum auctor est, varius dissimilisque esse non potest.... Mutuo enim quodam nexu Dominus verbi Spiritusque sui certitudinem inter se copulavit, ut solida verbi religio animis nostris insidat, ubi affulget Spiritus, qui nos illic Dei faciem contemplari faciat, ut vicissim nullo hallucinationis timore Spiritum amplexemur, ubi illum in sua imagine, hoc est in verbo, recognoscimus . . . [Filii Dei] non ignorant verbum esse organum, quo Spiritus sui illuminationem fidelibus Dominus dispensat."

Quod *Scripturae interpretationem attinet,* l. 4, c. 9, n. 13 14 haec statuit:

„Nos certe libenter concedimus, si quo de dogmate incidat disceptatio, nullum esse nec melius nec certius remedium, quam si verorum episcoporum synodus conveniat, ubi controversum dogma excutiatur. Multo enim plus ponderis habebit eiusmodi definitio, in quam communiter ecclesiarum pastores, invocato Christi Spiritu, consenserint, quam si quisque seorsum domi conceptam populo traderet, vel pauci homines eam privatim conficerent." Hanc agendi rationem S. Paulus et ipse pietatis sensus suadent. Saepe ecclesia ita egit. Sed interdum ipsa quoque concilia errarunt. „Hoc autem perpetuum esse nego, ut vera sit et certa Scripturae interpretatio, quae concilii suffragiis fuerit recepta." Verum „Romanenses" putant concilia posse definire etiam ea, quae in Scriptura non leguntur, et hanc vocant Scripturae interpretationem. „Tantam impudentiam quid insecter? Demonstrasse enim vicisse est". Neque ecclesia potest de canone constituere, quia hoc esset „subicere Dei oracula hominum censurae." Ceterum „cuius concilii citabunt de ea re decretum?" Et si Hieronymum sequuntur, cur Machabaeorum, Tobiae similesque libros non reiciunt inter apocryphos?

ART. II.

DE LIBRIS SYMBOLICIS PROTESTANTIUM.

217. Cum Catholici et Protestantes unanimiter admitterent Sacram Scripturam esse a Deo inspiratam et infallibilem veritatis testem, non difficile est intellegere, cur Protestantes in primis suae fidei professionibus, quas vocant libros symbolicos, de hac doctrina fere tacuerint. Id unum solent contra Catholicos efferre praeter Scripturam non esse aliam fidei regulam.

Ita *Formula Concordiae* ab his verbis incipit:

„Credimus, confitemur et docemus unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris tum Novi Testamenti. . . . Reliqua vero sive Patrum sive neotericorum scripta, quocumque veniant nomine, sacris litteris nequaquam sunt aequiparanda, sed universa illis ita subicienda sunt, ut alia ratione non recipiantur nisi testium loco, quod etiam post apostolorum tempora et in quibus partibus orbis doctrina illa prophetarum et apostolorum sincerior conservata sit.“ [1]

Inspiratio ipsa tangitur in *Apologia confessionis* (IV 107), ubi dicitur:

„Profecto mirum est adversarios tot locis Scripturae nihil moveri, quae aperte tribuunt iustificationem fidei et quidem detrahunt operibus. Num frustra existimant toties idem repeti? Num arbitrantur excidisse Spiritui Sancto non animadvertenti has voces?“ [2]

Haec igitur in Lutheranorum professionibus.

218. Plura de Scriptura dicuntur in libris symbolicis Calvinistarum seu „reformatorum“ (ut vocantur, sensu passivo). Quae quidem formulae paulatim usque ad notionem maxime exaggeratam inspirationis procedunt.

Confessio Helvetica prior (a. 1536) ab his verbis incipit:

„Scriptura canonica, verbum Dei, Spiritu Sancto tradita et per prophetas apostolosque mundo proposita, omnium perfectissima et antiquissima philosophia, pietatem omnem, omnem vitae rationem sola perfecte continet. Huius interpretatio ex ipsa sola petenda est, ut ipsa interpres sit sui, caritatis fideique regula moderante. A quo interpretationis genere, quatenus sancti Patres non recessere, eos non solum ut interpretes Scripturae recipimus, sed ut organa Dei electa veneramur. Per cetera de traditionibus hominum, quantumvis speciosis et receptis, quaecumque nos abducunt, sic illud Domini respondemus: Frustra me colunt, docentes doctrinas hominum. Status huius Scripturae totius is est bene Deum hominum generi velle et eam benevo-

[1] Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche; Ausgabe von *J. T. Müller*[7], Gütersloh 1890, 517.

[2] Ib. 107. Alia vide 540, n. 13; 594, n. 26; 321, n. 3; 322, n. 9 sqq.

lentiam per Christum Filium suum declarasse. Quae fide sola ad nos perveniat recipiaturque, caritate vero erga proximos exprimatur." [1]

Eadem repetuntur et latius exponuntur in *Confessione Helvetica posteriore* (a. 1566), ubi inter alia haec dicuntur:

„Credimus et confitemur Scripturas canonicas . . . ipsum verum esse verbum Dei et auctoritatem sufficientem ex semetipsis, non ex hominibus habere. Nam Deus ipse locutus est patribus, prophetis et apostolis, et loquitur adhuc nobis per Scripturas sanctas. Et in hac Scriptura sancta habet universalis Christi ecclesia plenissime exposita, quaecumque pertinent cum ad salvificam fidem tum ad vitam Deo placentem recte informandam. Quo nomine distincte a Deo praeceptum est, ne ei aliquid vel addatur vel detrahatur. Sentimus ergo ex his Scripturis petendam esse veram sapientiam et pietatem, ecclesiarum quoque reformationem, et gubernationem omniumque officiorum pietatis institutionem, probationem denique dogmatum, reprobationemque aut errorum confutationem omnium, sed et admonitiones omnes iuxta illud apostoli: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam.... Proinde cum hodie hoc Dei verbum per praedicatores legitime vocatos annuntiatur in ecclesia, credimus ipsum Dei verbum annuntiari et a fidelibus recipi.... Neque arbitramur praedicationem illam externam tamquam inutilem ideo videri, quoniam pendeat institutio verae religionis ab interna Spiritus illuminatione. . . . Quamquam enim nemo veniat ad Christum, nisi trahatur a Patre caelesti ac intus illuminetur per Spiritum Sanctum, scimus tamen Deum omnino velle praedicari verbum Dei etiam foris.... Exsecramur itaque omnes haereses Artemonis, Manichaeorum, Valentinianorum, Cerdonis et Marcionitarum, qui negarunt Scripturas e Spiritu Sancto profectas, vel quasdam illarum non receperunt vel interpolarunt et corruperunt.... Sed illam dumtaxat Scripturarum interpretationem pro orthodoxa et genuina agnoscimus, quae ex ipsis est petita Scripturis, ex ingenio utique eius linguae, in qua sunt scriptae, secundum circumstantias quoque expensae. . . ." [2]

219. Sed haec ipsa, quam toties faciebant novatores, provocatio ad textum hebraicum occasionem praebuit dubitationis et disputationis de dignitate textus hebraici, quem nunc habemus. *Ludovicus Cappellus* in opere: „Arcanum punctationis revelatum, sive de punctorum vocalium et accentuum apud Hebraeos vera et genuina antiquitate" (Lugduni Batav. 1624) ostendit puncta nequaquam esse divinae originis. Contra quem scripsit *Buxtorfius* filius opus, cui titulus: „Tractatus de punctorum vocalium in libris Veteris Testamenti hebraicis origine, antiquitate et auctoritate, oppositus arcano punctationis revelato Ludovici Cappelli" (Basiliae 1648).

Calvinistae severiores, suspicantes Cappelli doctrina auctoritatem Scripturae concuti, novam formulam fidei confecerunt, cuius auctor fuit *Henricus Heidegger,* professor Tigurinus. Haec est *Formula Consensus Helvetica* (a. 1675), in qua de sacri textus integritate haec statuuntur:

[1] *Niemeyer,* Collectio Confessionum in ecclesiis reformatis publicatarum, Lipsiae 1840, 115 sq; *Winer,* Comparative Darstellung [4], Leipzig 1882, 25 sqq.

[2] *Niemeyer* l. c. 467 sqq.

„Deus Trinus Optimus Maximus verbum suum, quod est potentia ad salutem omni credenti, non tantum per Moysen, prophetas et apostolos scripto mandari curavit, sed etiam pro eo scripto paterne vigilavit hactenus et excubavit, ne satanae astu vel fraude ulla humana vitiari posset. Proinde merito singulari eius gratiae et bonitati ecclesia acceptum refert, quod habet habebitque ad finem mundi sermonem propheticum firmissimum necnon ἱερὰ γράμματα, sacras litteras, ex quibus, pereunte caelo et terra, ne apex quidem vel iota unicum peribit. In specie autem hebraicus Veteris Testamenti codex, quem ex traditione ecclesiae iudaicae, cui olim oracula Dei commissa sunt, accepimus hodieque retinemus, *tum quoad consonas tum quoad vocalia, sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem, et tum quoad res tum quoad verba* θεόπνευστος, ut fidei et vitae nostrae, una cum codice Novi Testamenti sit canon unicus et illibatus, ad cuius normam seu lydium lapidem universae, quae exstant, versiones, sive orientales sive occidentales, exigendae et, sicubi deflectunt, revocandae sunt. Eorum proinde sententiam probare neutiquam possumus, qui lectionem, quam hebraicus codex exhibet, humano tantum arbitrio constitutam esse definiunt, quique lectionem hebraicam, quam minus commodam iudicant, configere eamque ex LXX seniorum aliorumque versionibus graecis, codice samaritano, Targumim chaldaicis vel aliunde etiam, immo quandoque ex sola ratione emendare religioni neutiquam ducunt, neque adeo aliam lectionem authenticam, quam quae ex collatis inter se editionibus ipsiusque etiam hebraici codicis, quem variis modis corruptum esse dictitant, adhibita circa lectiones variantes humani iudicii κρίσει erui possit, agnoscunt.... Atque ita fidei nostrae principium eiusque auctoritatem sacrocanctam anceps in discrimen adducunt.“ [1]

Haec extrema inspirationis expositio, quae ipsas non solum voces, sed et litteras et puncta a Deo inspirata esse docet, omnibus verbi ministris imponebatur sub poena mulctae, carceris aut exsilii. At anno 1725 haec formula abrogata est [2].

Ceterae „confessiones“ Calvinistarum nihil docent nisi Scripturam esse a Deo inspiratam, esse unicam regulam fidei, certo probari interno testimonio Spiritus Sancti, non indigere ulla externa expositione, sed se ipsam sufficienter exponere; sic confessio gallicana, confessiones scoticanae, confessio belgica, confessiones anglicanae, confessiones marchicae, confessio bohemica [3]. Itaque si abstrahimus ab illa formula consensus helvetica, nihil peculiare de inspiratione in „libris symbolicis“ Protestantium continetur.

ART. III.

DE VETERIBUS THEOLOGIS LUTHERANIS.

220. Primus, qui Lutheri doctrinam recens inventam in systema redigere studuit, est **Melanchthon**, qui „Locos theologicos“, ter nota-

[1] Ib. 730 sq.

[2] Cf. *E. Rabaud*, Histoire de la doctrine de l'inspiration des Saintes Écritures dans les pays de langue française, Paris 1883, 128 sqq 132.

[3] *Niemeyer* l. c. 329 sq 350 sq 361 sq 592 sq 602 sq.

biliter mutatos, ut compendium quoddam theologiae lutheranae edidit. In prima editione (a. 1521) irridet „scholasticos theologistas", qui tot saecula frustra versati sint in tractandis locis de Deo uno et trino et de incarnatione; ideo his omissis se velle agere de peccato, de lege, de gratia, cum sine horum cognitione nemo possit esse Christianus. In secunda editionum serie (ab a. 1535) illos locos olim omissos omnino tractandos esse censuit, in aliis vero quaestionibus doctrinam priorem mitigavit. In tertia editionum serie (ab a. 1543) plures etiam mitigationes addidit [1].

De inspiratione sacrorum librorum in prima editione haec scripsit:

„Non hoc ago, ut ad obscuras aliquas et impeditas disputationes a Scripturis avocem studiosos, sed ut, si quos queam, ad Scripturas invitem. Nam in universum non admodum aequus sum commentariis, ne veterum quidem; tantum abest, ut ullo me longiore scripto velim quemquam a canonicae Scripturae studio retrahere. Immo nihil perinde optarim atque, si fieri potest, Christianos omnes in solis divinis litteris liberrime versari et in illarum indolem plane transformari. Nam cum in illis absolutissimam sui imaginem expresserit divinitas, non poterit aliunde neque certius neque propius cognosci. Fallitur, quisquis aliunde christianismi formam petit quam e Scriptura canonica. Quantum enim ab huius puritate absunt commentarii. . . . Quodsi omnino prophetia et afflatus quidam est cognitio sacrarum rerum, cur non hoc litterarum genus amplectimur, per quod illabitur Spiritus? An non omnia sui sermonis opera Deus efficit? Multa enim docebit Scripturarum usu Spiritus seu, ut Ioannes ait, unctio, quae quantavis humani ingenii industria non possit assequi." [2]

Interea autem contra lutheranismum alii insurrexerant haeretici, qui et ipsi „unctionem habebant" neque minus ex lectione Scripturae „prophetae" erant quam Lutherus eiusque asseclae. Quare in secunda forma „Locorum" Melanchthon non solum plura tractanda censuit, quae antea neglexerat, sed etiam ad veteres scriptores provocat, quos antea despexerat.

In tertia forma ait in praefatione:

„Doctrina ecclesiae non ex demonstrationibus sumitur, sed ex dictis, quae Deus certis et illustribus testimoniis tradidit generi humano. . . . Ipsi libri prophetici et apostolici optimo ordine scripti sunt et articulos fidei aptissimo ordine tradunt. . . . Etsi autem hunc ordinem animadvertenti non multum opus est commentariis aut nostris libellis aut similibus, tamen, quia vult Deus in ecclesia vocem docentium sonare, ut dicitur de ministerio evangelii Eph 4, non frustra labor docendi suscipitur. Non gignimus novas res seu materias, ut . . . haeretici res novas comminiscuntur non traditas ab apostolis. . . . Et quia multae corruptelae subinde excogitatae sunt et excogitabuntur, pii pastores et doctores sunt testes verae sententiae, certa auctoritate acceptae, et refutatores falsarum interpretationum. Propter has causas Deus

[1] *Melanchthonis* opera omnia; Ed. *Bretschneider* et *Bindseil* XXI, Brunsvigae 1854, 81 sqq 253 sqq 603 sqq.

[2] Ib. 82 sq.

ministerium evangelii et studia in templis et in scholis sua ope servat et subinde restituit, ut simus custodes librorum propheticorum et apostolicorum et refutemus omnes opiniones pugnantes cum doctrina tradita per prophetas, Christum et apostolos, nec exstinguatur lux evangelii, ac ut Eph 4 dicitur, ne ecclesiae tamquam ventis agitatae et dissipatae, amissa veritate, implicentur variis erroribus, ut saepe accidit." [1]

221. Ergo ut Scriptura recte exponatur, audiendi sunt doctores; ut diiudicetur, rectene sentiant doctores, recurrendum est ad Scripturam. Melanchthon, videns hanc difficultatem, a. 1539 edidit tractatum „De ecclesia et de auctoritate verbi Dei" [2]:

„Quaedam petulantiora ingenia, cum fingunt ex dictis Scripturae male detortis novas opiniones, prorsus aspernantur *consensum verae ecclesiae* et omnes synodos sine discrimine, ut cum Servetus rixatur cum ecclesia omnium temporum et depravat dicta de Verbo, Ioannis 1, et quaerit concinniorem, ut ipse putat, interpretationem. Ut igitur talis petulantia coerceatur, aliquo modo septis, ut ita dicam, opus est ecclesiae, sicut veteres synodi et scriptores allegant prima testimonia, ab apostolis et certis auctoribus accepta.... Quare ordine dicam, quid sit ecclesia, et quae audienda sit, ac probatis testimoniis utendum, et tamen doctrina iudicanda ex verbo Dei, ut maneat summa auctoritas verbi Dei iuxta illud: Si quis aliud evangelium docuerit, anathema sit. Primo autem cum nomino ecclesiam, non intellego pontifices, episcopos et ceteros, qui probant ipsorum opiniones. Nam hi sunt hostes verae ecclesiae, partim epicuraei, partim idololatrae manifesti. Sed voco ecclesiam coetum vere credentium, qui habent evangelia et sacramenta et sanctificantur Spiritu Sancto."

Ergo iterum, ut recte interpretemur Scripturam, debemus sequi eos, qui recte credunt; ut sciamus, qui recte credant, regulam habemus Scripturam recte expositam. Vertit se Melanchthon ex hac parte in illam, ut perrumpat hunc circulum. Tandem texit catalogum synodorum et scriptorum, et statuit, quid singuli recte docuerint, quid minus bene, ut tandem aliquando hoc habeamus: Ut recte intellegamus Scripturam, debemus sequi recte docentes; qui vero recte docuerint, Melanchthon docet; ergo recte interpretamur Scripturam, si sequimur Melanchthonis iudicium [3].

---

[1] Ib. 604 sqq. [2] Ib. XXIII 595 sqq.

[3] *Winer* (Comparative Darstellung 54) ait: „Die wichtige Frage über die rechtmässige und sichere Auslegung der Heiligen Schrift ist weder in den symbolischen Büchern der protestantischen Kirche noch in den Privatschriften der Reformatoren und ihrer Schüler thetisch zur vollkommenen Klarheit gebracht worden, auch die späteren Dogmatiker haben im errungenen Besitz des Auslegungsrechts nicht mit sonst gewohnter Schärfe den Gegenstand erörtert.... War die Frage, wer bei entstehender, die Kirche beunruhigender Differenz der dogmatischen Auslegung entscheiden solle, so wies man auf die Übereinstimmung aller frommen Bibelausleger, die immer stattfinden werde (Melanchthon Loci I 289 sqq; Ed. Erlang.), oder auf die unter Anrufung des Heiligen Geistes den Sinn der Bibel bestimmenden Synoden hin (*Calvin*, Inst. IV, 9, 13; Declar. Thorun. 671, De reg. fid. et cult. 7), ohne zu befürchten, dass man hierdurch wieder eine menschliche Autorität aufstelle."

222. Praecipuus theologus scholae melanchthonianae erat **Martinus Chemnicius**, cuius notissimum opus est: „Examen Concilii Tridentini“ [1]. Statim ab initio operis studet ostendere Sacram Scripturam esse unicam fidei regulam. Ab Adamo quidem usque ad Moysen doctrinam revelatam sola traditione fuisse servatam, sed cum per traditiones humanas verbum Dei adulterari coeptum sit, Deum loco traditionis oralis substituisse verbum scriptum.

„Dignum est observatione, quam aliam rationem tempore Moysis ipse [Deus] instituerit et ostenderit, ut scilicet scriptis, divina auctoritate et testimonio approbatis et confirmatis, puritas doctrinae caelestis propagaretur et conservaretur. . . . Ostendit autem historia, quod iudico praecipue esse observandum, Deum non tantum instituisse, sed ipsum suo facto et exemplo, cum primus verba decalogi scripsit, initiasse, dedicasse et consecrasse viam illam et rationem, ut per Scripturas divinitus inspiratas conservetur et retineatur doctrinae caelestis puritas. Ita primo origo Scripturae Deum ipsum habebit auctorem. . . . Noluit Deus ipse totam legem conscribere, sed scriptis verbis decalogi Moysi mandatum dedit, ut reliqua ex ore eius conscriberet. Et ut populus Dei certus esset Scripturam illam Moysis non humana voluntate allatam sed divinitus inspiratam esse, Deus valde multis stupendis miraculis testimonio Moysis auctoritatem conciliavit et ante scriptionem et post et in ipsa scriptione.“ [2] Postea Deus simili modo egit cum prophetis, et sic facta est Scriptura Veteris Testamenti, quae Iudaeis erat unica regula fidei. A Iudaeis autem apostoli hanc rationem conservandi et propagandi doctrinam sacram didicerunt. „Et invenio Act 15 apostolos et seniores in primo et celeberrimo concilio apostolico, re diligenter deliberata, et communibus suffragiis scripsisse epistulam ad ecclesias ex gentibus collectas. . . . Haec igitur erit prima origo, hoc primum principium Scripturae divinitus inspiratae in Novo Testamento.“ [3] Percurrit dein Chemnicius testimonia veterum de singulis scriptis Novi Testamenti et inter alia de Ioannis evangelio ait: „Grata igitur mente et reverenter debemus illud Spiritus beneficium amplecti et osculari, quod ad nostram se demiserit infirmitatem et noluerit illam nimium onerare, sed de doctrina et miraculis Christi ea selegit et dictavit conscribenda, quae ad veram fidem et vitam aeternam sufficere et necessaria esse iudicavit.“ [4] Similia saepius repetit. Quia vero S. Paulus 2 Tim 3, 16 sq scribit: „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum . . . ut perfectus sit homo Dei“, sic concludit Chemnicius: „Illo tempore, quo Paulus hoc scribebat, exstabant iam omnia ferme canonica scripta Novi Testamenti, exceptis Ioannis scriptis. Paulus igitur et ea comprehendit, quae illo tempore iam exstabant, et generaliter dicit: Omnis Scriptura divinitus inspirata etc. Haec itaque vera est canonizatio scriptorum Novi Testamenti. Et quia de auctoritate, certitudine, veritate, perfectione et sufficientia Scripturae Veteris Testamenti nulla tunc inter fideles dubitatio erat, Paulus principaliter in posteriore illa sententia de scriptis Novi Testamenti loqui videtur, de quibus iudicium suum iam moriturus ad omnem posteritatem ecclesiae relinquere voluit.“ [5]

---

[1] Utor editione, quae prodiit Francofurti ad Moenum 1578.
[2] Ib. Pars 1, p. 9 sq. [3] Ib. 19. [4] Ib. 23. [5] Ib. 38.

Nihil attinet hic dicere de futilitate huius argumenti, quam plurimi Protestantes nunc agnoscunt, cum hic solum quaeratur, quae fuerit Chemnicii mens de inspiratione. Quare unum tantum restat, ut explicetur eius sententia de modo cognoscendi libros canonicos eosque distinguendi a non canonicis; neque enim quidquam iuvat scire esse quosdam libros divinitus inspiratos, nisi simul sciamus, qui sint isti libri. Non recurrit ad „testimonium Spiritus Sancti" internum, sed ad externa testimonia.

223. „Habet Scriptura canonica eminentem illam suam auctoritatem principaliter inde, quod divinitus est inspirata. . . . Ut autem tota haec res contra omnes imposturas esset certissima, Deus certos quosdam homines ad scribendum elegit et illos multis miraculis et divinis testimoniis ornavit, ut nullum esset dubium divinitus inspirata esse ea, quae scribebant. Postremo scripta illa divinitus inspirata tunc, cum scriberentur, publica testificatione proposita, tradita et commendata sunt ecclesiae, ut ea, adhibita summa cura et providentia, incorrupta conservaret et quasi per manus traderet et commendaret posteritati. Et sicut vetus ecclesia tempore Moysis, Iosue et prophetarum, ita etiam primitiva ecclesia tempore apostolorum certo potuit testificari, quae scripta essent divinitus inspirata; noverat enim auctores, quos Deus peculiaribus testimoniis ecclesiae commendarat, noverat etiam, quae essent illa, quae ab ipsis scripta erant, et ex iis, quae traditione vivae vocis ab apostolis acceperat, poterat iudicare illa, quae scripta erant, esse illam ipsam doctrinam, quam apostoli viva voce tradebant. . . . Haec vero testificatio primitivae ecclesiae de Scripturis divinitus inspiratis postea perpetua successione per manus tradita est posteritati et in certis antiquitatis historiis diligenter conservata, ita ut sequens ecclesia custos esset testificationis primitivae ecclesiae de Scriptura." [1]

Manifestum est igitur, Chemnicium docuisse inspirationem librorum sacrorum, at theoriam inspirationis ne ipsum quidem excoluisse. Hoc reservatum fuit theologis saeculi XVII et XVIII.

224. Inter theologos lutheranos saeculi XVII maximus censetur **Ioannes Gerhardus**, qui praeter alia scripsit novem tomos de „Locis theologicis" [2]. Primo tomo addidit „Exegesin sive uberiorem explicationem articulorum de Scriptura Sacra, De Deo et persona Christi, in tomo primo Locorum theologicorum concisius pertractatorum". Ex hac „exegesi" excerpam essentialia. Ceterum Gerhardus ex prioribus theologis catholicis ubertim hausit. „Locus primus" est tractatus valde diffusus, quo *Gerhardus factus est pater illius theoriae protestanticae de inspiratione, quae ab aliis habetur expositio unice orthodoxa huius doctrinae, ab aliis vero perversio insignis principiorum, quibus primitivus protestantismus nitebatur.* Omissis aliis colligam ea dicta, quibus inspiratio ipsa explicatur.

[1] Ib. 52. [2] Ed. Francofurti et Hamburgi 1657.

Cap. 1: „*Scriptura* sic vocatur a formali externo, scribendi scilicet actione, qua verbum Dei, viva voce antea propagatum, Dei iussu in litteras est redactum. Huius scriptionis Deus ipse augustum fecit initium, quando legem suam in monte Sinai tabulis lapideis inscripsit. Dicitur autem Scriptura, ut et Biblia, ἐξοχικῶς . . . quia sunt βίβλος θεοῦ, liber a Deo profectus, de Deo tractans et ad Deum ducens. Differentiae causa vocatur Scriptura *Sacra*.... Rationes appellationis petendae 1. a causa efficiente principali, ab auctore summo, qui est Deus, sanctus ille sanctorum, immo ipsa sanctitas.... 2. a causa instrumentali, quae sunt sancti Dei homines . . . prophetae scilicet et apostoli Spiritu Sancto φερόμενοι. . . . 3. a materia, continet enim sacra et divina mysteria, sancta vitae praecepta.... 4. a fine et effectu, quia Spiritus Sanctus per Scripturae lectionem et meditationem hominem sanctificat. . . . 5. ab adiuncto, quia ab omnibus non solum profanis sed etiam ecclesiasticis scriptis est separata et in sublimi canonicae auctoritatis sede constituta, cui serviat omnis fidelis et pius intellectus.“ [1] Inter verbum Dei et Scripturam materialiter sumptam non est reale discrimen, quia prophetae et apostoli nihil aliud scripserunt, nisi quod antea viva voce praedicaverant.

225. Cap. 2: „*Causa principalis* [Scripturae] est verus Deus in essentia unus, in personis trinus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus“, quia Scriptura est verbum Dei, quod Deus revelavit, loquens prophetis vel per se vel per angelum, quandoque apparens per somnium, quandoque in vigilia, quandoque per voces, quandoque per species externas, quandoque solo interno afflatu, quandoque imaginibus. Porro „Deus non solum per verbum suum hominibus sese patefecit, sed etiam illud ipsum verbum suum, viva voce prius prophetatum, postea per Moysen et prophetas in Vetere, ac per evangelistas et apostolos in Novo Testamento in Scripturas redigi voluit“. Accedit internus ad scribendum impulsus. „Sicut Spiritu Sancto φερόμενοι, inspirati et impulsi locuti sunt sancti Dei homines, ita quoque eiusdem impulsu et inspiratu scripserunt. Ratio est, quia non solum in praedicatione doctrinae caelestis, sed etiam in scriptione fuerunt Dei organa; unde in ipsis librorum exordiis sese Dei servos et Christi apostolos vocant. Cumprimis vero peculiariter notetur, quod Scriptura Sacra vocetur θεόπνευστος 2 Tim 3, 16. Atqui augustum illud nomen obtinere minime posset, nisi divina inspiratione esset exarata, et Deus eius summus auctor esset.“ „*Causae instrumentales* Scripturae Sacrae fuerunt sancti Dei homines 2 Petr 1, 21, hoc est homines peculiariter atque immediate a Deo ad id vocati et electi, ut divinas revelationes scripto consignarent, quales fuerunt prophetae in Vetere et evangelistae ac apostoli in Novo Testamento, quos propterea merito Dei amanuenses, Christi manus et Spiritus Sancti tabelliones sive notarios vocamus, cum nec locuti fuerint nec scripserint humana sive propria voluntate, sed φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, acti, ducti, impulsi, inspirati et gubernati a Spiritu Sancto. Scripserunt non ut homines, sed ut Dei homines, hoc est ut Dei servi et peculiaria Spiritus Sancti organa.... Quicumque impulsu et inspiratione divina permoti ad scribendum accesserunt, illi mandato et voluntate Domini scripserunt.... Quid enim aliud est divinus ille impulsus quam mandatum internum et occultum eiusdem omnino auctoritatis ac ponderis cum mandato externo?“ Praeterea „qui iubentur docere omnes gentes, illi etiam

[1] Loci theolog. I 11.

iubentur doctrinam suam scripto complecti; neque enim omnes gentes etiam secuturi temporis viva voce absque scripto docere poterant". Non omnes quidem apostoli scripserunt, quia sufficiebat, ut nonnulli scriberent, ceteri vero auditores suos ad haec scripta remitterent. Qui vero scribere deberent, „ex peculiari Dei instinctu et familiari Spiritus Sancti alloquio cognoscere potuerunt". „Nisi Scriptura illa esset divina et a divino mandato profecta, utique nec testimonium posset esse divinum. Testis in iudicio non requisitus audiri non debet." Iamvero apostoli scriptis testati sunt, ergo mandatum habuerunt. Ioannes in Apoc. diserte dicit se divinum mandatum scribendi accepisse. Propterea etiam Spiritus Sanctus scripta illa testimonia miraculis comprobavit. „Occasiones scribendi apostolis exterius oblatae non tollunt internum scribendi mandatum, sed illud potius stabiliunt, cum mirabili divinae providentiae dispositione occasiones illae apostolis oblatae fuerint et ad eas interior Spiritus Sancti impulsus postea accesserit, quo permoti manum scriptioni adhibuerunt." [1]

226. Cap. 3: *Auctoritas Scripturae* absoluta pendet a solo Deo, qui eam inspiravit. Si quaeritur, quomodo nobis innotescat haec auctoritas, distinguendum est inter fideles et infideles. „Qui sunt in ecclesia, illi sponte agnoscunt divinam Scripturae auctoritatem eamque αὐτόπιστον et ἀξιόπιστον esse statuunt. Quomodo enim ecclesiae filii de veritate fundamenti, cui ecclesia innititur, dubitare poterunt? Quomodo de auctoritate verbi divini in Scripturis contenti possunt quaerere, qui vim et efficaciam verbi in corde suo ipsimet sentiunt et per illud ad vitam aeternam sese regenitos esse agnoscunt?" Infideles, qui non sunt contumaces, „tribus testimoniorum generibus convinci possunt. Primum est internum Spiritus Sancti testimonium. . . . Secundum continet interna κριτήρια, ipsi Scripturae insita, quorum quaedam petuntur ex causis, quaedam ex effectis, quaedam ex subiecto, quaedam ex adiunctis. Talia κριτήρια sunt antiquitas, rerum maiestas, sermonis singularitas, perpetua conformitas, prophetiae de rebus futuris dignitas, complementi veritas, miraculorum, quibus doctrina illa confirmata est, divinitas, diabolici adversus eam furoris immanitas, ipsius Scripturae in persuadendo et permovendo efficacitas etc. Tertium continet omnis generis testimonia externa, inter quae eminet ecclesiae testificatio, ad quam accedit martyrum obsignatio." Ceterum ipsis credentibus Scriptura est primum principium; prima autem principia non probantur, sed per se cognoscuntur et admittuntur [2].

Cap. 6 est longus discursus *de libris canonicis* et apocryphis, ex quo maxime haec notanda sunt. Ut liber sit canonicus Veteris Testamenti, necessario scriptus esse debet lingua prophetica, i. e. hebraica. Unde concludendum libros, qui hodie non exstent lingua hebraica scripti, non esse canonicos. „Si enim canonici essent, divina providentia numquam permisisset textum eorum originalem deperditum fuisse." Ex eadem ratione *admittendum non est textum hebraicum nunc aliis characteribus scribi, quam olim e manu Moysis et prophetarum processerit.* Nam „Scripturae Sacrae auctoritas et maiestas suadet, ut statuamus characteres, quibus Moyses et prophetae divinam revelationem scripserunt, non fuisse deperditos, sed Iudaeos litteris illis semper fuisse usos, quibus Deus ipse decalogum digito suo tabulis lapideis insculpsit, et quibus sancti Dei homines libros canonicos conscripserunt" [3].

[1] Ib. 13 sqq. [2] Ib. 22 sqq. [3] Ib. 32 sqq.

Cap. 9 in Novo Testamento nullos admittit libros apocryphos. Nam „libri illi ὑπό τινων ἀντιλεγόμενοι minus commode vocantur apocryphi . . . quia non tam de auctoritate canonica quam de auctore librorum istorum secundario in primitiva ecclesia fuit dubitatum". Unde libri Novi Testamenti melius dividuntur in canonicos primi ordinis, de quibus numquam dubitatum est, et secundi ordinis, de quibus interdum dubitatum est [1]. In cap. 10, n. 279 sqq defendit canonicitatem epistulae Iacobi.

227. Cap. 12 agitur *de forma Scripturae Sacrae.* „Formam internam esse dicimus ipsam divinam Scripturae auctoritatem ac maiestatem, quae ex immediato Spiritus Sancti afflatu ac rerum, quas exponit, sublimitate originem trahit. . . . Forma externa est tum idioma linguae hebraeae, quo vetus, et graecae, quo novum perscriptum est instrumentum, tum *sermonis ac stili, quo in Scriptura Spiritus Sanctus utitur, proprietas,* immo singularitas, simplicitatem et maiestatem miraculo vero divino coniunctam habens." Hanc formam internam et externam vult Gerhardus esse argumentum, quo probetur divina Scripturae origo [2].

Cap. 13 contendit solum textum hebraicum Veteris Testamenti et solum textum graecum Novi Testamenti esse Scripturam authenticam. Nam „Scriptura Sacra est instrumentum publicum, Dei auctoritate, iussu ac mandato perscriptum. Ergo in ea dumtaxat lingua est authentica, in qua originaliter scripta est" (cap. 9, n. 243 docuerat Matthaeum probabilius graece scripsisse, certo vero textum graecum ab ipsis apostolis fuisse approbatum). „Homines linguarum imperiti, etsi non possint de singulis Scripturae locis accuratum ferre iudicium, quod ad theologos proprie spectat, doctrinam tamen agnoscunt et approbant a Spiritu Sancto per ministerium verbi edocti atque informati." [3]

228. Cap. 14 ostendit Iudaeos non corrupisse textum Veteris Testamenti. „Divina providentia non permisit libros illos corrumpi ac depravari, alias fundamentum ecclesiae fuisset labefactatum et convulsum." Multis testimoniis et argumentis suam thesim probare studet.

Cap. 15 *non sola vocabula sed etiam puncta, quae hodie leguntur in textu hebraico, ad primos auctores refert.* Ex verbis Christi: „Iot unum aut unus apex non praeteribit a lege" (Mt 5, 18) sic fit argumentum: „Quodcumque Christus statuit essentialem Scripturae partem, id ipsi scriptae legi est coaevum. Sed puncta vocalia Christus statuit essentialem scriptae legis partem. Ergo puncta vocalia sunt scriptae legi coaeva.... Scriptio sine punctis apud Hebraeos est obscura, immo obscurior quam apud Graecos per abbreviaturas. Ergo verisimile non est, quod Deus absque punctis verbum suum scribi voluerit, quando per sua organa in litteras illud redegit . . . quia Deus voluit Scripturam suam in se et per se esse claram, perspicuam et firmam, non autem ab hominum inventis lucem mutuari." Si vero puncta postea essent addita, „Scripturam non esse a Deo per prophetas traditam quoad singula verba, cum sine punctis vocalibus verba nullo modo constare possint, proinde non totam Scripturam esse θεόπνευστον . . . nihil certi ex Scripturis colligi posse . . . neminem obligari, ut Scripturae credat. . . . Quae omnia cum sint

---

[1] Loci theolog. I 94 sqq. [2] Ib. 119 sqq.
[3] Ib. 121 sqq.

absurda et ἀσύστατα, ideo antecedens, ex quo talia consequuntur, non est ponendum". In versiculo Iud 12, 6 (Shibboleth, Sibboleth) quoad mutationem Shin in Samech notat: „Spiritui Sancto placuit, hac ratione magis perspicue blaesum Ephraimitarum sermonem exprimere." [1]

Itaque Gerhardus proponit theoriam inspirationis tam rigorosam, ut ultra eam procedi non posse videatur. . Nam si Spiritus Sanctus est auctor Sacrae Scripturae, qui per scriptores humanos ut manus suas expressit non res tantum omnes et singulas in Scriptura contentas, sed etiam dicendi genus, singula vocabula, characteres, puncta vocalia, quid ad artissimum inspirationis conceptum deesse videtur? Sufficiat igitur pauca tantum dicta aliorum theologorum lutheranorum addere, qui eandem viam inierunt.

229. Ita e. g. **Quenstedt** in „Theologia didactico-polemica" sect. 1, c. 4, thes. 2, docet Deum esse causam principalem Scripturae mandato antecedente et inspiratione consequente.

„Quoad primum constat Sacram Scripturam esse a Deo sacros scriptores ad scribendum peculiariter movente et impellente; quoad alterum, Deum non solum res sed et verba ordinemque tum rerum tum verborum inspirasse." Thes. 3: Quapropter „uti os Dei fuerunt in loquendo seu praedicando prophetae et apostoli, ita quoque manus fuerunt et calami Spiritus Sancti in scribendo; Spiritus Sanctus enim per eos, ut dixit, ita scripsit. Neque enim alius vocis ore prolatae, alius scriptae fons est; unde etiam Dei amanuenses, Christi manus et Spiritus Sancti tabelliones sive notarii et actuarii dicuntur". Itaque „solus Deus, si accurate loqui velimus, Sacrae Scripturae auctor dicendus est, prophetae vero et apostoli auctores dici non possent nisi per quandam catachresin, utpote qui potius Dei calami et Spiritus dictantis notarii fuerunt". In thesi 5 praeter formam internam etiam forma externa, i. e. lingua et stilus, ad Deum auctorem referuntur. In thesi 7 exponitur inter alia, quomodo dictum Petri, quod prophetia non humana voluntate allata sit, non habeat hunc sensum „ac si citra et contra voluntatem suam inscii ac inviti scripserint divini amanuenses; sponte enim volentes scientesque scripserunt, sed non pro humano suo arbitrio et naturali sua voluntate, qua ad communia sua opera movetur homo, nec etiam voluntate regenita, qualis est illa, qua fideles moventur ad pietatis opera, sed ea, qua Spiritus Sanctus extraordinario modo exagitat". Dein reicitur Montanistarum doctrina et statuitur sacros scriptores intellexisse quidem, quae scripserint, verum nihil ex suo sensu scripsisse, sed „omnia Spiritus Sancti dictamine", et ideo vocari Spiritu Sancto φερομένους. In sectione 2 quaestione 3 docetur omnia prorsus in Scriptura a Spiritu Sancto suggesta esse scriptoribus sacris in ipso actu scribendi, etiamsi res iis erant iam aliunde notae et menti praesentes. Neque influxus ille divinus fiebat per solam assistentiam et directionem, sed omnia tribuenda sunt singulari suggestioni, inspirationi, dictamini Spiritus Sancti, per quem omnia „in ipso actu scribendi intellectui eorum quasi in calamum

[1] Ib. 130 sqq.

dictata sunt". Inspiratio, etsi distinguitur a revelatione, qua abscondita manifestantur, tamen et ipsa est „actio Spiritus Sancti, qua actualis rerum cognitio intellectui creato supernaturaliter infunditur", sed ad scribendum. Quandoque tamen „divina mysteria inspirando revelantur et revelando inspirantur". Qu. 4: Spiritus Sanctus „etiam ipsamet verba et voces omnes ac singulas individualiter sacris scriptoribus suppeditavit, inspiravit et dictavit". Stili diversitas inde explicatur, quod Spiritus Sanctus sese singulorum indoli attemperavit et accommodavit. Quo factum est, ut sacri scriptores iis verbis uterentur, quibus extra tempus inspirationis ex proprio arbitrio usi essent; nunc autem Spiritus Sanctus haec eadem verba ipsis dictavit in calamum. Qu. 5: Sacra Scriptura immunis est ab errore in omnibus, quae refert, etiamsi sunt solum „historica, chronologica, topographica, onomastica; nullaque ignorantia, incogitantia aut oblivio, nullus memoriae lapsus Spiritus Sancti amanuensibus in consignandis sacris litteris tribui potest aut debet". Neque ulla facienda est distinctio inter res graviores et leviores. Qu. 6: „Stilus Novi Testamenti ab omni barbarismorum et soloecismorum labe immunis est." Hebraismos autem Deus intendit, ut mirabilis quaedam esset conformitas inter Testamentum Vetus et Novum. Itaque etsi gentilis comparans Novum Testamentum cum scriptis auctorum classicorum non posset non agnoscere in eo barbarismos et soloecismos, Christianus tamen sciens esse stilum Spiritus Sancti „quoad singulas voces, phrases ac constructiones", blasphemus esset, si vellet loqui de soloecismis et barbarismis, cum hac ratione ipsum Deum accusaret, „qui verba ipsa et phrases illis infudit situmque et nexum verborum dictavit et inspiravit". Plurima alia, quae Quenstedt exponit, sunt repetitiones eorum, quae iam a Gerhardo audivimus.

230. Eadem docet **Calovius**, qui ipse quoque et rebus et verbis et punctis vocalibus etc. divinam originem attribuit. Quare ait: „Impia est et profana audacia in verbo Dei vel apicem mutare et pro spiritu aspero lenem et vice versa substituere, cum quivis etiam apex teste Christo sit caelo terraque potentior, nec ulla supererit certitudo Scripturae, si haec admittatur mutandi licentia" (in Hebr 1, 13). In „Systemate loc. theol." I, c. 4 (p. 448 sqq) theoriam inspirationis exponit. Eum plane consentire cum Quenstedt, patet e. g. ex argumento, quo excludit omnem errorem a Sacra Scriptura.

„Sacrarum litterarum auctores . . . manus tantum fuerunt ac calamus Spiritus Sancti, qui fallere et falli non potest nec errare aut labi memoria." Iamvero omnia et singula verba Scripturae prophetis et apostolis a Spiritu Sancto in calamum dictata sunt. Ideo „nec ea tantum credenda verissima, quae ad fidem et mores spectantia in Scriptura traduntur, sed etiam alia quaecumque in eadem occurrentia, cum ab immediato divino impulsu profecta sint et eum agnoscant omnia auctorem, qui nullo modo errare aut falli potest; nec falsitas, error aut lapsus ullus scriptori θεοπνεύστῳ adscribi potest, quin eiusdem Deus ipse arguatur". Cum Sacra Scriptura sit verbum Dei, verbum autem Dei ex natura sua sit Spiritus et vita, in ipsa Scriptura est virtus salvifica. Virtus enim, quae est in Deo per essentiam, communicata est humanitati Christi, sacramentis, Scripturae. Et in sacramentis quidem est

solum transeunter in ipso usu, at in Scriptura est permanenter, quia numquam cessat esse verbum divinum. Neque Scriptura sanctificat ut instrumentum mortuum, cum in ea sit „mystica verbi cum Spiritu Sancto unio intima et individua". Unde quidam dicunt „verbum Dei esse aliquid Dei" seu ἀπόῤῥοιαν divinam. Non indiget Scriptura illustratione Spiritus Sancti, sed in ea est Spiritus Sanctus, qui per eam omnia efficit, quae sunt ad salutem necessaria.

Haec est illa doctrina de inspiratione Sacrae Scripturae, quae saeculis XVII et XVIII apud Lutheranos (e. g. Hollaz, Dannhauer, Baier) ita praevalebat, ut quicumque eam non admittebat, sese gravissimis impugnationibus et persecutionibus exponeret, quemadmodum experti sunt Rathmann, Georgius Calixtus, Musaeus [1]. Vera quaedam bibliolatria obtinebat. Nitsche „Superintendens Generalis" Gothanus (a. 1714) serio affirmabat Sacram Scripturam non esse dicendam creaturam, sed Deum [2]. Eo usque paulatim Protestantes perducti erant per falsum suum principium fidei et doctrinae christianae regulam unicam, perspicuam, plane sufficientem esse Sacram Scripturam. Hanc practicam ad absurdum deductionem mox secuta est doctrina e diametro opposita, qua libris sacris omnis dignitas supernaturalis denegabatur, et sola humana ratio regula suprema in ordine etiam religioso statuebatur.

ART. IV.

DE RATIONALISMO BIBLICO IN GERMANIA.

231. Numquam quidem deerant, qui exaggeratam theologorum lutheranorum de Sacra Scriptura doctrinam impugnarent, ut ex ipsis Lutheri asseclis Calixtus, ex eius adversariis Carlstadt et Schwenckfeld, deinde Mystici et Pietistae, Faustus Socinus et Sociniani. Sed omissis his et aliis, qui magis viam praepararunt novis doctrinis, quam per se universalem et permanentem mutationem effecerunt, eversio theoriae „Scholasticorum" lutheranorum praecipue facta est, quando ex Gallia et Anglia naturalismus et deismus in Germaniam inferri coeptus est medio circiter saeculo XVIII (Reimarus et alii). Studebant nonnulli, ut Carpzov, Baumgarten, Toellner, ope philosophiae Wolffianae, saltem essentialia veteris doctrinae biblicae servare, concedentes in Scriptura

[1] *J. A. Dorner*, Geschichte der protest. Theologie, München 1867, 551 sq 554 sqq. *Denzinger* ait: „Als Joh. Musäus in Jena gegen die Behauptung eines gewissen Grosse, dass die Annahme von Barbarismen und Solöcismen in der Schrift eine Blasphemie gegen den Heiligen Geist sei, die Eingebung der Worte als bestreitbar dargestellt hatte in einer Disputatio de stylo N.T. (Jena 1641), erhoben sich die Wittenberger Eiferer wüthend dagegen, und Musäus nahm seine Behauptung zurück (Der Jenischen Theologen ausführliche Erklärung über 93 vermeinte Religionsfragen zur Rettung besagter theologorum und der Universität Jena guten Leumund gestellt von J. Musäus, Jena 1677). In seiner Introductio in theologiam lehrt er die Verbalinspiration" (Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss II 240 sq).

[2] *Dorner* l. c. 554 sq.

praeter inspirata esse alia non inspirata, praeter divinas veritates humanos errores [1]. Sed hac ratione Scriptura facta erat liber semidivinus, semihumanus, sua sponte collabebantur argumenta, quibus Protestantes Scripturae dignitatem fulserant; unde si sibi constare volebant illi theologi, necessario eo deveniebant, ut dicerent Scripturam esse collectionem librorum, qui tractandi essent ut omnes alii libri humani. Haec est sententia Rationalistarum, qui, etsi vocabulum inspirationis interdum retinent, rem tamen ipsam negant. Itaque quia negando tantum hanc doctrinam respiciunt, satis erit uno alterove exemplo rem breviter illustrare.

232. Parens rationalismi biblici vocari solet **Ioannes Salomon Semler**, qui educatus in Pietismo, distinguebat inter religionem privatam et religionem publicam. Publicam religionem cum omnibus, quae ad eam pertinent, dicebat esse factum historicum, continuae mutationi obnoxium et diiudicandum ut omnia facta historica et liberae prorsus crisi subiciendum. Huic crisi etiam libros sacros subiecit. Exscribam speciminis gratia, quid dicat de canone Novi Testamenti, quia locus non est nimis longus et mentem et modum Semleri optime manifestat.

„Vetustum nomen repertum est canonis et canonicorum librorum. Corpusculum illud sic describunt, in quo 4 Evangelia et Actus apostolorum, Pauli epistulae 14, porro epistulae aliorum auctorum (canonicae seu catholicae dictae) et Apocalypsis comprehenduntur. Invidia fere non caret, si quis hodie de canonis seu catalogi librorum apud Christianos sacrorum origine requirat paulo liberalius. Adeo antiquis decretis de canone videtur res omnis confecta esse, ut vix liceat cuiquam, vel rationibus usum suis et christianismi satis peritum, dubitare de divina, quam tam facile spondere solent, origine huius vel illius scriptionis, sive de humana historia, quae Petrum, Ioannem etc. auctorem perhibebat! Itaque canonis procurationem solent Ioanni apostolo eo facilius tribuere, quia Eusebii illam fabulam (H. E. 3, 24) de collectis per Ioannem 4 evangeliis admittunt. Itaque et Moshemius scribere audebat: Quidni eodem tempore reliquos etiam N. T. libros coagmentatos esse coniciamus? Licet vero, licet sic conicere, sicut aliis licet non revereri tam mediocrem rei historicae auctoritatem. Nec secundo adhuc saeculo omnibus istis libellis epistulisque utuntur christiani scriptores, Iustinus etc., nec tertio omnium auctoritas pariter valebat, nec quarto sequentibusque ad nostram usque aetatem cunctis effici aliquid potuit, quod primis temporibus effectum confirmatumque non fuerit. Atque falso statuere plerique solent opus esse toto tot librorum numero ad religionis christianae veritatem, integritatem, perfectionemque maximam, sicut scriptionum illarum interna facies, quod attinet ad stabilem sententiarum vocumque copiam et ordinem, varia fuit et mutabilis. . . . Nec ratione liberali utitur illa Moshemii et plerorumque sententia: antequam dimidia pars saeculi II effluxit, plurimos librorum, ex quibus N. T. constat, in omnibus Christianorum familiis, per universum terrarum

[1] *Rabaud*, Histoire de la doctrine de l'inspiration 91 sqq.

orbem dispersis, lectos et pro fidei morumque divina regula receptos fuisse; unde id effici putant, aut apostolis adhuc viventibus, aut certe discipulis et successoribus eorum ubique degentibus libros istos a ceteris scriptis humanis studiose segregatos fuisse. Nam ante coniunctionem ecclesiarum per provincias divisas maiorum unum e. c. evangelium valebat Romae, aliud Alexandriae, aliud Antiochiae, aliud in minori Asia; nec Pauli epistulae statim primo tempore ad alias provincias transmissae fuerunt, multo minus ceterae illae epistulae aut Apocalypsis sub occidente sole ubique receptae fuerunt. Sed nec illud verum est in omnibus Christianorum familiis seu sectis omnes aut plerosque libros istos admissos, aut pro regula fidei et morum adhibitos; divisi enim erant amatores Pauli, Petri etc., fides autem per symbolum et παράδοσιν solebat ad alios transmitti, ad mores informandos utebantur multis libris ex eorum numero, qui dicuntur hodie Veteris Testamenti apocryphi. Hoc certe nomen ἀπόκρυφος apud antiquiores honore non caret, quod seriores sine honore et non sine quodam contemptu usurpare solent. Erant autem omnes isti libri in manibus doctorum et ministrorum, non puerorum, mulierum et populi universi, sicut e. c. Pauli epistulae praecipue societatum statoribus et ministris fuerunt destinatae. Nec in omnibus istis scriptionibus aequale et frugiferum inest religionis melioris, cui reperiundo Deo auctore opus sit, argumentum; potius multae ideae et opiniones iudaicae in iis recensentur aut attinguntur, ei tempori quidem convenientes, sed minime hominum omnium usibus iuvandis aequali iure destinatae. Est autem libere dicendum, quod res est: unicuique licere his libris sic uti, prout sibi aliisque intellexerit esse frugiferum, sed nullam legem iubere posse, ut omnes homines sequantur hunc ordinem cogitandi et experiundi, quo hic ille pro suo modo bene et recte utebatur. Hic plerique Christiani manent pueri et superstitionis sacram speciem pro genuina religionis imagine reverentur." Ex „apocryphis" Veteris Testamenti „antiquiores Christiani" multa difficilia dogmata transumpserunt, „quibus inde eam auctoritatem addere solebant, quae esset par atque eadem ad omnium temporum christianos homines. Quod est falsissimum decretum atque corrumpendae impediendaeque religioni christianae, quae est locorum temporumque omnium, unice idoneum". Sunt, „qui apostolicum christianismum et perfectissima religionis mysteria tam facile et tam studiose commendent; nos autem historiam repetimus, non fingimus res humanas sorte humana meliores". Quae sit haec methodus „historica" ex iis patet, quae de Clementis Romani, Ignatii martyris, Polycarpi epistulis ibidem statuit: „Abicimus ut fictas. . . . Pleraque omnia videntur Alexandrinis deberi hominibus, qui parum grave et dignum esse statuerunt nomina tantum celebrari, scripta autem nulla hos auctores posteritati praeceptores transmittere. De auctorum ingenio et pectoris mediocri indole ex his scriptionibus iudicare licet, quibus audeo dicere nihil quidquam decoris aut honoris ad christianismum accessit, multum potius damnum succrevit." [1]

Procedens ex principio sibi non minus quam Luthero licere libros e canone eicere, totum fere Vetus Testamentum respuit. Omnes canonis libros vult olim apud Christianos in eodem censu fuisse atque libros profanos. Multa rationi repugnantia in Novo et Vetere Testa-

[1] *I. S. Semleri* Commentarii historici de antiquo Christianorum statu, Halae 1771, § 27 sqq, p. 35 sqq.

mento inveniri, Christum et apostolos se accommodasse Iudaeorum praeiudiciis, etsi sciverint opiniones esse falsas. Unde nostrum esse inquirere, quae ex hoc fonte fluxerint, et ea omnia e christiana religione expellere. Ea autem omnia esse expellenda, quae inepta sint ad pios in nobis animi motus excitandos [1]. Haec doctrina, quae inde a medio fere saeculo XVIII inter Protestantes germanicos late spargi coepta est, quantum distet a Gerhardi, Calovii, aliorum sententia, quae usque ad initium eiusdem saeculi praevaluerat, opus non est explicare.

233. Rationalismum biblicum multum promovit **Kant**, quem quidam dicunt esse „philosophum protestantismi", sicut S. Thomas sit philosophus catholicismi [2]. Anno 1793 Kant edidit tractatum „De religione intra fines rationis purae" (Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft). In hoc tractatu statuit non esse religionem, quae mereatur hoc nomen, nisi naturalem, eiusque essentiam consistere in praeceptis moralibus rationis autonomicae. Revelationes supernaturales esse figmenta hominum, quibus conati sint religioni naturali maiorem auctoritatem addere. Huc pertinere libros Sacrae Scripturae. Quae in iis conveniant cum naturali ratione, recipienda esse, reliqua autem ita interpretanda, etiam per vim, ut cum ea consentiant; neque enim tam quaeri, quid illi auctores dixerint, quam quid dicere debuerint. Vaticinia, miracula, narrationes historicas esse inutilia ad religionem, ideoque paulatim in eorum locum religionem naturalem subrogandam esse [3].

Ob hunc librum severe reprehensus a rege Borussiae Friderico Wilhelmo II et iussus a talibus in futurum abstinere [4], Kant respondit se plane abfuisse a consilio impugnandi religionem Christianam, sed se in futurum abstenturum esse a disputando de religione sive naturali sive revelata [5]. Nihilominus postea, maiore libertate concessa, iterum a. 1798 ad hanc quaestionem rediit in libro „De lite Facul-

[1] Ita in „Abhandlung von freier Untersuchung des Kanon", Halle 1771 sqq.

[2] *F. Paulsen*, Philosophia militans, Berlin 1901, 31 sqq.

[3] *I. Kants* Schriften; Ed. *Hartenstein* VI, Leipzig 1839, 275 sqq 292 sqq 333 sqq 344 sqq 353 sqq.

[4] „Unsere höchste Person hat schon seit geraumer Zeit mit grossem Missfallen ersehen, wir Ihr Eure Philosophie zu Entstellung und Herabwürdigung mancher Haupt- und Grundlehren der Heiligen Schrift und des Christenthums missbraucht; wie Ihr dieses namentlich in Eurem Buch ‚Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft', desgleichen in andern kleineren Abhandlungen gethan habt. Wir haben Uns zu Euch eines Besseren versehen, da Ihr selbst einsehen müsset, wie unverantwortlich Ihr dadurch gegen Eure Pflicht als Lehrer der Jugend und gegen Unsere, Euch sehr wohlbekannte, landesväterliche Absichten handelt. Wir verlangen des ehesten Eure gewissenhafteste Verantwortung und gewärtigen Uns von Euch, bei Vermeidung Unserer höchsten Ungnade, dass Ihr Euch künftighin nichts dergleiche werdet zu Schulden kommen lassen" (l. c. I 204).

[5] Ib. I 205 sqq.

tatum“ (Der Streit der Fakultäten), in quo inter alia ait theologorum non esse nisi ostendere, quid Scriptura statuat, Scripturam autem praeter praecepta moralia, unice ad vitam aeternam necessaria, etiam alia continere, „quae pertinent ad fidem historicam et respectu fidei religiosae ut vehiculum tantum sensibile (huic vel illi homini, huic vel illi aetati) utilia esse possunt, sed ad essentiam rei non pertinent. Iamvero Facultas biblico-theologica his rebus ut divinitus revelatis ita insistit, quasi earum fides ad religionem pertineat. Pugnat autem contra illam Facultas philosophica neque vult permittere, ut haec permisceantur cum iis, quae illa in se continet vera de religione proprie dicta“ [1]. Ut componatur haec disputatio, statuit, quae sint principia exegetica, a quibus philosophia recedere non possit.

234. *Fundamentale principium* hoc est: „Locos Scripturae, qui continent doctrinas theoreticas ut sacras annuntiatas, quae omnem (etiam ipsum moralem) rationis conceptum superant, in favorem rationis explicare licet; illi vero loci, qui continent propositiones cum ratione practica pugnantes, necessario ita explicandi sunt.“ [2] E. g. Scriptura docet resurrectionem mortuorum. Haec indifferenter se habet ad rationem practicam. Unde apostoli argumentatio: Nisi Christus resurrexit, inanis est fides nostra, non est rata. Sed neque hoc opus est, „nam argumenta esse inspirata, nemo dixerit“. Apostolus voluit solum dicere nos habere rationem admittendi Christum adhuc vivere, cum sit contra rationem admittere hominem tam perfectum post mortem non iam vivere. Haec persuasio Paulum movit ad credendum ut factum historicum, quod narrabatur ab aliis. Etsi haec est fabula, illa tamen veritas moralis, de qua agebatur, salva perstitit [3]. Similiter eae narrationes biblicae, quae non congruunt cum iis, quae naturalis ratio de rebus physicis iudicat, explicandae sunt secundum postulatum rationis, „ne omni superstitioni et fraudi liber aditus pateat“.

Secundum principium est: Credere ea, quae non possunt cognosci, nisi revelantur, non est meritorium, et dubitare de his per se non est culpabile, quia religio solum postulat, ut recte agamus. Quae non referuntur ad recte agendum, non sunt pars religionis et saepe contra religionem. „Dubitatio

---

[1] Ib. I 234.

[2] „Schriftstellen, welche gewisse theoretische, für heilig angekündigte, aber allen (selbst den moralischen) Vernunftbegriff übersteigende Lehren enthalten, dürfen, diejenigen aber, welche der praktischen Vernunft widersprechende Sätze enthalten, müssen zum Vortheil der letzteren ausgelegt werden“ (Ib. I 236).

[3] Paulus wollte nur sagen, „dass wir Ursache haben zu glauben, Christus lebe noch und unser Glaube sei eitel, wenn selbst ein so vollkommner Mensch nicht nach dem (leiblichen) Tode leben sollte, welcher Glaube, den ihm (wie allen Menschen) die Vernunft eingab, ihn zum historischen Glauben an eine öffentliche Sache bewog, die er treuherzig für wahr annahm und sie zum Beweisgrunde eines moralischen Glaubens des künftigen Lebens brauchte, ohne inne zu werden, dass er selbst dieser Sage ohne den letzteren schwerlich würde Glauben beigemessen haben. Die moralische Absicht wurde hierbei erreicht, wenngleich die Vorstellungsart das Merkmal der Schulbegriffe an sich trug, in denen er erzogen war“ (Ib. I 238).

de illis dogmatis statutariis non potest inquietare mentem bene dispositam", etsi eadem dogmata ad „fidem ecclesiasticam" forte necessaria sunt [1].

Tertium principium: Cum actiones humanae debeant ex propriis viribus moralibus procedere, non vero ex altiore causa externa, ad quam homo passive se habeat, Scriptura ita exponenda est, ut huic principio non contradicat. Itaque gratia, de qua Scriptura loquitur, est ipsa hominis natura, quatenus ad agendum principiis internis impellitur eo modo, quem explicare nequit et ideo ad Deum auctorem refert [2].

Quartum principium: In quantum homo percipit conscientiam plus a se postulare, quam ipse per se praestare possit, licet fortasse rationi supernaturale aliquod supplementum huius deficientiae pie credere, modo ne tentet explicare, in quo hoc supplementum consistat. Unde si Scriptura de hac re videtur revelationes continere, hoc pertinet solum ad fidem ecclesiasticam hominum alicuius certae aetatis, qui non poterant rem aliter concipere, non vero ad religionem omnium temporum [3].

Ad obiectionem: ita non explicari religionem christianam, sed pro ea substitui religionem naturalem, respondet Kant: Religio christiana debet esse naturalis; vehiculum tantum, quo introducitur inter homines, i. e. Sacra Scriptura, secundum originem supernaturale esse dicitur. De hac origine quivis censeat, quod vult; ad religionem eatenus tantum pertinet Scriptura, quatenus id, quod docet, naturali religionis ideae respondet [4]. Quod historicam narrationem Scripturae spectat; haec pertinet ad adiaphora in ordine religioso, neque pauca sunt, quibus eius veritas in dubium vocetur [5]. Porro cum plane cognosci nequeat, num Deus ad homines loquatur, auctoritas Scripturae ex locutione divina derivari non potest, sed unice ex eius efficacia ad efformandos mores hominum. Haec confirmatio Scripturae sufficit, quantum ad eius spiritum; nam quantum ad litteras, hae non indigent confirmatione, cum non sint principale sed accessorium. Ex provocatione autem ad inspirationem auctorum potius debilitatur Scripturae dignitas [6]. „Superstitio est dicere

---

[1] *Kants* Schriften I 240. [2] Ib. I 241.

[3] „Die Schriftstellen, die eine solche spezifische Offenbarung [über die übernatürliche Hilfe] zu enthalten scheinen, müssen so ausgelegt werden, dass sie nur das Vehikel jenes moralischen Glaubens [an diese Hilfe] für ein Volk nach dessen bisher im Schwang gewesenen Glaubenslehren betreffen und nicht Religionsglauben (für alle Menschen), mithin bloss den Kirchenglauben (z. B. für Judenchristen) angehen, welcher historischer Beweise bedarf, deren nicht jedermann teilhaftig werden kann; statt dessen Religion (als auf moralische Begriffe gegründet) für sich vollständig und zweifelsfrei sein muss" (Ib. I 242).

Haec est illa Kantii doctrina, quam theologi ex schola Ritschliana profitentur, secundum quos vera religio debet carere posse omnibus argumentis sive metaphysicis sive historicis, cum unice consistat in fiducia, qua homo a Deo exspectat supplementum suae deficientiae.

Est etiam illa doctrina, qua quidam apologetae catholici, maxime in Gallia, uti sibi posse videntur ad stabiliendam fidem catholicam per argumenta psychologica, quia, ut aiunt, illi deficientiae a Kantio admissae satisfacit religio catholica. Sed qui ita putant se posse Kantianos convertere, aut sensum Kantii aut sensum dogmatis catholici non recte percipiunt, neque attendunt varia, quae Kantius docuerit, a recentioribus Kantianis plane reici.

[4] Ib. I 243. [5] Ib. I 238 263. [6] Ib. I 265.

ullam fidem historicam esse debitam et ad salutem necessariam.“ [1] Historica testimonia Scripturae non sunt argumenta, quibus probantur doctrinae morales, sed exempla tantum, quibus hae doctrinae practice illustrantur [2].

235. Manifestum est Kantii doctrina negari Scripturae inspirationem et divinam eius auctoritatem, Nihilominus multi theologi protestantes hanc doctrinam receperunt et super eam novam theologiam dogmaticam construxerunt. Theologus dogmaticus rationalismi perfecti est **I. A. L. Wegscheider** [3]. Modus procedendi est valde simplex. Proponuntur argumenta veterum theologorum lutheranorum, tum additur „epicrisis“, qua ostenditur illa argumenta nihil valere ad probandum ordinem supernaturalem, et potius omnia reducenda esse ad religionem naturalem. Ita epicrisis doctrinae de revelatione et inspiratione (§ 42) statim ab hac sententia orditur:

„Variae revelationis supernaturalis rationes multis librorum sacrorum locis commemoratae omnino ad populi cuiusque incultioris notiones atque narrationes mythicas . . . referri ideoque, sicut quaevis in rerum natura eventa ad leges naturae nobis cognitas revocari debent.“ Angelorum apparitiones, quae narrantur, historiae fundamentis destitutae sunt. Voces caelestes ex tonitruum fragore, somnia et visiones ex legibus psychologicis explicanda sunt. „Afflatus denique divinus seu inspiratio, quae proprie accepta repugnat ideae numinis, i. e. spiritus perfectissimi, hominisque libertatem et dignitatem intellectualem et moralem penitus tollit, quaeque, Scriptura Sacra teste, interdum et temere omnis generis hominibus, indignis etiam, concessa dicitur, explicanda est ex indole saeculi rudioris, effectus mirabiles et ipsos animi motus insolitos ad praesentissimam numinis efficaciam referentis.“ [4] § 43: Sacra Scriptura tot defectibus et erroribus scatet, ut manifestum sit eam non esse opus divinum sed humanum. Multi libri sacri scripti sunt per amanuenses, de quorum inspiratione nihil constat. Scriptura ipsa de scriptione librorum plerumque nihil dicit, sed de solis sermonibus propheticis. Ipsi apostoli praeiudiciis imbuti erant et imperfectam tantum religionis cognitionem habebant. „Nec minus denique argumenta affert . . . ipsius dogmatis de inspiratione historia, quae . . . subtiliorem inspirationis formam saeculo demum XVII effictam esse certissime demonstrat.“ [5] § 44: Itaque omnis revelatio et inspiratio revocanda est ad naturalem et mediatam, quatenus legati divini „oracula vere divina, i. e. et Deo digna et a Deo, omnis veritatis veraeque religionis auctore supremo, per naturalem quidem causarum seriem derivanda, effati sunt. Inspirationem vero scriptorum sacrorum in eo ponere licet, quod

---

[1] Ib. I 267.

[2] Ib. I 271. Hic addit: Dem Volke sei vorzutragen, nicht was man aus der Schrift herauszieht, sondern was man in sie hineinträgt, „nämlich den Text nur (wenigstens hauptsächlich) als Veranlassung zu allem Sittenbessernden, was sich dabei denken lässt, zu behandeln, ohne was die heiligen Schriftsteller dabei selbst im Sinne gehabt haben möchten, nachforschen zu dürfen“.

[3] Institutiones theologiae dogmaticae christianae [5], Halae 1826.

[4] Ib. 154 sqq. [5] Ib. 158 sqq.

ii, Deo iuvante, ad cuius voluntatem et efficientiam, sicut quaevis animi sensa bona, ita suas quoque de religione sententias pie referebant, has scriptis consignasse putandi sunt, quae, etiamsi lectoribus tunc temporis tantum destinata fuerint, tamen ita comparata sunt, ut etiamnum religionis christianae notitia ac aevi quoque cultioris luminibus accommodanda inde hauriri possit". Sed coram communi populo dicta Scripturae in universum tantum ad Deum auctorem referenda sunt. „Narrationes autem de diversis revelationis modis in libris sacris propositae non ad unguem exigendae omninoque ad ideas illis substratas universales revocandae sunt, vel apud cultiores ad notiones mythicas et symbolicas de Deo, numen et efficaciam suam manifestante, ista aetate pervagatas referri et ex ipsis Scripturae Sacrae effatis purioribus tamquam ex Dei verbo iudicari debent. Quibus accurate perpensis facile intellegitur falsum esse, quod nonnulli finxerunt, reiecta vetere inspirationis doctrina quamvis Dei revelationem omnemque verbi divini cultum et honorem tolli." [1]

236. Mirum sane est, quomodo levissima haec doctrina hominum animos aliquando ita occupare potuerit, ut Wegscheider interdum trecentos circiter auditores lectionum suarum habuisse dicatur. At ipso etiamtum vivo haec gloria prorsus evanuit, et ipsius doctrina ut praecavendi exemplum exhibita est. Exegeta scholae huius aridae et insulsae est *Gottlob Paulus,* qui in libro „Manuale exegeticum" (Exegetisches Handbuch, Heidelberg 1830), quaecumque in Novo Testamento narrantur miraculosa, ea ratione „ad leges naturae nobis cognitas" revocavit, ut vel ab ipsis rationalistis irrideatur. Ceterum *David Friedrich Strauss,* qui illam „naturalem explicationem" severe condemnat, non minus rationalista est et omnem inspirationem negat. Sicut omnia, quae in sacris libris naturaliter explicari nequeunt, vult esse mythos, ita docet inspirationis conceptum inde oriri, quod homines phaenomena psychologica, quae non perspiciant, ad numinis efficientiam referant, et internum impulsum cum aliis sua sensa communicandi fingant esse mandatum divinum (Glaubenslehre § 7). Libros Novi Testamenti, cum solum repraesentent religionem christianam in primo et imperfecto statu, non posse rationabiliter assumi ut normam religionis christianae nostrae aetatis magis excultae. Et alia similia, quae referre non vacat.

ART. V.

DE SEMIRATIONALISMO BIBLICO IN GERMANIA.

237. Erant quidem etiam initio saeculi XIX in Germania theologi protestantes, qui in oppositione ad rationalistas „supranaturalistae" vocabantur, quia supernaturalem revelationem agnoscebant, ut Storr, Reinhard, alii. At hi quoque priorum Protestantium doctrinam de inspiratione reiciebant. Loco impulsus ad scribendum et suggestionis

[1] Institutiones theologiae dogmaticae christianae 162 sqq.

rerum et verborum ponebant meram assistentiam Spiritus Sancti, qua caveretur, ne sacri scriptores in doctrina litteris consignanda vel falsa admiscerent vel necessaria omitterent. Ceteroqui sacros scriptores plane eodem modo, quo alii homines soleant, in scribendo se habuisse docent, et ideo humana simul cum divinis in Scriptura inveniri. Itaque quod inspirationem Scripturae attinet, supranaturalistae a rationalistis non multum differebant, quia et illi inspirationem proprie dictam reiciebant, et hi aliquam directionem providentiae divinae in compositione sacrorum librorum admittebant. Unde ille Supranaturalismus nihil aliud est nisi Rationalismus mitigatus.

238. Alio modo Rationalismum impugnabant quidam viri, quibus illa nimia vulgaritas dogmatica et exegetica displicebat. Ex ipsius Semleri discipulis prodiit theologus, cui Protestantes „reactionem" contra Rationalismum vulgarem adscribunt, **Fridericus Schleiermacher.** Ut eius doctrina intellegatur, notandum est eum infectum fuisse notionibus pantheisticis. Religionem ponit in immediata quadam perceptione infiniti seu in intimo sensu dependentiae ab absoluto. Christus est homo idealis, in quo religio ad summam explicationem pervenit. Spiritus Sanctus est spiritus seu sensus communis ecclesiae, id fere, quod Catholici vocare solent sacram traditionem, cum hac tamen differentia, quod religio non fundatur super certa dogmata, sed potius dogmata sunt conatus quidam motiones sensus christiani verbis exprimendi. Revelatio est specialis motus religiosus, qui in animo hominis sua sponte oritur neque ex influxu aliorum hominum vel traditionum humanarum derivari potest. Suprema revelatio facta est in Christo. A Christo exiit in apostolos Spiritus Sanctus, i. e. sensus religionis, qui communis est toti ecclesiae, et hic Spiritus apostolos inspiravit.

239. His suppositis intellegitur doctrina de *Sacra Scriptura* [1]. Haec enim *nihil aliud est nisi primitiva expositio fidei christianae et norma omnium sequentium expositionum.* Hanc vim normativam inde habet, quod primi discipuli Christi spiritum eius purissime hauserunt sine admixtione spiritus iudaici vel gentilis, saltem in rebus praecipuis, non semper in rebus accessoriis. Unde posteriores expositiones fidei eo magis censendae sunt christianae, quo magis cum ista prima expositione consentiunt, etsi non necessario ex ea derivandae sunt, cum Spiritus Sanctus inspirans non minus nunc vigeat in ecclesia quam tunc. Nihilominus Scriptura non fundat fidem christianam, sed eam supponit, cum apostoli non crediderint propter Scripturam, sed propter auctoritatem Iesu Christi. Haec singularis vis, quae erat in Christo, efficiendi in aliis fidem, ad nos pertingit per Sacram Scripturam, qua mediante cum Christo conversamur, quia immediate non possumus. Nequaquam autem

[1] „Der christliche Glaube." In prima editione doctrina de Scriptura habetur § 147 sqq, in posterioribus vero § 128 sqq.

prius demonstrandum est Scripturam esse vel continere divinam revelationem, ut sic per auctoritatem Scripturae ad fidem perveniamus, quia religio non procedit ex critico usu rationis et eruditione.

Sacra Scriptura secundum originem est *authentica*, et ut norma doctrinae est *sufficiens*. Per se indifferens est, quis sit auctor alicuius libri sacri. Authentica est Scriptura, quae se singulis per experientiam internam et simul toti ecclesiae per spiritum communem ut authenticam comprobat. Norma eatenus est, quatenus singuli suos conceptus religiosos cum ea comparare et conformare debent, usquedum adsit perfecta conformitas et Scriptura ut norma fiat superflua. Itaque cum Scriptura apta sit ad hanc perfectam conformitatem cum primitiva religione christiana producendam, vocatur norma sufficiens. Non tamen eo sensu est sufficiens, quasi ipsa iam sit perfectum systema doctrinale, cum in doctrina christiana excolenda usque ad finem mundi constantem esse progressum oporteat; neque critica inquisitio in libros sacros umquam cessare debet, etsi persuasio fidei est, nihil umquam essentiale ex Scriptura periisse, nihil essentiale umquam subtractum iri.

240. *Singuli libri sacri inspirati sunt a Spiritu Sancto* eodemque Spiritu dirigente in unum collecti. Revelatio christiana in solo Christo, „in totalitate personae eius", locum habuit, sed inspiratio est influxus a Christo procedens in communitatem christianam. Spiritui enim communitatis christianae seu Spiritui Sancto omnia dicta et facta vere christiana adscribi debent; ergo etiam libri a primis discipulis Christi conscripti, et hi quidem etiam singulari ratione. Nam qui ab initio cum Christo perseveraverant, Spiritum eius maxime complete et pure hausisse censendi sunt, quem Spiritum ipsi ecclesiae ut eius rectores infuderunt. Ab hoc igitur Spiritu in omnibus functionibus muneris apostolici agebantur, sive loquebantur sive scribebant. Itaque inspiratio habitus quidam permanens erat in apostolis, cuius Scriptura suo modo particeps facta est. Est igitur *inspiratio non verbalis, non realis, sed personalis.* In Paulo apostolo, quod deerat ex parte conversationis cum Christo, supplebatur per maiorem vim excitationis religiosae. Itaque inspiratio non est quidquam speciale, quod accedat ad munus apostolicum, sed aliquid, quod ex hoc ipso munere fluit. Tota vita apostolica erat inspirata; ergo etiam actus scribendi. Unde nulla facienda est distinctio inter primum impulsum et sequentes actus, inter inspirationem rerum et verborum similiaque alia, cum omnia eatenus tantum vocari possint inspirata, quatenus a personis inspiratis procedunt. Hoc valet etiam de libris historicis, quatenus collectio certorum factorum ex intentione apostolica fiebat, etsi in ipso actu colligendi inspiratio nihil erat nisi directio Spiritus Sancti, qui in libris historicis se suaque facta agnoscebat et ab oblivione hominum immunia reddere volebat.

241. *Scripta Veteris Testamenti* in canonem quidem recepta sunt, quia toties in Novo Testamento allegantur, et quia cultus christianus necessitatem quandam cum synagoga habebat; sed neque inspirata sunt eo modo, quo libri Novi Testamenti, neque eandem dignitatem normativam habent. Multa in iis sunt a sensu christiano aliena; et quod theologiam attinet, melius omnia argumenta ex Vetere Testamento omittuntur. Inspiratae dici possunt prophetiae, maxime messianicae, quia in iis quodammodo est Spiritus ante Spiritum, cum quaedam motiones huius Spiritus iam essent in mundo, „antequam ut Spiritus communis ecclesiae esset organizatus". Lex vero mosaica nullo

modo ad eundem Spiritum reduci neque inspirata dici potest. Idem valet de libris historicis Veteris Testamenti, qui intime cum lege nectuntur. Quia vero prophetica scripta a lege vix separari possunt, etiam libri legis in canonem recepti sunt. Sed omnino praeferendum est, ut in concionibus rarissimus sit eorum usus, quo magis efferatur magna inferioritas Veteris Testamenti.

Haec est doctrina Schleiermacheri, quam omnes fere theologi protestantes plus minus suam fecerunt, et quae per Dr *Drey* partim etiam in scholam Tubingensem catholicam transiit. Laudant Schleiermacher maxime ob tria: a) quod religionem liberaverit ab „intellectualismo" eique propriam provinciam assignaverit „sensum religiosum", ab intellectu et voluntate rationali distinctum; b) quod ab abstracta ratione moralitatis, quae apud rationalistas praevalebat, homines revocaverit ad Christum, et „personalem" Christi influxum principium religionis christianae fecerit; c) quod dignitatem ecclesiae ut vehiculi religionis restituerit.

Ceteroqui patet a Schleiermacher nomen tantum inspirationis retentum, rem vero negatam esse. Nam non solum diserte negat maximam partem Veteris Testamenti inspiratam, sed libros quoque Novi Testamenti non alio sensu inspiratos agnoscit, nisi quatenus sensum religiosum christianae communitatis exhibeant. Unde ne ipsa quidem apocrypha evangelia vel alia similia scripta antiquitatis christianae omni inspiratione vacua esse et inspirationem adhuc in ecclesia vigere docet, etsi recentiora scripta numquam eo modo norma fidei esse possint, quo scripta primorum discipulorum Christi.

242. Secundum Schleiermacher revelatio divina, sicut in Christo *homo* facta est, ita a Christo in primos discipulos procedens et per eos litteris consignata, *liber* facta est. Hinc theologi protestantes hauserunt doctrinam de indole divino-humana Scripturae Sacrae, seu de „parallelismo christologico et bibliologico". Itaque sicut in Christo est persona divina et simul natura humana cum suis defectibus naturalibus, ita in Scriptura praeter auctoritatem divinam sunt infirmitates naturales. Contra hanc distinctionem, quae a „conservativis" Protestantibus usque ad nostram aetatem repetitur, pugnat **R. Rothe**, qui negat hac ratione Scripturam cum Christo comparari debere, cum potius concedendum sit Scripturam non esse inspiratam, sed solum esse primitivum documentum religionis christianae [1]. Ipse cum Schleier-

[1] „Unter denjenigen unserer heutigen Theologen, welche die Unmöglichkeit, jene alten Anschauungen [der Kirchenväter, Luthers usw.] aufrecht zu erhalten, empfinden, ist es ziemlich allgemein Sitte geworden, um den richtigen Gesichtspunkt für die Betrachtung der Heiligen Schrift zu bezeichnen, dieselbe ein gottmenschliches Werk zu nennen und zu fordern, dass man in ihr eine göttliche und eine menschliche Seite unterscheide. . . . Ich bedaure, dass ich mir diese Formel, soviel Bestechendes sie auch auf den ersten Anblick hat, nicht anzueignen vermag. . . . Denn durch sie

macher religionis provinciam assignat sensum dependentiae a Deo, simul tamen inculcans se non pantheistam, sed theistam esse. Religio subiectiva supponit revelationem divinam.

Revelatio componitur ex duobus elementis: historica manifestatione divina ut elemento obiectivo et inspiratione interna ut elemento subiectivo. Inspiratio est interna illustratio, qua mens humana capax fit ad manifestationem Dei externam recte intellegendam. Summo gradu haec revelatio habetur in prophetis et aliis, qui sunt immediata organa manifestationis divinae; neque fieri potest revelatio sine miraculis et prophetiis, quae sunt elementa constitutiva ipsius, quia miraculum pertinet ad externam manifestationem Dei, prophetia vero ad internam inspirationem. Fit autem revelatio ad liberandum hominem ab illa caecitate in re religiosa, qua mens humana obtenebrata est per peccatum. Ideo prophetis Veteris Testamenti et per eos aliis hominibus magis magisque manifestata est illa liberatio a peccato, quae perfecta futura erat in Christo. In Christo manifestatio obiectiva et inspiratio subiectiva simpliciter coincidunt; ipse est et absoluta manifestatio divina et secundum conscientiam suam absoluta inspiratio [1]. Hinc credere revelationem ipsius est credere in ipsum ut absolutam revelationem Dei ipsius.

243. Ex conceptu divinae inspirationis sua sponte fluit *necessitas Scripturae Sacrae,* quia per solam Scripturam revelatio potest habere efficientiam historicam tutam et permanentem, sine Scriptura vero revelatio est factum cito transiens, fulguratio quaedam, non vero sol illuminans homines etiam posteriorum temporum. Traditione mere orali mox corrumperetur revelatio, quae, si litteris consignata est, non solum immutata permanet, sed etiam in dies melius intellegi potest. Ideo Scriptura requiritur, ut homines posteriores illius revelationis, quae ipsis non immediate facta est, participes esse possint. Haec est indoles Scripturae, in qua fundatur tota eius auctoritas, ut sit *authenticum documentum revelationis divinae* [2]. Scriptura non est ipsa revelatio, sed revelationem nobis praesentem reddit, neque est manuale doctrinae christianae, sed documentum religiosum, i. e. respiciens sensum religiosum eumque excitans.

---

wird die Bibel für unsere Betrachtung aus dem natürlichen Gesichtspunkt herausgerückt und unter einen ganz singulären gestellt. . . . Eine solche eximierte und privilegierte Stellung, durch die man sie freilich ehren will, hat sie aber alle Ursache zu deprecieren; denn sie kann ihrer Wirksamkeit nur zum Nachteil gereichen. So verzichte ich denn auf alle Verhüllungen und gebe offen und ehrlich die These, dass die Bibel inspiriert sei, überhaupt auf. . . . Das normative Ansehen der Bibel bleibt so völlig ungefährdet. . . . Dasselbe ist ja schon einfach in ihrer Eigenschaft als Urkunde über die göttliche Offenbarung begründet" (Theol. Studien und Kritiken, Gotha 1860, 262 sq 279). Hae dissertationes etiam in forma libri editae sunt: „Zur Dogmatik", Gotha 1863; ed. 2 1869.

[1] „Und eben deshalb schlägt in ihm die Offenbarung Gottes durch ihn in das reale Menschsein Gottes in ihm um" (Theol. Stud. und Krit. 1858, 47).

[2] „Wie gesagt also, die Offenbarungsurkunde muss uns Spätgebornen die eigene Erlebung der göttlichen Offenbarung vertreten und uns so in den Stand setzen, auch jetzt noch eine unmittelbare persönliche Erfahrung von derselben zu machen. Dies kann sie aber unfehlbar, wenn sie anders wirklich ist, was ihr Name besagt, Urkunde, d. h. eine solche Kunde, die selbst als integrierender Bestandteil der Tatsache mit angehört, welche sie kundmacht" (Ib. 1860, 10 sq).

Haec notio Sacrae Scripturae, ut Rothe ipse effert, non est ea, quam praecedentibus saeculis theologi protestantes habuerunt, quibus Sacra Scriptura erat simpliciter verbum Dei scriptum sine admixtione verborum humanorum. Illis Scriptura erat compendium doctrinale, non documentum historicum. Unde ipsa quoque inspiratio apud illos est res plane diversa ab ea, quam supra expositam audivimus. Verum quidem est, ait Rothe, divinitatem Scripturae probari interno testimonio Spiritus Sancti, at hoc testimonium nihil dicit de genesi Scripturae. Secundum ipsam Scripturam Vetus Testamentum non ideo verbum Dei erat, quia scriptum erat, sed quia erat nuntius eorum, quae Deus hominibus revelaverat. Hoc autem eo magis etiam de Novo Testamento valet, quia revelatio in Christo facta est consummatio totius revelationis. Itaque non sensu aliquo dogmatico Scriptura dicenda est verbum Dei, sed quatenus per Scripturam Deus hominibus loquitur. Ideo ad confusionem vitandam melius omittitur illa locutio „verbum Dei", et pro ea substituitur altera „revelatio".

Quod attinet testimonia Scripturae, Vetus Testamentum nihil docet de inspiratione ad scribendum. Haec doctrina post exsilium babylonicum paulatim exculta est. Neque Christus scripto codici legis sed legi ipsi divinam auctoritatem attribuit. Evangelistae utique et apostoli, ut ceteri Iudaei illorum temporum, ipsos scriptos libros speciali modo ad Deum referebant. At cum eorum principia hermeneutica manifeste admitti nequeant, neque eorum sententia de inspiratione librorum admittenda est [1]. Quia iis deerat sensus historicus, non poterant de natura librorum sacrorum recte iudicare. „Et ita pro me testimonium apostolicum de origine Veteris Testamenti ex inspiratione procedentis non potest esse efficax." [2] Neque magis inspiratio Novi Testamenti probari potest. Apostolos fuisse inspiratos manifestum est, sed scripta eorum speciali modo a Deo esse inspirata nullo indicio innuitur, immo alienum est a spiritu Novi Testamenti. *Omnia argumenta, quibus hucusque conati sunt eorum inspirationem probare, inutilia sunt.* Apostoli, etsi erant inspirati, tamen in conficiendis scriptis suis eodem modo se habuerunt quo quivis scriptor humanus; tantum abest, ut superno impulsu acti sint ad scribendum, ut motiva et externas occasiones scribendi ipsi indicent et in scribendo suum quisque peculiare ingenium sequantur. Ipsis auctoribus sacris numquam in mentem venit se in scribendo alio modo agere atque reliquos homines. Aequiperatio scriptorum Novi Testamenti cum libris Veteris Testamenti paulatim tantum a Christianis facta est.

Sed aliud est testimonium, quod Scriptura de se dat omni homini animo vere religioso ad eam accedenti Testatur enim se esse librum religiosum κατ' ἐξοχήν. Homines in ea loquuntur humano modo, sed homines pleni Dei. Non dogmata infallibilia et ad instar saxorum immobilia ibi cernuntur, sed organismus vivus. Quid iuvaret nos inspiratio illa verbalis veterum, cum neque textus, quem nunc habemus, verbotenus inspiratus sit, neque adsit expositio textus inspirata? Neque distinctio admittenda est inter partem

[1] Ib. 71 sqq.

[2] „Und so kann für mich das apostolische Zeugniss für die Entstehung des Alten Testamentes durch Inspiration nicht den Ausschlag geben" (Ib. 87).

divinam Scripturae et partem humanam, cum omnia in ea unum vivum constituant. Sufficiat igitur, ut sacri auctores fuerint viri inspirati, organa revelationis divinae, cuius ipsi eatenus pars fuerunt, quatenus elementum subiectivum, i. e. inspiratio, in ipsis erat; quare et ipsi soli revelationem authentice exponere poterant. In quantum autem in apostolis primitiva puritas et integritas conscientiae christianae agnoscenda est, in tantum eorum conscientia christiana vim normativam habet pro conscientia omnium Christianorum. Si hoc valet de apostolis, valet de eorum scriptis, et hoc ita quidem, ut putandum non sit eorum actionem in scribendo specifice aliam fuisse atque ceteras eorum actiones spirituales. Sicut apud alios homines, ita etiam apud apostolos maior gradus actionis spiritualis admittendus est in scribendo, qui tamen gradus diversus est in diversis partibus Scripturae.

244. *Haec igitur doctrina de inspiratione non potest considerari ut modificatio veteris doctrinae protestanticae, sed toto genere diversa est*[1]. *Quare pure et simpliciter fatendum est: „Scriptura non est inspirata."* Neque ii audiendi sunt, qui, ut *Beck* et *Philippi* et alii theologi protestantes, renuntiant quidem inspirationi verbali et admittunt solam inspirationem personalem, eam vero tam perfectam, ut vi eius Scripturae adscribenda sit absoluta inerrantia, saltem in rebus religiosis. Scriptura enim non est fons absolute infallibilis alicuius doctrinae religiosae a Deo ipso promulgatae, sed est humanum testimonium de divina revelatione. Nihil magis abfuit a mente apostolorum quam tradere compendium thesium infallibilium. Quamdiu ars critica non valde progressa erat, poterant sibi theologi persuadere in Scriptura non tradi nisi veras doctrinas. Nostra vero aetate *non iam negare possumus in Scriptura esse errores, non in profanis tantum rebus, sed etiam in religiosis, non in parvis tantum, sed etiam in magnis*[2]. Illa ipsa, quae apostoli de Christo scripserunt, non omnia vera sunt, quia simul vera esse non possunt. Nullus ex iis manifestationem divinam in Christo factam absolute recte intellexit, quia singuli ad hoc erant inepti; sed si simul sumuntur, alter alterum corrigit, et ita nobis praebetur facultas ex omnibus colligendi veram Christi ideam. Scriptura igitur continet errores, etiam quantum ad revelationem divinam, sed simul ita comparata est, ut se ipsam corrigat et nobis instrumentum fiat ad revelationem divinam sine errore cognoscendam. Haec est sufficientia Scripturae, quae non est quaerenda in singulis sententiis, sed in totalitate Scripturae[3]. Nostrum est per exegesim et criticam numquam cessantem magis magisque procedere ad conceptus simpliciter veros. Infallibilitas Scripturae est aliquid nostris studiis et inquisitionibus tandem aliquando obtinendum. Ab infallibilitate a priori excludenda sunt: cosmogonia et hamartigenia mosaica, omnes simplices narrationes historicae, omnia, quae ad subtilius artium studium pertinent, quae sunt scientiae cuiuscumque, etiam theologicae, ita in Novo Testamento speculationes theologicae Pauli et Ioannis. Contra vero ea habent absolutam auctoritatem, quae in Scriptura sunt im-

[1] „In Wahrheit ist die erörterte und soeben ausdrücklich gebilligte Ansicht etwas toto genere anderes als die kirchliche Inspirationslehre und involviert ganz bestimmt das Aufgeben dieser letzteren" (Theol. Stud. und Krit. 1860, 246).

[2] Ib. 276 sqq.

[3] „Die Infallibilität der Schrift beruhe auf ihrer Totalwirkung." Ita l. c. 278 secundum Lange et Martensen.

mediata annuntiatio salutis et immediata prophetica expositio revelationis. Hoc igitur maneat fixum: *Scripturam esse fontem historicum, ex quo veram notitiam revelationis divinae haurire possimus, et eam ut fontem historicum esse tractandam per criticam inquisitionem in eius originem et per scientificam expositionem.* Haec crisis non ex scepticismo procedit, sed ex plerophoria fidei, quae vult habere Scripturam talem, qualis est, non qualem theologi fecerunt eam, et quae vult habere certitudinem, non praesumptionem de vera dignitate Scripturae ut documenti historici enarrantis revelationem divinam. Per artem crisis historicae principium formale protestantismi alium prorsus sensum accepit, contra quem veteres theologi protestantes sine dubio cum indignatione pugnaturi essent. At haec mutatio prorsus necessaria est, ut illud principium fiat satis versatile (elasticum) ad vitam ecclesiae protestanticae conservandam, semper idem et semper se accommodans omnibus mutationibus scientiae. Canonicitas cuiusvis libri sacri prius historice stabiliri, i. e. ostendi debet librum esse partem istius revelationis, de qua testatur. Si hoc constat, exspectare licet non defuturum esse internum testimonium Spiritus Sancti. Neque prius quiescere potest crisis historica, dum haec duo momenta internum et externum inter se conveniant. Neque igitur omnes neque solos libros nostri canonis esse canonicos a priori statuendum, sed tamdiu discutiendum est, quamdiu ad plenam certitudinem non pervenimus.

245. Ceterum Sacra Scriptura non est unicus fons cognitionis christianae, cum Deus in toto mundo et in tota historia manifestetur, et consequenter omnia christiano modo cognoscenda sint. Ipsa quoque revelatio non in sola Scriptura vivit, sed multis modis vis est res mundanas movens et in iis apparens. Quare etiam apostolicus modus concipiendi revelationem perfici potest et debet, cum perfecta cognitio eius ut ultimus fructus hominibus ad eam continuo tendentibus proponenda sit. Nos perfectius Christum intellegere possumus quam apostoli. Sacra Scriptura est initium tantum progressus religiosi hominum ex Deo regeneratorum, qui numquam cessare debet. Deus noluit, ut Scriptura esset oraculum, quod a nobis de quacumque quaestione religiosa vel dogmatica interrogatum semper daret infallibile et promptum responsum, sed voluit, ut nisi in sudore vultus nostri de hoc fructu caelesti edere non possemus. Si quis haec audiens timet sibi et Scripturae, se ipsum accuset modicae fidei (Kleinglauben) et studeat sibi parare animum probum et honestum erga libros sacros.

246. Haec excerpenda visa sunt, quia, ut Rothe ipse fatetur et multis allegationibus ostendit, haec est sententia, quae post Schleiermacher apud multos theologos protestantes in Germania praevaluit [1].

[1] „Was ich gesagt, ist nichts weniger als neu und für die Leser dieser Zeitschrift kaum kontrovers. Ich habe ja hier im wesentlichen nichts anderes ausgesprochen, als was die allgemeine Überzeugung unserer modernen ‚gläubigen' deutschen Theologen ist, mit dem alleinigen Unterschiede, dass diese es lieben, sich so viel als immer möglich an die alten kirchlich-dogmatischen Lehrbestimmungen und Ausdrucksweisen anzulehnen, während mein Absehen vielmehr grundsätzlich dahingeht, mich mit diesen möglichst klar und reinlich auseinanderzusetzen, und ich geflissentlich dem Schein ausweiche, als handle es sich für mich nur um eine modifizierende Fortbildung der traditionellen Lehrformeln unserer kirchlichen Theologie und nicht um wirklich neue Gestaltungen der theologischen Lehre, aber freilich einer durchaus, weil grundsätzlich undogmatischen" (Theol. Stud. und Krit. 1860, 331 sq).

Nihilominus nullus ex iis tantum contulit ad hanc doctrinam propagandam et confirmandam, quantum Rothe. Id quidem non obtinuit, ut theologi protestantes renuntiarent vocabulo inspirationis Scripturae Sacrae, cum omnes fere hoc nomen retineant, etsi a re hoc nomine significata quam longissime absunt. Sed post Rothe convenit inter plurimos theologos protestantes in Germania de tribus: a) Vetus theoria inspirationis plane relinquenda est. b) Loco inspirationis verbalis et realis ponenda est inspiratio personalis. c) Scriptura non est verbum Dei, sed est historicum documentum revelationis olim factae. Ita censent theologi, qui „fideles“ vel „conservativi“ vocantur; nam quod attinet theologos „criticos“, hi iam diu ostendisse sibi videntur libros sacros nihil minus esse quam documenta vere historica, sed esse potius magna ex parte fictiones dogmaticas, quibus vix ulla vis insit quidquam nos docendi de factis, quorum testes esse volunt. Saeculo XIX a se destructum esse canonem Veteris Testamenti gloriantur, saeculo XX relictum esse munus etiam Novi Testamenti canonem destruendi et omnem speciem supernaturalitatis iis detrahendi. Aliis verbis, ad Rationalismum purum et simplicem redierunt.

247. Studuerunt nonnulli ex „conservativis“ theologis magis expolire theoriam Doctoris Rothe, adiungentes ad conceptum testium authenticorum notionem charismatis cum munere apostolico conexi. Ita e. g. *Dietzsch* ait: „Obliviscendum non est apostolis Spiritum Sanctum datum esse non solum ratione vitae christianae in genere, sed ad implendam gravissimam vocationem testificationis; collatio Spiritus apud eos primo loco est charisma ad munus pertinens (Amtsbegabung), ipsi inter homines spirituales sunt magistratus spirituales (Geistesbeamten).“ [1] Cum acceperint Spiritum imprimis ad hoc, ut munere apostolico rite fungerentur, eorum verba secundum materiam et formam ad Spiritum Sanctum reducuntur, quatenus verba eorum procedebant ex corde pleno Spiritus Sancti. Quare etsi scribentes, ex propria electione scribebant, prout poterant, omnia tamen non ex ipsis tantum, sed simul a Spiritu Sancto profluebant, qui eorum corda replebat. Hoc igitur sensu, non vero ulla mechanica ratione, in eorum scriptis cernitur „venerabilis stilus Spiritus Sancti“. Sicut ipsis apostolis, ita eorum scriptis Spiritus Sanctus impressit sigillum divinitatis. Idem supponere licet de evangelistis Marco et Luca. Non utique in omnibus et singulis narrationibus historicis vel opinionibus theologicis apostoli infallibiles erant, sed solum quoad ipsam essentiam praedicationis evangelicae. In aliis igitur rebus secundariis errores et defectus admittere licet. Brevi, etsi scripta ipsa non sunt effectus specificae operationis Spiritus Sancti, possunt tamen dici inspirata, quatenus facta sunt a viris, qui habebant speciale charisma muneris apostolici, vel in quibus habitabat Spiritus Dei.

[1] Theol. Stud. und Krit. 1869, 487.

Etiam illi theologi protestantes, qui contra Rothe pugnant, ut e. g. *Hofmann,* conveniunt tamen cum eo in neganda inspiratione, qua Sacra Scriptura specifice differat ab aliis libris, in admittendis erroribus in singulis dictis biblicis, in reponenda auctoritate Scripturae in eo, quod sit documentum authenticum primae historiae religionis christianae. Totam Scripturam simul sumptam esse normam fidei docent, non hunc vel illum textum; neque Sacram Scripturam esse unicam normam, sed aliam, immo potiorem, normam esse „conscientiam christianam". Attamen ne longius faciam, relego eos, qui aliorum theologorum sententias cognoscere cupiunt, ad librum Doctoris *Rohnert,* qui variorum dicta diligenter collegit[1] et ostendit ab omnibus professoribus theologiae protestanticae in Germania reici veterem doctrinam de inspiratione, et communiter receptam esse illam sententiam de Scriptura ut documento revelationis.

Praecipua difficultas huius sententiae ea apparet, quod, si libri sacri non sunt nisi documenta historica, de iis ut de aliis documentis historicis iudicandum est per inquisitiones ad normam artis criticae factas. Hanc autem crisim cum plurimi instituere non possint, impediuntur a recto usu Sacrae Scripturae. Ergo Scriptura, ut instrumentum salutis sit pro omnibus eo modo, quo Protestantes volunt, plus quam documentum historicum sit necesse est[2]. Hanc difficultatem ut superarent, studuerunt assignare Scripturae auctoritatem religiosam, quae neque fundetur vetere inspirationis theoria, neque pendeat a scientificis inquisitionibus. Duo exempla sufficiant ad ostendendum, quas vias ad hunc finem inierint.

248. **H. Cremer** ait: Omnes concedunt originem Sacrae Scripturae non esse referendam ad specialem efficientiam Spiritus Sancti, sed libros sacros esse documenta historica. At hoc non sufficit. Recte *Kähler* aliud addendum censuit.

---

[1] Was lehren die derzeitigen deutschen Professoren der evangelischen Theologie über die Heilige Schrift und deren Inspiration? Leipzig 1892.

[2] „Zwischen der wissenschaftlichen Betrachtung der Bibel und der Stellung des Glaubens zu ihr hat Rothe nicht genügend unterschieden. Ist die Heilige Schrift nämlich nur deshalb Autorität für den evangelischen Christen, weil sie ‚der Inbegriff der geschichtlichen Urkunden über die göttliche Offenbarung' ist, so ist damit sein Glaube auf einen durchaus schwankenden Boden gestellt. Denn dieses Urteil, dass die Schrift eine geschichtliche Urkunde ist, lässt sich natürlich nur mit den Mitteln geschichtswissenschaftlicher Untersuchung begründen. . . . Aber wenn die religiöse Autorität der Heiligen Schrift für den evangelischen Christen nur auf Grund und nach dem Masse wissenschaftlicher Untersuchung feststehen soll, so hat er eben damit das teuerste Gut und die wertvollste Errungenschaft der Reformation, seinen Glauben auf keine andere Autorität als die der göttlichen Offenbarung in Christo selbst ohne Dazwischenkunft irgend einer menschlichen Autorität gründen zu dürfen, wieder eingebüsst" (*P. Gennrich,* Der Kampf um die Schrift, Berlin 1898, 60 sqq).

Secundum eum Scriptura est documentum fundamentalis praedicationis de Christo et salute messianica. Non igitur est nudum testimonium de aliquo facto historico, sed est monumentum primitivae testificationis christianae de salute messianica, eo fine factae, ut legentes et audientes huius salutis participes fiant. Scripturam esse monumentum huius praedicationis de Christo per se evidens est omnibus, qui eam legunt. Haec praedicatio omnibus offertur, ut eam aut admittant aut reiciant, et ut aut admittendo salvi fiant, aut reiciendo peccatum committant. Hac sua vi, qua sub culpa obligat, hoc testimonium se probat plenum Spiritus Dei, nixum praesentia Dei, effectum a Spiritu Sancto. Hic nexus testimonii biblici cum Spiritu Sancto est id, quod vocamus inspirationem. Hanc specialem vim Scripturae omnes experiuntur, qui verba eius ad se referunt et cum animo paenitenti et credenti accipiunt. Non valet obiectio, quod sint qui talem effectum in se non experiantur; nam in ecclesia per omnes aetates haec experientia exstitit et exsistit. Scriptura se semper ecclesiae exhibuit et comprobavit ut normam infallibilem vitae religiosae, ut fontem huius vitae et regulam praedicationis ecclesiasticae. „Hoc est testimonium Spiritus Sancti, ecclesiastica et individualis experientia ponderis Sacrae Scripturae", quae experientia respicit Scripturam ut totum quid; nam in quantum singulae eius partes hoc charactere spirituali polleant, in specie inquirendum est. Ex hac indole, qua Scriptura est documentum primitivae praedicationis de Christo, obligans omnes sub culpa, colligendum est, quid sit inspiratio. Obiectum Scripturae est salus messianica, praedicata, explicata, prophetata. In Vetere Testamento haec salus quasi e longinquo annuntiatur. In Novo Testamento haec salus praesens fit in Christo. Illi, qui primi vocati erant ad hanc salutem in Christo conspiciendam, eo ipso munus et facultatem acceperunt, ut essent testes Dei. Credentes in Christum ad Deum appropinquant, cum in Vetere Testamento haec communio cum Deo in futurum tantum promitteretur. Neque tamen omnes, qui per fidem in Christum accipiebant Spiritum Sanctum, vocabantur, ut testes essent, sed ad hoc requirebatur specialis vocatio et correspondens charisma. Haec prima testificatio est norma omnis sequentis testificationis. Spiritus Sanctus apostolis et aliis testibus electis duo confert: et salutem ipsis impertit et intellegentiam salutis iis dat cum facultate annuntiandi eam. In Vetere Testamento erat solum charisma testium sine experientia salutis iam acceptae. Alia differentia est, quod in Vetere Testamento theopneustia erat influxus transiens, in Novo Testamento habitus permanens. Unde in Novo Testamento omnia ab apostolis scripta inspirata sunt. Quod narrationes historicas attinet, notitia factorum ordinaria via comparari potuit, per inspirationem vero dabatur recta aestimatio factorum. Quare errores in rebus ad salutem non pertinentibus irrepere poterant. Per humanam infirmitatem efficientia Spiritus Sancti non limitatur, sed potius eo clarius manifestatur. Personae enim cum omnibus suis proprietatibus evehuntur, ut suo quisque modo opus Dei promoveant [1].

Hac expositione non valde lucida duo dici videntur: Qui libri inspirati sint, diiudicandum esse experientia interna sive singulorum sive ecclesiae, et rationem ontologicam cur in Scriptura sit vis talem experientiam producendi, esse speciale charisma testium primorum

[1] Realencyklopädie für protest. Theologie und Kirche IX [3], Leipzig 1901, 198 sqq.

praedicationis de Iesu Christo. At manifeste his duobus non efficitur id, quod est demonstrandum et explicandum. Nam plane gratuito asseritur omnibus et solis libris canonicis hanc experientiam produci. Provocatio vero ad testimonium ecclesiae omnium saeculorum vana est; nam hoc testimonium nititur praevia fide inspirationis Sacrae Scripturae, quam fidem praecedentibus saeculis ecclesia omnis semper professa est. Recentiores autem Protestantes prius postulant fidem nullo testimonio ecclesiastico nixam, et ex hac fide deducere conantur inspirationem Sacrae Scripturae. Praeterea in hac suppositione gratis asseritur speciale charisma pro Marco, Luca, aliis, maxime pro multis scriptoribus Veteris Testamenti. Itaque quod Cremer cum Kähler addendum censet ad „theoriam documentorum", scilicet speciale „charisma muneris" (Amtsgnade), ineptum est ad explicandam inspirationem omnium et solorum librorum canonicorum. Quare alii omissa omni quaestione de inspiratione auctoritatem Scripturae ut instrumenti religionis excitandae independenter ab inquisitionibus historicis stabilire nituntur.

249. **Kirn** ait: Religiosa auctoritas absoluta hominibus est necessaria, cum omnis aedificatio spiritualis impossibilis fieret, si continuo dubitatio se obtruderet.

Estne auctoritas, cui fido, critice certa annon? Ex necessitate habendi talem auctoritatem processit theoria veterum theologorum protestantium de inspiratione Scripturae. At hac theoria praescribitur Deo modus agendi, quem ipse observare noluit, et oblivioni datur differentia temporum, status revelationis minus vel magis perfectae, singulorum hominum individualitas, diversa genera litteraria. Neque congruit cum experientia religiosa, cum non omnia in Scriptura aeque ad aedificationem conferant, sed Christiani sua sponte semper ad quaedam fastigia Scripturae redeant, in quibus peccatum et gratia Dei in Christo magis conspicua sint. Solum studium habendi in Scriptura fontem theologiae dogmaticae et polemicae seduxit theologos ad excogitandam doctrinam de origine Scripturae. Reiecta igitur hac falsa doctrina difficultas exsurgit conciliandi absolutam Scripturae auctoritatem cum artis criticae usu. Solutio esset simplex, si meditatio religiosa et consideratio historica plane separari possent. Sed hoc fieri nequit, quia fides nostra pro fundamento habet quaedam facta historica. Neque tamen tota historia revelationis est fundamentum fidei. Christianis Christus est hoc factum centrale, Vetus vero Testamentum praeparatio huius facti; unde nihil refert, etsi lex venit post prophetas. Post Christum apostoli sunt testes et praecones salutis per eum factae. Hi testes erant homines fallibiles, nequaquam immunes ab erroribus et praeiudiciis; eorum scripta prae se non ferunt imperiosos mores magistri morosi. Christus est, quem praedicant. Hoc eorum testimonium firmiter stat, et hoc sufficit. Etsi multa eorum dicta non directe ad Christum referuntur, regionem tamen, in qua facta est revelatio, nobis ob oculos ponunt. Itaque non tota Scriptura est verbum Dei, sed verbum Dei est medulla Scripturae. Auctoritas Scripturae est auctoritas Dei per

Christum; auctoritas autem non est, nisi quod fidem spectat, i. e. Christus solus, non Paulus, non Moyses, vel hi eatenus tantum, quatenus Christus per eos testatur de opere suo salutis. Itaque Scriptura nobis est testimonium de Christo et instrumentum gratiae ortum sub providentia divina. Qui fidem vivam habent, iis Christus sufficiens auctoritas est. Quoad usum religiosum Christiani in tota Scriptura temporariam fiduciam collocant, scientiae vero theologicae Scriptura est principium cognitionis historicum. Attamen tale principium ei tantum esse potest, qui prius per eam ad fidem pervenit[1].

Hic igitur tota dignitas Scripturae ad hoc reducitur, quod apta est ad religiosam experientiam in hominibus producendam. Ex eius relationibus historicis nihil ut essentiale retinetur, nisi quod annuntiat Christum Salvatorem. Sed cum in Scriptura legantur multa de Christo, oritur quaestio, utrum haec omnia tamquam fundamentum fidei requirantur, an nonnulla tantum, et si nonnulla tantum, quae sint haec, et quomodo de eorum veritate historica constare possit. Ad has quaestiones nullum datur responsum. Unde iterum videntur omnia secundum experientiam subiectivam diiudicanda esse, aut, si vere fundamentum historicum requiritur, a scientifica inquisitione dependere.

ART. VI.

DE STATU QUAESTIONIS BIBLICAE, QUI NUNC EST IN GERMANIA.

250. Taediosum et inutile foret singulorum theologorum protestantium opiniones de inspiratione referre, cum ultimis decenniis de hac re in Germania pluries centeni libri vel dissertationes prodierint. Possunt vero omnes hi theologi in tres classes distingui, prout secundum appellationem inter ipsos satis communem sunt aut critici (liberales) aut orthodoxi aut conservativi, vel prout sunt in sinistro cornu aut in dextero aut mediam aciem tenere student

„Critici" theologi insistunt tractare libros sacros ut omnes alios libros, nulla habita ratione canonicitatis. Dicunt dogmate canonis impediri historicam inquisitionem, quae unice conveniat verae scientiae[2]. In libris classicis gentilium multa inveniri, quae verius sint „verba Dei" quam varia dicta Veteris Testamenti[3]. Imprimis tria assignant, quibus permoti recentes Protestantes necessario veterem doctrinam de Scripturae inspiratione et auctoritate reiciant: Didicimus, inquiunt, quid sit historia et scire cupimus, quomodo religio revelata orta sit et sese evolverit. Ideo omnia dogmata, quibus Scriptura eiusque origo et auctoritas extra seriem causarum naturalium ponitur, respui-

[1] Chronik der christl. Welt 1897, 355 sq.

[2] *G. Krüger*, Das Dogma vom Neuen Testament, Giessen 1896.

[3] *A. Trümpelmann*, Die moderne Weltanschauung und das apostolische Glaubensbekenntnis, Berlin 1901, 301.

mus. Secundo progressus fecimus in psychologia et intelleximus certitudinem salutis in nulla re externa sed in interna experientia ponendam esse. Tertio cognovimus religionem non in rebus intermediis inter Deum et hominem, sed in personali habitudine hominis ad Deum consistere. Hac considerandi ratione historica, psychologica, personali factum est, „ut Scripturae auctoritas, quae prius sine difficultate erat fundamentum fidei, nunc, cum ipsa per fidem portari necesse sit, non iam usu venire possit ut principium fidei christianae fixum et ab omnibus concessum“ [1].

Immo mirum videri potest, quomodo secundum sententiam criticorum Scriptura, utpote liber humanus, fallibilis, in variis suis partibus erroribus et turpitudinibus refertus, non sit plane inepta, qua fides et religio promoveatur. Secundum eos e. g. quae de historia patriarcharum in Scriptura narrantur, sunt fabulae, usque ad ultimas reliquias necessario delendae, priusquam ad veram historiam religionis israeliticae pervenire possumus. Christus quidem aliter censuit, at hoc inde explicatur, quod praeiudiciis Iudaeorum imbutus fuit. Vetus religio Israelitarum erat cultus naturae, lapidum, arborum, aquae. Iahve erat Deus tonitrui, cui ut unice cultus exhiberetur, Moyses effecit, qui ita polytheismum destruxit et quibusdam elementis sublimioribus veterem cultum auxit. At haec reformatio religionis erat valde imperfecta, cum conceptus morales et spirituales iuncti essent cum aliis inhumanis et barbaris. Prophetarum praedicatione paulatim effectum est, ut hae notiones populares delerentur, et Iahve fieret Deus vere sanctus et custos ordinis moralis. Nihilominus ne haec quidem reformatio omni ex parte erat perfecta, sed potius erat relapsus in „fetishismum“ quendam, cum Iahve fieret Deus localis, cuius habitaculum esset templum ierosolymitanum [2]. Perfectam ideam Dei et perfectam religionem Iesus Christus tandem nos docuit; neque vero ipse plane liber fuit a praeiudiciis et erroribus, sicut evangelistae quoque et apostoli in multis errarunt [3]. Unde merito quaeritur, quomodo Scriptura, tot fabulis et erroribus scatens, possit esse medium et norma fidei.

251. Respondet **E. Haupt**: Ante omnia notandum est fidem historicam et dogmaticam esse elementa plane aliena a religiositate protestantica. Fides enim religiosa non est nisi organum, quo apprehendimus res aeternas.

Vita religiosa consistit in interna perceptione et experientia harum rerum. Hoc supposito intellegitur, quomodo auctoritas Scripturae non dependeat ab

[1] *G. v. Rohden* in „Die christl. Welt“ 1895, 75 sqq

[2] *J. Meinhold*, Wider den Kleinglauben, Freiburg 1895, 1 sqq.

[3] *E. Hühn*, Die messianischen Weissagungen des israelitisch-jüdischen Volkes I, Freiburg 1899, 10 29; II 282.

historicis vel dogmaticis definitionibus de infallibilitate doctrinae eius, sed unice ab eius efficacia gignendi in nobis fidem religiosam. Non quaeritur, quid Deus olim dixerit aliis hominibus, sed quid mihi ipsi dicat, quando lego Sacram Scripturam. Haec autem experientia interna non supponit ullam certitudinem historicam de rebus olim factis. Etsi ea, quae in Scriptura narrantur de nativitate, vita, doctrina, resurrectione Christi, mihi historice dubia fiant, possum nihilominus experiri Deum per verba Scripturae mihi loqui et me participem reddere rerum aeternarum. Itaque quando per Scripturam fides (sensu protestantico) in homine excitatur, eo ipso ei constat ibi esse verbum Dei, ex quo dein colligitur hoc esse verbum verum, etsi non immediate constat omnia in Scriptura dicta esse vera et Dei verba, quia non omnia illam experientiam religiosam gignunt. Neque putandum est testimonium Spiritus Sancti accedere ad verbum Scripturae, sed illa religiosa efficacia Scripturae est testimonium Spiritus Sancti. Hac via etiam gentilis, qui nihil antea audivit de Scriptura neque eius historicae veritatis examinandae capax est, tamen auctoritatem eius religiosam experiri et ei se subicere potest. Et quia totius Scripturae finis est manifestatio voluntatis Dei salvificae, etiam tota Scriptura hoc sensu auctoritas religiosa est, quia ubique in Scriptura haec idea apparet, aliis locis magis, aliis minus. Haec vestigia Dei in tota Scriptura invenire idem est ac Scripturam secundum analogiam fidei exponere.

Quatenus omnes, qui ad fidem excitati sunt per Scripturam, constituunt communitatem religionis, huic communitati Scriptura fit norma doctrinae. Nam qui credidit evangelio, non potest non facere evangelium normam ad diiudicandas experientias suas religiosas. Efficacia Scripturae non ad singulos tantum homines se extendit, sed etiam ad communitatem, producens in ea novam cognitionem. Omnes quaestiones, quae umquam inter Christianos ortae sunt, solutae non sunt per speculationes novas, sed per recursum ad Scripturam, et Scriptura se semper probavit sufficientem ad omnes quaestiones solvendas. Nullus liber nominari potest, quo ad canonem addito lacuna aliqua essentialis expleretur, sed canonici libri semper et ubique sufficiunt. Itaque quia Scriptura hucusque hanc sufficientiam semper probavit, ecclesia concludit Scripturam esse unicam normam a Deo constitutam doctrinae religiosae diiudicandae. Ergo ne ad hanc quidem auctoritatem Scripturae stabiliendam ulla inquisitio historica necessaria est, sed sufficit constans ecclesiae experientia. At hoc solum valet, si Scriptura ut totum quid sumitur, non valet, si sermo est de singulis eius dictis, quia singula per se sumpta possunt ad pessimos errores ducere et duxerunt. Unde argumentum biblicum non ex singulis dictis efficitur, nisi prius ostensum fuerit, „sententiam aliquam esse partem organicam totius Scripturae vel habere nexum organicum cum evangelio“. Ut autem hoc ostendatur, imprimis requiritur intellectus historicus, i. e. requiritur, ut perspiciatur, quid sacri scriptores verbis suis voluerint dicere, et consequenter, quae sint conditiones seu circumstantiae, in quibus orti sunt singuli libri sacri, quia his circumstantiis non perspectis verus sensus erui non potest. Hac ratione etiam cognoscitur, quis fuerit religiosus intellectus singulorum auctorum sacrorum, et quae fuerit via, qua regnum Dei sese evolvit. Haec historica inquisitio et expositio est necessaria condicio, ut procedi possit ad crisim religiosam, quae in eo consistit, quod secundum perfectam illam manifestationem Dei, quae facta est in Christo,

reliquae doctrinae religiosae sacrorum librorum mensurentur. Sic apparebit non omnia in Scriptura contenta posse esse immediatam normam doctrinae, et tamen ex altera parte salvificam operationem Dei nuspiam deesse. Etiam ipsi errores, qui hoc modo deteguntur, non minus promovent religiosam cognitionem quam veritas. Ceterum notandum est perfectum intellectum Scripturae non quovis tempore exsistere in christiana communitate, sed paulatim accrescere; tamen quae singulis temporibus necessaria sunt, ecclesia in Scriptura semper inveniet. Haec igitur differentia est inter singulos et ecclesiam: singuli in Scriptura habent infallibilem auctoritatem respectu vitae suae religiosae, ecclesia vero non habet infallibilem intellectum Scripturae respectu doctrinae, etsi intellectus ecclesiae debeat esse principium et norma ad perficiendum et corrigendum intellectum singulorum [1].

252. Itaque *secundum hanc doctrinam ne minima quidem fides historica necessaria est, ut homo ad fidem religiosam perveniat,* sed haec fides oritur, quotiescumque homini bene disposito per Scripturam Christi vita et doctrina proponitur. Ei autem, qui hanc fidem habet, tam firmiter persuasum est de realitate Iesu, ut nulla inquisitio historica hanc persuasionem evellere possit. Haec igitur persuasio historica non praecedit fidem religiosam neque eius fundamentum est, sed potius ex fide religiosa ut radice pullulat. Est haec theoria communis „scholae ritschlianae", cuius multi asseclae sunt in Germania. Unus ex iis, Harnack [2], censet totam religionem christianam comprehendi his duobus verbis: anima eiusque Deus. Ad hanc autem religionem habendam sicut nulla facta historica, ita nulla Scriptura Sacra opus est. Sensum dependentiae ab absoluto, et quae hunc sensum sequuntur, homo etiam sine Scriptura habere potest. Unde superfluum videtur adeo pro auctoritate Scripturae pugnare, et singulis relinqui potest, quid de hac auctoritate secundum experientiam suam religiosam censere velint. Quodsi Haupt dicit sine nuntio de Christo non posse oriri fidem salvificam, Harnack e contra vult nuntium de Christo omnino non pertinere ad evangelium, sed solum nuntium de Deo patre nostro.

Alii igitur Protestantes videntes hoc modo religionem construi, cui immerito nomen christianae imponatur, aliquam fidem historicam necessariam esse docent. Nam, inquiunt, ut imago Iesu Christi alicui homini proposita eum moveat ad credendum, non debet ei apparere ut pura fictio sine realitate, sed homo debet fidere Scripturae saltem quoad illa fundamentalia facta, in quibus fides christiana cernit revelationem divinam. Ergone necessaria est inquisitio historica? Respondent non esse, cum communitas christiana, ex qua libri sacri Novi Testamenti prodierunt, sit argumentum sufficiens hos libros esse verum testimonium de factis, quibus innititur christiana communitas.

---

[1] *E. Haupt,* Die Bedeutung der Heiligen Schrift für den evangelischen Christen, Bielefeld und Leipzig 1891.

[2] In libro „Das Wesen des Christentums", Leipzig 1900.

Itaque historice ecclesia testatur de Scriptura, Scriptura testatur de Christo, dein vero Christus sic hominibus notus factus movet ad fidem religiosam [1].

253. *„Conservativi" theologi* reiciunt illam opinionem, secundum quam tota auctoritas Scripturae nititur subiectiva singulorum experientia, et student ei aliquam obiectivam auctoritatem vindicare. Ideo imprimis retinent illam considerationem Scripturae ut documenti authentici revelationis divinae. Ne tamen videantur renuntiare scientiae criticae, statuunt auctoritatem non singulis dictis, sed Scripturae ut uni toti tribuendam, in singula vero critice inquirendum esse, ut discernatur, utrum vera an falsa sint. Deus, inquiunt, ita singulos libros Scripturae voluit et scribi curavit, ut hoc totum fieret, cuius singulae partes ita inter se cohaerent, quasi esset unus liber unius scriptoris. Tota Scriptura nobis ostendit viam salutis, quae via est Christus, non historia, non physiologia, non geologia. De his rebus disputant docti, omnes vero ad salutem ducere est finis Scripturae, in quantum est auctoritas religiosa [2].

Ergo in Scriptura sunt divina et humana, vera et falsa. Quomodo haec distingui possunt, ne quis falsa amplectatur putans se sequi Dei dicta? Commune responsum est: Non in rebus naturalibus sed in rebus religiosis competit Scripturae auctoritas, etsi non exacte dici possit, qui sint utrarumque rerum limites. Ergone saltem omnia, quae in Scriptura ad doctrinam sacram et mores pertinent, indiscriminatim admittenda sunt? Nullo modo; nam et in Novo Testamento et maxime in Vetere multa inveniuntur, quae manifestant religiosam dispositionem illorum hominum, sed quae non simpliciter ut norma recipi possunt. Certa quidem praecepta tradi nequeunt, secundum quae discernatur inter vera et falsa. Neque hoc opus est. Plurimi enim, qui Scripturam legunt, hanc distinctionem cotidie faciunt, non advertentes, solo sano sensu ducti, quia statim sentiunt, ubi religiosam aedificationem inveniant, ubi non inveniant [3]. Plerumque Christiani in suis Bibliis

[1] *Gennrich,* Der Kampf um die Schrift 142 sqq.

[2] *Ch. E. Luthard,* Evang.-luth. Kirchenzeitung 1895, 649 sqq.

[3] „Im Alten Testamente gibt es viele Partien, zu deren Abfassung Pünktlichkeit, Gedächtnis und Überlegung der Menschen vollkommen genügten. . . . Daher es unbegründet, sogar gegen die Ehrfurcht ist, den Heiligen Geist damit zu belasten. Dass diese Belastung der Ehrfurcht widerspricht, muss bei Schmutzgeschichten, wie die von Juda und Thamar oder von der Schandthat von Gibea, auch blöden Augen einleuchten, muss besonders grell in ein offenes Auge leuchten bei dem Büchlein Esther, das sich der Vergeltung des Bösen durch Böses erfreut. Die Bibel selbst verbittet es sich, alle Worte Hiobs und seiner Freunde dem Geiste Gottes zuzuschreiben. . . . Im Neuen Testamente ist indessen nur wenig, was nicht gelten kann für Gottes Wort, doch fehlt es nicht ganz. . . . Das tiefe Misstrauen, welches bei vielen ernsten Christen dem Satze entgegentritt, dass das Gotteswort enthalten sei im Bibelwort, gründet in der Besorgnis, dass kein sündiger Mensch die Grenzlinie zu ziehen vermöchte zwischen den Bibelworten, welche nicht, und denen, welche Gotteswort. Diese Besorgnis ist, weil Sache des christlichen Gewissens, der Achtung wert, berechtigt aber ist sie nicht. . . . Tatsächlich geschieht gerade durch die ernstesten Bibelleser alle Tage innerhalb unserer Bibel selbst das Auswählen. An

ea tantum respiciunt, quae maioribus typis impressa sunt [1]. Scriptura nostra nimis ampla est pro illa fide, quae debet esse sicut granum sinapis; nam multa in ea sunt, quae ne a theologis quidem intelleguntur, fides autem ait: scio, cui credidi. Unum est in Scriptura, quod illuminat omnem hominem: Iesus Christus. Reliqua praeter divina multa humana continent. Haec paulatim inter se separare theologiae est, cuius critica inquisitione magis magisque removentur terrena et temporanea, quo clarius elucescant caelestia et aeterna. Sic Scriptura, quo magis quantitative decrescit, eo magis qualitative accrescit. Neque aliud est nisi signum modicae fidei, si quis lamentari incipit, quoties sententia in Scriptura contenta reicienda est [2].

Inter „conservativos" igitur theologos, etsi alii aliter explicant singula, de his fere convenit: *Reicienda est inspiratio verbalis et admittenda inspiratio personalis.* Viri inspirati libros conscribentes, salvificam Dei operationem, quam ipsi prae reliquis experti sunt, aliis exponere voluerunt; ea autem, quae ad salutem non pertinent, secundum conceptus populares suae aetatis proposuerunt. Praeterea nullus ex iis est, qui revelationem divinam perfecte intellexit, sed singuli manco tantum modo et ex parte eam tradunt, ita ut alter per alterum corrigendus sit. Neque igitur Scriptura est verbum Dei, sed in Scriptura est verbum Dei simul cum verbis hominum. In verbo Dei scripto, sicut in Verbo incarnato, sub infirmitate humana latet maiestas divina. Consequenter non singuli textus sunt infallibiliter veri, sed tota simul Scriptura continet revelationem infallibiliter veram. Haec autem revelatio facta est, ut homines adducantur ad fidem salvificam; unde qui bene dispositus ad Scripturam legendam accedit, audiet ibi Deum sibi promittentem salutem, concipiet fiduciam, salvus erit. Utrum homines hoc modo ad fidem perveniant legentes quoscumque textus, etiam eos, quos critici iam erroneos declararunt vel declarabunt, an eos tantum textus legentes, quos scientia critica numquam reiciet, et unde constet hos textus esse tales, non solent explicare. Communiter tamen distinguunt inter usum Scripturae ad finem religiosum et ad finem scientificum. Student etiam interdum scientiae assignare fines, ultra quos non liceat progredi, ne vel ad ipsam religionem Scriptura fiat inutilis. Attamen haec sunt futilia fere tentamina, et tandem aliquando nihil remanet, nisi ut homines committantur subiectivae suae experientiae et testimonio, quod praetendunt, Spiritus Sancti. Scientia vero theologica, quia ad haec non potest provocare ut ad argumenta, omni fundamento dogmatico destituitur et ad inquisitiones criticas, exegeticas, historicas reducitur. Quae si ita sunt, theologia dogmatica non potest esse nisi systema

---

vielem gehen sie vorbei . . . weil der Hunger nach Gerechtigkeit keine Stillung dort findet" (*W. F. Gess*, Die Inspiration der Helden der Bibel und der Schriften der Bibel, Basel 1892, 423 sqq).

[1] *M. Kähler*, Unser Streit um die Bibel, Leipzig 1895.

[2] *R. F. Grau*, Zur Inspirationslehre, Leipzig 1892.

propositionum, quibus sensus religiosus communitatis christianae, qui hic et nunc est, exponitur, et quae mutato hoc sensu mutandae sunt.

254. Hac ratione cum nihil maneat stabile et certum, sed omnia fluere et diffluere incipiant, *theologi „orthodoxi"* omni vi reclamant contra hanc doctrinam heterodoxam.

Audiatur unus ex iis: Ipsi professores theologiae „studiose occupantur in dilacerando verbo Scripturae divinitus inspirato. . . . Etsi alius alio minus male agat, tamen omnes fere professores universitatum [in nota subiecta unus excipitur] in hoc conveniunt: Scriptura est fallibilis nec sine defectibus, contradictionibus, erroribus. . . . Theologia nostrae aetatis, non obstantibus magnificis locutionibus de revelatione et verbo Dei, non iam vero sensu habet verbum Dei; neque enim, sicut pii nostri parentes, in quovis capite, in quovis versiculo Scripturae invenit verbum Dei, sed quaerit, quid sit veritas, sicut Pilatus, nec quaestionem solvit. Hinc ille dissensus, illa perpetua disputatio inter professores theologiae, quorum alius destruit, quae alius aedificavit, alius addubitat, quae alius ut prorsus certa statuit, quorum suum quisque systema, suum modum procedendi, suas speculationes habet. . . . Et a talibus quidem professoribus futuri pastores animarum ad sacrum munus praeparantur. Nonne haec est intolerabilis rerum condicio et damnum pessimum? Nonne adulescens studiosus, percipiens ab omnibus principalibus doctoribus theologiae et philosophiae Scripturam fallibilitatis accusari, praeiudicio imbuetur, quasi auctoritas Scripturae sit valde mediocris et debilis, cum Scriptura, utpote erroribus infecta, non multo plus valeat quam alius bonus liber humanus? Licetne ei talem dubitationem in animo habenti ad sacrum verbi ministerium accedere et, quando hoc munus suscipit, iuramento promittere se verbum Dei Veteris et Novi Testamenti, legem et evangelium secundum libros symbolicos praedicaturum esse? . . . O magnam miseriam! O abominationem in loco sancto! . . . Quid mirum, quod, principio formali ecclesiae evangelicae ita in dubium vocato, materiale quoque principium vacillare coepit, fides ecclesiastica magis magisque dilabitur, ecclesia evangelica in dies decrescit? Sane aliter fieri nequit, nisi ut fundamento recedente domus superaedificata firmitate privetur, ut reiecta fide verbi Scripturae, a Spiritu Dei secundum materiam et formam inspirati, infidelitati ianua pateat et ecclesia in perniciem ruat." [1]

Has lamentationes non professores tantum, sed etiam multi „pastores" irridٍent tamquam signum modicae fidei, immo tamquam signum principii protestantici plane non intellecti, cum Protestantismus non sit legalis quaedam religio, ut olim Iudaismus, sed potius libertas filiorum Dei, non serviens litterae, sed in spiritu ambulans, et alia similia. Unde considerant „orthodoxos" ut a mente Lutheri et „reformationis" plane alienos. Neque vero „orthodoxi" ex sua parte parcunt epithetis multis et fortibus ad nequitiam „liberalium" theologorum describendam [2]. At fatendum est redintegrationem veteris

[1] *Rohnert,* Was lehren die derzeitigen deutschen Professoren . . . 2 sqq.

[2] E. g. *A. Zahn,* Ernste Blicke in den Wahn der modernen Kritik des Alten Testamentes, Gütersloh 1894.

theoriae lutheranae de inspiratione Scripturae in Germania videri rem desperatam, cum pauciores in dies fiant eius defensores, „conservativi" vero theologi ita inter se dissentiant et expositionem tam obscuram et argumenta tam infirma proponant, ut „critici" sibi non immerito victoriam promittant et omnem inspirationis theoriam mox inter Protestantes plane superatum iri sperent.

ART. VII.

DE PROGRESSU QUAESTIONIS DE INSPIRATIONE IN GALLIA, HELVETIA, HOLLANDIA.

255. Sicut in Germania Lutheranismus, ita in aliis Europae regionibus Calvinismus maxime propagatus est. At quod spectat inspirationem Scripturae, eadem fere fuit doctrina veterum Calvinistarum atque Lutheranorum, idem doctrinae progressus et exitus. A Calvini sententia, qua Scriptura ut unica et sufficiens norma religionis et doctrinae statuebatur, Calvinistae paulatim processerunt ad artissimam inspirationis theoriam excolendam, a qua rursus recesserunt usque ad negationem omnis verae inspirationis. Historiam huius rei descripsit *E. Rabaud* libro iam memorato [1], cuius expositionem breviter recapitulare sufficit.

Calvini discipulus *Theodorus Beza* in „Confessione christianae fidei" c. 4, a. 22 sqq statuit Deum legis et evangelii pariter esse auctorem; et quidem initium scribendi libros sacros factum esse, quando Deus suis manibus duabus tabulis consignaverit decem mandata. Alia quidem scripta sacra ab hominibus confecta esse, attamen dictante Deo, ita ut Deus sit proprius auctor, homines vero simplices scriptores sacrorum librorum. Quae tamen sit natura inspirationis, non explicat, sed potius, ut alii novatores illius aetatis, insistit in inculcanda sufficientia Scripturae.

Ita in tractatu „De veris et visibilibus ecclesiae catholicae notis" [2] ait: „Aeque absurdum esse credimus existimare apostolos aliquid nescivisse mysteriorum christianorum, vel non omnia mundo revelasse atque non omnia ad salutem necessaria scriptis tradidisse, vel denique non ita tradidisse, ut vel ex se non satis pateant, vel, si quid obscurius scriptum est, aliunde quam ex ipsismet eorum scriptis vera sit eorum interpretatio accersenda." Multa quidem in Scriptura esse obscura et difficilia, sed ea, quae ad salutem sint necessaria, clare ibi doceri. „Ac nisi doctrinae ac religionis christianae necessaria capita sic plane ac perspicue, populariter denique propheticis et apostolicis scriptis explicata sunt, ut in ecclesia percipi (interveniente Dei Spiritu, qui sanctos omnes suos illustrat) manifeste possint, quorsum ad Scripturas suos auditores Dominus ablegaret? Quorsum et prophetae et ipse

[1] Histoire de la doctrine de l'inspiration des Saintes Écritures dans les pays de langue française de la Réforme à nos jours, Paris 1883.

[2] Genevae 1579, 31 sqq.

quoque Christus et apostoli locuti fuerint, si intellegi illa noluerunt, quae scire omnes oporteret?" Veterum expositiones non esse reiciendas, sed postulandum, „ut haec omnia ad divini verbi scripti normam accurate exigantur". Breviter, Beza ea repetit, quae iam (n. 215 sq) Calvinum exponentem audivimus.

256. Calvini Institutiones, etiam quod attinet inspirationis doctrinam, diu manserunt quasi regula fidei apud eius sectatores, a qua recedere nulli liceret. Paulatim tamen incipiebant conceptum inspirationis artius circumscribere et fortius exaggerare. *Benedictus Turretinus* inculcat Scripturam esse „opus manus Dei, descendens ab eius inspiratione, comparatum per eius sapientiam", „syngrapham Testamenti" divini, quam Deus non permisit ullo modo corrumpi, cuius scriptores fuerunt „amanuenses et notarii caelestes". Cum non sit credibile Deum dedisse legem suam modo mutilo, „plures censent puncta iam fuisse ante Massorethas" [1]. Turretini liber, a Pastoribus Genevensibus approbatus, communem illius aetatis (saec. XVII) doctrinam exhibet. Omnibus persuasum erat Scripturam Sacram non tantum esse verbum Dei, Spiritu Sancto dictante conscriptum, sed etiam hoc verbum Dei sine ulla corruptione ad nos pervenisse. Ceterum theoria inspirationis non excolebatur, sed doctrina ipsa ab omnibus admissa supponebatur et practice applicabatur: Scriptura, qualis tunc exsistebat, erat verbum Dei pure et simpliciter. Quae doctrina in formula consensus ecclesiarum helveticarum occasione disputationum Ludovici Cappelli sollemni modo declarata est (supra n. 219). De eadem re *Ioannes Clericus* scribit: „Communiter credunt et res ipsas historicis sacris fuisse inspiratas et simul terminos, quibus eas exprimebant, ita ut historia sacra verbotenus fuerit dictata per Spiritum Sanctum, et sacri scriptores, quorum nomina prae se fert, non fuerint nisi amanuenses, qui scribebant, in quantum ille dictabat." [2] Addit hanc rem a plurimis theologis sine ulla discussione admitti; ipse vero eam impugnat.

257. Primae *mitigationes huius doctrinae* processerunt a professoribus Academiae Salmuriensis (Saumur), inter quos *Caméron* inculcat differentiam inter verbum Dei et libros, quibus contineatur, et docet res esse inspiratas, non verba, principalem esse quaestionem de divinitate ipsius doctrinae; utrum vero per canalem inspiratum ad nos pervenerit an alia via, esse accidentarium. Non negat inspirationem, at praecipuas partes ipsis rebus revelatis vult esse tribuendas [3]. Nihilominus discipuli Cameronis ut *Moyses Amyrault* et alii huic distinctioni non insistunt, sed potius efferunt Deum esse auctorem totius

[1] Défense de la fidélité des traductions de la Sainte Bible faites à Genève 1619, 7 14 52 135.

[2] Sentimens de quelques théologiens de Hollande sur l'histoire critique du Vieux Testament composée par Richard Simon de l'Oratoire, Amsterdam 1685, 232.

[3] Cameronis opera, Genevae 1658, 472 sqq 597.

Scripturae et omnia et singula, quae in ea contineantur, a viris Spiritu divino afflatis esse conscripta et a Deo ad homines dicta. Omnem vero vel minimam restrictionem inspirationis cum indignatione reiciunt. Nihilominus viam pararunt futurae mutationi huius doctrinae, quatenus coeperunt minus premere internum testimonium Spiritus Sancti magisque inquirere in externa argumenta genuinitatis et inspirationis librorum sacrorum. Maxime efferebant antiquitatem et perpetuitatem, deinde genus dicendi et alias proprietates Sacrae Scripturae, quas Lutherani quoque solebant explicare (e. g. supra n. 226). In locum internae experientiae, quam Calvinus et alii ut testem inspirationis statuerant, successerant argumentationes syllogisticae et probationes historicae. Sed reiecta auctoritate ecclesiastica, reiecto interno testimonio Spiritus Sancti, ratio humana, quae in auxilium veteris doctrinae vocabatur, ex potestate auxiliatrice potuit fieri potestas inimica et facta est. Primum quoddam initium rationis contra veterem doctrinam protestantem rebellentis apparuit in negatione antiquitatis punctationis massorethicae, quemadmodum videre licet in disputatione Cappelli cum Buxtorfiis de punctorum vocalium origine (supra n. 219), qua disputatione finita negari iam non poterat in textu sacro, qualem nunc habemus, elementa quoque humana inveniri. Si vero ita est, ubi sunt limites divinorum et humanorum, et quomodo definiri possunt? Hae erant anxietates, quae mentes discipulorum Calvini diu vexabant, et quas frustra dogmaticis definitionibus superare conabantur.

258. Ad hoc accedebat, quod non soli philosophi sceptici saeculi decimi septimi coeperant addubitare veritatem traditionis veteris, sed quod etiam ex ipsis Calvinistis *Arminiani,* a synodo Dordracena damnati et ex Hollandia eiecti, paulatim magis magisque audacter aggressi sunt doctrinam biblicam adversariorum suorum. *Hugo Grotius* simpliciter negat omnes libros canonicos esse a Spiritu Sancto inspiratos. „Vere dixi non omnes libros, qui sunt in hebraeo canone, dictatos esse a Spiritu Sancto; scriptos esse cum pio animi motu non nego, et hoc est quod iudicavit Synagoga Magna, cuius iudicio in hac re stant Hebraei. Sed a Spiritu Sancto dictari historias nihil fuit opus; satis fuit scriptorum memoriam valere circa res spectatas, aut diligentia in describendis veterum commentariis. Vox quoque Spiritus Sancti ambigua est; nam aut significat, quomodo ego accepi, afflatum divinum, qualem habuere tum prophetae ordinarii tum interdum David et Daniel; aut significat pium motum sive facultatem impellentem ad loquendum salutaria vivendi praecepta vel res politicas vel civiles.... Si Lucas divino afflatu dictante sua scripsisset, inde potius sumpsisset auctoritatem, ut prophetae faciunt, quam a testibus, quorum fidem est secutus." [1] Itaque Grotius vult sola vaticinia et dicta Christi esse

[1] Opera theol., Amstelodami 1679, 672.

sensu proprio verba Dei, historicas vero narrationes a sapientibus et prudentibus hominibus ex pio animi motu esse conscriptas.

Similiter *Ioannes Clericus* (Leclerc), theologus Arminianus, theoriam Calvinistarum vehementer impugnat in libro, quo examinat Richardi Simon Historiam criticam Veteris Testamenti, neque aliam agnoscit auctoritatem nisi sanae rationis [1]. Pentateuchum Moysis esse negat, libros Esther et Iudith vult esse historiam ad placendum compositam, multa vaticinia prophetarum secundum litteram non esse impleta etc., maxime vero inspirationem verbalem sine ullo fundamento asseri. Nihilominus tenet Sacram Scripturam esse fundamentum fidei christianae, cum verba Iesu Christi, ab evangelistis fideliter relata, sint infallibilia, prophetae ab ipso Christo approbati, apostolorum vero doctrina cum ipsius doctrina plane conformis. Si ea tantum retineantur, quae in Scriptura ut verbum Dei docentur, theoria vero de modo, quo hae res scriptae sint, relinquatur, censet Clericus multo melius auctoritati Scripturae consuli et obiectiones, quae contra eam fiant, posse refutari.

259. Itaque manifestum est iam saeculo XVII veterem inspirationis theoriam a quibusdam Calvinistis plane reiectam esse. Et tum quidem hi a plurimis Calvini asseclis habebantur manifesti haeretici, sed saeculo XVIII haec res sensim sine sensu mutabatur et rigor veteris theoriae apud multos magis magisque mitigabatur, maxime quando opiniones theologorum rationalistarum Germanicorum etiam in Gallia spargi coeperunt. Initio saeculi XIX *Isaias Gasc,* professor facultatis theologicae Montalbanensis (Montauban), imprimis reiciebat omnem inspirationem verbalem, quoad res ipsas vero negabat supernaturalem influxum Spiritus Sancti, quotiescumque sacri scriptores poterant naturaliter cognoscere et fideliter referre ea, quae scribenda erant. Totum Vetus Testamentum secundum eum non continet ullam ideam religiosam, quam homines non possunt per se ipsos invenire. Ad quid igitur inspiratio? Etiam apostoli multa proprio marte scripserunt; attamen quando ipsi insufficientes erant ad doctrinam salutis recte et apte tradendam, Spiritus Sanctus eos speciali modo dirigebat et ab errore immunes reddebat. Alia, quae ad salutem indifferenter se habent, non sunt ad specialem inspirationem Spiritus Sancti referenda [2]. Haec doctrina a primitiva Calvinistarum theoria toto caelo diversa in una ex principalioribus eorum academiis tradebatur. Huic vel simili „latitudinarismo“ plurimi pastores calvinistici in Gallia et Helvetia favebant initio saeculi XIX.

260. At decursu temporis contra hunc rationalismum vehemens oppositio facta est, quae vocabatur *Réveil,* et eo tendebat, ut vetus

[1] Cf. Réponse au livre intitulé Sentimens de quelques théologiens de Hollande sur L'histoire critique du Vieux Testament. Par le Prieure de Bolleville. Amsterdam 1686. [2] *Esaïe Gasc,* Cours inédit de théologie dogmatique, 1811.

doctrina restitueretur. Restituenda erat Scriptura in veterem dignitatem, qua erat regula fidei unica, sufficiens, absoluta, plane infallibilis.

Huius renovationis theologus dogmaticus erat *L. Gaussen,* qui opere, cui titulus: „Théopneustie ou pleine inspiration des Écritures" (Paris 1840) veterem theoriam protestanticam omni vi defendere conatur. Scriptura, inquit, tota et totaliter Dei opus est, descendens a divina inspiratione. Est autem inspiratio „influxus mysteriosus et inexplicabilis, quem Spiritus divinus exercuit in auctores Scripturarum Veteris et Novi Testamenti, ut eos impelleret ad eas componendas tales, quales ab eorum manibus ecclesia recepit, et ut eos dirigeret vel in ipsa electione vocabulorum, quibus utuntur, et ut eos servaret immunes ab omni errore et omissione" (p. 1 et 16). Quia Deus est, qui in Scriptura loquitur, rationi humanae non incumbit nisi officium tacendi et se subiciendi. Nulla sub hoc respectu facienda est differentia inter varios Scripturae libros, quia omnium auctor idem Deus est, cuius humani scriptores instrumenta sunt. Instrumenta utique rationalia sunt, quorum peculiari indoli Spiritus Sanctus se accommodavit, ita ut neque personalitas humana evanesceret, neque expressio divina idearum divinarum per imbecillitatem humanam ullo modo detrimentum caperet. Potest tamen fieri, ut inspirati se plane passive habeant, immo ut Deus utatur instrumentis inanimis ad scribendum, sicut in convivio Baltassaris manus in pariete apparens scripsit. Non minus Deus omnia in Scriptura scripsit, etiam ipsa vocabula. Est autem inspiratio non donum permanens, sed influxus transiens, consistens in impulsione ad loquendum et scribendum et in suggestione idearum et verborum. Ulterius non possumus penetrare hoc mysterium, quia Spiritus Sanctus „numquam explicavit, quomodo cogitationes Dei infundat in cor alicuius fidelis discipuli, neque quomodo ponat verba Dei in ore prophetae". Haec inspiratio non potest argumentis demonstrari, sed Scriptura ipsa est sibi sufficiens argumentum inspirationis suae, quam testatur. Obiectionibus, quae contra Scripturam moventur, respondendum non est per „evasiones", i. e. per restrictionem inspirationis sive quoad res sive quoad verba, sed tenenda est inspiratio verbalis secundum totum rigorem. Si possumus difficultates solvere, solvamus; si non possumus, divinae auctoritati credamus. Non est maior arrogantia „quam hominis, qui agnoscens Scripturam esse librum divinum, audet sua manu in ea separare pura ab impuris, inspirata a non inspiratis, Deum ab homine" (p. 239). Critica non excluditur quidem, at non est nisi ancilla ostiaria, cuius est aperire ianuam templi, non vero in ipso templo regnare. Ostendat genuinitatem librorum, authentiam versionum, inquirat quando et a quibus singuli libri scripti sint, aliaque similia. Sed postquam introduxit hominem in notitiam librorum divinorum, taceat, recedat; neque enim nostrum est iudicare de his libris, cum hi libri iudicaturi sint nos.

261. At aetas doctrinae tam „orthodoxae" elapsa erat. Inter alios *Adolphus Monod,* qui initio eidem opinioni adhaeserat, postea aliter sentire coepit. In collectione sermonum: Adieux d' Adolph Monod à ses amis et à l'Église, octobre 1855 à mars 1856, capite vigesimo agit de Scriptura Sacra. Eam considerat non tam ut regulam fidei et doctrinae, quam ut normam vitae et morum. Deus in ea loquitur per homines ad homines. Hominum infirmitates et ignorantiae in ea

ubique apparent; nihilominus quod attinet facultatem sanctificandi homines, nullus alius liber cum Scriptura comparari potest. Theoria vero inspirationis a Monod nulla exponitur, quia nolebat agere in intellectum, sed in pios affectus hominum.

Sicut Monod ex ratione pietistica, ita *A. Coquerel* via rationalistica restringebat inspirationem [1].

Negat inspirationem verbalem, concedit solam supernaturalem transmissionem idearum. Deus, utpote ens intellegens et amans, non potuit se non revelare hominibus. Quomodo haec revelatio facta sit, ignoramus, nisi quod omnino dicendum est eam factam esse conformiter cum natura humana. Unde sua sponte variae limitationes inspirationis colliguntur. Deus imprimis inviolatam esse voluit libertatem humanam; itaque non cum tanta evidentia revelationem hominibus obiecit, ut hi irresistibili potentia opprimerentur. Secundo noluit dare tam completam revelationem, ut exercitio rationis humanae non iam ullus campus pateret. Unde revelatio non solum continet multa obscura, sed in iis, quae ad scientiam naturalem attingunt, etiam errores. Tertio revelatio nobis transmissa est per linguam humanam, lingua autem externa numquam est adaequata expressio internorum conceptuum. Unde sub hoc triplici respectu inspiratio limitatur. Exsistere autem inspirationem admittendum est non propter testimonium scriptorum sacrorum neque propter specialem indolem Scripturae vel religionis christianae, sed propter vaticinia impleta et miracula.

262. Alius theologus calvinianus, qui prius sententiam doctoris Gaussen secutus fuerat, sed postea ab ea plane defecit, est *Edm. Scherer,* qui, cum intellexisset se non iam posse consentire cum doctrina ecclesiae Genevensis, anno 1849 renuntiavit muneri professoris theologiae, quo Genevae fungebatur, et rationes huius rei exposuit libello „La Critique et la Foi“ (Paris 1850).

Obicit ecclesiae calvinisticae, quod loco illius auctoritatis, quam ecclesia catholica agnoscit, plane arbitrarie novam auctoritatem visibilem creaverit constituendo Scripturam unicam, perfectam, infallibilem regulam fidei. Hoc autem principium neque ex historia neque ex religiosa singulorum hominum experientia probari posse; multo minus recentes textus et versiones considerari posse infallibilem regulam. Novum Testamentum non attribuere sibi inspirationem; et internam experientiam, si quid valeat, valere pro solis doctrinis religiosis. „Qui sentit Deum sibi loquentem hoc vel illo dicto Pauli vel Ioannis, non sentit idem in genealogia aliqua.“ Argumenta aprioristica esse inefficacia in hac materia. Praeterea negata infallibilitate ecclesiae totum canonem fieri incertum, nihil autem iuvare, si quis sciat esse libros inspiratos, et nesciat, quinam sint. Neque vero, auctore Scherer, cessat esse quis Christianus, si cessat fulcire fidem suam super „fundamentum caducum orthodoxiae protestanticae“. Novum Testamentum inspirationis praerogativa exutum non ideo minoris auctoritatis est, cum sit et maneat documentum reddens testimonium Iesu Christo, imbutum eius spiritu, proveniens ab apo-

[1] *A. Coquerel,* Le Christianisme expérimental, Paris 1866, 137 sqq. L'Orthodoxie moderne, Paris 1855, 85 sq.

stolis, qui opus et doctrinam Christi optime perspexerant, eminens pulchritudine morali et religiosa, et hoc sensu ab inspiratis hominibus conscriptum. Non iam est codex externus, mechanice inspiratus, sed exhibet Iesum Christum, quocum homines fideles personales relationes ineant, de cuius spiritu vivant. — Itaque hic habemus illam theoriam documenti historici, in quo homo quaerat et inveniat spiritualem aedificationem et omittat ea, quae ad hunc finem non possunt quidquam conferre (supra n. 243 sqq).

Libellus iste doctoris Scherer ingentem commotionem inter Calvinistas excitavit, multique sive in ephemeridibus sive sermonibus sive aliis viis hanc „haeresim" impugnarunt neque a conviciis abstinuerunt. Modo loquendi moderato ea, quae Gaussen statuerat, contra Scherer defendit *M. de Gasparin* in operibus „La Bible" et „Les Écoles du doute et les Écoles de la foi" (Genève 1850), maxime innitens hoc principio: Negata vel limitata inspiratione tota auctoritas Scripturae corruit, qua ruente ruit ipsa religio; unde sine plena theopneustia nulla salus. Quidquid inspiratio in se est (de hoc mysterio melius tacetur), ipsa est sine dubio ratio absolutae infallibilitatis Scripturae, et hanc infallibilitatem ad exemplum Christi et apostolorum admittere debet, quicumque vult esse Christianus. „Scriptum est" a Christo proponitur ut argumentum decisivum; ergo Christiano sufficere debet.

263. Paucissimi tamen huic sententiae adhaerebant, plures „moderatam theopneustiam" tantum defendebant. Sic *M. Jalaguier:* „Inspiration du Nouveau Testament" (Paris 1850).

Inspiratio, inquit, est „ille actus mysteriosus Spiritus Sancti, qui dirigebat prophetas et apostolos in exsecutione operis sui et introducebat eos in omnem veritatem secundum promissionem". Neque minus in scribendo quam in loquendo apostoli inspirati erant. Novum Testamentum inspirationem suam ipsum probat tum per facta tum per doctrinam. Supposita enim historica veritate Novi Testamenti miracula et vaticinia, quae in eo leguntur, manifestant supernaturalem actionem Spiritus Sancti primos evangelii praedicatores singulari modo iuvantis. „Haec est inspiratio se ipsam ponens non ut dogma sed ut factum." Haec inspiratio est sigillum apostolatus. Iam quod doctrinam attinet, Christus promiserat apostolis futurum, ut Spiritus Sanctus per eos loqueretur. Spiritu Sancto accepto apostoli plane nova capacitate praediti erant ad doctrinam recte intellegendam et proponendam. Ipsi quoque in exsecutione muneris sui Spiritum Sanctum sibi plane peculiari modo attribuunt. Unde etsi nescimus, quid inspiratio sit, certi tamen sumus eam exsistere. Ideo rem ipsam retinere oportet, sed cuivis liberum est, quid velit sentire de variis theoriis, quibus hanc rem magis determinare studuerunt.

Erant autem alii theologi, qui etiam plus concedentes rationalismo, docebant Scripturae perfectionem non esse omni imperfectione maiorem, neque eius infallibilitatem ab omni errore immunem; hominis christiani bene illuminati esse distinguere inter elementa divina et elementa humana Sacrae Scripturae [1].

---

[1] Ita auctor anonymus opusculi: *M. Scherer,* Ses disciples et ses adversaires, par quelqu'un qui n'est ni l'un ni l'autre, Paris 1854.

Praecipuus doctor huius scholae intermediae inter veterem „orthodoxiam“ et recentem rationalismum („Le tiers parti“) est *E. de Pressensé*.

Hic in opusculo „De l'Inspiration des Saintes Ecritures“ [1] non consentit cum Jalaguier, qui e miraculis petit argumentum inspirationis, sed hoc argumento reiecto studet ex natura apostolatus derivare inspirationem. Inspiratio enim, inquit, neque realis neque verbalis est, sed personalis. Tota ecclesia primitiva erat apostolica, tota inspirata; at quidam discipuli a Christo specialiter electi maiorem in modum erant apostoli et inspirati, quia singulari ratione reddebant testimonium Iesu Christi. Cuius testimonii documentum authenticum est Scriptura Novi Testamenti, quae, utpote emanans ab ecclesia primitiva, insignitur qualitatibus testis immediati, sinceri, prudentis. „Scriptura est ipsa ecclesia apostolica cum opulentia et plenitudine inspirationis viventis, quae eam animabat.“ Unde ei convenit auctoritas non religiosa tantum, sed etiam dogmatica, quae non residet in hoc vel illo textu separatim sumpto, sed „in magna unanimitate testium biblicorum“. Quicumque legit Novum Testamentum cum recta dispositione, audiet conscientiae iudicium hunc librum esse vere divinum. Quo iudicio formato oritur obligatio se auctoritati Scripturae subiciendi et admittendi doctrinam, quam evidenter cognoscimus fuisse doctrinam ecclesiae primitivae. Hoc de toto valet, non de singulis dictis; nam infallibilitas Scripturae non est absoluta, sed relativa. Quomodo tamen divina et humana in Scriptura dignosci et separari possint, a defensoribus huius mediae sententiae non dicitur. Hinc fit, ut et ab orthodoxis et a rationalistis impugnentur et repellantur.

Inter Calvinistas gallicos non minus quam inter Lutheranos germanicos paucior in dies fit numerus „orthodoxorum“; multi quidem adsunt, qui mediam quandam viam tenere cupiunt, sed quia a perspicuis definitionibus abstinent, indeterminatis locutionibus contenti sunt et locis communibus pro argumentis utuntur, potius artificiose tegunt recessum a priore fide quam hanc fidem defendunt; contra vero rationalistae seu critici, ut se ipsos vocant, verbis minime ambiguis inspirationis dogma respuunt et plures pluresque asseclas numerant.

264. Horum criticorum organum litterarium est „Revue de Strasbourg“, ex qua *Rabaud* [2] approbando haec de inspiratione collegit:

Non potest esse ulla auctoritas spiritualis; nam cum per fidem homo personaliter adhaereat veritati propter harmoniam naturalem, quae inter animam et hanc veritatem exsistit, excluditur auctoritas, quae postulat subiectionem propter considerationes veritati ipsi extraneas. Iesus dignitatem quidem suam manifestat, sed auctoritatem nullam imponit. Neque apostoli aliam auctoritatem habent nisi eam, quae sua sponte ex eorum superiore missione et charactere proveniebat. Desiderium habendi auctoritatem, cui se subiciant, est Christianorum iudaismo infectorum. Sive Catholici se summo pontifici sive Protestantes se Scripturae ut auctoritati dogmaticae subiciunt, utrique iudaizant. Eundum est immediate ad Iesum, qui sola est auctoritas.

[1] Supplementum ad „Revue Chrétienne“, 1862.
[2] Histoire de la doctrine de l'inspiration 280 sqq.

Ipse quoque est revelatio divina, quia revelatio non est cumulus mandatorum et promissorum Dei, neque est systema dogmaticum, mechanice descendens de caelo; sed est „communicatio intima inter Deum et hominem, qua Deus videtur et sentitur ab homine"; haec autem communicatio perfectissima fuit in Christo. Consequenter munus Scripturae fit simplicius et magnificentius. Proponendo nobis historiam Iesu Christi Scriptura est causa instrumentalis, qua in hominibus fides excitatur, conservatur, purificatur, etsi conceptus, quos primi discipuli sibi formaverunt de opere redemptionis, non possunt esse conceptus hominum nostrae aetatis. Relicta igitur inspiratione specifice diversa sacrorum auctorum, relicta quoque revelatione intellectuali, inspiratio dicenda est consistere „in manifestatione Spiritus sanctitatis annuntiati per Iesum Christum". Auctores Novi Testamenti repleti erant hoc Spiritu, et hic Spiritus cum legentibus Scripturam se communicat. Haec inspiratio sua ipsius activitate se probat; alia probatio nec possibilis est nec requiritur. Haec inspiratio neque restringitur ad libros canonicos, cum alibi quoque inveniatur, neque in omnibus libris canonicis aequaliter invenitur, sed pro gradu, quo Iesum eiusque spiritum plus minusve vivide exhibent. Ceterum hic Iesus non est Deus-homo sensu veteris theologiae dogmaticae, sed homo sicut alii homines, in quo Ens supremum secundum cursum naturalem et leges ordinis moralis specialiter se manifestavit, et per quem adhuc eadem naturali via se manifestat. Unde notio inspirationis ut facti supernaturalis disparet. Scriptura est opus plane humanum, „non est opus immediatum et directum Dei; at ideo non minus est immensae utilitatis, quatenus multum praestat in educandis hominibus christianis etiam nostrae aetatis; manet enim puteus inexhaustus, ex quo mundus christianus semper hauriet sanctas et sublimes instructiones, quas ibi deposuerunt eminentissimi repraesentantes ordinis religiosi. Ipsa est potestas spiritualis, ipsa habet inspirationem religiosam. Per traditiones, quas conservat, per exempla fidei et pietatis, quae proponit, per excelsas individualitates morales, quarum est echo, per vitam, praedicationem, personam Iesu Christi, quibuscum nobis directam communicationem conciliat, Scriptura supereminet super omnes alios libros sacros, idque iam ratione fortissimae vitae religiosae, cuius est expressio. Nihilominus inter eam et illos libros gradus tantum differentia intercedit." [1]

Ipsum opus Eduardi Rabaud, „coronatum per venerabilem societatem Pastorum Genevensium", satis superque ostendit, inter Calvinistas non magis quam inter Lutheranos veterem inspirationis theoriam, qua olim tam confidenter utebantur contra ecclesiam catholicam, plane esse collapsam. „Haec notio inferior inspirationis quodammodo magicae et mechanicae hac nostra aetate non iam recipitur." [2] Unde mirum non est, quod a Calvinistis liberalibus Scriptura non minus, immo saepe peius tractatur quam libri profani, ut ostendit exemplum theologorum hollandicorum Loman, Pierson, Naber, Völter, van Manen, et theologi helvetici Steck, qui varia scripta Novi Testamenti miserum in modum critice discerpserunt.

---

[1] *Rabaud,* Histoire de la doctrine de l'inspiration 293 sq.

[2] Ib. 339.

ART. VIII.

DE DOCTRINA INSPIRATIONIS IN BRITANNIA.

265. Non omnino quidem praetereundus est progressus doctrinae de inspiratione in communitate anglicana; sed eo magis brevissimis esse nobis licebit, quod theologi anglicani non solum nihil peculiare in hac re protulerunt, sed generatim in expolienda theologia systematica numquam insignes fuerunt.

Inter 39 articulos sextus quidem agit de libris Sacrae Scripturae; at nullum ibi verbum est de inspiratione, cum de hac re inter Catholicos et sectarios illius aetatis conveniret. Unde neque theologi anglicani hunc articulum contra Catholicos propugnabant, sed de sola auctoritate canonica, de sufficientia, de expositione Scripturae cum iis disputabant. Eligo speciminis gratia eum ex Anglicanis, qui inter praecipuos adversarios Bellarmini et Stapletoni recensetur. Est hic **Wilhelmus Whitaker** († 1595), qui scripsit „Disputationem de Sacra Scriptura contra huius temporis Papistas“ (Cantabrigiae 1588) et „Pro authoritate atque *αὐτοπιστίᾳ* Sacrae Scripturae Duplicatio contra T. Stapletonum“ (ib. 1594). In priore libro quaestio tertia est de auctoritate Scripturae, ibique ostendendum proponitur auctoritatem Scripturae in eo esse, quod a Deo confecta sit, hoc autem ita esse constare ex interno testimonio Spiritus Sancti potius quam ex testimonio ecclesiae. In altero opere eandem doctrinam repetit et contra Stapletonum confirmare studet. Unde ex hoc opere pauca excerpo.

In cap. 1 libri 1: „Scriptura non tantum ex facie, sed etiam ex sermone totoque habitu parentem suum prodit, ut, qui modo vel mediocrem observationem adhibuerit, Dei prolem facile possit agnoscere“ (p. 6). „Non ergo ecclesiae testimonium [de libris canonicis] respuimus, ut de nobis Papistae mentiuntur, sed amplectimur. Sed negamus nos tantum ob illam ecclesiae commendationem Scripturis fidem adhibere. Esse enim dicimus certius ac illustrius testimonium, nempe internum Spiritus Sancti, sine quo ecclesiae commendatio nullius apud nos ponderis aut momenti futura esset“ (p. 14 16). „Summa nostrae sententiae est: *esse Scripturam* αὐτόπιστον, i. e. ex se suam omnem fidem et auctoritatem habere, esse agnoscendam, esse recipiendam, non tantum quia ecclesia statuit et iussit, sed quia a Deo prodiit. Prodiisse autem a Deo, non ab ecclesia, sed Spiritu Sancto certo intellegi“ (p. 23). „Hanc Scripturam esse sacram, hos libros esse divinos, hanc persuasionem Spiritus Sanctus in omnibus fidelium mentibus consignavit“ (p. 28). „Nos asserimus, docemus, defendimus Scripturam esse αὐτόπιστον, i. e. sibi nobisque canonicam, divinamque a nobis et agnoscendam esse et agnosci . . . propter ipsum Scripturarum divinissimum characterem, qui Scripturas a Deo prodiisse apertissime loquitur iis, quicumque aut Spiritum Sanctum acceperunt aut mediocri intellegentia valent. Hanc Spiritus Sancti persuasionem nasci dicimus . . . propter ipsam librorum, quaeque in illis tradita est, doctrinae

maiestatem plane divinam formamque omni humana excellentiorem, quae sic allicit atque ad se rapit animos nostros, intus operante Spiritu, ut in hisce libris tamquam caelestibus oraculis toti acquiescamus" (p. 34).

In cap. 2: „Vix quidquam invenies in Scripturis, quod maiores habeat ad credendum difficultates quam arcae structura et creaturarum in ea tam multarum salus. . . . Iam quaerat aliquis, unde credam fieri potuisse, ut in arca non octo tantum homines sed tanta animalium multitudo tam multos menses viveret et salva tandem exiret. . . . Nobis hoc esse verum constat ex ipsa Scriptura, cui res tam divinas referenti et contextae tam divinitus nemo sanus fidem detrahere potest" (p. 53).

In cap. 8: „Quod [libri canonici] sint Scripturae, ex stilo et phrasi intellegitur; quod verae, non ex stilo nisi per consequens, quandoquidem postquam stilus esse Spiritus Sancti deprehensus est, hinc vera esse quae scribuntur, necessario sequitur" (p. 115 sq). „Hoc autem Scriptura habet, ut ea Spiritus Sanctus tamquam medio atque organo utatur ad mentes immutandas et fidem excitandam, quandoquidem Scriptura semper est verbum Dei ideoque et verum semper et aptum fidei procreandae nostrisque mentibus ad Deum convertendis" (p. 120).

In cap. 9: „Scriptura etiam in verbis et phrasi et syllabis et tota orationis structura divinitatem quandam prae se fert, quam nuspiam alibi invenias" (p. 137). „Vident hanc [Scripturae] lucem et fideles et infideles; hi ne nesciant neve ignorantiam causentur, illi ut ament et propius accedant et sequantur ad profligandas cordium tenebras novamque lucem in mentibus accendendam" (p. 138).

In cap. 11: „Quis enim est non modo theologus in Scripturis exercitatus, sed vel ingenii humani lucisque particeps, qui doctrinae maiestatem considerans in libris sacris ubique elucentem ipsiusque orationis simplicitatem, puritatem, divinitatem et librorum antiquitatem et futurorum in iis praedictiones tam multis ante eventum rerum saeculis, tum miracula tam inusitata atque inaudita, quibus horum librorum doctrina confirmata est, deinde hostium insidias et molitiones contra hos libros semper irritas, etiam caedes tam multorum pro defensa horum librorum doctrina, denique personas eorum, a quibus conscripti hi libri sunt, non ipsos esse sacros ac plane divinissimos esse intellegat ac fateatur?" (p. 163) „Quid enim Scriptura aliud est nisi externum testimonium Spiritus? Quod enim arcane apostolis ac prophetis revelatum fuit per Spiritum Sanctum, hoc, postquam litteris mandatum est, publicum atque externum Spiritus testimonium esse coepit. . . . Nam in Scripturis Spiritus Sanctus loquitur, ut, qui Scripturis renituntur, ii Spiritus Sancti testimonium respuant. Sic Paulus, quando ex Isaia propheta sententiam profert, eam Spiritui Sancto adscribit . . . Scripturasque omnes θεοπνεύστους vocat, quia a Spiritu Sancto dictatae atque editae sunt; unde manifestum est Scripturas esse oracula Spiritus Sancti" (p. 175).

In cap. 13: „Igitur Scriptura et verbum Dei et vox Dei vere dicitur, quia nobis Deus in Scriptura mentem suam aperit facitque, ut quis sit qui loquitur et quid loquatur intellegamus. . . . Si autem verbum Dei Scriptura sit, certe in Scriptura loquitur, Deus; verba enim signa sunt et significant, quid in eius animo sit, qui loquitur. . . . Si cor Dei, hoc est mens ac voluntas Dei, in Scripturis discitur, sane in Scripturis sic Deus loquitur, ut apertius non posset, si ipsum e caelo tonantem audiremus" (p. 191).

In cap. 10 libri 2: „*Scripturam esse unicam regulam fidei* probo, quia est perfecta regula fidei. Unica enim regula merito censenda est, praeter quam nulla necessaria est. Perfectam autem esse hanc regulam ostendo ex apostolo, qui ait ea sumi ex Scripturis posse, quae hominem Dei perfectum faciant" (p. 444).

In cap. 19 libri 3: „Constanter teneo fidem nulla praeterquam Dei ipsius auctoritate niti, quia solus Deus is est, cuius verbum necessario et absolute verum sit. Verbum autem Dei et prima veritas Scriptura est, Scripturae igitur per se et simpliciter et propter auctoritatem suam credi oportet; aut Scriptura non est verbum Dei, quod nemo nisi insanus haereticus affirmarit" (p. 654).

266. Itaque Whitaker ostendit se plane consentire cum doctoribus illius aetatis sive lutheranis in Germania sive calvinistis in Gallia, et hanc proponit ut doctrinam in ecclesia anglicana communiter receptam. Ut autem hanc doctrinam a „Papistarum" erroribus eo clarius distinguat, in fine „Disputationis de Sacra Scriptura" dicit eos habere sex opiniones „eminenter absurdas, haereticas et sacrilegas". Prima est, quod etiam libri deuterocanonici sint „vere inspirati libri Scripturae". Secunda est, quod ponunt Scripturam in vetere latina editione, et non in sacris originalibus hebraicis et graecis, cum quivis prudens potius velit discere veram religionem ex ipsis verbis Spiritus Sancti quam ex verbis interpretis. Tertia est, quod dicunt ecclesiae esse iudicare, qui libri pertineant ad canonem. Quarta est, quod queruntur de magna obscuritate Scripturarum. Quinta est, quod nolunt decidere controversias per solam Scripturam, neque concedunt Scripturam esse sufficientem interpretem sui ipsius. Sexta est, quod dicunt Scripturae doctrinam esse incompletam. Unde patet a Whitaker doceri Scripturae inspirationem realem et verbalem, perspicuitatem, sufficientiam.

267. Initio saeculi XVIII *D. Whitby* iam recedit ab illa severa inspirationis theoria.

Facta enim distinctione inter prophetas et historiographos sacros, in Introductione generali in „Paraphrasim Evangeliorum" haec principia statuit: a) Quando sacri scriptores carebant praevia notitia materiae scribendae, „per inspirationem suggestionis" eam acceperunt; sed quando iam antecedenter hanc notitiam habebant, accedebat sola excitatio ad scribendum et directio ad excludendum errorem. b) Quando scribendae erant res antea neque naturaliter neque ex supernaturali revelatione notae (ut in Apocalypsi), accipiebant immediatam suggestionem Spiritus Sancti. c) Quoad omnes alias res ita dirigebantur, ut excluderetur error et confirmaretur veritas, sive per illuminationem circa sensum praecedentis revelationis, sive per ratiocinationem. d) In partibus historicis Novi Testamenti dirigebantur quoad omnia, quae respiciunt substantiam factorum narratorum, non quoad ordinem et accessoria talium eventuum, nisi quatenus etiam haec afficiebant veritatem factorum. e) In referendis verbis et sermonibus Domini nostri vel aliorum dirigebantur ad excludendum errorem a sensu, non ad reproducenda verba. f) Inspiratio

vel divina assistentia sacrorum scriptorum talis erat, ut inde certi simus de veritate omnium, quae scripserunt sive per inspirationem suggestionis sive per solam directionem, at non talis, ut inde inferri possit ipsa verba fuisse dictata vel phrases suggestas per Spiritum Sanctum. Haec ille [1].

Etsi vero nonnulli inspirationem verbalem relinquebant et ipsam quoque rerum inspirationem nonnihil limitabant, manebat tamen generatim vetus doctrina in possessione usque ad medium fere saeculum XIX, quando paulatim theologi anglicani docere coeperunt illam veterem theoriam nullo niti fundamento sed esse phantasticam, cum Scriptura non se exhibeat immunem ab errore et infirmitate. Plura exempla huius eversionis veteris theoriae exhibet Card. *Manning* [2].

268. Maxime disputatio de hac quaestione efferbuit, quando anno 1889 **Carolus Gore** in collectione dissertationum, cui titulus: „Lux mundi", liberiorem inspirationis doctrinam defendit.

Inspirationem potius personalem quam realem admittit. Ab hominibus inspiratis gentilium, ut sunt Vergilius, Aeschylus, Plato, Iudaeorum inspiratio eo differebat, quod a providentia divina missi erant ad finem religiosum, i. e. ad restituendum rectum ordinem inter Deum et homines peccato turbatum. Prophetae iudaici erant quodammodo conscientia publica populi et influxum Dei toti populo communem excellentiore modo in se experiebantur, ut hac ratione possent esse duces populi in vita spirituali. Haec erat eorum inspiratio, cuius gradus et modi valde diversi sunt in variis scriptoribus sacris. Enthusiasmus religiosus ab auctoribus sacris descendit in eorum libros, unde in his percipimus continuum progressum religionis et moralitatis. Etsi igitur ne prophetae quidem immunes sint ab omni errore, tamen tota prophetia Veteris Testamenti sine influxu providentiae divinae explicari non potest. In Novo Testamento Iesus Christus viros quosdam elegit et Spiritu instruxit, ut essent apti ad doctrinam Christi mundo sine substantiali errore tradendam. Quo magis quis se Scripturae dat, ut ab ea erudiatur in religione et moribus, eo magis experietur eam vere esse inspiratam.

---

[1] Cf. *H. E. Manning,* The temporal mission of the Holy Ghost[2], London 1866, 131 sqq.

[2] Ib. 135 sqq. Annis 1862 et 1863 celebris causa acta est coram tribunalibus ecclesiasticis anglicanis, de qua haec refert *Ubaldi:* „Doctores *Wilson* et *Williams,* ex clero anglicano, scriptores operis, cui titulus: *Essays and Reviews,* delati fuerant ad tribunal ecclesiasticum Anglicanorum *(the Court of Arches)*, eo quod inspirationem negassent, saltem in quibusdam Sacrae Scripturae partibus. Atque idem tribunal, causa discussa, praedictos Wilson et Williams damnaverat (die 15 Dec. a. 1862), inflicta in eos poena suspensionis ab officio et beneficio pro spatio unius anni. Verum illi appellarunt ad supremum reginae consilium *(the Privy Council)*, a quo prior illa sententia revocata fuit et sollemniter declaratum illorum scriptorum opinionem contrariam non esse doctrinae ecclesiae anglicanae (die 19—26 Iun. a. 1863). Cf. acta authentica huius causae in opere: *Cases heard and determined* by the judicial Committee of the *Privy Council* II, P. 3, New Series, 375—434 (*Ubaldi,* Introd. in S. Scipt. II, Romae 1878, 17, nota 2). Notum est a pluribus episcopis anglicanis negatam esse inspirationem, prout a prioribus Anglicanis intellegebatur (cf. The Dublin Review 1893, 534).

Quod narrationes historicas Veteris Testamenti attinet, ecclesia essentiales partes earum semper pro vera historia habebit; at hoc non impedit, quominus concedamus multa singularia relinquenda, multa, quae olim veterrima censebantur, posteriori aetati adscribenda esse. Moyses est auctor primorum tantum initiorum cultus iudaici, non totius legis caerimonialis; libris Paralipomenon non eadem dignitas historica inest atque libris regum, non omnes libri sunt eorum auctorum, quibus communiter adscribuntur. Haec et alia, quae arte critica stabilita sunt, nullo modo pugnant cum doctrina inspirationis, cum fortunate ecclesia hunc conceptum numquam definitionibus dogmaticis determinaverit. Dummodo a reverentia Christo et ecclesiae eius debita ne recedamus, arti criticae omnem libertatem concedere possumus [1]. Postea Gore confirmationis gratia addidit christianam religionem pro fundamento non habere librum, cuius omnes partes eodem sensu divinae habendae sint, sed potius inniti Iesu Christo, qui Patrem nobis annuntiaverit [2].

269. Contra hanc quidem doctrinam, quae ipsa inspiratione reali abiecta nomen tantum retinet, multi intercedebant, at progressum liberalioris opinionis impedire non poterant. Ut autem animos conciliaret, W. Sanday opus conscripsit, quo conatus est, ut ipse ait, duos conceptus inspirationis: traditionalem et inductivum seu criticum, in unum altiorem conceptum colligere [3].

Theoria traditionalis ex conceptu inspirationis concludit quamlibet Scripturae sententiam esse verbum Dei et infallibilem veritatem; critica vero methodus in eo est, ut ex testimonio singulorum librorum sacrorum modus et gradus inspirationis eorum eruatur. *Critica methodus* sic procedit: In Vetere Testamento maxime considerantur prophetae, quia hi ut organa verae et purae religionis minimeque dubii de superna sua missione, optime ostendunt, in quo consistat inspiratio. Psalmistae et auctores librorum sapientialium non novas ideas religiosas spargebant, sed exercitium religionis paternae urgebant, qua via non minora praestabant quam ipsi prophetae. Sed fatendum est in singulis libris puritatem et intensionem religionis valde differre. Alii in fastigio religionis versantur, ut multi Psalmi, alii in medio quodam gradu, ut Ecclesiastes, alii in infimo gradu, ut Esther. Quare recte distinguuntur libri plene inspirati, semiinspirati, minimum inspirationis habentes. In Novo Testamento supremum gradum occupant epistolae apostolorum; libri vero historici, in quantum facta referunt, diiudicandi sunt ut alii libri historici [4].

Hac igitur ratione critica sine suppositionibus aprioristicis ex ipsis documentis Scripturae conceptus inspirationis sua quasi sponte exsurgit, cum secundum traditionalem theoriam inspiratio facile appareat ut mortuum quid et mechanicum. Nihilominus haec *methodus critica necessario perficienda est,*

---

[1] Lux mundi [12], London 1891, 230 sqq. [2] Ib. XXVII.

[3] Inspiration. Eight Lectures on the early history and origin of the doctrine of biblical Inspiration [4], London 1901, 391 sqq.

[4] De evangeliis ait (p. 318): Non sunt infallibilia, sed latiore sensu bona et vera documenta verborum et factorum Christi.

quia non sufficit singulos libros separatim considerare, sed Scriptura ut totum quid respicienda est. Supra namque mentem singulorum scriptorum altior mens se manifestat, qui singulorum conatus ad unum finem dirigit et in superiorem unitatem comprehendit. Unde evenit, ut Scriptura mundo facta sit longe aliud quid, atque singuli scriptores vel suspicari potuerunt.

Christus quidem de Vetere Testamento loquitur eo modo, qui saepe conciliari nequit cum placitis criticorum. Sed distinguendum est inter ea, quae Christus ut Messias dixit, et ea, quae ad munus eius messianicum non pertinent. Quae docuit de regno Dei, infallibiliter vera sunt; quaestiones autem criticae per eum non erant solvendae. Christus accommodavit se conceptibus et iudiciis popularium suorum, quae non ideo auctoritate sua fulcire voluit. Quaestiones omnes criticae ad hanc „zonam neutralem" pertinent, quia Deus eas solvere noluit, sed ingenio humano solvendas tradidit.

Itaque *Scriptura, sicut omnia opera Dei, non absolute perfecta est, sed imperfectiones continet.* De quarum imperfectionum limitibus tota inter theoriam traditionalem et criticam quaestio agitatur. Haec autem quaestio methodo inductiva, non aprioristica solvenda est. Temporibus Christi quidem periculosum fuisset divina et humana in Scriptura separare velle, sed nos intellectualiter adeo adolevimus, ut talem cognitionem ferre possimus. Falsum est dicere in Scriptura non esse quidquam divinum, cum fides divinitatis eius, quae tam pretiosos fructus maturavit, non possit simpliciter deceptio putari. At non minus falsum est dicere in Scriptura nullas esse humanas imperfectiones, quippe quae tam manifestae sint. Tractemus Scripturam non cum praeiudiciis, sed cum reverentia; percipiemus in ea non obstante plenitudine lucis divinae vitam vere humanam, qua nobis fit propinquior et carior.

Principia, quibus expositio doctoris Sanday nititur, ad haec reduci possunt: a) Non admittenda est inspiratio verbalis, sed personalis. b) Scriptura non est verbum Dei simpliciter, sed continet verbum Dei, quod verbis humanis conglutinatur. c) In singulis Scripturae libris varii sunt gradus inspirationis, ita ut modo praevaleat elementum divinum, modo elementum humanum. d) Nulli parti Scripturae absoluta inerrantia competit, sed sua cuique parti auctoritas tribuenda est, in quantum confert ad salutem; reliqua, utpote humana, criticae tractanda sunt.

270. Cum vero plurimi tum docti tum indocti anxii sint de limitibus divinorum et humanorum, quae in Scriptura inveniri dicuntur, **J. Clifford** eos hoc modo consolatur: Dummodo omnes cum fiducia ad Scripturam accedant, mox sentient eius inspirationem.

Quod vero difficultates spectat, quae obiciuntur, hae quadruplici via solvi possunt: a) Nihil curemus de ulla inspirationis theoria, sed recta eamus ad Christum; ad hunc si Scriptura nos perduxerit, praestitit id, ad quod praestandum confecta est. b) Contemplemur Scripturam quasi obiectum ordinis physici eiusque progressum a primis initiis usque ad perfectum statum benevole sequamur. Videbimus, quomodo veritas non tam per verba quam per facta magis magisque se expandat. Hoc quidem Scriptura commune habet

cum documentis scriptis aliorum populorum. At quo minus seiungimus libros nostros sacros ab aliis litteris humanioribus et religiosis, eo rectius agimus. c) Dicamus sic: Scriptura est inspirata, quia et quatenus homines inspirat. Ei autem inesse vim religiose inspirandi, quivis experientia discere potest. Sic sentiemus Spiritum divinum flantem in Scriptura, etsi multos in ea errores in rebus non religiosis negare non possumus. d) Persuadeamus nobis Scripturam nolle dare instructiones scientificas, sed velle in nobis reproducere eum Spiritum, quo ipsa repleta est. Haec vis reproductiva Spiritus est inspiratio Scripturae. Qui has quattuor vias simul iungere novit, omnibus difficultatibus ex theoria inspirationis emanantibus liberabitur. Non indigemus ulla theoria. Scriptura exhibet Christum, Christus est veritas, ad quam amplectendam anima creata est; unde ubi sibi obviam fiunt, inter se norunt. Hoc nulla critica inquisitio impedire potest [1].

271. Itaque quomodo Anglicani, viam mediam tenentes, inspirationis vocabulum retinere studeant, rem vero ipsam negent, his exemplis patet. Paucissimi veterem doctrinam defendunt [2]. Permulti vero de hac doctrina nihil curantes Scripturam Veteris et Novi Testamenti nihil aliud esse volunt nisi libros refertos fabulis, ex quibus summa tantum arte et diligentia pauca grana veri colligi possint, quemadmodum inspicienti „Encyclopaediam Biblicam“, quae his ultimis annis Londini prodiit, statim patebit. Presbyterianos quoque in Scotia a radicalismo critico non multum abesse ostendunt folia theologica „The Expository Times“ [3]. Idem valet tam de Episcopalistis quam de Presbyterianis in America, ubi soli fere illi Lutherani, qui „Missouriani“ vocantur, inter Protestantes „orthodoxam“ inspirationis doctrinam propugnant, quare ab aliis vehementer reprehenduntur, ut e. g. in Germania ab *O. Scholze* libro: „Gegen die Missourische Inspirationslehre“ (Hermannsburg 1891).

Sed haec de initiis, progressibus, ruina doctrinae protestanticae de inspiratione dicta sufficiant.

CAPUT VI.

DE THEOLOGIS CATHOLICIS POST CONCILIUM TRIDENTINUM.

ART. I.

DE CONCILIO TRIDENTINO.

272. Theologi, qui saeculo XVI ante Concilium Tridentinum doctrinam catholicam defenderunt, ut Cochlaeus, Pighius, Eckius, alii in

---

[1] *J. Clifford*, The Inspiration and Authority of the Bible [2], London 1895.
[2] E. g. *J. Patterson Smyth*, How God inspired the Bible, Dublin 1892.
[3] E. g. IX (1888) 205 sqq; XI (1890) 196 sqq.

inspirationem sacrorum librorum non specialiter inquisierunt [1], quia ne novatores quidem contra eam disputarunt. Theologi vero, qui post Concilium Tridentinum venerunt, huius Concilii decreta ita respiciunt, ut ea ante omnia ob oculos ponenda videantur.

Decreta huc pertinentia facta sunt die 9. Aprilis 1546. Sunt autem haec:

„Sacrosancta, oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea iisdem tribus apostolicae sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa evangelii in ecclesia conservetur, quod promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per suos apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit; perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis, Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.

---

[1] Ut unum saltem specimen habeatur, quaedam excerpam ex opere *Ioannis Driedonis* „De ecclesiasticis scripturis et dogmatibus“ (edito Lovanii 1533; hic saltem est annus dedicationis), cuius operis tribus primis libris agit de Sacra Scriptura, et quidem de historia canonis, de versionibus et sensibus Sacrae Scripturae, de principiis hermeneuticis. Est igitur haec pars operis introductio in Sacram Scripturam.

De inspiratione haec fere habet (fol. 1 sqq): „Sola illa Scriptura est divina, quae per Spiritum Dei est aspirata et per eos, qui Spiritu Dei sunt locuti, administrata, pura, integra, stabilis. Pura quidem, hoc est, absque commixtione ullius falsitatis. Stabilis, quia verbum Dei verbum permanens in aeternum. Integra autem omnia, quae sunt ad salutem necessaria humano generi, commonstrans aut per se ipsam plano sermone, aut per ecclesiam catholicam, quam ut veritatis magistram indicat iussitque audiri. . . . Proposita omnibus tamquam eiusdem Spiritus Sancti depositum, certissimis suis definitum voluminibus . . . ex quibus tota salutis nostrae via discenda est, ex quibus cotidianus vitae nostrae panis est colligendus . . . de quibus utrum verum et rectum sit, quidquid illic assertum reperitur, omnino dubitare non licet. . . . Scripturae igitur Sacrae, cum sint eloquia divini Spiritus, loquentis per prophetas et apostolos sibi invicem succedentes, et de rebus divinis secundum temporum successiones gestis, non totae simul, sed per succedentes sibi invicem Patres, prophetas videlicet et apostolos, sunt nobis administratae. . . . Demonstramus Scripturam esse divinam et canonicam per testimonium ecclesiae. . . . Esdras Scripturas Sacras dispersas [Veteris Testamenti post captivitatem babylonicam] superstites eodem Spiritu, quo ante scriptae fuerant, restituit aliasque litteras hebraicas, quibus nunc utimur, repperit“ et quaedam ad Pentateuchum addidisse creditur, ut de morte et sepultura Moysis. Ostendit omnes libros Sacrae Scripturae, etiam deuterocanonicos, a Patribus habitos esse sacros et inspiratos. „De catalogo igitur librorum Sacrae Scripturae . . . quae [volumina] per Spiritum Sanctum inspirata et conscripta creduntur ecclesiae tradita . . . haec hactenus dicta sufficiant.“

„Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti: Testamenti Veteris quinque Moysis, i. e. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quattuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Psalterium davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetae minores, i. e. Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti Novi quattuor evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem, actus apostolorum a Luca evangelista conscripti; quattuordecim epistulae Pauli apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri apostoli duae, Ioannis apostoli tres, Iacobi apostoli una, Iudae apostoli una, et apocalypsis Ioannis apostoli.

„Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque intellegant, quo ordine et via ipsa Synodus post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in ecclesia moribus sit usura.

„Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica sit habenda, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur, et ut nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat."

Adduntur dein alia de interpretatione Scripturae et de eius futuris editionibus deque quibusdam eius abusibus ad fines profanos et sacrilegos. Ab initio vero decreti de reformatione in sessione 5, cap. 1 Scriptura vocatur „caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit".

273. *Hoc decreto non factam esse ullam ex professo de inspiratione sacrorum librorum definitionem patet.* Concilium statuit: a) duplicem esse regulam fidei et duplicem fontem theologicae cognitionis, Scripturam et Traditionem sacram, quae pari reverentia suscipienda sint; b) Scripturam complecti libros illos, qui in decreto enumerantur, ideoque eos omnes cum omnibus suis partibus habendos esse pro sacris et canonicis; c) ex latinis versionibus veterem vulgatam declarat authenticam.

Itaque directe de ratione inspirationis nihil definitum est. *Sed ex iis, quae dicuntur, nonnulla ad illustrandum conceptum inspirationis conferunt.* Imprimis occurrit illud, quod Synodus dicit se *„pari* pietatis affectu ac reverentia suscipere et venerari omnes *libros* tam

Veteris quam Novi Testamenti, necnon *traditiones* ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas".

In disputationibus praeviis ante decretum mota erat haec difficultas, non videri dicendum libros et traditiones pari reverentia suscipi; nam „quamvis ab uno et eodem Spiritu Sancto emanaverint libri et traditiones, non propterea aequali gradu habendae sunt." Responsum est: „Recte posita esse illa verba: Pari pietatis affectu; nam si Scripturarum et Traditionum auctoritatem inspicere voluerimus, utriusque unum et eundem auctorem, nempe Spiritum Sanctum, esse reperiemus. Quod etsi de aliis veritatibus dici potest, non tamen in universum neque id specialiter, Spiritu Sancto inspirante, ut in Traditionibus et Scripturis" [1].

Scribit vero Pallavicinus: in coetu generali die 27 Martii 1546 habito „de dogmatibus huiusmodi a legatis decreti forma proposita est: recipiendas simul cum sacris voluminibus eas traditiones, quas apostoli acceperant vel ab exteriori Christi voce vel ab interiori Sancti Spiritus afflatu, et quae ad eam usque aetatem fuerant propagatae". Factas esse varias contra decretum obiectiones. „Haec tamen obiecta maiorem Patrum partem a sententia minime dimoverunt. Considerabant siquidem contra primum obiectum, traditiones in eo decreto conecti cum sacris litteris, eo *quod utraeque pariter fundamenta fidei essent adeoque divinitus inspiratae*.... Habebatur in decreto: Scripturas Sacras ac Traditiones aequali pietatis ac reverentiae affectu recipiendas. Haec aequatio quibusdam, ac praesertim Bertano, haud probabatur. Quamquam enim a Deo ambae procederent, tamen cuicumque veritati commune est a primo vero proficisci, sed non ideo cuncta, quae vera sint, perinde atque sacrae litterae, veneranda esse. . . . At Bituntinus, quem pars maior Patrum secuti sunt, respondit, quamcumque sane veritatem a prima dimanare, non tamen quodcumque verum divinae veritatis verbum esse, proinde neque singulis veris parem cultum habendum; at sane *tam traditiones quam sacras litteras esse Dei verba ac prima fidei principia,* sed solum secundaria quadam condicione inter se distincta, quod illae in codicibus scriptae permanserint, hae vero solum in cordibus."

274. His documentis efficitur propositum fuisse Patribus Tridentinis contra haereticos asserere non minus fundamentum et regulam fidei esse traditiones divinas quam litteras sacras. Itaque *etsi in decreto solae traditiones dicuntur a Spiritu Sancto dictatae, hoc tamen ex mente Concilii aeque refertur ad litteras sacras,* quia hac locutione docere voluit pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas esse traditiones atque Scripturam, id quod verum non esset, si aut traditiones aut Scripturae non essent a Spiritu Sancto dictatae.

Sed ex altera parte colligitur *vocabulum dictandi* non posse in hoc decreto ita premi, ut solis scriptis libris conveniat, non vero ad tradi-

---

[1] *A. Theiner,* Acta genuina Concilii Tridentini, ab Angelo Massarello conscripta I, Zagabriae 1874, 71 sq.

[2] *Pallavicinus,* Hist. Conc. Trid., Coloniae 1719, l. 6, c. 14, n. 1 3.

tiones applicari possit, cum directe et explicite de solis traditionibus enuntietur. Hoc igitur vocabulo Patres Tridentini eam actionem divinam significare volunt, qua Deus suam testificandi auctoritatem interponat et nobis fidei fundamentum et regulam statuat. Itaque dictatum a Deo nihil aliud est nisi dictum vel testificatum a Deo, sive dictatio facta est extrinsecus ore Christi sive intus in mentibus apostolorum et sacrorum scriptorum per insensibilem operationem Spiritus Sancti. Dictatum hoc sensu a Deo est, quod est vere et proprie verbum Dei, cui contradicere sciens et volens nemo potest nisi per infidelitatis peccatum. Quam late accipiendum est verbum Dei, tam late interpretanda est in hoc decreto illa divina dictandi actio. Nihil igitur hic statuitur de ulla qualitate soli Scripturae propria, multo minus quidquam innuitur de mechanica singularum vocum scriptarum dictatione, quam quidam in sacris litteris reperiri sibi persuaserunt.

275. Porro dicuntur recipiendi libri tum Veteris tum Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit *auctor*. Quae verba cum sumpta sint ex prioribus conciliis (supra n. 208 sq), eodem modo intellegenda sunt. Quia Deus auctor est librorum Sacrae Scripturae, cum ab ipso dictati sint, hi omnes libri pro sacris et canonicis suscipiendi sunt, et pro *sacris* quidem, quia non solum materialiter verbum Dei continent, sed maxime quia formaliter verbum Dei sunt, pro *canonicis* autem, quia ab ecclesia catholica in canonem recepti sunt, recepti autem sunt, in quantum fidei fundamentum et normam constituunt.

Additur suscipiendos esse libros *cum omnibus suis partibus*. Cum libri singuli enumerentur, vi huius decreti, quidquid partem horum librorum constituit, „prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur“, eodem modo, i. e. ut dignitatem et auctoritatem verbi divini habens, recipiendum est. In actis quidem Concilii proxime sermo est de Marci capite ultimo, Lucae c. 22, Ioannis c. 8[1]; at etsi occasio definitionis orta est ex dubitatione quorundam de illis partibus evangeliorum, debent tamen verba decreti nativum suum sensum retinere et extendi ad ea omnia, quae vere sunt partes istius veteris vulgatae editionis, prout in ecclesia catholica legi consuevit. Nihil definitum est de iis, in quibus duplex haec condicio non obtinet. Item dubitari potest, quid requiratur, ut aliquid *pars* libri dici possit. Hanc denominationem non minimis quibusque particulis tribui posse iam inde videtur colligi, quod agitur de versione, cuius sane non minimae quaeque particulae verbum Dei vocari possunt[2].

[1] *Theiner*, Acta genuia Concilii Tridentini I 72.

[2] Ceterum quomodo concipienda sit authentia illa Vulgatae a Tridentino definita, vide apud *Cornely*, Introd. genet. p. 468 sqq, n. 173 sqq.

276. Quomodo vero nonnulli, de quibus postea sermo recurret, decretum Tridentini ita explicare voluerint, quasi doceat *in solis rebus ad fidem et mores pertinentibus* libros sacros esse inspiratos et Dei verbum, sane mirum videri debet. Cum enim in Scriptura adsint integra capita per se et immediate ad fidem et mores non pertinentia, non recte dicuntur omnes libri sacri cum omnibus suis partibus pari reverentia suscipiendi, si omnia illa capita non sunt inspirata. Quot genealogiae texuntur, quot pugnae narrantur, quot alia dicuntur, quae non ratione materiae fidem vel mores afficiunt. Ergo nisi ratione inspirationis sacra sunt, quomodo pari reverentia suscipi possunt ac reliqua omnia? Concilium quidem, ubi loquitur *de auctoritate ecclesiae in interpretanda Scriptura,* hanc auctoritatem ecclesiae adscribit in rebus fidei et morum. At manifeste hoc non idem est atque dicere in libris sacris solos textus ad fidem et mores pertinentes esse inspiratos. Non magis huc pertinet, quod Concilium dicit „evangelium fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae". Hic enim ne sermo quidem est de scriptis libris, sed de tota revelatione. Hanc autem esse fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae est aliquid plane non cohaerens cum altera quaestione, num omnes textus Sacrae Scripturae sint inspirati. Etsi enim omnes textus, etiam illi, qui de rebus per se profanis agunt, sunt inspirati, manet tamen verum salutarem veritatem et disciplinam in sacris litteris contineri. Res fidei et morum Concilium specialiter efferre voluit, quia de his solis erat agendum. Unde hac ratione loquitur, non ut restringat inspirationem, sed ut omnes intellegant, „quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in ecclesia moribus sit usura" sancta Synodus.

Itaque secundum Concilium Tridentinum Deus est auctor omnium sacrorum librorum et omnium partium eorum, quia eos dictavit et fundamentum regulamque fidei constituit. Summa liberalitate hunc sacrorum librorum thesaurum Spiritus Sanctus hominibus tradidit.

ART. II.

DE SCHOLA THOMISTICA POST CONCILIUM TRIDENTINUM.

277. Teste Pallavicino[1] de explicando decreto Tridentino, quod Vulgatam attinet, mox post Concilium duplex orta est opinio: altera severior, altera liberior. Idem valet de ipso inspirationis dogmate. Quia vero imprimis Scholae thomisticae asseclae pro strictiore doctrina pugnaverunt, horum quoque prae ceteris expositiones quasdam proponamus.

---

[1] Historia Conc. Trid. l. 6, c. 17, n. 9 10.

Concilio Tridentino interfuit, non tamen primis annis, **Melchior Canus**, qui insigne volumen conscripsit de Locis theologicis, in quo inter alia haec leguntur:

L. 2, c. 1: „Libros sacros et canonicos appellamus, quos, *Spiritu Sancto dictante, sacri auctores exceperunt.* Quos igitur tales esse constiterit, eos procul dubio certissimos ac verissimos esse credemus, quemadmodum Augustinus . . . docet, resumit, inculcat. Ac recte ille quidem. Nisi enim fundamentum hoc fideliter ieceris, quidquid in theologia superstruxeris, corruet, corruetque adeo civitas illa Dei, cuius fundamenta in montibus sanctis et in Scripturis principum, qui fuerunt in ea. Quarum Scripturarum auctor non est homo, sed Deus.... Dominus itaque huius loci auctoritatem tuetur, tuentur et principes."

L. 2, c. 7: *Qui sint libri sacri et canonici,* discimus non ex ipsa Scriptura, sed ex ecclesiae iudicio. „Nam ut de pluribus aliis taceamus, quorum similis omnino causa est, certe libros Ruth, Esther, Iob esse canonicos, nullo modo ex ipsis Scripturis comprobabitur. Ergo si res haec in controversiam venit, aliunde quam ex sacris litteris petenda probatio est", i. e. ex ecclesiae testimonio. „Ego vero primum sentio ad apostolos pertinuisse libros sacros probare, non sacros reicere. Nec enim alios libros canonicos habemus sive Veteris sive Novi Testamenti, quam quos apostoli probaverunt et ecclesiae tradiderunt. Existimo deinde huiusmodi traditionem apostolicam non alia ratione melius innotescere quam per Patres et Doctores ecclesiae, post apostolos succedentes. . . . Illud vero demonstrandum est ecclesiam fidelium nunc viventium non quidem scribere canonicum librum posse, sed definire, an liber, de quo disputatio est, canonicus sit an non, quia definitio dubiorum, quae circa fidem modo exoriuntur, ad praesentem ecclesiam pertinet. Oportet enim iudicem vivum in ecclesia esse, qui fidei controversias decidere possit, siquidem Deus in necessariis ecclesiae suae non defuit. At librum esse canonicum necne, fidem maxime tangit. Ad ecclesiam igitur huius temporis huius rei iudicium pertinebit. . . . Ad concilium universale praecipue pertinet definire, quis liber sit canonicus. . . . Ad summum pontificem pertinet definire, quinam liber sit canonicus . . . quia summus pontifex, quoties de fide pronuntiat, errare nequit." C. 8: „Spiritu itaque Sancto ecclesiam afflatam certo credo, non ut veritatem auctoritatemve libris canonicis tribuat, sed ut doceat illos, non alios esse canonicos."

L. 2, c. 14: „Magnus error eorum est, qui sine Spiritus Sancti peculiari dono Scripturam Sacram existimant se posse vel *intellegere* vel *interpretari.* . . . Quodsi Scripturarum intellegentia donum Dei est, Scripturas autem interpretari nemo nisi qui intellegit potest, conficitur utique sacrarum litterarum in aliam linguam versionem sine Dei peculiari gratia nemini posse contingere." Allatis quibusdam Hieronymi testimoniis pergit: „Hactenus Hieronymus, qui si vera dicit, cogit nos profecto credere aut veterem interpretem Spiritus Sancti peculiari dono sacras litteras convertisse, aut ecclesiam latinam multis retro saeculis non Dei habuisse evangelium sed hominis. Cum igitur obicis interpretem non fuisse prophetam, sane vero propheta non fuit, habuit tamen (ut Titelmannus recte asseverat) spiritum quendam prophetico vicinum et proximum, qualem necessarium esse ostendimus sacris litteris interpretandis, immo qualis erat

necessarius, ut ecclesia latina editionem sacrorum librorum haberet, quam tuto in fide et moribus sequeretur.“ [1]

L. 2, c. 16: Quaeritur, „*an auctores sacri in libris canonicis spiritu interdum humano sine divina et supernaturali revelatione loquantur.*“ C. 17: „Is autem *error* quam sit *impius*, illo primum argumento demonstro, quod Sacrarum Scripturarum magna ex parte labefactatur auctoritas, si haec opinio vera est.“ Dicunt quidem sufficere, si in maximis, i. e. in iis, quae ad salutem sunt necessaria, fuerint inspirati, ceterum in minimis, in quibus errare nihil noceat, potuisse eos suo ingenio relinqui. „Sic elabi conantur isti, sed frustra conantur tamen. Principio enim, ecquid, rogo, isti facturi sunt, si cum homine disserant, qui multa evangeliorum miracula commentitia esse, evangelistasque . . . confictis narrationibus abusos dicat aut illustrandi Christi gratia, aut fidelium in Christum affectus excitandi. Nempe hoc facere ut homines sine Dei Spiritu potuere. Deinde quam facile erit cuique res vel graves vel leves pro suo arbitrio ingenioque aestimare? Iam hic dicet tibi tres unius substantiae praedicari personas leviculum esse nec ad salutem nostram pertinere. . . . Porro ut reliquas Scripturae partes praetereamus, in sacris historiis distingui discernique non posset, quid ex Deo, quid ex homine sit, quid auctor ex revelatione divina, quid contra ex Spiritu humano et ingenio proferat. Quocirca fluctuaret passim et legentium et audientium fides, dum ignorarent, quonam Spiritu, hominis an Dei, unaqualibet chronicorum sanctorum particula fuisset scripta.... Si in subitis contionibus Spiritus Sanctus apostolorum linguas attemperabat, quid in scriptis, quae futura erant aeterna? Et si Novi Testamenti idonei administri apostoli et evangelistae facti sunt, illorum profecto sufficientia non ex illis, sed ex Deo est; illorum proinde error Dei est, non illorum. . . . At cum lex Moysis, quod est ministerium mortis, tam exacta diligentia scripta sit, ut iota unum aut unus apex ex ea praeterire non possit, multo certe magis evangelium Christi, quod est ministerium Spiritus ac vitae, scriptum erit tanta cura et Dei assistentis afflatu, ut non modo verbum, sed ne apex quidem nullus sit, qui non sit a Spiritu divino suppeditatus. . . . Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus, qui erronea sententia omnem Scripturae et vim minuunt et elevant auctoritatem. Ipsi vero fateamur singula quaeque, sive magna sive parva a sacris auctoribus Spiritu Sancto dictante esse edita.“

L. 2, c. 18: „Fateor non singulas Scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa *revelatione* indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex *peculiari Spiritus Sancti instinctu afflatuque,* vere et iure contendo. Ille (Christus ait Io 14, 26) vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis. Alias etiam oblita suggeret, alias etiam vestris auribus audita suggeret, quae alias natura sponteque sua in mentem venire poterant, ea quoque suggeret non supernaturalia modo, sed et naturalia suggeret, et quae alias humano modo scriberentur, omnia, inquit, quaecumque dixi vobis. . . . Nimirum animalia illa oculis undique plena (Ap. 4, 6), ad expressionem quattuor evangelistarum posita, per scriptores omnes sacros transferre merito et optimo iure possumus. Nihil ergo auctores sacri caecis

[1] Notat *Pallavicinus* non esse silentio obvolvendum „hanc persuasionem duorum scriptorum, qui fuere Titelmannus et Canus, ab reliquis non fuisse receptam“ (Hist. Conc. Trid. l. 6, c. 17, n. 11).

oculis scribebant, sed *scribentium calamum Spiritus ipse attemperabat, ne scribendo laberentur*. . . . Hoc vero Spiritus Sancti donum toto vitae decursu non habebant, sed tantisper, dum lingua eorum calamus erat scribae velociter scribentis. . . . Non asserimus per immediatam Spiritus Sancti revelationem, quae quidem proprie revelatio dicenda sit, quamlibet Scripturae Sacrae partem fuisse editam. Quin Lucas, quae ab apostolis accepit, ea scripto ipse mandavit, ut in evangelii sui prooemio testatur. . . . Sive ergo Matthaeus et Ioannes, sive Marcus et Lucas, quamvis illi visa, hi audita referrent, non egebant quidem nova Spiritus Sancti revelatione, egebant tamen peculiari Spiritus Sancti directione. . . . Etenim quae sacri auctores scripsere, haec in duplici sunt differentia. Quaedam, quae supernaturali solum revelatione cognoscebant, et ea Basilius tradit a Spiritu Sancto esse; alia vero naturali cognitione tenebant, quae scilicet aut oculis viderant, aut manibus etiam attrectaverant. Atque haec quidem, ut paulo ante diximus, supernaturali lumine et expressa revelatione, ut scriberentur, non egebant, sed egebant tamen Spiritus Sancti praesentia et auxilio peculiari, ut, licet humana essent et naturae ratione cognita, divinitus tamen sine errore scriberentur." Haec ea sunt, quae iuxta quosdam sanctos Patres non a Deo, sed ab ipsis sacris auctoribus scripta sunt.

Quod Lucas in genealogia Christi post Arphaxad ponit Cainan, ut et Septuaginta, recte posuit eum, quem Moyses omisit. „Spiritus autem Dei occulta nobis ratione Moysis mentem manumque permovit, ut in ea patrum serie unam illam generationem praeteriret, quemadmodum divino consilio Matthaeus plures etiam in Christi genealogia praetermisit." Multi quidem viri, de quibus in Scriptura sermo est et quorum dicta referuntur, errare potuerunt, etiamsi sancti erant, non vero ipsi sacri auctores. „Solis quippe apostolis, prophetis et evangelistis hunc honorem referre catholica fide docente didicimus, ut nullum eorum vel memoria lapsum esse credamus, nullum nec in magnis nec in parvis errasse. . . . Scriptorum ergo sacrorum hoc privilegium est, ut nullus eorum in scribendo erret."

Canus igitur perfectam *inerrantiam Scripturae* quam maxime effert. Ceterum singula, quae ad inspirationem concurrunt, non distincte explicat. Loquitur de Spiritu Sancto impellente, suggerente omnia usque ad ipsos apices, omnem errorem impediente, manum scriptoris sacri movente, scriptores ipsos ut calamum adhibente, etsi non semper revelante. Sed quia haec omnia rhetorice magis quam scholastice exponit, difficile est ex eius dictis theoriam inspirationis ad scientiae normam conficere.

278. Discipulus Cani est **Dominicus Bañez**, modo ratiocinandi et ratione dicendi a magistro valde diversus, caput et dux recentioris Scholae thomisticae. Scripsit hic inter alia „Scholastica Commentaria in primam partem angelici doctoris D. Thomae usque ad sexagesimam quartam quaestionem complectentia" (Romae 1584). In q. 1, a. 8 legitur „Prologus super istum articulum", in quo enumerantur loci theologici. „Deinceps ex praedictis locis numeratis quaedam nobis

deligenda sunt, de quibus in hoc loco opportune disputatio suscipitur. . . . Tota igitur nostra disputatio legitime nunc impendetur atque terminabitur circa tria loca theologica pro viribus explicanda, videlicet [primum] circa auctoritatem Sacrae Scripturae."

„Dubitatur, *quid sit Sacra Scriptura, utrum sit Spiritu Sancto inspirante et verba dictante conscripta?* . . . Pro decisione veritatis advertendum est, quod cum aliqua scriptura dicitur Deo inspirante conscripta, tripliciter potest intellegi. Primo modo, quia res ipsae de quibus scribendum est, occultae erant scriptori, et Deo revelante illi innotescunt. . . . Altero modo, quoniam res, quae scribitur, nota quidem erat scriptori, tamen quod animum ad scribendum appulerit, Deo specialiter movente atque inspirante factum est; ac proinde speciali quadam assistentia Spiritus Sancti detinetur scriptor, ne malitia aut oblivione in aliquo decipiatur. Tertio modo dicitur Scriptura revelata sive ex revelatione, quoniam ipse Deus non solum res occultas scribenti revelavit vel ad res sibi notas scribendas excitavit et, ne erraret, manu tenuit, sed etiam verba ipsa singula, quibus scriberet, suggessit et quasi dictavit. Sit ergo prima conclusio: Sacra Scriptura, de qua loquimur, ex divina revelatione habetur interdum primo, interdum secundo modo. Haec conclusio certa debet esse apud omnes Catholicos. Et probatur, quia partim plurima continet supra omnem naturalem rationem elevata, quale est mysterium Trinitatis et Incarnationis et alia plurima, partim vero quae vel experientia vel humana ratione constare poterunt. Sed in his omnibus scriptor ipse, quantumlibet diligens et attentus, nihilominus aliquando falli poterat aut oblivisci. Ergo in omnibus illis rebus partim revelatione, partim instigatione et assistentia adfuit Spiritus, ne aliqua via scriptor a veritate deviaret."

„Secunda conclusio: *Spiritus Sanctus non solum res in Scriptura contentas inspiravit, sed etiam singula verba, quibus scriberentur, dictavit atque suggessit.*... Nam si relinqueretur in arbitrio scriptoris sacri, quibus verbis intellecta proferret aut scriberet, posset errare in legitima explicatione eorum, quae sibi revelata sunt, ergo in sacris litteris posset reperiri aliqua falsitas." Allegat testimonium Ambrosii dicentis evangelistas sine conatu scripsisse (supra n. 74). „Item D. Gregorius in prooemio Moralium c. 1 inquit: Ipse igitur Deus haec scripsit, quia haec scribenda dictavit. Dictare autem verba ipsa determinare significat. Et confirmatur ex Ps 44: Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Quae comparatio in hoc videtur consistere, quod, sicut calamus ab ipso scribente determinatur, ut hos characteres exprimat, ita et prophetae imaginatio determinata verba recipit, ut verbo aut scripto proferat. Et tandem quorsum sacrarum litterarum interpretes tam attente singula verba Scripturae Sacrae expenderent, nisi eadem ab Spiritu Dei dictata fuisse intellegerent? Probatur praeterea, quoniam Spiritus Sanctus dicitur locutus per prophetas, loqui autem per prophetas non solum est revelare illis veritatem, sed eorum linguam et calamum movere, ut sic loquantur, quatenus convenienter revelata proferant. . . . Confirmatur ex illo, quod Christus dixit Mt 20: Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Praecesserat autem: Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Ergo sacris scriptoribus datum est, quomodo et quid scriberent. Item Ir 36 est elegans huius rei testimonium", ubi Baruch de Ieremia ait: „Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et scri-

bebam in volumine atramento." Unde fit hoc argumentum: „Qui loquitur legens in libro, non componit verba, quae loquitur, sed ea, quae iam determinata invenit; cum ergo propheta loqueretur quasi legens in libro, iam ab Spiritu Sancto in eius phantasia scripta erant verba, quae loquebatur."

„Tertia conclusio: Si quis tamen asserat, quod verborum compositio relinquitur saepe scientiae et diligentiae scriptoris sacri, ita tamen, quod Spiritus Sancti assistentiam necessariam affirmet, ut scriptor ipse non erret in verbis aut verborum compositione, nihil dicit fidei contrarium, ut gravem censuram mereatur ista assertio, quamvis mihi non videatur vera aut omnino tuta propter argumenta facta in confirmationem praecedentis conclusionis. Probatur ista conclusio, quia, dum scriptor sacer scribit ves, quas ipse vidit, sufficit, ut illa Scriptura dicatur sacra, quod instinctu Spiritus Sancti ad scribendum res illas animum appulerit, et quod eiusdem Spiritus assistentia manu teneatur, ne memoria excidant, quae narrare iubetur; ergo idem concursus Spiritus Sancti sufficiet ad verborum compositionem, quam ipse sacer scriptor propriis viribus adinvenire et facere potest. . . . Nihilominus tutius dicitur et absque calumnia, quod, quemadmodum Spiritus Sanctus animum scriptoris ad scribendum applicat, etiam verba et compositionem tradat. Et probatur, quoniam, nisi ita dicimus, vix poterimus differentiam assignare inter Sacram Scripturam et definitiones conciliorum. . . . Nam utrobique assistit Spiritus Sanctus, ne sit error. At si utrobique verba et eorum compositio relinquitur humanae industriae, sequitur nullam esse differentiam, quoniam etiam conciliorum definitiones ex manutenentia Spiritus Sancti infaliibilem veritatem continent."

„Cum Deus omnia suaviter disponat, ita *uniuscuiusque scriptoris sacri mentem illuminabat eidemque verba dictabat, quae maxime illorum statum et condicionem decebant,* quemadmodum et musicus spiritu oris sui aliter tibia, aliter tuba et aliis instrumentis personat. Sic etiam multifarie multisque modis locutus est olim Deus in prophetis, et Is 11 [1] dicitur Deus in manibus prophetarum assimilatus, quia unusquisque propheta talibus utebatur similitudinibus, quales sibi in promptu erant et quasi in manu iuxta condicionem propriam." Quod sacri scriptores eandem rem non semper iisdem verbis referunt et dicta Scripturae liberiore modo citant, non creat difficultatem, „quoniam cum eodem Spiritu loquerentur evangelistae et prophetae, ad gravitatem loquentis Dei pertinebat, ut non iisdem omnino verbis rem eandem semper repeteret. Immo ex hoc ipso colligitur, quod sacri scriptores non Spiritu proprio loquebantur, quoniam non ausi fuissent verbum ullum permutare". Omnia igitur scribebant sub superiore lumine, unde est „probabilius, ut etiam ea ipsa, quae sacri scriptores viderant et contrectaverant, superiore lumine iterum a Spiritu Sancto illuminati intellexerint et ab ipso verba, quibus scriberent, acceperint".

279. Ad quaestionem, *num nos habeamus adhuc Sacram Scripturam,* Bañez imprimis breviter exponit, cur, quando, quomodo Deus hominibus libros sacros tradiderit, agit de variis versionibus graecis et latinis, maxime de Vulgata latina. Dein statuit has conclusiones: 1. „Libri canonici, quos apostoli et sacri scriptores propriis manibus exaraverunt, non habentur in ecclesia Dei." 2. „Non fuit necessarium, ut huiusmodi libri materiales (ut ita dicam) in

[1] Potius Os. 12, 10.

ecclesiae Christi deposito permanerent." 3. „Etiamsi huiusmodi libri in ecclesiae deposito permansissent, nihil amplius commoditatis nobis afferrent, quam ipsarum sacrarum litterarum editiones et translationes, usu doctorum ecclesiae et ipsiusmet ecclesiae auctoritate comprobatae, conferunt." 4. „Absolute et simpliciter loquendo asserendum nobis necessario est Sacram Scripturam esse in ecclesia Dei." 5. „Sacra Scriptura praecipue est in corde ecclesiae, secundario vero in libris et editionibus." Sensus est: Doctrina revelata est in traditione, et vi huius traditionis ecclesia diiudicat, qui libri sint canonici.

Dein quaerit *de Vulgata*, quo sensu iuxta Tridentinum habenda sit authentica. Ait duas esse de hac re inter Catholicos sententias. Asseclae prioris sententiae haec docent: „Imprimis aiunt editionem latinam vulgatam nullo in loco prorsus interpretis ignorantia aut vitio esse depravatam, sed omnino per omnia, etiam minima, recte fuisse interpretatam. Dicunt secundo editionis vulgatae nomine eam intellegendam esse nostris temporibus, quae a tempore D. Hieronymi apud sanctos Patres latinos fuerit in usu. Ex quo infertur, quod latinae editionis vulgatae in plurimis locis varia potest esse lectio iuxta varietatem lectionis sanctorum Patrum. Dicunt tertio libros ipsos, in quibus editio vulgata continetur, in quibusdam locis librariorum vitio vel quorundam malitia corruptos esse. Quem tamen errorem nullatenus in interpretem refundere licet."

„Nihilominus est altera sententia, etiam piorum et catholicorum theologorum, quae quidem in secundo et tertio dicto praedictae sententiae facile convenit. Differt tamen quantum ad primum dictum. Asserit enim haec sententia, quod interpres latinae editionis vulgatae in quibusdam, quae neque ad fidem aut mores pertinebant, hallucinatus est. Atque ita intellegunt sacrae synodi decretum de vulgata editione, quae nimirum pro authentica habenda sit in rebus ad fidem et mores pertinentibus." Allatis multis argumentis sic concludit: „Ad hunc ergo modum editionis vulgatae auctoritatem pius (ita!) et tutius se defendere arbitrantur, qui leviculos quosdam errores in ea deprehensos ingenue fatentur, corrigibiles tamen apostolicae sedis auctoritate. . . . Si quaeris, quaenam istarum opinionum mihi probabilior videatur, sit sexta conclusio: In re tam gravi exspectanda est ecclesiae catholicae censura. Unde neque audeo neque debeo ecclesiae iudicium mea sententia praevenire. Scio quidem, si ab ecclesia interrogarer, quid viva voce responderem, interim tamen pio iustoque silentio me contineo." [1]

[1] *Bañez* in 1, ed. Rom. 1574, 61 sq. Videntur fuisse alii theologi, qui audacter dicerent, Vulgatam esse versionem inspiratam. Ita censuit *Petrus Sutor* in opere „De translatione Bibliae" c. 10, teste *Mariana* („Pro editione Vulgata" c. 22). Idem refert *Basilius Poncius* O. S. Aug.: „Iuxta Patrum sanctae Tridentinae Synodi decisionem imprimis non constat latinum interpretem, quisquis ille fuerit, afflatum fuisse spiritu prophetico, ut nonnulli nimium scrupulosi contendunt" („Quaestiones expositae" q. 3, c. 1). Nihilominus ipse Poncius non multum abfuisse videtur ab hac sententia. Ait enim: „Meo iudicio affirmari debet iuxta Tridentinum decretum non solum omnia, quae continentur in Vulgata, vera ipsa esse, sed vere et germane Scripturae originali conformia fideliterque, quod ad sententiam attinet, ab interprete reddita, ita ut nec in levissima aliqua re lapsus fuerit vel ignorantia vel incuria; sed omnia, quantumvis minima, recte conversa" (ib. c. 2). Talis autem versio tot librorum, non raro valde difficilium, sine speciali et plane singulari Dei adiutorio fieri non potuisse videtur; quod, cum statuendum non sit, nisi probetur, Poncii sententia communiter a theologis reicitur (cf. *Cornely*, Introd. I 468 sqq).

280. Bañezii de inspiratione doctrina communiter recepta est in Schola thomistica, quae in hac parte ab aliis theologis eo maxime differt, quod docet inspirationem verbalem, et quod naturam inspirationis explicat secundum systema praedeterminationis physicae. Ita e. g. alius notissimus theologus huius Scholae, qui 150 annis post Bañez mortuus est, **Billuart**, de hac re ita scribit:

„Suppono omnes Scripturae sententias esse a Spiritu Sancto inspiratas et dictatas. . . . Quaestio est igitur, an non solum sententiae, sed phrases, stilus, singula verba sint a Deo inspirata et dictata. Dico: *Probabilius* videtur ad rationem Scripturae Sacrae requiri, quod non solum sensus et sententiae, sed etiam singula verba sint a Spiritu Sancto dictata. Est communior, quam fecit suam Academia Lovaniensis in sua censura contra Lessium.“ Argumentatur eadem fere ratione qua Bañez. In solutione vero obiectionum quaedam maioris elucidationis gratia addit, ex quibus haec sunt notatu digna: „Spiritus Sanctus se accommodavit genio, stilo et affectionibus cuiusque scriptoris sacri sicque concurrit dictando singula, ac ipse scriptor de suo scripsisset. Est quidem calamus Spiritus Sancti, sed calamus vivus et liber, quem ideo secundum eius modum movet Spiritus. Hoc itaque posito Spiritus Sanctus movit auctores secundi Machabaeorum et Ecclesiastici, ut peterent veniam, non de falsitate, sed de stilo minus polito, ut forte nonnullis videbatur, idque prae modestia et secundum loquendi modum scriptoribus familiarem. Quantum ad laborem in scribendo, ad eum movit Spiritus Sanctus. Aliunde potuit scriptor ignorare se a Spiritu Sancto moveri.“

De Vulgata docet hanc solam esse Scripturam authenticam, non vero textum hebraicum vel graecum. Ad obiectionem: „Si sola Vulgata latina sit authentica, sequitur, quod ecclesiae orientales. . . . Scripturam veram et verum Dei verbum non habeant“, respondet „eas posse facile habere corrigendo suas versiones secundum Vulgatam“. Ad quaestionem, num Vulgata etiam in rebus ad fidem et mores nihil pertinentibus sit authentica, respondet eodem modo atque Bañez esse duas sententias, de quibus nolit facere iudicium; attamen „paucis videntur differre ambae sententiae“ [1].

281. Nostra quoque aetate Thomistae defendunt inspirationem verbalem, eamque multi non ut probabiliorem, sicut communiter Thomistae usque ad saec. XIX, sed ut certam. Recentissimus scriptor **Zanecchia** edidit opus, quod inscripsit: „Divina inspiratio Sacrarum Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis“ (Romae sine anno).

Definitur ab ipso inspiratio: „Est influxus physicus et supernaturalis elevans et movens facultates hominis, ut scripto consignentur ecclesiae propter bonum et utilitatem eius ea, quae Deus vult et modo, quo vult“ (p. 105). Unde „oportet, quod integra Sacra Scriptura tribuatur principaliter Deo et instrumentaliter vel secundario hagiographo, quia tota est producta a Deo ut a causa efficiente et ex se operante, et tota est producta ab hagiographo ut a causa efficiente instrumentali ac operante physica et actuosa virtute divina

[1] *Billuart*, De regulis fidei, dissert. 1.

sibi impressa" (p. 108). Si iam considerantur singulae facultates, quae elevantur, „cognitio inspirativa non exigit necessario nec divinam repraesentationem rei cognoscendae nec divinam revelationem" (p. 119), sed „de conceptu generico inspirationis est cognitio supernaturalis secundum iudicium effective acceptum" (p. 120), i. e. quod formatur vi supernaturalis luminis. „Lumen inspirativum est impressio transiens; at elevat et constituit intellectum hominis in ordine supernaturali" (p. 121). „Per lumen inspirativum Deus principaliter apprehendit et iudicat, quidquid ab homine inspirato apprehenditur ac iudicatur" (p. 123). „Non est necesse, quod homo inspiratus cognoscat intellectum suum esse divino lumine illustratum" (p. 125). Etiam memoria intellectiva et imaginatio per impressionem supernaturalis luminis elevantur (p. 126). Accedit elevatio voluntatis. „Haec elevatio habetur solummodo per physicum, supernaturalem ac immediatum Dei influxum", qui explicatur secundum systema praedeterminationis physicae (p. 128 sqq). Homo inspiratus „non semper intellegit, quid Spiritus Sanctus exprimere intendit per verba ore vel scripto tradita" (p. 133).

Quod attinet *extensionem inspirationis*, „adesse in Sacra Scriptura partes humano tantum spiritu conscriptas, haud rationaliter sustineri potest" (p. 142). Unde reiciuntur omnes sententiae, quae inspirationem ad res omnes in Sacra Scriptura contentas extendi negant. Excluditur error omnis et possibilitas erroris „in autographa Scriptura" (p. 147). Porro „opus Spiritus Sancti in inspiratione non se restrinxit ad formandos conceptus eosque communicandos hagiographis, sed se quoque protendit ad ipsam *scriptionem*, i. e. ad verba, ad expressiones, ad stilum, breviter ad omnia, quae ab hagiographis scripta fuerunt, et ad singulos modos, quibus ea scripto expresserunt" (p. 175). „Absurda est igitur sententia, quae Deo attribuit solas res et sententias biblicas et hagiographis adscribit verba formasque expressivas conceptuum" (p. 178). Qua in assertione Zanecchia ultra priores Thomistas procedit, qui inspirationem verbalem ut probabiliorem tantum sententiam propugnabant. Ceterum non concipit, sicut veteres quidam Thomistae, inspirationem verbalem „ad instar suppeditationis vel dictationis, qua Spiritus Sanctus de verbo ad verbum communicet hagiographo ea, quae litteris consignanda sunt" (p. 195), sed „sicut in ordine naturali recta et adaequata expressio mentalis, vocalis vel scripturalis est effectus luminis naturalis intellectus, ita in ordine supernaturali recta et adaequata expressio scripturalis rerum et sententiarum fuit effectus luminis divini infusi" (p. 187). „Si inspiratio intellegitur, sicut eam definivimus, quatenus nempe in ipsa elevantur divinitus naturales facultates hominis, ut virtute supernaturali ei impressa et virtutibus propriis elevatis concipiat, scribat et tradat ecclesiae ea, quae Deus vult, et modo, quo vult, tenuitas, labor, imperitia scriptoris, sive in patrio sive in alieno sermone, necessario apparebunt in suo opere" (p. 195). Quod defectus litterarios attinet, qui inde oriuntur, „Deus voluit illos *per accidens*, quatenus libera voluntate elegit in suum scriptorem hominem parum litteris peritum; cuius electionis causa rationalis in Deo, qui omnia sapienter operatur, certissime fuit. Aliunde scimus, quod ab ipso non semper optima media vel instrumenta eliguntur ad suos fines obtinendos, sed quandoque infirma mundi eligit, ut confundat fortia" (p. 193). Unde Vulgata et aliae „versiones non sunt Scriptura illo excellentiae gradu, quo est Scriptura autographa" (p. 201). Immo si verum est, quod Zanecchia totiens inculcat, Scripturam non esse vere

divinam Scripturam, si sensus tantum, non etiam verba et modus loquendi sint divinae originis, dicendum videtur Vulgatam non esse sensu proprio Scripturam divinam, quod tamen concedere non vult. Conclusio eius finalis est: „Luculenter consequitur divinam inspirationem sese protendisse ad omnia ac singula ab hagiographis consignata in suis autographis, necnon ad structuras grammaticas et rhetoricas, ad stilum, ordinem etc., quibus ea scripta transmiserunt“ (p. 207). Ob originem divinam Scriptura non solum pollet sensu litterali et mystico, sed etiam multiplici sensu litterali (p. 216 sqq).

Haec rigida inspirationis doctrina communis fuit in Schola neothomistica[1], sed extra eam plurimos adversarios habuit. Ceterum infra (n. 454 sqq) magis explicabitur, quomodo recens Thomistarum explicatio a vetere explicatione differat.

ART. III.

DE DISPUTATIONE LOVANIENSIUM CUM LESSIO.

282. Inter eos, qui severiori theoriae Scholae thomisticae se opposuerunt, erant plurimi theologi Societatis Iesu, non tamen omnes, quia pauci ex iis rigidae sententiae omnino adhaeserunt. Exemplo sit **Gregorius de Valentia**, qui haec scribit:

„Constat inter omnes Scripturam divinam esse doctrinam, quam Spiritu Sancto inspirante atque dictante auctores sacri litteris mandaverunt. . . . Ceterum cum doctrinam hanc Spiritu Sancto dictante esse a sacris auctoribus exceptam litterisque mandatam dicimus, non utcumque significare volumus Spiritu Sancto dirigente sacros auctores eam infallibiliter scripsisse. . . . Auctores igitur canonicos scribere Spiritu Sancto dictante ob eam rem proprie dicimus, quoniam in doctrina scripto tradenda *sic illorum opera Spiritus Sanctus utitur, ut in eo quidem negotio non tam illi agant quam agantur a Spiritu Sancto,* plane instar calami, cum usurpatur a scriptore. . . . Porro sacrum scriptorem agi potius a Spiritu Sancto quam agere asserimus, primo propter facilitatem, qua is, Spiritu Sancto docente ac dirigente, cognoscit ac scribit omnia, etiam minutissima verissime. . . . Hanc autem auctoris sacri facilitatem in cognoscendo atque scribendo certissime velocitas illa significat,

---

[1] Quidam *Vincentium Contenson* inter asseclas doctrinae laxioris de inspiratione nominant. Audiantur pauca eius verba. Loquens de Vulgatae authentia ait: „Ex quo fit omnes apices, syllabas et particulas sacrosancti librorum canonicorum voluminis Spiritu Sancto afflante scriptas esse. . . . Daretur plane haereticis omnia sugillandi ansa . . . si semel concedatur Spiritum Sanctum adstitisse scriptioni rerum praecipuarum, non levium et nihil ad salutem pertinentium. . . . Nota ad veritatem sacrorum librorum non esse opus scriptores omnia ex immediata revelatione accepisse. Nam a Petro Marcum, ab aliis apostolis Beataque Virgine Lucam audivisse constat. Sed id, quod contendimus, est, omnes omnino Scripturarum phrases et versus speciali Dei instinctu, afflatu, assistentia, directione et manutenentia fuisse exaratos, ita ut omnium librorum Spiritus auctor sit. . . . In omnibus igitur habuerunt non revelationem sed assistentiam et auxilium, ne laberentur.“ Addit hoc auxilium praestari per praedeterminationem physicam (Theologia mentis et cordis l. 5, dissert. praeamb. c. 1, Ed. Lugdun. 1675, 13 17).

quam David (Ps 44 et 147) divino tribuit eloquio." Item Baruch apud Ir 36, „quo loco significat perinde fuisse facile Ieremiae, Spiritu Sancto suggerente, illa omnia pronuntiare, atque est omnino aliquam Scripturam simpliciter legere. Deinde ob eam causam quoque scriptorem agi potius a Spiritu Sancto asserimus, quia, etsi sponte quidem scribat, at *scribit tamen omnino necessario, ita ut, Spiritu Sancto sic efficaciter volente, minime in ipsius arbitrio sit positum aut non scribere aut alio modo, alio tempore, aliis verbis scribere.* . . . Atque hoc ipsum proprie est auctorem sacrum esse quasi Spiritus Sancti calamum, in cuius videlicet potestate non est, ut eo scriptor utatur vel alio modo utatur". Hinc consequens est omnia in Scriptura esse inspirata et infallibilia. Vulgata quoque est „per omnia in sensu quidem concors illi Scripturae, quae primo ab auctoribus sacris Spiritu Sancto est excepta". Sensus vero Scripturae non solum est litteralis et mysticus, sed etiam multipliciter litteralis [1].

283. Hunc igitur severum inspirationis conceptum plurimi Societatis Iesu theologi non fecerunt suum. Qua de re orta est acris disputatio inter **Lessium** et theologos Academiae Lovaniensis. Coepit Lessius a. 1586 Lovanii theologiam docere. Sequenti iam anno Academia Lovaniensis theses quasdam Lessii in crisim revocavit, inter quas tres de Sacra Scriptura:

a) „Ut aliquid sit Scriptura Sacra, non est necessarium singula eius verba inspirata esse a Spiritu Sancto." b) „Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae." c) „Liber aliquis (qualis forte est 2 Machabaeorum) humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra." Has theses Lovanienses censura affecerunt ut „periculosas et accedentes ad haeresim Anomoeorum".

Respondit Lessius theses esse quidem suas, sed mutilas suisque locis avulsas, ut verus sensus difficulter cognosci posset. Quare scripsit „Responsionem ad censuram assertionum de Scriptura", in qua ait:

„In istis propositionibus non potest esse difficultas, si explicentur, sicut alias a nobis sunt explicatae. Nam quod attinet ad *duas priores*, non negamus auctores hagiographos ex peculiari inspiratione Spiritus Sancti et directione ac assistentia scripsisse; sed hoc tamen licimus non fuisse necesse, ut ad singulas sententias et ad singula verba scribenda habuerint novam et positivam inspirationem ex parte ipsius, i. e. novam illuminationem, qua novo modo cognoscerent veritates, quas scribebant, et viderent verba, quibus Spiritus Sanctus volebat eos uti; sed *suffecisse, ut Spiritus Sanctus peculiari modo illos excitaret ac impelleret ad scribendum ea, quae vel audierant vel viderant vel alio modo cognoverant, et simul iis ad singulas sententias ac verba assisteret et, ubi opus esset, dirigeret.*

„Haec sententia visa est mihi probabilior quam contraria. Primo quoniam evangelistae et alii scriptores hagiographi ad ea scribenda, quae viderant vel ab infallibilibus testibus audiverant, *non videntur eguisse nova revelatione*

[1] Comment. theol. III, disp. 1, q. 1, punct. 7, q. 8.

illarum veritatum, sicut Paulus, qui non ab hominibus, sed per revelationem Iesu Christi brevissimo tempore didicit doctrinam evangelicam. Ioannes enim scripsit, quae vidit, ut patet 1 Io 1, similiter Matthaeus; Marcus autem, quae audivit a Petro. . . . Lucas vero quae acceperat ab ipsis, qui viderant, ut testatur initio evangelii. Sic multa crediderim scripta ab ipsis historicis sacris, quae ipsi viderant vel audierant, absque nova revelatione. Secundo probatur afferendo rationem. Quia Spiritus Sanctus utitur instrumentis idoneis, prout ea invenit, et sicut in necessariis non deest, ita in sufficientibus non redundat. Atqui tales, qui iam aliquid certo cognoscunt et habent eloquendi facultatem, sunt idonei ad illa scribenda. Ergo si Spiritus Sanctus velit his ut instrumentis et amanuensibus uti, non est necesse, ut de novo revelet res istas, sed satis est, ut eligat illos in suos amanuenses et excitet peculiari instinctu ad scribenda ea, quae iam antea cognoverant, ac simul illis specialissimo modo assistat in omnibus verbis et sententiis, ut ne minimum quidem errorem committere possint.

„Quod ut melius explicetur, sciendum est *duobus modis posse aliquid scribi ex inspiratione Spiritus Sancti. Primo,* ut Spiritus Sanctus nova inspiratione supernaturali ostendat singulas res scribendas et singula verba; et sic scripserunt prophetae suas prophetias, ut patet Ieremiae 36, qui tanta facilitate prophetias dictabat, ut eas legere videretur. *Secundo,* ut Spiritus Sanctus peculiari instinctu excitet et impellat eum, quem delegit ad scribendum ea, quae antea vidit, audivit vel alio modo cognovit, et simul assistat in singulis verbis ac sententiis. Et hoc modo probabiliter teneo scripsisse multa evangelistas et historicos hagiographos, ita ut non fuerit opus illis nova et positiva inspiratione et illuminatione circa singula. Et eo magis inducor in hanc sententiam, quod haeretici huius temporis ex contrario fundamento, i. e. quia putant singula verba Spiritus Sancti positiva et nova inspiratione dictata, conantur probare libros Machabaeorum non esse Scripturam canonicam. . . . Si ita esset, non diceret Lucas se scribere ea, quae accepit ab apostolis, qui viderant, sed quae acceperat a Spiritu Sancto, qui singula de novo dictaverat. . . . Sed satis est in historicis sacris, ut Deus peculiari instinctu impellat eos ad scribendum ea, quae antea noverant, ac simul infallibiliter illis ad omnia assistat. Per hoc enim non tollitur labor revocandi in memoriam audita, visa et lecta ac digerendi omnia in ordinem et aptis verbis, prout iudicaverit esse convenientius, explicandi. Unde etiam fit, ut scriptores eloquentiores eloquentius, minus facundi minus ornate scripserint. . . .“

284. „*Tertia propositio,* semota parenthesi, videtur mihi esse omnino certa, nisi quaestio sit de nomine. Ponamus enim aliquam piam historiam ab aliquo pio viro, qui eam optime norit, ex instinctu Spiritus Sancti scriptam, qui absque illa singulari assistentia verum scripturus sit et nullum omnino commissurus errorem; si Spiritus Sanctus per aliquem prophetam vel aliter testetur omnia, quae ibi scripta sunt, vera ac salutaria esse, non video, cur talis liber non sit habiturus *auctoritatem Scripturae Sacrae,* cum eandem habeat rationem credendi quam alia quaevis prophetia, nempe auctoritatem divinam. . . . Atqui duobus modis potest aliquid asseri et confirmari. Primo expresse, ut cum verbatim omnia repetuntur, quae ab alio dicta erant, sicut si rex omnia repeteret et assereret, quae ipsius secretarius scripserat. Secundo implicite et per compendium, ut cum dicitur omnia illa esse verissima; qui duo modi in moralibus et *in ordine ad fidem et auctoritatem tribuendam* idem valent. . . .“

Explicat dein, quomodo definitiones summorum pontificum et conciliorum non sint Scriptura Sacra, cum ipsae potius Scriptura Sacra et Traditione nitantur, ex iis deriventur et auctoritatem hauriant. Unde si epistula Leonis ad Flavianum temporibus apostolorum scripta et Spiritus Sancti testimonio comprobata fuisset, esset Sacra Scriptura, quia immediate per revelationem Spiritus Sancti auctoritatem nacta esset. „Et hoc dico, *non quod asseram hunc modum in aliqua Scripturae parte servatum;* immo puto de facto hunc modum in Scripturis non inveniri, sed tantum loquor de possibili. Unde et propositio est condicionalis. Si enim Deus voluisset, potuisset hunc modum in aliqua Scripturae parte servare, quia non implicat contradictionem, ac illa esset tam infallibilis auctoritatis quam alia."

„Ex his patet, quam longe distet haec sententia ab errore Anomoeorum [1] ac Erasmi, qui volebant apostolos interdum ut homines locutos, i. e. aliquando humano more errasse ac lapsos memoria esse. Ita enim respondebant Anomoei, cum illis aliquid ex apostolo vel Scripturis obiceretur: ‚Apostolus ibi ut homo locutus est' et: ‚Cur nobis obicis Vetus Testamentum?' — Nos enim dicimus omnes Scripturae partes esse infallibilis veritatis et esse a Spiritu Sancto vel nova revelatione inspirante vel peculiari instinctu excitante et assistente ad singula verba et sententias, et nec minimum quidem in iis posse esse errorem, quia redundaret in Spiritum Sanctum, ut fuse ostendi alias, et totius Scripturae auctoritas corrueret; etiamsi non sit necessarium, ut Spiritus Sanctus novo modo singula inspiraverit positive hominem illuminando." [2]

285. Contra Lessii Apologiam scripserunt Lovanienses Antapologiam, cui Lessius opposuit Responsionem, in qua inter alia ait:

Etiam quando Deus sacris auctoribus non dabat novas revelationes, „dirigebat tamen illos in singulis, ne vel alia vel aliter scriberent, quam ipsi videbatur, sed hoc fiebat sine nova revelatione vel novo modo cognoscendi. Hinc patet quodam sensu auctorem libri secundi Machabaeorum potuisse dicere linguam suam esse calamum scribae velociter scribentis, nempe quia a Spiritu Sancto excitabatur et dirigebatur; quodam modo non potuisse, quia Spiritus Sanctus non omnia verba in mente eius praeveniendo formabat, sicut facit is, qui proprie dictat. . . . *Non enim ratio Scripturae Sacrae intrinsece includit, ut omnia verba materialia sint a Spiritu Sancto dictata,* sed hoc est veluti accidens quoddam et ornamentum eius. Alioquin si exemplaria hebraea et graeca interciderent, ecclesia careret Scriptura Sacra. Immo iam de facto ecclesia latina Scripturam non haberet; nam editio latina Scriptura non esset. . . . Si enim bene intueamur, ratio Scripturae in eo consistit, quod

[1] Error Anomoeorum, de quo hic mentio fit, a *S. Epiphanio* ita describitur: „Nihil est, quo non illorum pertingat audacia. Prophetarum apostolorumque nomina contumeliis incessunt. Cumque urgeri rationum vi ac male haberi coeperint, effugiunt subinde ac prosiliunt et ‚ista, inquiunt, apostolus tamquam homo dixit'. Alias ‚Quid tu mihi Vetus, aiunt, Testamentum obicis'? Quod quidem minime mirum est, si dictum illud Salvatoris consideretur (Mt 10, 25): Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos illius? Si Dominum ipsum ac verum eius decus et gloriam abnegare non dubitant, quanto magis prophetas illius et apostolos negabunt" (Haer. 76, confut. 36, VI; *M* 42, 638).

[2] Apud *Schneemann,* Controv. de div. gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus, Friburgi 1881, 467 sqq.

sententia sit Dei verbum, in quacumque tandem lingua exprimatur, quodque immediatum ordinem habeat ad infallibilem primae veritatis auctoritatem. . . . Quod ad tertiam propositionem attinet . . . coniecturam illam, qua dicitur: ‚forte librum Machabaeorum humana industria scriptum esse', ex mea sententia non dixi, sed eorum, quos antea rettuleram, non tamen probaveram, qui putant auctorem illum gentilem fuisse, et eos libros ab apostolis et ecclesia auctoritatem accepisse. Quam sententiam satis indicat *Sixtus Senensis* l. 8. Biblioth. sacr. haer. 12, resp. ad 7 [1], ubi sic ait: ‚De sententia Hebraeorum circa hos libros, quaecumque ea sit, nihil refert, cum ecclesia catholica eos in canone recipiat; nec quidquam eorum fidei derogatur, si ab auctore profano scripti sint, cum libri fides non ab auctore, sed ab ecclesiae auctoritate pendeat; et quod illa acceperit, verum et indubitatum esse oportet, a quocumque dictum sit auctore, quem ego neque sacrum neque profanum ausim affirmare'. Haec ille. Hanc tamen sententiam non probavimus, sed diximus auctorem illum fuisse virum fidelem, qualem decet esse auctorem hagiographum. . . . Quod autem ad hanc propositionem condicionalem attinet: Si aliquis liber humana industria etc., sentio semperque sensi nullum talem librum exstare, qui sine assistentia Spiritus Sancti eiusque excitatione et directione scriptus sit." [2]

286. Ad censuram Lovaniensium accessit Academia Duacensis, eam reiecerunt Academiae Moguntina, Trevirensis, Ingolstadiensis; Facultas Sorbonica noluit iudicium dare. Romam quoque res delata, sed sine sententia iudiciali dimissa est. In Concilio Vaticano, quando praeparabatur caput, quo statuitur ad rationem libri inspirati non sufficere subsequentem approbationem ecclesiae, episcopus *Gasser* in relatione sua dixit:

„Ad inanes timores abigendos, quasi doctrina hac nostra damnetur illa sententia Lessii et Lovaniensium [collegarum Lessii], pauca mihi hac de re dicenda sunt. Doctrina, quae primo in nostro capite notatur, nullatenus debet confundi cum doctrina Lessii et Lovaniensium, cum doctrina ipsa, utut sit erronea, tamen non sit eadem, quam nos in schemate nostro proscribimus. Lessius enim inductus fuit ad hanc sibi efformandam, de qua quaestio est, ideam de libro inspirato per illam agendi rationem Protestantium, qui inspirationem extenderunt non solummodo ad singulas sententias, sed etiam ad singulas voces, et proinde librum e. g. secundum Machabaeorum ideo reiecerunt, quia auctor huius libri dicit se compendium quoddam perfecisse ex libro historico maiore Iasonis, et ex ipsis verbis auctoris apparet, quod utique humana industria adhibita hoc confecerit. Iam Lessius opposuit, forsitan fieri posse (dico fieri posse, quia solummodo de possibilitate agitur), quod liber humana industria exaretur; sed semper haec duo adiunxit, scilicet quod auctor instinctu divino incitatus accesserit ad opus hoc conficiendum, et secundo quod a Deo, ad finem saltem opere perfecto, pronuntietur in libro isto nil erronei contineri. Ergo non de approbatione ecclesiae egit Lessius, sed de approbatione seu revelatione ipsius Dei. . . . Ergo sententia, quae hic damnatur, nullo modo debet confundi cum sententia Lesii et Lovaniensium." [3]

[1] Ed. Lugdunensis 1575, 347 sq 350. [2] Ib. 387 sqq.
[3] Conc. Coll. Lacensis VII 140 sq.

287. Iam quod attinet tres illas Lessii theses, duae primae communissime sunt receptae, quatenus plurimi theologi cum Lessio docuerunt ad inspirationem non requiri neque novam singularum rerum revelationem neque omnium verborum suggestionem. Quod vero tertiam thesim attinet, haec, utpote mediocris utilitatis, simpliciter dimitti potest, cum non statuat, quid factum sit, sed quid absolute fieri possit. Num vero Lessius in illis thesibus usus sit verbis minus aptis, non multum ad rem nostram refert[1]. Id unum hic notasse sufficit, disputationem illam inter Lessium et professores Lovanienses ansam dedisse ad inquirendum subtilius in inspirationis naturam et rationem.

Assertio Lovaniensium et Duacensium haec erat: singulis sacris auctoribus omnes res scribendas omniaque verba a Spiritu Sancto suggesta esse, ita ut scriptores humani nihil aliud fuerint quam calami, calami quidem vivi, quibus tamen de verbo ad verbum omnia a Spiritu Sancto dictata essent, seu, ut brevissime ait *Estius,* unus ex Lessii adversariis: „Recte et verissime statuitur omnem Scripturam Sacram et canonicam Spiritu Sancto dictante esse conscriptam, ita nimirum, ut non solum sententiae, sed et verba singula et verborum ordo ac tota dispositio sit a Deo tamquam per semetipsum loquente aut scribente.“ [2]

Inter asseclas igitur harum duarum sententiarum orta est multumque et diu agitata controversia, quae ne nostra quidem aetate plane finita censeri potest.

ART. IV.

SENTENTIA COMMUNIOR POST CONCILIUM TRIDENTINUM.

288. Quia fieri non potest, ut omnes doctores, qui post Concilium Tridentinum de inspiratione scripserunt, singillatim suas sententias exponentes audiamus, sufficiat quosdam audire, qui in variis theologiae provinciis eminentes fuerunt.

Sit igitur primus ille, qui in theologia polemica sine dubio inter maximos recensetur, Cardinalis **Bellarminus.** Hic quid de inspiratione sentiat, efficitur ex eius iudicio de tribus Lessii propositionibus (supra n. 293). Ait enim: „Propositiones tres de Scriptura, ut nude proponuntur, non admodum recte sonant et calumniis expositae sunt. Tamen priores duas recte exponit Pater Leonardus. Pro tertia scripsit nuper apologiam, et quamvis mihi non plene satisfecerit, tamen, ut ab eo modificatur et temperatur, tolerabilis videtur.“ [3]

---

[1] Vide, si placet, hac de re *Kleutgen* apud *Schneemann,* Controv. de gratia 473 sqq. [2] In 2 Tim 3, 16.

[3] Apud *Schneeman,* Controv. de gratia 477 sqq.

Bellarminus ipse integrum tractatum de inspiratione non edidit, sed mentem suam explicat, ubi vel libros canonicos vel conciliorum auctoritatem contra haereticos defendit.

Contra Schwenckfeldianos, qui reiectis libris sacris solo interno Spiritus Sancti testimonio doceri se gloriabantur, statuit: „propheticos et apostolicos libros . . . verum esse verbum Dei et certam ac stabilem regulam fidei". Hoc probat testimoniis prophetarum, apostolorum, ipsius Christi, miraculis, prophetiis etc. Inter alia ait: *Scripturas Sacras „certissimas atque verissimas esse, nec humana inventa, sed oracula divina continere. . . .* Est incredibilis quaedam et plane divina conspiratio atque concordia tot virorum, qui diversis temporibus, locis, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt, ut non tam ipsi scriptores diversi quam unius scriptoris diversi calami fuisse videantur". Ergo Sacra Scriptura est „regula credendi certissima tutissimaque". Haeresis est existimare „in ipsis B. Pauli epistulis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse dictante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et humana ratione duce".

Obicientibus librum 2 Machabaeorum non esse inspiratum, cum auctor veniam erratorum petat, respondet: „Deum quidem esse auctorem omnium divinarum Scripturarum, sed aliter tamen adesse solitum prophetis, aliter aliis, praesertim historicis. Nam prophetis revelabat futura et simul assistebat, ne aliquid falsi admiscerent in scribendo, et ideo prophetae non alium habuerunt laborem quam scribendi vel dictandi; aliis autem scriptoribus Deum non semper revelabat ea, quae scripturi erant, sed *excitabat, ut scriberent ea, quae viderant vel audierant, quorum recordabantur, et simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent;* quae assistentia non faciebat, ne laborarent in cogitando et quaerendo, quid et quomodo scripturi essent. Quare S. Lucas praefatione in evangelium a se scriptum testatur se assecutum omnia diligenter, quae ad evangelii scriptionem pertinebant idque ab iis, qui ipsi audierant et viderant et ministri fuerant sermonis. Quod autem ad veniam attinet, non petit veniam iste auctor erratorum, quippe qui nulla esse sciebat, sed orationis minus politae, quemadmodum etiam B. Paulus se imperitum sermone confitetur 2 Cor 11".

Contra eos, qui epistulam ad Hebraeos Paulo abiudicant ob stili indolem, duplex responsum dat, quorum primum est: „hanc epistulam non hebraice, sed graece primum esse scriptam, et quidem sententias Pauli esse, verba autem Lucae aut Clementis, quo tamquam interprete et scriba Paulus usus sit; et ideo hanc epistulam esse magis ornatam, quam ceterae sint, quia sermo huius epistulae non a Paulo, ut ceterarum, sed ab alio magis diserto compositus sit." Haec solutio est „cum simplicior tum etiam expeditior". Alterum responsum est epistulam esse versionem ex originali textu hebraico [1].

Sensum Scripturae saepe esse obscurum et interprete indigere ostendit contra Lutheranos. Distinguit sensum litteralem et mysticum; „interdum plures litterales in eadem sententia reperiri" non est improbabile propter Augustini auctoritatem. Loquitur quidem ipse quoque Bellarminus de duplici sensu litterali, sed eatenus tantum, quatenus sensus litteralis interdum est

[1] *Bellarminus,* De Verbo Dei l. 1, c. 1 2 6 15 17.

proprius, interdum improprius seu figuratus [1]. Iudex autem controversiarum de sensu Scripturae est auctoritas ecclesiastica [2].

„*Falsum est Deum mandasse apostolis, ut scriberent.* Legimus enim Matthaei ultimo mandatum, ut praedicarent evangelium; ut autem scriberent, nusquam legimus. Itaque Deus neque mandavit expresse, ut scriberent, nec ut non scriberent. Nec tamen negamus, quin Deo volente et inspirante apostoli scripserint, quae scripserunt; aliud enim est aliquid facere Deo suggerente et inspirante, aliud eo aperte praecipiente. Et hoc modo intellegendus est S. Augustinus l. 1 De consensu evangelistarum cap. ultimo, ubi sic loquitur: ‚Quidquid ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit' Loquitur enim de imperio interno, quo Christus invisibiliter ut caput membra sua movet ad varias actiones, quod imperium suggestio quaedam et inspiratio potius quam praeceptum proprie existimari debet." [3] Neque vero ideo negat alios sacros scriptores a Deo accepisse mandatum scribendi, sed id unum urget non posse sine ope traditionis ex solo mandato apostolis dato cognosci, qui sint libri sacri et inspirati [4].

289. Alio loco Bellarminus comparat Sacram Scripturam et concilia, inter quae varia discrimina statuit.

„Primum est, quod *Scriptura est verbum Dei immediate revelatum et scriptum quodammodo Deo dictante.* . . . Quod tamen non sic intellegendum est, quasi semper scriptores sacri novas revelationes habuerint et scripserint ea, quae antea ignorabant; constat enim evangelistas Matthaeum et Ioannem scripsisse ea, quae viderunt, Marcum et Lucam ea, quae audierunt, ut Lucas ipse fatetur initio evangelii. . . . Dicuntur igitur scriptores sacri habuisse immediatam revelationem et scripsisse ipsius Dei verba, quia vel nova quaedam et antea incognita iis revelabantur a Deo . . . vel *Deus immediate inspirabat et movebat scriptores ad scribenda ea, quae viderant vel audierant, et eos dirigebat, ne aliquo modo errarent.* Ut enim dicitur vere epistula principis, quae a principe dictatur, etiamsi is, qui eam scripsit, antea sciebat, quae scripturus erat, ita dicitur et est immediatum Dei verbum, quod scriptum est ab evangelistis Deo inspirante et dirigente, licet scripserint ea, quae viderant vel audierant."

„Alterum discrimen ex hoc primo oritur, et est quod scriptores sacri non debuerunt multum laborare in suis libris edendis. Satis enim erat, si laborarent scribendo vel dictando, si edebant vaticinia; vel ad summum revocando ad memoriam, quae viderant vel audierant, et cogitarent verba, quibus ea scriberent, si scribebant historias vel epistulas vel aliquid simile."

„Tertium est, quod in Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide sive de moribus, et sive affirmetur aliquid generale et toti ecclesiae commune, sive aliquid particulare et ad unum tantum hominem pertinens. Tam enim certum est sine gratia Spiritus Sancti neminem salvari, quam Petrum, Paulum, Stephanum et quosdam alios vere Spiritum Sanctum habuisse et salvos esse; utrumque enim eadem Scriptura verissima testatur."

„Quartum est, quod in Scriptura non solum sententiae, sed etiam verba omnia et singula ad fidem pertinent. Credimus enim nullum esse verbum in Scriptura frustra aut non recte positum."

[1] Ib. l. 3, c. 2 3. [2] Ib. c. 4 sqq. [3] Ib. l. 4. c. 3. [4] Ib. c. 5.

„Quintum est, quod Scriptura non eget approbatione pontificis, ut sit authentica, sed tantum, ut innotescat eius auctoritas.“ [1]

Ergo secundum Bellarminum Scriptura est verbum Dei scriptum ideoque regula fidei tam in magnis quam in parvis, omnis prorsus erroris expers. Etsi non omnes scriptores sacri habuerunt revelationem immediatam et proprie dictam, tamen omnes a Deo immediate inspirabantur et movebantur ad scribendum. In hoc opere scribendi hagiographi, ut distinguuntur a prophetis, debebant laborare ad res in memoriam revocandas et ad invenienda verba, quibus scribenda exprimerent. Attamen quia etiam hoc fiebat sub assistentia et directione Spiritus Sancti, nullum verbum frustra aut inepte posuerunt. Omnium auctor primarius est Spiritus Sanctus; ideo necesse non est multum inquirere de auctore humano. E. g. certum est „auctorem primarium omnium Psalmorum esse Spiritum Sanctum . . . ergo sive David sive Moyses sive quis alius Psalmos condiderit, ipsi quidem quasi calami fuerunt, sed Spiritus Sanctus fuit, qui per eos scripsit. Quid vero necesse est laborare de calamo, cum de scriptore constat?“ [2]

290. Unus ex principibus in theologia dogmatica est **Franciscus Suarez**, qui de Sacra Scriptura loquitur in tractatu de fide, ubi sermo est de regulis fidei.

„Supponimus dari in ecclesia quosdam libros, quos canonicos vocamus, in quibus verbum Dei scriptum contineri credimus, quae suppositio tamquam dignitas seu primum principium accipitur ab omnibus, qui Christianorum nomen profitentur, et ideo inter eos probandum non est.“ Quaeritur, „an haec Scriptura sit talis regula, ut, quidquid in ea continetur, tamquam de fide divina certum recipiendum sit. . . . Priusquam veritatem catholicam ostendamus, definiri oportet, quid sit de ratione Scripturae Sacrae, quae varie solet definiri. Nobis vero nunc placet sequens descriptio: *Est Scriptura, instinctu Spiritus Sancti scripta, dictantis non tantum sensum, sed etiam verba.* In qua descriptione ‚Scriptura‘ ponitur loco generis, ut constat. Debet autem haec Scriptura habere Deum auctorem proprium (quae est altera definitionis particula), ut docet Tridentinum. . . . Ratio autem et necessitas huius condicionis est, quia, nisi Scriptura habeat Deum auctorem, non potest divinam auctoritatem habere, ergo neque infallibilem veritatem, quia solus Deus infallibilis est. . . . De tertia particula, videlicet Scripturam, ut canonica sit, debere esse a Spiritu Sancto *etiam quoad verba,* aliqui dubitant, tum quia non videtur necessarium ad certitudinem fidei et veritatis Scripturae Sacrae; tum etiam quia verba scriptoris sacri interdum sunt minus polita et aliquando fortasse non satis congrua, et ideo non videntur Spiritui Sancto attribuenda. Nihilominus dubitandum non est de veritate et necessitate illius particulae“ propter varias auctoritates, quae allegantur. „Denique particula illa videtur necessaria ad distinguendam Scripturam Sacram ab aliis scrip-

[1] *Bellarminus,* De Conc. l. 2, c. 12.
[2] Praef. Commentarii in Psalmos.

turis, quarum sensum etiam Spiritus Sanctus dictat, et nihilominus in canone sacrorum librorum non numerantur. Unde etiam haec Scriptura *canonica*[1] appellatur. Id patet de conciliis, quia etiam in eorum definitionibus seu decretis Spiritus Sanctus dictat sensum et veritatem, et nihilominus Sacra Scriptura non sunt, quia scilicet verba non dictat. . . . Licet fortasse haec proprietas Scripturae non esset necessaria ad certitudinem sententiarum, fuit tamen necessaria ad specialem dignitatem et praerogativam talium librorum, et ut in maiori veneratione haberentur tamquam verba Dei, sicut revera habiti sunt; item ut non solum intellegeremus servari in iis veritatem quoad sententias, praecipue intentas, sed etiam in omnibus, quae per occasionem seu incidenter dicuntur; ac denique ut singula verba mysterium aliquod continere posse intellegeremus.

„Ut autem hoc facilius creditu fiat, . . . adverto *duobus modis posse intellegi singula verba Scripturae esse a Spiritu Sancto,* scilicet per specialem motionem antecedentem, vel tantum per assistentiam et quasi custodiam. *Prior modus* erit, quando Spiritus Sanctus vel imprimit conceptum verbi per species infusas, saltem per accidens, vel peculiariter movendo et excitando species praeexsistentes, et hic modus est maxime proprius et perfectus, et verisimilius est observari a Spiritu Sancto, quoties mysteria, quae scribuntur, supernaturalia sunt et captum humanum excedunt. *[Alter modus:]* Non videtur autem necessarium, etsi eruditi quidam recentiores id contendant, ut semper dictentur verba hoc peculiari modo. Quando enim auctor canonicus scribit aliquid, quod secundum se humanum est et subiacet sensibus, satis videtur, quod Spiritus illi specialiter assistat et custodiat illum ab omni errore et falsitate et ab omnibus verbis, quae non expediunt vel decent talem Scripturam, avertendo scilicet speciali providentia omnia obiecta, quae conceptus talium verborum excitare possunt, et in reliquis permittendo, ut scriptor sua memoria et suis speciebus ac sua diligentia utatur in scribendo, sicut Lucas profitetur c. 1 sui evangelii, ut ibi communiter notatur. Satis ergo est, ut uno vel altero modo, iuxta exigentiam materiae, verba sint a Spiritu Sancto. . . . Neque vero propter ipsum posteriorem modum fit, ut a conciliorum definitionibus Sacra Scriptura non distinguatur, siquidem nullus eius liber reperitur, in quo verba ut plurimum non sint priori modo dictata."

291. Hac igitur de causa, quod a Spiritu Sancto est dictata, Scriptura est infallibilis fidei regula et vocatur canonica.

„Nam si est verbum Dei scriptum, necesse est, ut sit regula veritatis, quia nulla est certior regula quam Dei auctoritas, quae in verbo eius continetur et per illud applicatur. Unde sicut impossibile est mentiri Deum, ita *impossibile est mendacium in Scriptura reperiri* . . . tum quia, sicut non potest Deus per se ipsum mentiri, ita nec per alium, quia moraliter perinde est, tum etiam, quia, si aliquod mendacium in Scriptura reperiri posset, tota eius auctoritas periret; propter quod *non minorem certitudinem habet in minimis quam in maximis.*" Adduntur argumenta ex vaticiniis, miraculis, concordia scriptorum sacrorum, perfectione doctrinae.

---

[1] Canon, de Scriptura dictus, ut ipse Suarez indicat, proxime est collectio sacrorum liborum, consequenter regula fidei.

Agit dein Suarez de Vulgata secundum Tridentini decretum, de obscuritate Scripturae, de sensu litterali (sive proprio, sive metaphorico) et de sensu spirituali, de modo exponendi Scripturam.

Porro quaeritur, „an in divina Scriptura sit aliquid, quod Spiritu divino scriptum non sit, et consequenter, quod non sit Scriptura divina. Ad quod breviter respondeo *scriptorem canonicum nihil scribere humano et proprio spiritu, sed omnia et singula ex directione Spiritus Sancti*. . . . Est res certissima. . . . Probatur sufficienter ex dictis circa definitionem Scripturae, et quia alias tota Scriptura redderetur incerta, et posset mendacium in illa inveniri. Ut tamen hoc recte intellegatur, addendum est quaedam haberi in Scriptura formaliter, alia tantum materialiter, quia referuntur a scriptore ut dicta ab aliis. In prioribus habet maxime locum, quod diximus; in posterioribus autem contingit sententiam in Scriptura relatam spiritu humano fuisse in principio seu ab alio dictam, quale illud ‚Dixit insipiens in corde suo: non est Deus', et dictum poëtae, quod refert apostolus. Nihilominus scriptor canonicus illud non refert nec scribit sine Spiritu Dei. Unde in hoc etiam fallere non potest. . . . Secundo adverto aliud esse scriptorem *statuere* aliquid spiritu suo humano seu voluntate propria, aliud vero *scribere* statutum illud spiritu humano; quae duo videtur confundere Cano, sunt tamen valde distincta, ut v. g. Mc 10 dixit Christus de libello repudii: ‚Ob duritiem vestram scripsit vobis Moyses', ubi solet dubitari, an illud scripserit Moyses spiritu proprio an divino, in quo potest fortasse esse quaestio de lege, non tamen de *scriptione* legis. Itaque certum esse debet scriptionem semper esse a Spiritu Sancto, etiamsi factum vel statutum vel aliud simile non sit ita specialiter a Spiritu Sancto. Sic Paulus 1 Cor 7 de quibusdam dicit: ‚Non ego, sed Dominus', de aliis: ‚Praecipio ego, non Dominus'; utrumque autem scripsit eodem Spiritu Domini."

„Tandem advertendum est, licet in Scriptura omnia sint scripta Spiritu divino, nihilominus eundem Spiritum relinquere scriptorem, ut modo sibi accommodato et secundum suum ingenium, eruditionem et linguam singula scribat, et ita etiam permittit, ut aliqua familiari et humano modo scribat, quamvis sub directione sua. . . . Inde vero oriebatur curiosa quaestio, an scriptor canonicus certo cognoscat se canonice scribere et gubernatum esse a Spiritu Sancto, quam non invenio in terminis disputatam ab auctoribus, licet de prophetia soleat alia similis tractari. Et quamvis aliqua ratio differentiae posset assignari, securius videtur idem in praesenti affirmare, quod de prophetia certum est, nimirum prophetam verum et proprium cognoscere, quae praedicit; ita enim de se significat David (2 Rg 23; Ps 86). Est autem eadem ratio de reliquis scriptoribus." [1]

292. *Recte omnes sacri scriptores annumerari possunt prophetis.*

„Quia omnia, quae in Scriptura continentur, Spiritu divino sunt scripta, illud gratiae donum, quod alicui datur, ut canonice scribat, spiritus prophetiae dicitur, et ipsa Scriptura canonica vocatur prophetia (2 Petr 1)." [2] *Prophetia autem non fit in statu amentiae, sed intellegentiae,* „quia prophetiae donum perficit hominem humano modo et perfecto; loqui autem sine intellegentia eorum, quae dicuntur, non pertinet ad perfectionem humanam, sed est potius amen-

[1] *Suarez*, De fide disp. 5, sect. 3. [2] Ib. disp. 8, sect. 3, n. 3.

tium et somniantium et aliquando usu rationis carentium. . . . Sed advertendum est non negari a nobis prophetas interdum in ecstasi et alienatione a sensibus recipere propheticas revelationes . . . sed dicimus eos, qui vere prophetae sunt, etiamsi in ecstasi illuminentur, vere nihilominus intellegere, quid sibi reveletur; alias non essent vere illuminati a Deo, sed tamquam instrumenta mortua se haberent. Secundo advertendum *fieri posse interdum, ut verba prophetae aut visio illi demonstrata plura mysteria contineat, quam ipse intellegentia percipiat,* ut 2, 2, q. 173, a. 4. D. Thomas notat, quia, cum prophetae lingua et mens sint Spiritus Sancti instrumenta, quae non adaequant virtutem principalis agentis, non est necesse omnia intellegi a prophetis, quae Spiritus Sanctus intendit. . . . *Actus prophetiae debet esse cognitio certa, non tantum rerum revelatarum, sed ipsius etiam revelantis* . . . quia non potest esse iudicium rei revelatae certum et infallibile, nisi eadem certitudine iudicetur Deum esse revelantem. Nam si hoc certum non habetur, dubitari poterit de veritate revelationis, ergo et de veritate rei revelatae. . . . Observandum vero est *hanc conclusionem procedere de cognitione vere prophetica, non autem de omni illa, quae dicitur esse ex instinctu prophetico.* Potest enim Spiritus Sanctus movere hominem interdum ad aliquid iudicandum, ita tamen ut nequeat certo dignoscere, an instinctus ille sit a Spiritu Sancto; tunc ergo iudicium illud certum non est nec vera prophetia." Attamen si verus propheta aliquid ex instinctu humano profert, corrigitur a Spiritu Sancto, „quod praecipue habet [Gregorius M.] verum in sanctis prophetis, qui in Scriptura prophetarunt; nam ut eorum veritas esset omnino integra et indubitata, providit Spiritus Sanctus, ut, si quid interdum loquerentur spiritu humano, statim se corrigerent, Spiritu divino afflati. Qui etiam, cum ita loquuntur non ex aperta prophetia, sed ex aliquo instinctu, hoc ipsum suo sermone indicant". Exemplum Nathan propheta (2 Rg 7). Itaque potest esse instinctus divinus interdum notus homini, interdum ignotus. „*Ad hunc modum explicandum est Sancti Spiritus auxilium, quod scriptori canonico datur,* ut sacram et canonicam Scripturam conficiat. *Dupliciter* enim dari potest: *primo,* ut is, qui scribit, certo cognoscat se in ea scriptione esse instrumentum Spiritus Sancti, ut cum David aiebat: ‚Lingua mea calamus scribae'; et hoc plane ad veram prophetiam pertinet. *Secundo* posset quispiam in re ipsa scribere a Spiritu Sancto motus, ipso tamen ignorante et nesciente se in ea scriptione a Spiritu Sancto dirigi. Qui modus an interdum contigerit, exploratum non habeo; si tamen contingeret ita fieri, scriptor ille proprie non esset propheta, neque eius cognitio prophetica, scriptura vero in se esset infallibilis et sacra, quamvis apud nos auctoritatem non haberet, nisi Spiritus Sancti auctoritate alias nobis constaret se esse talis scripturae principalem auctorem." [1]

Ergo secundum Suarez res omnes in Sacra Scriptura affirmatae sunt infallibiliter verae, quia a Spiritu Sancto ut principali auctore dictae et litteris mandatae sunt; verba communiter etiam a Spiritu Sancto sunt suggesta, possunt vero etiam sub assistentia et custodia Spiritus Sancti ab humanis scriptoribus esse electa. Quod hanc alteram assertionem attinet, ex posterioribus theologis multi censuerunt, plerum-

[1] Ib. disp. 8, sect. 4, n. 5 6.

que verba ab humanis scriptoribus secundum suum ingenium sub assistentia Spiritus Sancti esse posita, interdum vero et ob speciales rationes a Spiritu Sancto delecta.

293. Audiamus tertio loco unum ex maximis exegetis suae aetatis, **Cornelium a Lapide**, qui in Commentario in 2 Tim 3, 16 haec de inspiratione statuit:

„Dicitur Sacra Scriptura θεόπνευστος, i. e. a Deo inspirata, q. d.: Non suo instinctu, iudicio, ductu, uti profani historici et philosophi sua conscripserunt, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt et scripserunt sancti Dei homines (2 Petr 1, 21). Nota: Hinc Sacra Scriptura dicitur verbum Dei et Spiritus Sancti; prophetae vero et alii scriptores hagiographi vocantur calami et instrumenta Spiritus Sancti, quasi scribae velociter scribentis, inspirantis et dictantis sacras litteras."

„Nota secundo: *Spiritum Sanctum non eodem modo dictasse omnes sacras litteras;* nam legem et prophetias ad verbum revelavit et dictavit Moysi et prophetis; historias vero et morales exhortationes, quas antea vel visu vel auditu vel lectione vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse inspirari aut dictari a Spiritu Sancto, utpote cum eas scirent et callerent ipsi scriptores. Sic S. Ioannes 19, 35 dicit se scribere, quae vidit. S. Lucas vero 1, 2 dicit se scribere evangelium, quod audivit et traditione accepit ab apostolis. Dicitur tamen Spiritus Sanctus ea quoque illis dictasse. Primo quia scribentibus adstitit, ne vel in puncto a veritate aberrarent. Secundo quia eos excitavit et suggessit, ut haec potius scriberent quam illa. Conceptum ergo et memoriam eorum, quae sciebant, non iis ingessit Spiritus Sanctus, sed inspiravit, ut hunc potius conceptum quam illum scriberent. Tertio quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus Sanctus, v. g. ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco et ita consequenter collocarent et scripto consignarent. Hoc enim proprie est librum aliquem concinnare et conscribere; et hac ratione proprie sacrorum librorum auctor dicitur esse Spiritus Sanctus." Ideo interdum sacri scriptores de se tamquam de aliis loquuntur. Provocat ad Gregorium M. (cf. supra n. 132). Quia Spiritus Sanctus est principalis auctor, sacrae litterae habent sensus profundos et divinos nec cuivis sunt obviae et clarae, ex altera vero parte sunt utiles (non tamen per se solae sufficientes) ad reddendum perfectum hominem Dei et instruendum ad omne opus bonum.

294. Cum theologi plurimi saeculis XVI et XVII eodem fere modo de inspiratione loquantur, opus non est ex illa aetate „classica" theologiae plura proferre. Transeamus potius ad illa tempora, quibus theologia scholastica ad occasum iam vergere coeperat, paucisque ostendamus hunc conceptum inspirationis apud theologos catholicos essentialiter eundem mansisse.

Anno 1773 mortuus est **Ioannes Franciscus Marchini**, theologus Vercellensis, qui librum scripsit „De divinitate et canonicitate sacrorum Bibliorum".

In parte 1, art. 1 exponit *nomina Sacrae Scripturae.* „Libros divinos et sacros, sacras litteras, Scripturam Sacram, aut presse Scripturas, Testamentum Vetus et Novum, nudoque verbo Biblia sancti Patres dixerunt. Nempe divinum est, quod Deum auctorem habet. Non enim voluntate humana allata est doctrina his libris comprehensa, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. . . . Biblia isthaec a synagoga primum, tum ab ecclesia ecclesiaequae Patribus probata atque ad nos transmissa libri canonici vocantur, quod in sacrorum librorum ordinem, in catalogum digesti sunt, qui latinis, graeco vocabulo usis, κανών dicitur. . . . Itaque etsi repugnare nolimus iis, qui arbitrantur canonicos libros ideo esse appellatos, quod fidei et morum regulam exhibeant, tamen verius iudicio nostro canonici nuncupantur, quia in sacrorum librorum catalogum collati sunt, quem prisci canonem dixerunt." Sequitur brevis expositio historiae canonis.

Art. 4 imprimis a priore suadet Deum curasse, ut doctrina a se revelata scripto consignaretur, dein ex indole sacrorum librorum ostendere studet eos ad Deum auctorem referendos esse, et infidelium obiectiones refutat.

295. Art. 5 inspirationis conceptum accuratius explicat. „Prima veniat in medium quaestio: *verbane singula Spiritus Sanctus in sacri scriptoris mente atque ore posuerit.* Verum illud primum rem considerantibus occurrit: inutile omnino esse ac supervacaneum sacri scriptoris naturali facultati verborum inventionem atque elocutionem non relinquere, ut veritatem, dignitatem atque infallibilitatem Scripturarum tueamur, cuius defensioni satis consultum est, si, quae scripta sunt, ea in scriptoris animum Deus indiderit aut excitaverit atque ei adstiterit, ut apta verba sumeret, incongrua relinqueret. Ad quid igitur verba singula Spiritus Sanctus inspiraverit, qui, ut in necessariis numquam deest, ita in superfluis non redundat? Praeterea stili atque orationis varietas, qua scriptores usi sunt, ostendit, ni fallimur, Deum verborum auctorem non esse. . . . Scimus quidem Spiritum Sanctum se cuiusque scriptoris ingenio attemperasse atque usum intrumento, cuiusmodi illud esset, agresti interdum et inculto. Id vero maximo argumento est permisisse Spiritum Sanctum unicuique, quem vellet, in dicendo ordinem sequi et verba seligere. Quid, ineruditane atque inelegantia verba Spiritus Sanctus in animo scriptoris insereret, quae ex inculto et agresti fundo sponte nascebantur? Cur eandem rem tractans alia aliis verbis dictavit, quamquam alter non esset altero doctior, atque eidem Moysi interdum diversa? . . . Haec demonstrant voces et scribendi tenorem a Spiritu Sancto dictante sacros viros non accepisse. Revera Scriptura Sacra ipsa et traditio id unum nos credere de sacrorum librorum inspiratione iubent, nempe scriptorem a Spiritu Sancto directum atque afflatum ea scripsisse, quae Deus voluit scribi, scribendo falli non potuisse, res omnes ad argumentum pertinentes singulari ope divina animo occurrisse, nihil omnino falsitatis habentes, gubernante Deo, mandatas litteris, ob id divinam auctoritatem in sacros libros dimanasse. At vero verba quoque singula instillari debuisse ad rei dignitatem tuendam, necesse non est ut credamus, cum res, non iisdem vocabulis explicata, ipsa eadem esse possit et sit." Idem probat ex apographis et versionibus et ex apostolorum praedicandi modo. „Cum igitur nulla necessitas sit ad defendendam auctoritatem Scripturarum evocandi quoque e caelo vocabula, non infitiemur ea pro cuiusque scriptoris facultate exprompta. Erunt autem et illa divina prorsus, si

mentem scriptoris Spiritus Sanctus regens nullum passus sit ineptum verbum excidere, quemadmodum hac de causa Dei Spiritus, eius mentem totam suo lumine opplens, tuendam et regendam sumpsit."

296. „Hinc ad alteram quaestiunculam progredientibus nobis videtur et *in sacri scriptoris facultate relictum, notionibus antea a se perceptis uti,* quibus tamen et ipse pariter Spiritus uteretur dirigens atque ab omni labe opiniones praeconceptas purgans, si forte quam contraxissent. Haec sententia superiorem consequitur. Nam neque divinus Spiritus, scriptores inspirans, extorquet ab animis cognitiones rerum, quibus iam imbuti erant, neque necesse est nunc rursus in eorum animos ingeri, quod illi visu, quod auditu, quod collatione rationis cognoverant. Cur ergo Spiritus Dei iam ingestum ingerat?" Citatur Lc 1, 2, Io 19, 35. „Nihil autem est in hac re tam perspicuum, quam eum auctorem, qui ex veterum monumentis, annalibus, tabulis libros Regum et Paralipomenon confecit, non a divina manifestatione, sed ab exemplaribus ob oculos positis sententias sumpsisse. Quidni et prophetae et prophetarum maximus, Moyses, multa scripserint, quin ea dictaret Deus? Prophetae enim historias narrant et documenta tradunt vitae bene instituendae, quae omnia iam habebant comperta, priusquam manum ad scribendum admoverent. Moyses Aegyptum multis malis affecerat, populum illinc eduxerat, mare traiecerat sicco pede, legem in monte Sina a Deo acceperat, deserto oberraverat. Eguitne Dei revelatione ulla vir et ingenio et prudentia et constantia clarissimus, ut, quorum ipsemet pars magna et auctor fuerat, litteris mandaret? Iussit equidem Deus Moysen ea libris complecti, adfuit scribenti, memoria effluere non est passus, nihil permisit inopportuni calamo elabi. Nempe haec sunt, quae Deus agit in scriptore, cum ille suscipit quidpiam scribere antea exploratum.

„Itaque quaerenti ac disputanti de sacrorum librorum et rerum scriptarum inspiratione respondemus nitide inspiratos quidem, sed primum oportere, ut inter nos conveniat et accurate declaretur, *quid sonet verbum inspiratio, et quae vis subiecta ei voci sit.* Nam si inspirationis nomine intellegit novam quandam patefactionem rei prius non perceptae neque animo insitae, certum est historias et moralia praecepta plerumque sine huiusmodi inspiratione fuisse scriptis tradita. Immo etiam futura atque occultiora, quae olim Deus prophetas docuerat, priusquam calamum sumerent, non fuerunt sic inspirata scribenti, sed tantummodo quae tum manifestabantur, cum scribebant." Reliqua prius revelata, postea scripta sunt. Ergo revelatio non est de conceptu inspirationis ad scribendum.

„Inspiratio igitur in re nostra dicendu est singularis ea Spiritus Sancti ad scribendum impulsio, directio ac praesentia, mentem animumque scriptoris gubernans, quae errare non sinit efficitque, ut scribat, quae velit Deus. Duo autem, ne cui ulla in re errare uspiam contingat, necessaria sunt: alterum ita recta esse voluntate, ut, cum firmiter constituerit verum sequi, nequeat velle miscere veris, quae falsa cognoverit; alterum eius mentem adeo illustrari, ut ne cui falso assentiri possit neve umquam captiosa probabilitate falli, ratus verum esse, quod abesset a vero. Horum utrumque in scriptoribus sacris Spiritus Dei praestitit, nimirum effecit, ut voluntate firma, constante, perpetua essent dicendi veri nec umquam verum desererent; simulque in animum lumen intulit ac diffudit plenissimum, quo perceptam antea doctrinam veram esse certo cognoscerent neque inter scribendum labi, errare, decipi

inconsiderate, ne verbo quidem, possent. Ipsemet etiam induxit, excitavit, movit, ut, de quo argumento scripserunt, scriberent, adstitit scribentibus, numquam recessit nec permisit aliter scribi, quam vellet ipse, praesentiaque sua totum scriptum omni errore et fallacia purissimum sibi vindicavit. . . . Haec tamen Spiritus Sancti praesentia non efficit, quin sacrorum librorum auctores operam multam interdum ac diligentiam conferant, sive ad sententias inveniendas, sive ad conquirenda verba, quae sint rei describendae aptiora." 2 Mach 2, 27 sqq.

297. „Numquam tamen in eorum errorem labemur, quod erat tertio loco dicendum, qui *iniuriam sacris litteris faciunt, arbitrati nonnulla ex parvis saltem, ut ipsi inquiunt, et ad salutem nostram non spectantibus humano tantum spiritu humanaque industria aut prophetas aut apostolos scripsisse*, destitutos ea singulari Dei praesentia, sine qua intellegi nequit librum esse divinum." Probatur ex 2 Tim 3, 16 et 2 Petr 1, 21, et ex auctoritate SS. Patrum. Tota Scripturae auctoritas labefactatur, si in minimis errores in ea admittantur, praesertim cum limites certi inter parva et magna assignari nequeant.

Multi quidem volunt etiam verba omnia et singula in Scripturis esse inspirata, cum tota Scriptura inspirata sit, et SS. Patres singula verba ut a Spiritu Sancto dicta efferant, et dignitas Scripturae hoc postulare videatur, ut Scriptura a conciliorum definitionibus distinguatur.

„Proferuntur ista cum magno apparatu, sed ex positis principiis sine magno negotio diluuntur. . . . Divinus afflatus atque inspiratio potest consistere, etiamsi Deus nec verba nec sententias nova virtute suppeditet. . . . Nempe si adsit Spiritus Sanctus scribenti, quem primum excitavit, ut scriberet, opportune suggerat, quae scribi velit, si forte eum memoria deficeret, illustret mentem eo lumine, quod omnem vitiosam ignorantiam depellat atque inconsiderantiam tollat, ea vi confirmet, qua fidelia, simplicia, constantia scribantur, arcana, sublimia, ignota obiciat animo, nullam Scripturae partem vacuam tutela sua relinquat, erunt profecto libri Deo inspirante conscripti, quamquam sermo et sententiae plerumque ab hominis ingenio, memoria, studio, consideratione, diligentia proficiscantur."

Quod vero SS. Patres adeo efferunt dignitatem singulorum verborum (ceteroqui graecorum vel latinorum, quae Spiritus Sanctus non dictavit), id solum probat, quod scriptores sacri fuerunt instrumenta Spiritus Sancti nec quidquam inutile scripserunt, non vero quod singula verba materialia iis indidit. „Neque desinit esse Dei verbum illud proprio ingenio a sacris scriptoribus inventum. Nam etsi a mente humana profectum sit, auctoritatem tamen ab humana mente non habet, sed a Spiritu Sancto motore atque auctore. . . . Ipse verba probavit, ipsius iussu consignata sunt litteris, ipsius nomine, ipsius auctoritate sunt edita. Sunt ergo divina et tota usquequaque divina, quoniam in Scripturarum verbis voluntas ac dignitas auctoris et iubentis spectatur, non sonus aut scriptio. . . .

„Multum quoque adhuc intererit inter Scripturas sanctas et conciliorum decreta. Nemo dixit hactenus Patribus in concilium convocatis eo praesidii genere Deum adesse, quo omnium mentem et moveat et regat, omnes clarissima luce collustrat, vel minimam falsitatis nubeculam discutiente, impediat, ne ullo verbi errore labantur, suggerat, si uspiam eos memoria forte effugerit, totam eorum orationem fide sua tueatur ac sibi ipsi tributam velit et

dicat. . . . Scripturas divinas ab initio tradiderunt prophetae et apostoli ex divini Spiritus instinctu ut fundamenta et regulas tam religionis totius quam veritatis cuiuslibet certissimas; nam id potissimum canonicorum librorum ratio postulat. Definitiones vero suas ecclesia ut explicationes et declarationes edit veritatis illius, a canonicorum librorum auctoribus, ab apostolis promulgatae." Ergo verbalis inspiratio non requiritur, ut sit maior dignitas Scripturae quam conciliorum.

298. Ex altera vero parte *nullo modo admittenda est eorum sententia, qui in Scriptura „volunt res fidei et morum tantummodo Spiritus Sancti praesidio tutas ab errore et fallacia,* ceteras vero suo ingenio a piis quidem et prudentibus viris, sed errori obnoxiis admixtas. Quare aiunt finem Scripturarum esse institutionem nostram de religionis rebus, non autem de philosophicis neque de humanis, quae sine detrimento ignorantur; haec igitur fulta non sunt Spiritus Sancti patrocinio."

Verumtamen ex hoc ipso, quod „Scriptura religionem nos edocet [dicendum est:] igitur congruenter ab omni falsitate omnino vacat, quoniam ex falso quodam interposito Scriptura omnis in suspicionem et dubitationem veniret. Incredulí enim in historicis rebus manifestum errorem deprehendentes, eum quoque ad fidei et morum doctrinam manasse arbitrarentur vel saltem de illarum rerum gestarum veritate dubitarent, quibus tamquam basi doctrina nititur, atque ita divinarum omnium et admirabilium rerum fundamentis subductis illae etiam nutarent.... Perniciosissime ergo errat et firmam Dei verbo assensionem tollit, qui vel minimo cuiuscumque generis peccato lapsos esse scribendo auctores sacros suspicetur.... Ad instruendam munien damque ecclesiam editae sunt a prophetis, ab apostolis Scripturae, quae omnia bene vivendi recteque faciendi consilia traderent . . . quae ut divinae omnino susciperentur. Quanto ergo magis necesse fuit scriptis ex Dei munimine nullum errorem, falsitatem nullam admisceri, reliquis veritatibus exitiosam."

Error vero nullus est, quod scriptores sacri de rebus naturalibus usitato hominum modo loquuntur. „Nam Spiritus Sanctus revelatione singulari de his rebus scriptorem non docuit, sed permisit usitate loqui, ut homines solent, qui sane a communi loquendi ratione non recedunt neque tamen mentiuntur, quidquid de lunae magnitudine et solis vel terrae constitutione aut motu sentiant."

Apostoli poterant ex inspiratione Spiritus Sancti etiam mandata vel consilia ab ipsis data conscribere, poterant suos affectus exprimere. Nam notandum est „Deum, apostolis adstantem, ex eorum animis naturales affectiones et motus non detraxisse; cum igitur humani sensus sint et rectae naturae consentientes, quos apostolus exprimit, cur ad eosdem promendos excitare non potuit Deus aut saltem praesentia sua confirmare, quos apostolus protulit?"

Art. 6 ostendit Scripturam Sacram adhuc inter nos exsistere. Nam „parum profecissemus huius nostri operis prosecutione, nisi ostenderetur, quod olim divino beneficio datum est, Scripturarum volumen integrum, sincerum, incorruptum ad nos devenisse". Sed ista missa faciamus.

299. Hac Marchini expositione patet illam inspirationis doctrinam, quam communiorem diximus, usque ad finem saeculi XVIII perseverasse,

immo magis magisque omni ex parte excultam esse. Resurrexit quoque ipsa cum resurgente theologia scholastico saeculo XVIII. Sed ne eadem repetamus, sufficiat hic paucos alios nominasse, qui hanc rem eadem ratione tractarunt, quod substantiam saltem doctrinae attinet, etsi in accidentalibus quibusdam non plane inter se consentiant. Praesto igitur sunt iis, qui plura videre cupiunt: *Kilber* in Theologia Wirceburgensi I; *Liebermann,* Institutiones theologicae II; *Denzinger,* Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis II 150 sqq; *Patrizi,* Commentatio de divinis Scripturis; *Ubaldi,* Introductio in Sacram Scripturam II 14 sqq, qui tractatui dogmatico brevem conspectum historicum quaestionis de inspiratione praemittit; *Scheeben,* Handbuch der katholischen Dogmatik I, l. 1, n. 214 sqq; *Kaulen,* Geschichte der Vulgata 23 sqq, plures alii. Nostra autem aetate quidam contra hanc doctrinam, quae diu communissima fere facta erat, pugnare coeperunt, maxime sub ea forma, qua Cardinalis Franzelin eam exhibebat. Unde de hac re nonnulla dicenda sunt.

Art. V.

DISPUTATIO DE CONCEPTU INSPIRATIONIS NOSTRA AETATE ORTA.

300. E theologis catholicis, quis saeculo XIX de inspiratione scripserunt, maximam auctoritatem apud plurimos nactus est Cardinalis **Franzelin,** eiusque modus hanc doctrinam exponendi universaliter fere approbabatur.

Opus huc pertinens est „Tractatus de divina Traditione et Scriptura", in quo Tractatus de Scriptura (in ed. 3, Romae 1882) incipit a pagina 316 et extenditur usque ad paginam 584, ita ut sit vera monographia quam vocant de Scriptura Sacra dogmatice considerata. Respiciendum nobis est maxime caput primum, quo exsistentia Scripturae inspiratae probatur, et notio inspirationis explicatur. Hoc caput complectitur quattuor theses, quarum prima ostenditur temporibus Christi et antea exstitisse collectionem librorum, qui aequali modo divinae auctoritatis credebantur.

Thesi secunda (p. 329 sqq) explicatur *libros Scripturae auctoritatis divinae esse eo, „quod sunt libri Dei et Deus est librorum auctor per suam supernaturalem actionem in conscriptores humanos, quae usu ecclesiastico, ex ipsis Scripturis derivato, inspiratio dicitur".* Itaque etsi liber aliquis ratione materiae vel etiam ratione assistentiae divinae avertentis omne erroris periculum dici possit divinus, tamen *„liber divinus est sensu strictiori ratione scriptionis, quae sit efficienter a Deo per hominem, in quem operetur ad scribendum et in scribendo ita, ut Deus ipse princeps auctor libri sensu proprio censeri debeat".* Sic status quaestionis est clare definitus: Quomodo Deus per hominem scribere potest librum ita, ut Deus vere sit auctor principalis libri? Nam Deum esse vere auctorem Sacrae Scripturae saepe a conciliis

definitum est; concilia autem hoc dixerunt, quia ex fide iudaica, quam Christus et apostoli approbarunt, sacri scriptores scripserunt ex charismate prophetico, i. e. ut os Dei, quatenus Deus locutus est per eos, ipsi vero in Deo locuti sunt. Scriptura vocatur θεόπνευστος, eo quod „scriptio prophetica sit ex supernaturali Dei instinctu ita, ut liber vi ipsius charismatis, sub quo scriptus est, contineat verbum Dei scriptum, atque adeo *Deus per hominem a se inspiratum ad scribendum sit auctor libri*". Illustratur et confirmatur hoc multis testimoniis antiquitatis christianae, quibus Sacrae Scripturae dicuntur per Spiritum Sanctum conscriptae, vel Spiritus Sanctus dicitur conscriptor earum, similiaque alia, unde colligitur „quod Deus est princeps auctor librorum, homines vero sunt instrumenta Dei ad librorum scriptionem".

301. His suppositis iam *amplius declaratur notio inspirationis per analysim formulae dogmaticae: Deus est auctor librorum Sacrae Scripturae, „simul collatis eiusdem doctrinae declarationibus, quae in christianae antiquitatis monumentis continentur"* (Thes. 3, p. 342 sqq).

„Inspiratio ad scribendos sacros libros constitisse videtur in *charismate gratis dato illustrationis et motionis,* quo veritates, quas Deus per Scripturam ecclesiae tradere voluit, mens hominum inspiratorum conciperet ad scribendum, et voluntas ferretur ad eas omnes et solas scripto consignandas, sicque elevatus homo tamquam causa instrumentalis sub actione Dei causae principalis consilium divinum exsequeretur infallibili veracitate." Vox auctoris multas quidem habet significationes, sed „auctor libri ratam et fixam habet significationem specificam". Quia autem hic agitur de auctore, qui scripsit per alios, quaeritur, quomodo Deus in homines egisse censendus sit, ut vi huius actionis ipse recte auctor principalis vocari possit. Auctor autem libri est is et is solus, qui res scribendas mente et voluntate sua comprehendit et efficit, ut scribantur. Ergo quia mediante mente et voluntate humana scripsit Deus, ipse censendus est effecisse, ut homines easdem res, quas ipse, mente et voluntate ad scribendum conciperent. Poterant quidem scriptores humani res scribendas iam aliunde nosse, poterant quoque eas studio et industria conquirere, quia ad hoc, ut quis sit auctor libri per alterum, necesse non est, ipse huic alteri res scribendas primum revelet. Ergo neque divina revelatio, in quantum est occultorum revelatio et novarum idearum suppeditatio, necessaria est ad hoc, ut Deus per hominem auctor alicuius libri sit, sed satis est supernaturali operatione efficere, „ut homo veritates ipsas aliunde sibi cognitas mente et voluntate concipiat ad eas scripto consignandas". Ita enim Deus et res scribendas determinavit, et ut scriberentur effecit. Unde quia hac ratione fit divina veritatis propositio, omnis inspiratio ad scribendum est etiam revelatio latiore sensu accepta.

Sic igitur Deus se habet quoad *res* scribendas. Has res seu veritates, quas auctor libro suo proponere intendit, Franzelin vocat *partem formalem libri,* a qua distinguit *partem materialem,* i. e. maxime *verba et dictionem,* quatenus haec possunt esse talia vel alia intactis manentibus iis, quae auctor intendit per se. Ergo *dummodo Deus efficiat, ut homines omnia et sola scribant, quae ipse scribenda per se intendit, est vere auctor libri,* etsi materialia libri sint „ab auctore per se non

intenta, signa, inquam, et reliqua, quae diximus partem materialem libri, dummodo haec apta sint ad sensum ab auctore intentum exprimendum".

Ergo si inspiratio intellegitur stricte dicta seu ea, qua Deus per homines ad homines intenta sua sive voce sive scripto exprimit, seu qua veritates credendas proponit, sic inspiratio non extenditur ad partem materialem. Extenditur vero omnino, si voce inspirationis comprehenditur omnis supernaturalis actio, quae ad conficiendum librum pertinet. Nam cum veritates ipsae sine signis scribi non possint, „*cum ipsa inspiratione cohaereat necesse est seu in ea includatur talis operatio divina, ut homo scribens non solum actu eligat, sed etiam infallibiliter eligat signa apta ad res et sententias inspiratas vere et sincere exprimendas atque adeo in signorum aliorumque, quae ad partem materialem pertinent, apta electione reddatur infallibilis*". Ergo ut sit infallibiliter consequens Scripturam esse verbum Dei, requiritur assistentia divina, sacris scriptoribus praestita, qua „in conceptibus inspiratis vere et sincere exprimendis essent prorsus infallibiles", non autem requiritur, ut Deus etiam ibi, ubi signa mere materialiter se habent ad sensa recta exprimenda, signa omnia in individuo determinaverit et suppeditaverit. Potius nisi ob specialem rationem ostenditur aliud admittendum esse, censendus est Deus „permisisse, ut homines divinis sensis iam collustrati et ad ea scribenda supernaturaliter moti, secundum diversam singulorum indolem et eruditionem ipsi sub divina assistentia reperirent et seligerent idearum inspiratarum signa".

Hoc ita esse probatur argumentis positivis tum ex testimoniis Patrum tum ex ipsa indole Scripturae. Patrum vero nonnullorum doctrina, qua extollitur singulorum apicum in Scriptura significatio, „tantummodo demonstrat ideas et sententias esse a Deo inspiratas in. ordine ad scribendum, hisque exprimendis nulla signa, quibus aliud significatur, quam Deus voluit, sed ubique signa idonea fuisse adhibita sub assistentia Spiritus Sancti, non autem significat singula vocabula eodem modo ut sensa esse inspirata". . . . Quod autem sacri scriptores loquuntur de labore suo et excusant dicendi genus, haec „ostendunt quidem homines inspiratos non mortua sed viventia et rationalia fuisse instrumenta, qui et ipsi aliquid agerent, non tamen ostendunt divinam inspirationem iis defuisse. . . . Sic igitur intellegi potest, quod Deus ad inspirationem idearum et sententiarum, quas Scriptura consignari et ita tamquam verbum suum ecclesiae proponi voluit, quandoque uteretur etiam instrumentis externis, suppeditando hominibus inspirandis documenta, testes, propriam rerum scribendarum inspectionem et naturalem cognitionem, quibus cum adiumentis suam internam illustrationem intellectus et motionem voluntatis coniungeret atque efficeret, ut ea omnia et sola mente conciperent et complecterentur voluntate ad scribendum, quae ipse suo consilio comprehendit per Scripturam ecclesiae communicanda".

Quia Sacra Scriptura destinata est, ut sit regula fidei, *Deus publica revelatione eius inspirationem testari debuit.* Quia autem revelatio publica post mortem apostolorum cessavit, non iam potest fieri inspiratio, qua verbum Dei publice proponatur, „licet etiam in praesenti oeconomia non absolute repugnet inspiratio ad scriptionem aliquam privatam". Talis liber distingueretur a Scriptura Sacra, sicut revelatio privata a revelatione catholica.

Thesi quarta reicitur explicatio conceptus inspirationis per meram assistentiam et subsequentem approbationem. Thesi quinta ostenditur inefficacia esse argumenta interna ad demonstrandam inspirationem librorum sacrorum. Thesi sexta probatur necessitas testimonii divini de facto inspirationis. Thesi septima arguitur sola traditione integrum hoc testimonium divinum servatum esse. Thesi octava reprobantur principia, quibus Protestantes utuntur ad definiendum canonem. Thesibus nona usque ad septimam decimam exhibetur inquisitio in historiam canonis. Thesibus duodevicesima et undevicesima agitur de authentia versionum, maxime Vulgatae.

Tandem additur (p. 564 sqq) appendix, qua refutatur opinio recentis cuiusdam scriptoris censentis in libris sacris solas res religiosas esse inspiratas, in rebus vero profanis et quae cum religione nullo modo cohaereant, scriptores sibi relictos fuisse et errare potuisse, etsi rarissime erraverint. Sed quia ad hanc quaestionem postea redeundum erit, nihil hic de eadem addendum videtur.

302. Iam quod attinet illam quaestionem, num in libris inspiratis omnia sint revelata, et num inspiratio ad ipsa quoque verba extendatur, **Kleutgen** monet non esse obliviscendum vocem inspirationis, ut ad sacros libros refertur, interdum latius sumi, prout et impulsum et lumen et assistentiam et approbationem comprehendat; interdum vero artius, prout significet solum impulsum et fortasse etiam lumen, distinguatur autem ab assistentia et approbatione. Revelatione Deus aliquid per se ipsum manifestat, sive illud fuit ante occultum sive iam notum. Assistentia Deus in seligendis rebus et verbis scriptorem dirigit, ne erret. Approbatione cum auctoritate declaratur librum esse divinitus inspiratum.

Inspiratio, „si proprio et vulgari sensu accipitur, significat aliquid tum a revelatione tum ab assistentia distinctum, illum scilicet impulsum divinum, quo fit, ut homo non tam ex propria deliberatione quam ex instinctu divino agat vel loquatur". Ergo si de solis conceptibus agitur, „Deus hominem ad loquendum excitare potest, nulla re nova revelata; potest impellere nec tamen impulsum dirigere, ne erret, sed multa eius prudentiae et arbitrio permittere. Itaque sicut revelatio sine assistentia et haec vicissim sine illa, ita inspiratio sine utraque esse potest. Verumtamen non ita solet contingere, siquidem Deus, cum hominem insolito modo ad aliquid impellit, lumen quoque singulare infundere consuevit, nova revelans vel certe alias nota collustrans. Quodsi, quae homo ita divinitus motus eloquitur vel scribit, publicae fidei regula esse debeant, Deus illi non potest non sic assistere, ut ab omni errore protegat." Iam si quis vult omnia simul, quae in libris sacris concurrunt: antecedentem impulsum, concomitantem assistentiam, consequentem confirmationem, nomine inspirationis significare, hic modus loquendi fortasse tolerari potest, quia „ea omnia, quae unius vocabuli inspirationis significatione complectuntur, in re ipsa coniuncta sunt. Ii tamen contra ius et normam lo-

quendi faciunt, qui vel assistentiam vel confirmationem per se solam inspirationem appellant". Nam in inspiratione semper est lumen supernaturale, etsi non semper nova revelans, semper est impulsus supernaturalis ad scribendum, semper est assistentia, errorem praecavens tam in rebus quam in verbis. „Quare si libri integri cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis suscipiendi, pro sacris et canonicis autem habendi sunt, quia Deum habent auctorem, Deum denique habent auctorem, quia Spiritu Sancto inspirante conscripti sunt, consequitur profecto libros canonicos cum omnibus suis partibus divinitus inspiratos esse. Quamobrem dici non potest, ut aliquid sit Scriptura Sacra, necessarium non esse res et verba singula a Spiritu Sancto inspirata esse. Totam enim Scripturam Sacram cum omnibus suis partibus inspiratam esse, extra omnem controversiam est. Hoc solum quaeritur, quid inspirationis nomine significetur; et siquidem inspiratio plura complectatur, num omnia in omni Scripturae parte admitti debeant", e. g. num in omni parte non sensus tantum, sed etiam materialia signa ad specialem impulsum Spiritus Sancti reducenda sint, an solum sub assistentia eius scripta.

„Quo sane efficitur, ut inspiratio eiusmodi putanda sit divina in homine operatio, qua Deus constituatur libri causa principalis, homo vero causa subiecta et velut instrumentum." Sed quia homo ut instrumentum rationale ea, quae scribenda sunt, iam ante inspirationem scire potest, „iure inferimus Deum vere dici posse causam primariam et auctorem libri, etiamsi cum impulsu divino non semper lumen, quod scribenda revelet, sed aliquando solum assistentia, quae scribéntem dirigit, coniuncta sit. Non tamen concludi potest etiam solam assistentiam sine instinctu divino, aut vicissim divinum instinctum sine assistentia sufficere", cum per solam assistentiam Deus non fiat auctor, per solum autem impulsum sine assistentia non excludatur omnis error. Libri vero Scripturae et origine divini et auxilio Dei infallibiles sunt. „Non igitur communis illa motio, qua iusti ad bona opera excitantur, neque communis assistentia, qua ad ea sine errore absolvenda iuvantur, sed singularis quaedam et motio et assistentia requiritur. Quod si quis quaerit, qua re singularis haec motio et assistentia a communi discernatur, existimo . . . discrimen potissimum repetendum esse ex illo summae pietatis consilio, quo Deus statuit huiusmodi scripto sermonem ad homines habere iisque fidei et morum normam per semetipsum tradere." [1]

303. Quantopere theologi catholici laboraverint ad explicandum diligenter et subtiliter conceptum inspirationis, vidimus. Sed, ut ait Dr **Franciscus Schmid**, integrum „librum, in quo omnia, quae circa inspirationem auctoritatemque Bibliorum scitu digna videntur, accurate, plene debitoque ordine exposita legantur, hucusque nullum reperimus. Immo nonnulla, quae in hac re theologum catholicum merito habent sollicitum, nullibi cum iusta diligentia exposita invenire potuimus". Quare negotium talem librum conscribendi, sane non mediocre, in se suscepit et ad communem satisfactionem feliciter complevit [2]. Totum

[1] *Kleutgen* apud *Schneemann*, Controv. de gratia 473 sqq.
[2] De inspirationis Bibliorum vi et ratione, Brixinae 1885.

opus (422 paginarum in 8°) absolvitur septem libris, quorum primus continet positivam doctrinam ecclesiae; secundus explicat, quomodo Scripturae inspiratio concipienda sit; tertius inquirit, quo sensu singula inspirata sint ac divina; quartus agit de nexu inspirationis cum sensu mystico; quintus de nexu inspirationis cum multiplici sensu litterali; sextus de limitibus inspirationis; septimus investigat, quomodo liber inspiratus esse cognoscatur.

304. In libro primo ante omnia ostenditur secundum doctrinam positivam in Scriptura et documentis ecclesiasticis contentam *non posse Scripturae ullum inesse errorem,* sed omnes Scripturae assertiones Dei testimonio inniti et divina auctoritate pollere. Ratio est, quia Scriptura Spiritu Sancto inspirante conscripta *Deum habet auctorem principalem, qui scriptoribus humanis ut instrumentis usus est.* Non tamen Deus est unicus auctor, quia non immediate miraculoso modo libros confecit, sed per homines scripsit. Ut autem per homines scribens vere sit auctor, non sufficit assistentia praecavens errorem, neque approbatio subsequens, neque utraque simul, „quia neutra libro tribuere potest praerogativam divinae originis" (p. 51). Necessarius igitur est *positivus influxus Dei in hominem,* quo fiat, ut ea, quae Deus mente et voluntate scribenda concepit, et ipse homo scribenda concipiat et recte exsequatur. Tum liber ut divinus hominibus tradendus est. „Argumentum, quod intrinsecum et principale est, desumitur ex eo, quod *Deus vere auctor est sacrorum librorum.* . . . Scribere librum seu fieri auctorem alicuius libri in ultima analysi aliud non dicit quam per scripta ad lectores loqui, seu ea, quae quis mente cogitat, scriptis proponere, ut, qui legunt, quid ipse sentiat, ex litteris eius cognoscere possint" (p. 69). Atqui si Deus suo influxu non determinaret omnia scribenda, non ipse haec omnia loqueretur; ergo neque ipse esset auctor totius libri. Haec valent *de influxu Dei in intellectum hagiographi.* Sed quia hagiographus debet ut instrumentum Dei agere, requiritur etiam, ut non suo marte scribat, sed nomine Dei; consequenter necessarius etiam est *influxus divinus in voluntatem humanam,* et mediante voluntate in vires exsecutivas (p. 89 sqq). Hic influxus neque alienationem sensuum neque suspensionem libertatis aut usus rationis secum fert (p. 97).

Maxima igitur est differentia inter librum inspiratum et definitiones ecclesiae; nam liber inspiratus est infallibilis in omnibus, quae asserit, est fons revelationis primitivus, ultra assistentiam divinam requirit positivum influxum Dei charismaticum, nomine Dei conscriptus et ut liber Dei ecclesiae traditus est, etiam quoad formam elocutionis specialem Dei assistentiam supponit; haec autem omnia de ecclesiae definitionibus non valent. Ceterum etiam in scriptore inspirato „labor et vigiliae auctoris veram libri inspirationem non impediunt" (p. 111).

305. Hanc doctrinam et methodum exponendi inspirationem eandem esse atque Cardinalis Franzelin per se patet. Sed Dr Schmid hac generali doctrina supposita dein accuratius inquirit, *quomodo haec principia ad varios Scripturae textus applicanda sint,* in quibus modus ea recte applicandi non est plane simplex.

„Inveniuntur enim in Scriptura loci quam plurimi, ubi non ipse scriptor hagiographus loquitur, sed loquuntur aliae diversissimi generis personae. Iam-

vero non semper primo aspectu est liquidum, quid de huiusmodi sermonibus iudicandum sit. Insuper ipse etiam auctor sacer in decursu sui operis hinc inde ut merus homo et non ut Dei nuntius loqui aut agere videtur. Id maxime in iis locis cernitur, ubi auctor humanos animi sui affectus exprimit" (p. 116 sq). Iam *si aliae personae loquentes* inducuntur, generale principium hoc est: Scriptura, nisi aliud quid diserte addit, solum testatur illas personas haec et haec dixisse; quae vero auctoritas verbis earum conveniat, diiudicandum est ex auctoritate, quam ipsae personae loquentes habent. Itaque si loquuntur ut legati Dei, fides, quae earum verbis habenda est, respondet auctoritati Dei per has personas loquentis. Si inferiore auctoritate pollent, inferiorem fidem merentur (p. 120 sqq). Haec tamen non semper ex sola persona loquente, sed saepe etiam ex actuali eius statu et circumstantiis sermonis dignoscenda sunt, quia potest e. g. hic et nunc vere prophetare, qui ceteroqui non est verus propheta (Balaam); et testimonium martyris ex ipsa circumstantia martyrii magnam auctoritatem nanciscitur (mater Machabaeorum). Si ipsa Scriptura approbationem vel improbationem dictorum vel factorum adiungit, iudicium divinum habemus; quae approbatio vel improbatio interdum ex variis indiciis colligi potest (p. 134 sqq). *Quando hagiographi quasi ex sua persona loquuntur,* tamen, quaecumque dicunt, a Deo inspirata sunt ad scribendum. Quando referunt, quid olim dixerint, verba eorum antea dicta retinent eam auctoritatem, quam tum loquentes habebant. Quando doctrinam ut admittendam aut reiciendam proponunt, res eo modo, quo ab ipsis proponitur, canonica pollet auctoritate. Quando indeterminate aut dubitanter loquuntur, non innuunt nisi rem scriptori humano non fuisse magis determinate vel certo notam. Quando argumentantur, ea vis argumentis tribuenda est, quam loquentes iis tribuere intendunt (argumenta certa, probabilia, ad hominem etc.). Item quando allegant alia Scripturae dicta, citatio in sensu allegantis intellegenda est (sensus immediatus, consecutivus, fortasse accommodatus tantum). Quando animi sui motus exprimunt, his motibus vere affecti fuerunt, hi motus in se honesti fuerunt, eorum manifestatio utilis fuit. Quando suo nomine praecepta dant, haec praecepta bona fuerunt, non tamen divina, sed humana, etsi nomine Dei litteris consignata (p. 149 sqq).

Hae quidem quaestiones iam antea aliae ab aliis theologis tractatae fuerunt, sed Schmid optime de hac doctrina meruit eo, quod omnes simul in unum collegit et singulas accurate et subtiliter exposuit.

306. Porro sequitur quaestio „de nexu inspirationis cum sensu mystico", et ostenditur sensum mysticum (seu prophetiam realem), prout in Scriptura interdum invenitur et ex intentione Dei etiam scripto exprimitur, esse solis libris inspiratis proprium (p. 178 sqq). Quaeritur dein, utrum sensus mysticus etiam in Novo Testamento inveniatur (p. 203 sqq).

Tum procedit auctor ad ostendendum longo discursu *admittendum esse, saltem probabiliter, in Scriptura multiplicem sensum litteralem.* „Nostra aetate haec sententia penitus obsoleta esse videtur. . . . Nihilominus nos hanc rem pro nostra etiam aetate attentione haud indignam censemus. Nec quaestio ista adeo certo decisa nobis videtur, sicut multi autumant; quod neminem negaturum speramus, qui quae dicturi sumus, attente legerit et sine praeiudicio lance aequa perpenderit." In nota subiungitur: „Qui his nihil movetur, istum librum sine gravi damno praetermittere et ad sequentem transire poterit" (p. 235). Hac venia nobis eo magis uti licebit, quod auctor quae-

stionem maxime dirimere studet auctoritate S. Augustini et S. Thomae, de qua supra iam diximus (supra n. 125 sq 177).

Instituitur dein discussio „de limitibus pro inspiratione statuendis aut admittendis“ (p. 282 sqq) et *reicitur imprimis inspiratio verbalis.* „Quaeritur: Quid iure postulatur, ut liber aliquis in sensu formali verbum Dei scriptum dici possit? Et nominatim: An ad id requiritur, ut singula verba libri qua talia a Deo sint? Hoc ultimum nos negamus.“ Monet tamen, similiter atque Franzelin: „Non idem est, si negas Deum omnia ac singula verba totamque verborum constructionem a priori determinasse atque hagiographo inspirasse, et si doces Deum scriptori hagiographo circa verba atque elocutionem omnimodam concessisse libertatem. Potius alius inspirationis modus, qui inter hos duos extremos medius interiacet, possibilis apparet. Aliis verbis: Potest quis concedere in nostris libris verba tenoremque elocutionis non quoad omnia et singula seu, ut dicunt, in atomo a Deo esse, et simul contendere totum dicendi genus, quod in Scriptura reperitur, usque ad certum gradum tum a Deo in antecessum determinatum tum eodem providente, modo, qui ipsi est cognitus, hagiographorum opera re ipsa in eosdem libros derivatum fuisse“ (p. 287). Postquam argumenta contra inspirationem verbalem proposuit et contraria refutavit (p. 297 sqq), studet invenire normam, „qua inter formale et materiale elementum libri tuto distingui possit“ (p. 310 sqq). Haec autem norma est finis, quem Deus in his libris ecclesiae tradendis habuit. „Scripturam Deus in eum finem edidisse intellegitur, ut homines, dum fide ac bonis moribus imbuuntur, librum habeant, cui in omnibus tuto ac facile credere possint“ (p. 315). Ut hic finis obtineatur, debent omnia, sive per se res religiosae sive per se profanae sunt, vera et divina auctoritate munita esse, quaecumque in Scriptura affirmantur. Ergo quoad res et sententias Scriptura nullam limitationem inspirationis admittit. Verba vero Scripturae „ubique debent esse eiusmodi, ut sententiam inspiratam et a Deo intentam reipsa contineant et exprimant“ (p. 317). Ergo Deus saltem tantum quoad verba praestare debuit, quantum ad hunc finem requiritur. Hoc multis exemplis illustratur et magis explicatur. Ceterum libri sacri immediate traditi sunt non singulis, sed magisterio ecclesiastico, ut per hoc magisterium populo explicentur, et ut huic magisterio ad usus multiplices inservire possint. Ideo Deus non solum effecit, „ut libri sacri etiam in elocutione ideae divinae mente praeconceptae per omnia congruerent“ (p. 346), sed etiam ut fierent sub diversis formis: historica, poëtica, epistulari etc. (p. 350), et ut plurima specialem „eloquentiae biblicae indolem pulchritudinemque prae se ferrent“, immo ut in quibusdam singularibus locis haec determinata verba usurparentur et non alia (p. 355 sqq).

Ultimo libro instituitur disputatio de criteriis inspirationis, et statuitur unicum universale et certum criterium inspirationis esse traditionem catholicam ex revelatione haustam.

307. Brevi post librum doctoris Schmid in lucem prodiit „De divina Bibliorum inspiratione dissertatio dogmatica, quam conscripsit **G. J. Crets** O. Praem.“ (Lovanii 1886), qui theologus easdem res tractat quas Schmid, excepta quaestione de multiplici sensu. Primo tamen loco ponit quaestionem de criteriis inspirationis. Dein post brevem historiam huius dogmatis ipsum dogma positivis argumentis

demonstrat. Hae sunt duae primae sectiones operis (usque ad p. 92). Sectione tertia agit „de genuino inspirationis conceptu eiusque propria ratione", sectione quarta et ultima „de extensione inspirationis in sacris libris".

Recensitis variis theologorum opinionibus *„instituitur analysis formulae dogmaticae: Deus est auctor librorum Sacrae Scripturae"*, quia „ad propriam inspirationis naturam genuinumque eius conceptum assequendum nil magis conducit quam indagare, quaenam ex parte Dei requirantur et sufficiant, ut ipse, non immediate per se, sed per hominem scribens, secundum communem loquendi morem auctor libri dici queat" (p. 105 sq). Ex hac enim formula concluditur Deum non solum esse causam primam et universalem, neque ex altera parte esse causam particularem et unicam, sed esse causam principalem utentem hominibus ut causis instrumentalibus sacrorum librorum (p. 106 sq). Facta distinctione inter formale et materiale libri, postulatur ad inspirationem, ut scriptor humanus quoad formale libri recipiat influxum divinum, quo fiat, ut „tum mente concipiat, tum simul voluntate infallibiliter moveatur ad scribendum ea omnia et sola, quae Spiritus Sanctus per ipsum scripto consignanda consilio suo comprehendit. Insuper requiritur assistentia seu aliqualis directio Spiritus Sancti, qua scriptor ab errore mendove quolibet immunis reddatur in exsequendo opere, ad quod divinitus movetur" (p. 112). Hac assistentia explicatur ille divinus influxus, quo fit, ut scriptor humanus infallibiliter eligat verba apta ad sensa ab auctore principali intenta recte et sincere exprimenda. Refutantur vero illae sententiae, quae inspirationem in sola assistentia seu in sola subsequente approbatione collocant (p. 116 sqq).

Quod attinet *influxum Dei in mentem hagiographi,* potuit quidem accidere, ut res scribendae prius revelandae vel saltem in memoriam revocandae essent; potuit vero etiam accidere, ut scriptor actualem earum cognitionem iam haberet. In hac ultima suppositione sufficit et requiritur, „ut Deus sensa scribenda sub lumine supernaturali designet scriptoremque ad ea scribenda impellat, hoc est, eius menti infundat iudicium practicum, quo inter ea, quae vera cognoscit quaeque menti eius obversantur, iudicet ea omnia et sola litteris determinate esse mandanda, quae Deus suo consilio comprehendit" (p. 134). Potest etiam Spiritus Sanctus impellere hominem, ut res scribendas in fontibus humanis investiget, et dein eum illuminare, ut iudicet haec et haec, quae invenit, esse litteris consignanda (p. 135). Probabilius omnes scriptores sacri supernaturalis illuminationis conscii fuerunt (p. 148 sqq). Lumen supernaturale practicum est quidem mediata quaedam motio voluntatis, sed praeterea *Deus immediate movet etiam voluntatem scriptoris motione charismatica.* Haec motio „antecedenter ad scriptionem opus est, ut hagiographi voluntas efficaciter ad scribendum divinitus moveatur. . . . In ipso actu scriptionis hic voluntatis impulsus perdurat seu concomitans est. . . . Divinus hic impulsus directe attingit omnes actus, qui a voluntate eliciuntur, indirecte autem actus imperatos voluntatis" (p. 158). In homine inspirato neque usus rationis neque necessario usus sensuum neque libertas in scribendo suspenditur (p. 168 sqq). Generatim ingenium et facultates tam naturales quam acquisitae scriptorum per inspirationem non excluduntur, sed evehuntur ad altiorem ordinem, et evectae inserviunt in scribendo, ita ut in libris sacris appareant (p. 173 sqq).

Liber sub inspiratione scriptus est verbum Dei scriptum, divina fruens auctoritate. Sed quia etiam homines in Scriptura loquuntur, agendum est „de locis, in quibus hagiographus de se ipso et ex propria auctoritate verba facit", seu de personalibus eius affectibus et de mandatis vel consiliis ab ipso datis (p. 181 sqq), porro de verbis aliorum in Scriptura relatis, quas quaestiones Crets eodem fere modo solvit atque Schmid.

308. Sectione ultima imprimis examinatur et *refutatur doctrina de inspiratione verbali* (p. 204 sqq). „Concludimus praeter proprie dictam inspirationem rerum et sententiarum, qua iam confuse et remote tum verba tum elocutionis modus subministrantur, generatim loquendo non alium admittendum esse specialem Spiritus Sancti influxum in elocutionis modum praeter peculiarem directionem et assistentiam, qua mens scriptoris in eligendis expressionum formulis suae indoli atque culturae intellectuali accommodatis ita manuduceretur, ut, incongruis et minus accuratis relictis, eas seligeret, quibus sincere, integre et modo tum sensibus inspiratis tum librorum destinationi ad omnes omnium aetatum homines convenienti divina sensa exprimerentur" (p. 247). Item quod alii libri sunt historici, alii prophetici, alii sapientiales etc., ab antecedenti voluntate Spiritus Sancti repetendum est (p. 251).

Postremo loco statuitur *inspirationem extendendam esse ad res omnes et sententias in Sacra Scriptura contentas,* sive sunt res fidei et morum, sive per se res profanae, sive sunt magnae, sive parvae (p. 257 sqq), quia, errore quocumque semel in Scripturam admisso, tota eius auctoritas concutitur, et quia totius Scripturae cum omnibus suis partibus Deus auctor est. Maxime vero hoc efficitur ex constanti traditione (p. 279 sqq). Qui inspirationem rerum restringendam esse censent, argumentantur ex fine Scripturae, qui sit religiosus, non profanus. Respondetur: „Finis adaequatus et proximus, in Sacrarum Scripturarum confectione a Deo intentus, non fuit, ut veritates omnes religiosae seu res fidei et morum, systematico modo in aliquot libris compactae, nobis traderentur, vel libris partim humana industria conscriptis eorundem scriptores identidem inspirando hic illic intericerentur, verum ut in rebus ad vitam fidei et gratiae in praesenti ordine elevationis pro hoc stadio viae et ad beatam glorificationem pro altera vita pertinentibus homines instruerentur ope librorum, quoad omnia et singula auctoritate divina pollentium, in quibus illae veritates etiam aliquando forma quadam familiari, puta historiae, narrationis, epistulae induerentur, quique igitur non solum complecterentur veritates presse et in se religiosas, sed et sententias ex natura sua profanas, habentes tamen cum illis prioribus vel ex natura rei vel ex Dei intentione nexum aliquem proximum vel remotum. Itaque notitiae ex sese religiosae, ex Dei intentione primaria, sunt propter se inspiratae, reliqua vero sensa sunt verbum Dei seu sub divino influxu conscripta, quamvis solum accessorie et in ordine ad res fidei et morum" (p. 307). De phaenomenis vero ordinis physici loquuntur sacri scriptores secundum „loquendi formulas ex apparentiis desumptas et vulgari usu tritas" (p. 314) et adhibent locutiones indeterminatas et numeros quantitatem vel tempus circiter indicantes, aliaque similia (p. 320 sqq). Brevi, omnia in Scriptura sunt inspirata, omnia infallibilia, sed recte interpretanda secundum normas, quas ecclesia pro interpretanda Scriptura statuit.

309. Doctrina, quam libris suis Schmid et Crets, secuti Cardinalem Franzelin, proposuerunt, exeunte saeculo XIX tam communiter recepta erat, ut in omnibus fere Praelectionibus, Institutionibus, Compendiis dogmaticis et Introductionibus in Sacram Scripturam inveniatur. Nostra vero aetate *contra hunc modum exponendi Sacram Scripturam vehemens oppositio facta est.* Obiciunt autem haec:

Prima obiectio: Secundum hanc sententiam „neque omnia in Sacra Scriptura contenta attribuuntur Deo, neque omnia adscribuntur hagiographis, sed dividitur opus et partim, i. e. conceptus vel res et sententiae biblicae, soli Deo tribuuntur, voces vero ac formae expressivae conceptuum solis hagiographis assignantur. Iuxta hanc igitur sententiam inspiratio biblica consistit in actione, qua Deus sive per revelationem proprie vel improprie acceptam, ut aliqui dicunt, sive per locutionem vel suggestionem, rememorando nempe menti humanae ea, quae ultro non occurrunt ei, ut aliis placet, communicat vel suppeditat hagiographis res et veritates in Sacris Bibliis consignandas.“ [1] Iam, inquiunt, „manifestum est, quod ille, qui simpliciter proponit vel quomodocumque communicat ea, quae dicenda vel scribenda sunt, influit quidem in obiectum dictionis vel scriptionis, quia illud determinate annuntiat vel indicat, sed non influit physice in ipsam actionem dicentis vel scribentis. . . . Non sufficit ergo ad rationem inspirationis biblicae, quod Spiritus Sanctus proponat vel communicet hagiographis ea, quae scribenda sunt, sed oportet, quod hagiographi ea scribant moti, ducti, impulsi a Spiritu Sancto“ [2].

Responsum est ab aliis [3] concedendam esse hanc conclusionem, sed negandum esse suppositum Franzelin (et qui eum secuti sunt) aliter docuisse. Nam Franzelin in explicanda inspiratione neque postulat revelationem neque negat hagiographos a Spiritu Sancto illuminari et impelli, id quod evidens est ex iis, quae supra dicta sunt (n. 300 301 302 304 307).

Quia vero illa obiectio nominatim etiam contra me directa est, placet ex „Institutionibus propaedeuticis ad Sacram Theologiam“, ed. 3, Friburgi 1903, haec excerpere, quae ibi latius exponuntur in Propositionibus LVIII et LIX:

„Potest accidere, ut Deus velit scribi res, quae homini sunt prorsus ignotae neque naturaliter ab eo cognosci possunt. In hoc casu Deus debet imprimis res scribendas revelare, ut accidit in prophetis. At fieri quoque potest, ut homo res scribendas iam aliunde noverit. Quod si evenit, nequaquam nova revelatione opus est, sed sufficit, ut Deus illustret intellectum scriptoris, ut hic intellegat, quid sibi scribendum sit. . . . Ut quis sit scriptor inspiratus, non requiritur semper nova acceptio rerum scribendarum, sed requiritur supernaturale iudicium, quo scilicet homo iudicat sibi haec et haec

[1] *Zanecchia,* Divina Inspiratio 75 sq. [2] Ib. 82.

[3] *J. P. van Kasteren,* Franzelin en Zanecchia, in periodico „Studien“ LVIII, Utrecht 1902, 59 sqq.

scribenda esse. . . . Itaque illustratio intellectus ideo tantum requiritur ad inspirationem, quia homo ex una parte debet non nomine suo, sed nomine Dei per Scripturam loqui ad alios, ex altera vero parte est instrumentum vivum, quod a Deo movetur per influxum in intellectum et voluntatem. A Deo, ut auctor princeps libri sit, voluntatem humanam movendam esse ad scribendum per se evidens est; neque enim potest Deo auctori attribui, quod praeter eius voluntatem fit. Hoc autem valet non de integro tantum libro, sed etiam de singulis rebus et sententiis, quia nemo censetur auctor libri eo, quod solum in genere dederit consilium vel praeceptum vel impulsum scribendi librum, nisi ipse res et sententias sua voluntate determinavit." [1]

Ergo si Zanecchia contra sententiam communem obicit non sufficere, ut sacer scriptor a Deo accipiat, quae scribenda sunt, sed requiri, ut a Spiritu Sancto moveatur et impellatur, non immerito hic demonstrandi labor dictus est conatus perrumpendi portas iam diu apertas.

Ceterum si revelatio intellegitur latiore sensu quaevis locutio proprie dicta Dei ad homines, in inspiratione biblica manifeste etiam revelatio habetur, quia inspirando libros Deus loquitur ad homines. Ut autem Deus hoc modo loquatur ad homines, requiritur supernaturalis illustratio intellectus et supernaturalis motio voluntatis scriptoris sacri ad scribendum; idque docent omnes asseclae sententiae communioris nullo excepto, ergo immerito contra eos proceditur, quasi hoc negent.

310. *Altera obiectio* in praecedenti iam indicatur estque haec, quod Franzelin et alii reiciant inspirationem verbalem et negent omnem influxum Dei in „partem materialem" Sacrae Scripturae. „Non videtur, quomodo Franzelin potuit logice sustinere, quod materialia Sanctorum Bibliorum, i. e. voces, constructiones grammaticales, stilus etc., a Deo non sint, sed a solo hagiographo." [2]

Responsum est idem atque antea[3]: Franzelin hoc non docuit, sed diserte statuit etiam respectu verborum talem operationem divinam in hagiographum requiri, ut hic infallibiliter eligat signa apta ad res et sententias inspiratas vere et sincere exprimendas (supra n. 301; cf. 302 306 308), et reicit eam tantum opinionem, qua Deus dicitur

---

[1] Inde iudica, quo iure Zanecchia (Divina Inspir. 102 sqq) obiciat me docere solum moralem influxum Dei in hagiographum, aut ad summum eiusmodi influxum physicum, qui sit initialis tantum, neque se extendat ad totum opus. Cf. opusculum meum: „Theologische Zeitfragen", 3. Folge, Freiburg 1902, 90 sqq. Cuius versio latina est: „Apparatus ad historiam coaevam inspirationis", Romae 1903; cf. 95 sqq.

[2] *Zanecchia*, Divina Inspiratio 97. Theoriam inspirationis verbalis contra Franzelin et alios etiam propugnat *C. Chauvin*, L'inspiration des divines Écritures (Paris. sine anno) 169 sqq. Huius argumenta singula prosequitur et refutat *J. Hejcl* in periodico „Der Katholik" 1900 I 115 sqq; cf. „Theol. Zeitfragen", 3. Folge, 94 sqq vel „Apparatus ad hist. coaev. inspirat." 99 sqq.

[3] *Van Kasteren*, Franzelin en Zanecchia 67 sq 75 sqq.

singula verba *dictasse* sacris scriptoribus. Hanc autem inspirationem verbalem etiam ipsi adversarii recentes opinionis communioris reiciunt[1]. Quare *Lagrange,* qui et ipse propugnat recentem theoriam inspirationis verbalis, ait: „Si hoc est illud, quod quidam moderni dicere volunt, distinguentes inspirationem pro cogitationibus et assistentiam pro verbis, quoad fundum rerum inter nos convenit.“ [2] *Van Kasteren*[3] vero notat non obstante vehementi impugnatione theoriae Cardinalis Franzelin se non videre realem differentiam inter eius sententiam et sententiam adversariorum eius. Utique illi ex adversariis eius, qui sunt Thomistae, etiam inspirationem explicant per praedeterminationem physicam, quam Franzelin cum communiore sententia non admittit, etsi de hac re in quaestione de inspiratione nihil dicit.

311. *Tertia obiectio:* „In hac sententia pro uno et eodem habetur Deum inspirare librum et esse auctorem principalem libri; quod est confundere praemissam vel principium cum conclusione, videlicet rationem rei cum ipsa re. Nam ideo Deus est auctor sacrorum librorum, quia illos inspiravit. Quapropter non rationabiliter explicatur et limitatur inspiratio biblica per explicationem et limitationem praerogativae auctoris libri; dum enim multipliciter potest aliquis esse et dici auctor libri, inspiratio biblica, prout ab ecclesia intellegitur, unico tantum modo perfecta fuit.“ [4]

Responsum: „His non obstantibus modus inquisitionis, quo Franzelin utitur, non est condemnatus. Nam dato rem [quoad praemissam et conclusionem] se habere, ut dicitur, numquid ideo vetamur a consequenti procedere ad illustrandum antecedens? Numquid arbor non potest cognosci ex fructibus? In quantum consequens sub uno vel altero respectu nostro intellectui magis perspicuum est quam antecedens, illud logice servire potest ad hoc explicandum. Sane haec maior perspicuitas consequentis concipi non posset, si sibi quemque ex solo antecedenti consequens deducere necesse esset. Tunc enim quaeri posset: Quomodo potest terra illuminare solem, a quo omnem suam lucem accipit? Sed quod attinet maiorem vel minorem perspicuitatem propriam quoad nexum inter antecedens et consequens, habemus infallibilem ecclesiae definitionem.“ Hoc adversarii ipsi concedunt. Unde „qui cum Franzelin ex doctrina ecclesiae definita procedit, eo ipso stat super firmius et solidius fundamentum, quam aliae considerationes philosophicae vel theologicae, etsi sunt S. Thomae, offerre possunt“ [5].

Inspiratio est res obscura, de cuius explicatione agitur. Quid requiratur, ut quis per alium scribens sit auctor libri, naturaliter scimus. Deum esse auctorem librorum sacrorum inspirando humanos

---

[1] *Zanecchia* l. c. 78 sqq. [2] „Revue biblique“ V (1896) 215.
[3] Franzelin en Zanecchia 77 sqq. [4] *Zanecchia* l. c. 189 sq.
[5] *Van Kasteren* l. c. 58 sq.

auctores ad scribendum, ecclesia definivit. Ut igitur sciamus, quid sit illa inspiratio in se nobis occulta, recte possumus procedere ex conceptu Dei auctoris scribentis librum per hominem ut instrumentum.

Ceterum quae addit Zanecchia, contra ipsum retorqueri possunt. Nam non sufficit quomodocumque dicere Deum inspirasse Sacram Scripturam, sed oportet profiteri eum ita inspirasse, ut verus auctor sacrorum librorum sit. Dum enim multipliciter potest aliquis dici et esse inspirator alicuius libri, auctor tamen esse sacrorum librorum, prout ab ecclesia intellegitur, Deus uno tantum modo potest. Sine dubio, si „auctor alicuius libri" multipliciter aliquis dicitur, ut Zanecchia toties inculcat, vox inspirationis non minus ambigua est, quemadmodum ex multis dictis SS. Patrum apparet. Ergo potius uterque terminus auctoris et inspirationis simul sumi debet, ut res, de qua agitur, rite explicetur, sicut Franzelin reapse simul sumit.

312. Attamen Zanecchia dictis van Kasteren minime acquievit, sed novum opusculum scripsit 109 paginarum ad ea refellenda[1]; van Kasteren vero respondit altera dissertatione[2].

Sit itaque *quarta obiectio,* quam Zanecchia quinque rationibus explicat, sed quae breviter ad hoc reducitur, quod conceptus auctoris est ambiguus, qui adhiberi nequit ad illustrandum conceptum inspirationis in se multo clariorem. Deus enim potest esse auctor alicuius scripturae, scribens immediate per se ipsum. Quod si fit, non est inspirator.

„Ex hoc ergo quod Deus est auctor alicuius scripturae, deduci logice non potest, quod inspirator illius sit." Porro multi sunt auctores librorum, qui libros non inspirarunt, sed ipsi per se scripserunt. „Quomodo igitur per analysim auctoris libri logice perveniri potest ad distinctam declarationem notionum inspiratoris et inspirationis libri, cum conceptus auctoris libri omnino indifferenter ad inspiratorem et non inspiratorem se habeat?" Tertio, ratio auctoris est quodammodo generica, ratio inspiratoris vero est specifica. „Unde significatio auctoris libri dumtaxat potentialiter significationem inspiratoris libri continet, et ideo haec posterior significatio illegitime ex illa deducitur; attamen significatio inspiratoris libri actualiter rationem auctoris libri contractam per propriam differentiam continet; et ideo ex hoc quod aliquis est inspirator libri legitime deducitur, tamquam a vera ratione vel formali causa, auctorem libri esse." Quarto, si agitur de effectu univoco, qui ab una causa producitur, ex effectu causa determinate cognosci potest. „Ex dictis vero constat auctorem libri esse effectum, qui a diversis oriri potest, videlicet ab omnibus efficienter concurrentibus ad compositionem libri, sive principaliter sive instrumentaliter, sive inspirative sive absque inspiratione; nequit igitur ex huiusmodi effectu fieri logica deductio quoad divinam inspirationem biblicam, sive active sive passive acceptam, hoc est tam ex

---

[1] Scriptor sacer sub divina inspiratione iuxta sententiam Cardinalis Franzelin. Responsio ad P. van Kasteren S. J., Romae 1903.

[2] Nogmaals Franzelin en Zanecchia, in periodico „Studien" LXI, Utrecht 1903, 289 sqq.

parte Dei inspirantis quam ex parte scriptoris inspirati. Quapropter methodus, quae apud Franzelin in investiganda natura inspirationis reperitur, tamquam irrationalis reicienda est." Quinto, quia conceptus auctoris latius patet quam conceptus inspiratoris, potest quidem recte dici: Aliquis inspirator scripturae est auctor eius, et: Omnis inspirator scripturae est auctor eius. At si invertuntur propositiones ita: Aliquis auctor libri est inspirator eius, et: Omnis auctor libri est inspirator eius, „patet ultimam enuntiationem falsam esse; plures siquidem dantur auctores libri, qui tamen inspiratores libri non sunt. Unde notio auctoris libri vi propria non includit notionem inspiratoris. . . . Cum igitur auctor libri vi proprii significati non includit inspiratoris conceptum, quando assumitur ut medium ad distinctam notionem inspiratoris assequendam vel declarandam, irrationali modo veritas inquiritur" [1].

Responsum ad hanc obiectionem non est difficile. Nam si notiones auctoris et inspiratoris plane in abstracto sumuntur, potest aliquis esse auctor libri, qui non sit inspirator eius, et potest aliquis esse inspirator libri, qui non sit auctor eius. Si vero haec praedicata sumuntur, ut ab ecclesia de Deo respectu Scripturae dicuntur, se invicem plane includunt et inter se illustrant. Sic autem procedit Cardinalis Franzelin (cf. supra n. 300 sq); ergo methodus, qua utitur Zanecchia ad eum refutandum, ut irrationalis reicienda est.

Nam „imprimis est assertio valde iniusta, quam Zanecchia pluries repetit, quasi Franzelin simpliciter ex vocabulo *auctoris,* vel ad summum ex coniunctis vocabulis *auctoris libri* secundum amplissimum et communissimum sensum argumentaretur. Ante eius tertiam thesim, de qua hic loquimur, praecedit secunda, quae in tertia supponitur. In hac secunda thesi ex Novo Testamento et ecclesiastica traditione probatur Deum esse auctorem librorum Scripturae ‚per suam supernaturalem actionem in conscriptores humanos, quae usu ecclesiastico, ex ipsis Scripturis derivato, inspiratio dicitur'. Dein in tertia thesi haec divina actio distinctius declaratur ex dogmatica formula: ‚Deus est auctor sacrorum librorum', sed, ut in ipsa thesi dicitur: ‚simul collatis eiusdem doctrinae declarationibus, quae in christianae antiquitatis monumentis continentur', et quae in praecedenti thesi amplissime discussae sunt. Quare etiam saepius ad hanc thesim remittimur." Zanecchia vero huius rei ne minimam quidem mentionem facit.

„Lectis apud Zanecchia quinque rationibus, ob quas irrationale et perversum sit ex conceptu auctoris procedere ad explicandam naturam inspirationis, sua sponte oritur quaestio, undenam Zanecchia procedat. Si aperimus librum eius *Divina Inspiratio,* p. 1 invenimus consensum Hebraeorum et Christianorum in profitenda divinitate Sanctorum Bibliorum, — et veritatem obiectivam ut rationem huius consensus indicari. Postea p. 3 haec divina indoles librorum magis explicatur: ‚Liber aliquis potest dici divinus 1° ratione argumenti . . . 2° ratione originis vel auctoris'. Iam obvia est quaestio: Quae differentia est inter verba, quae Franzelin ex Vaticano deprompsit: ‚Libri sacri habent Deum auctorem' et verba Zanecchia: ‚Sunt divini (ad litteram: liber aliquis potest dici divinus) ratione originis vel auctoris?' Nos saltem hucusque nullam realem differentiam videmus. Uterque procedit ex notione auc-

[1] *Zanecchia,* Scriptor sacer 10 sqq.

toris. Sed hic conceptus ex se ipso est communis et indeterminatus. Quare Franzelin imprimis in secunda thesi ex Novo Testamento et traditione dicta colligit, quibus significatio vocabuli in sensu Vaticani magis determinatur. Zanecchia vero postea quidem haec eadem dicta non aspernabitur, sed ab initio plane arbitrarie vocabulo auctoris strictissimam significationem subicit. Uno tenore, sine speciali argumento, ante ulla testimonia Scripturae vel traditionis allata procedit ad dicendum: ‚Liber aliquis potest dici divinus ratione originis vel auctoris, quatenus scilicet ab ipso Deo est scriptus sive immediate . . . sive mediante aliquo homine'. Et post paucas lineas inde colligitur: ‚Dum hic secundus modus habetur, non solum materia in libro contenta est divina, sed compositio quoque ac scriptura libri habet Deum auctorem'. Post hanc arbitrariam expositionem illius termini: ‚divinus ratione originis vel auctoris' p. 17 sq audimus inspirationem eam esse operationem divinam in scriptorem humanum, qua oriatur liber hoc sensu (ratione originis vel auctoris) divinus. Non equidem audemus ostendere filum aureum, quod per 250 paginas istius operis continuetur, sed hoc certum est conceptibus *ab ipso Deo scriptus* et *scriptura libri habens Deum auctorem* magnas partes attribui. Sub nomine ‚elevationis facultatis scriptivae' una ex maxime peculiaribus conclusionibus systematis Zanecchia in eo fundatur (p. 133), quod necesse est, ‚ut scriptio et scriptura sint vere, proprie ac principaliter divinae'. Per simplicem conversionem illius ‚divinus ratione originis vel auctoris' in illud ‚ab ipso Deo scriptus' Zanecchia (p. 3) videtur enuntiasse principium, ex quo ope metaphysicae suae thomisticae totum suum systema evolvere poterat. Unde efficitur eum magis etiam quam Franzelin ex unico conceptu auctoris procedere. Itaque quod antea de exitu diximus, etiam de initio inquisitionis valet: Zanecchia multo propior est adversario suo, quam ipse suspicari videtur." [1]

Hisce ad ea quoque sufficienter responsum est, quae Zanecchia alio loco obicit: „Inspecta hac propositione: Deus est inspirator Scripturae, in actione divina, quae est fundamentum relationum divinarum ad extra, habetur specialis et propria ratio, cur Deus revera inspirator biblicus dicatur et sit. . . . E contra in hac propositione: Deus est auctor Scripturae, quaenam specialis ratio actionis divinae invenitur, qua Deus vere et proprie dicatur et sit auctor biblicus?" [2] Respondetur: Illa specialis ratio, quam Franzelin in thesi secunda ex Scriptura et traditione exposuit. E contra vero ex nuda illa sententia: Deus est inspirator Scripturae, plane nihil de propria ratione, qua Deus sit inspirator biblicus, moraliter an physice, ita ut sit vere scriptor sacrorum librorum, an non ita, concludi potest [3].

---

[1] *Van Kasteren,* Nogmaals Franzelin en Zanecchia 299 sqq.

[2] *Zanecchia,* Scriptor sacer 29 sq.

[3] Quidam sic argumentantur: Quando apud veteres, et maxime in conciliis, Deus dicitur auctor utriusque Testamenti, reicitur error Manichaeorum, qui volebant alium esse Deum Veteris Testamenti, alium Novi. Hic igitur auctor non est idem atque scriptor, sed est idem atque origo, principium, causa. Eodem sensu formulam repetunt posteriora concilia, Florentinum, Tridentinum, Vaticanum. Unde in eorum definitionibus nomen hoc non accipitur de Deo ut scriptore sacrorum librorum, neque

313. *Quinta obiectio:* Quod attinet lumen supernaturale scriptori sacro concessum, ait Zanecchia:

Franzelin „admittit quidem [hoc lumen] afficere intellectum hagiographi illumque quoad primam mentis operationem in apprehensione vel conceptione repositam moderari, sed nec unum verbum in tota thesi habet relate ad iudicia hagiographi circa res conceptas, si excipias S. Thomae articulum, quem ex Summa theol. 2, 2, q. 174, a. 2 in nota prima refert ad nomen non inspirationis, sed revelationis explicandum. . . . Quapropter in sententia Cardinalis implicite assertum videtur mentem hagiographi vi luminis inspirativi nullum iudicium de rebus inspiratis elicere, sed dumtaxat apprehendere res divinitus ei manifestatas esse scribendas“ [1].

Responsum Patris van Kasteren:

„Scriptori [Zanecchia] evidenter difficile est vel granum veritatis apud Franzelin invenire. . . . Quasi necesse fuisset lectori sapienti exponere ‚veri-

ex vocabulo auctoris, quo utuntur, quidquam colligi potest de relatione librorum sacrorum ad Deum scriptorem.

At vero haec argumentatio est manifeste inefficax et falsa. Nam etsi Deus auctor est non solorum librorum sed omnium institutorum Veteris et Novi Testamenti, non ideo libri excluduntur sed includuntur. Ergo Deus etiam dicitur auctor sacrorum librorum. Quo autem sensu sit eorum auctor, SS. Patres unanimiter docuerunt, dicentes Deum ut auctorem principalem scripsisse sacros libros per homines inspiratos ut auctores secundarios seu instrumenta viva et rationalia (cf. e. g. supra n. 42 sq 47 52 74 93 sq 96 132 143 148 etc.). Unde et vetera et recentia concilia, cum libros sacros ad Deum auctorem referunt, non alio sensu hoc intellexerunt, nisi quo semper in traditione intellectum est. Verum igitur est ex nudis vocabulis auctoris vel inspiratoris aut nihil aut non multum colligi posse de natura inspirationis, sed ut *Franzelin* recte ait: „simul collatis eiusdem doctrinae declaratione, quae in christianae antiquitatis monumentis continentur“, conceptus inspirationis e conceptu auctoris optime illustratur.

Ait quidem *H. E. Poels* (in „The Catholic University Bulletin“, April 1905, 186 sq): „Perspicuum est nos, si clausa Scriptura procedamus ex analysi formulae Deus est auctor Scripturae, perventuros non esse ad illas conclusiones [quas antea probare studuit]. Debemus reapse procedere inde quod scimus omnes libros sacros scriptos esse ‚Spiritu Sancto inspirante‘. Haec [ita addit in nota] est una ex rationibus, ob quam in sequentibus sustinemus thesim, quam paucos ante annos defendimus in ‚De Katoliek‘, et quae impugnata est a *van Kasteren*, Studien LXXXVIII 58 sq et *Chr. Pesch*, Theol. Zeitfragen, 3. Folge, 81. Secundum nostram opinionem P. Lagrange recte sensit in indicando vero periculo, cui theoria Card. Franzelin exponit doctores catholicos.“

Habeat hanc opinionem, si ei placet. Sed si censet ex analysi illius formulae: Libri sacri sunt scripti Sancto Spiritu inspirante, se posse suas conclusiones deducere etiam clausa Scriptura, ostendit suas theorias esse aprioristicas, seu eo defectu laborare, quem obicit doctrinae Card. Franzelin. Si vero putat partem esse theoriae Card. Franzelin, ut clausa Scriptura perficiatur, contra facta loquitur, cum inter eos, qui hanc theoriam tenent, etiam ii sint, qui Scripturae studio diligenter se dederint. Sufficit in memoriam revocare nomen P. *Cornely*. Ceterum neutra ex illis formulis est „theoria“ sed doctrina ab ecclesia definita; a qua qui procedit, non sequitur philosophicas opiniones, et hoc eo minus, quo magis cum Card. Franzelin in explicanda hac catholica doctrina inhaeret traditioni ecclesiasticae. Placet autem nonnullis potius procedere ex termino inspirationis, quia hic terminus est magis vagus et maiorem facilitatem praebet laxius explicandi divinam originem et auctoritatem Scripturae.

[1] *Zanecchia* l. c. 57 et 51.

tates, quas Deus per Scripturam ecclesiae tradere voluit', non intellegi solam seriem conceptuum simplicium, sed imprimis iudicia. Et quasi per superabundantiam Franzelin hanc annotationem, paene superfluam, non expresse fecisset. Tantum enim abest, ut ‚nec unum verbum habeat' de iudiciis, ut bis repetat se ‚veritates' intellegere et conceptus et iudicia et eorum nexum: ‚Quoad formalem rationem libri . . . spectari debent ideae et iudicia horumque totus complexus, quae in libris, verbis et propositionibus significantur, atque ab aliis res et sententiae, ab aliis sensa, in thesi nostra *veritates* dicuntur. Cum enim agatur de ideis et iudiciis sive sententiis, quae a Deo sunt, non possunt esse nisi veritates' (De Script. p. 343). Quando Leo XIII in encyclica ‚Providentissimus' idem *concipere* usurpat, Zanecchia (p. 76 sq) optime novit, quis rationabilis sensus voci sit subiciendus." [1]

Verba Leonis XIII sunt haec: Spiritus Sanctus scriptores inspiratos „supernaturali ipse virtute ita ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae". De quibus verbis ait van Kasteren:

„De hoc loco encyclicae pontificiae plura ceteroqui dici possent. Hic enim ad litteram fere principales sententiae ex thesi Cardinalis Franzelin recapitulantur. Nihilominus Zanecchia viam invenit, qua eam contra Cardinalem Franzelin verteret (Div. Insp. p. 175). Et nunc (p. 25, 71—77) iterum ad hoc diffuse rediit. At in fine lectori iudicium relinquit, ‚utrum calliditate an veritate in libro nostro sententiam Leonis contra Franzelin adhibuerimus'. Hoc exemplum eo promptius sequi possumus, quia hoc iudicium nobis non valde difficile videtur." [2]

Quod Zanecchia addit de necessitate praedeterminationis physicae ad conceptum inspirationis explicandum (Script. sac. 65), a Patre van Kasteren transmittitur ut non pertinens ad tractatum de inspiratione Sacrae Scripturae (p. 307).

314. *Sexta obiectio:* Van Kasteren notaverat Franzelin ponere quaestionem dogmaticam, quidnam sit minimum illud, quod ad *essentiam* omnis libri inspirati necessarium sit, non vero ponere quaestionem historicam, quomodo singulorum librorum inspiratio reapse facta sit. Zanecchia vero hanc vocat „gratuitam speciosamque inventionem". Similiter de dicto Patris van Kasteren: „Zanecchia respondet quaestioni historicae: Quomodo inspiratio locum habuit?" — ait: „Omnes characteres gratuitae assertionis habet" (p. 35).

Responsum: „Numquid [Zanecchia] oblivioni dedit, quae in priore opere (p. 190) scripsit, et quae nos (p. 65) citaveramus: ‚Quaestio inspirationis biblicae est *quaestio de facto,* quid nempe *fecit* Deus in hagiographo . . . et ideo veluti res historica vi testimoniorum resolvi debet.'" Ex Franzelin vero haec allegantur: Quaeritur „quae operatio

[1] *Van Kasteren,* Nogmaals Franzelin en Zanecchia 302 sq.
[2] Ib. 304.

divina sit, et quae non sit *essentialis* ita, ut ea posita Deus vere sit auctor libri". „In inspiratione revelationem non esse elementum *essentiale*". „Ad *essentiam* inspirationis hoc charisma non aliter pertinere . . .", et multa alia, quibus semper quaeritur, quid *essentiale* sit. Itaque immerito Zanecchia dixit hanc esse gratuitam et speciosam inventionem [1].

Sed quia hac ratione disputatio iam eo vergere incipit, ut quaeratur, uter utrum male aut bene intellexerit, haec et reliqua ut ad nostrum negotium non pertinentia dimittamus. Meo quidem iudicio nisi Zanecchia alia habet, quae contra methodum Cardinalis Franzelin proferat, quam quae hucusque protulit, haec methodus inconcussa stat et stabit. *Billot* ait: „Magnum doctrinae apparatum sibi videntur proferre novi critici, sed frustra, quia fortasse ipsorum logica, et non illa Cardinalis Franzelin, in defectu est." [2]

ART. VI.

LAXIORES QUAEDAM OPINIONES DE INSPIRATIONE ANTE CONCILIUM VATICANUM.

315. Etsi doctrina, quam articulis quarto et quinto exposuimus, erat communissima post Concilium Tridentinum, non deerant tamen theologi, qui minus stricte de inspiratione Sacrae Scripturae sentirent.

Inter hos unus ex notissimis est **Holden**, professor sorbonicus, qui in „Divinae fidei analysi" [3] non solum multa in Scriptura contenta fide divina credenda esse negat, sed vel ipsam Sacram Scripturam verbum Dei esse ex sola traditione ecclesiae, non vero ex revelatione divina constare affirmat.

L. 1, c. 4, lect. 1 dividit „veritates omnes christianas" in varias classes. „Primae classis sunt veritates *divinae et catholicae,* quae nimirum immediate innituntur revelatione seu institutione divina. . . . Secundae classis sunt veritates, quae dici possunt *pure catholicae,* quae nempe universali totius eccle-

[1] Ib. 292 sqq.

[2] De inspiratione 25. Noto, etsi vix opus esse videatur, me nequaquam considerare theoriam Card. Franzelin definitivam, ut aiunt; immo plura mihi in ea minus placent. Dogmatis inspirationis non minus quam aliorum dogmatum intellectus perpetuo crescet in ecclesia, neque umquam poterit quis in hac vita proponere theoriam immutabilem, ultra quam progressus non iam sit possibilis. Deus providentia sua res humanas ita dirigit, ut in cognitione veri et amore boni procedendi via non claudatur. Quod vero Zanecchia non fatigatur repetens iterum iterumque: Theoria Card. Franzelin est absurda, confusa, irrationabilis, arbitraria, eius methodus irrationalis, errata, illogica, aliaque eiusmodi, hoc quidem servit ad aperiendum nobis statum mentis eius, qui talia scribit, sed ad evertendam doctrinam Card. Franzelin apud cordatos viros non valebit.

[3] Utor ed. Paris. 1782.

siae consensu semper fuerint indubitanter receptae, quaeque, licet non sint proprie divinae et revelatae, attamen universali innituntur traditione. Huiusmodi sunt omnia per modum historiae relata in Sacra Scriptura, hoc est, quae materiam facti denotant, cui nihil divinitus institutum aut ecclesiae praxi iure divino demandatum insit. *Ad hanc etiam classem pertinet veritas haec universim recognita, nempe ipsammet Scripturam esse verbum Dei.* . . . Harum veritatum aliquae sunt revelatorum omnium quodammodo fundamenta, veluti haec praecipue: Sacram Scripturam esse verbum Dei, sicut et ea omnia, quae in sacra pagina de Christi vita historice descripta sunt a primo conceptionis suae momento usque ad ultimum pretiosissimae mortis suae articulum; in his enim fundatur christiana fides. . . . Haec omnia non alia constant ratione quam universali traditione. . . . Aliae sunt veritates pure historicae et nullatenus ad doctrinam christianam pertinent, sed obiter et quasi ex accidenti Scripturis insertae sunt, ut S. Paulum paenulam reliquisse Troade (2 Tim 4) et alia multa eiusdem naturae. . . . Hae licet verissimae fuerint, nequaquam tamen universali nituntur traditione nisi indirecte et implicite, in quantum scilicet reperiuntur in Sacra Scriptura, quae universali traditione innititur.“ Ergo etsi omnia, quae in Scriptura leguntur, vera sunt, non tamen ideo omnia admitti debent, quia ibi leguntur, sed quia traditio catholica ea vera esse directe vel indirecte testatur.

316. L. 1, c. 5, lect. 1: *„Sacra Scriptura nihil aliud est quam scriptum aliquod ab universa ecclesia receptum veluti doctrinam revelatam continens, vel saltem nihil ei oppositum et contrarium,* sed neque a veritate quacumque dissonum aut alienum, cuius auctor semper habebatur a quibusdam ecclesiae pastoribus et doctoribus vir aliquis sacer aut divinus, hoc est, cui illius scripti seu libri doctrina, ad religionem spectans, vel immediate a Spiritu Sancto revelata fuerit, vel in illa describenda divinum illi adfuerit speciale auxilium. In hac Sacrae Scripturae descriptione advertenda sunt quaedam. Primum, scriptum illud debere ab universa ecclesia recipi. . . . Secundum, ut scriptum hoc sit canone dignum, sufficere, ut vel eandem doctrinam revelatam complectatur, quam credit docetque universa ecclesia, vel quod nullam aliam cuiuscumque naturae comprehendat, quae sit illius destructiva aut illi opposita, immo neque ab aliqua veritate, sive divina sive naturali, aliena, quae nempe sit universim ab hominibus agnita. Tertium, quod veritates philosophicae nec probandae nec improbandae sint ex puris nudisque Sacrae Scripturae verbis et sententiis. Quamvis enim nullam complectatur Scriptura falsitatem, attamen ipsius loquendi modus ut plurimum vulgaris est atque ad communem hominum captum potius quam ad loquelae proprietatem et sermonis rigorem adaptatus; ita ut qui . . . cuiusvis scientiae philosophicae veritates ex Sacrae Scripturae locis, obiter insertis et iuxta vulgi loquelam expressis, tradere vellet, et theologo et philosopho indignum ageret. Quartum, *quod auxilium speciale, divinitus praestitum auctori cuiuslibet scripti, quod pro verbo Dei recipit ecclesia, ad ea solummodo se porrigat, vel quae sint pure doctrinalia vel proximum aliquem aut necessarium habeant ad doctrinalia respectum. In iis vero, quae non sunt de instituto scriptoris vel ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum illi adfuisse iudicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune sit.*“ Liber, ut sit canonicus, ex consensu ecclesiae in catalogum inscribi debet. „Duplici innixa fundamento hoc efficit ecclesia: primo, quod liber hic doctrinam contineat revelatam vel a revelata nihil dissonum; se-

cundo, quod auctor ipsius fuerit vir aliquis sacer et divinus." Quoad primum ecclesia habet maximam certitudinem ex revelatione; quoad alterum minor est certitudo. Ergo ad rationem libri sacri duo tantum certo requiruntur, ut nullum errorem contineat et ut ab ecclesia in canonem recipiatur.

L. 2, c. 3, § 1: „Esse Scripturam Sacram seu revelatum Dei verbum, tamquam catholicae veritatis articulum necessario credendum esse non licet ambigere. Eos etiam libros omnes, quos in canonem inscripsit universa totius ecclesiae consensio, canonicos esse. Horum omnium quinam sint veri auctores, non eadem est certitudo, ac ideo eorum omnium non eadem est auctoritas. In his doctrinam revelatam contineri fides est christiana. In qua describenda ac tradenda nihil iis inesse falsi certissime tenendum est. . . . Quamvis *falsitatis arguere non licet, quidquid habetur in sacro codice,* verumtamen quae ad religionem non spectant, catholicae fidei articulos nullatenus adstruunt." [1]

317. Opinionem doctoris Holden non audet simpliciter approbare **Richardus Simon,** qui de inspiratione non integrum quidem tractatum scripsit, sed saepius disseruit. Ita in „Historia critica textus Novi Testamenti" [2].

Cap. 23 dicit se alibi pauca de inspiratione dixisse, sed hoc loco magis „in particulari" velle loqui, maxime respectu evangelistarum et apostolorum. Vetus Testamentum esse inspiratum Iudaei et post eos Christiani unanimiter crediderunt, sed Christiani inspirationem ad Novum Testamentum extenderunt. Pauci „critici", ut Grotius, censuerunt libros historicos non esse inspiratos, sed solos prophetas. Grotium secutus est Spinoza, postea vero auctores operis „Sentimens de quelques Théologiens de Hollande sur l'Histoire Critique du Vieux Testament." At, inquit Simon: „Hi viri errant, nolentes agnoscere aliam inspirationem nisi prophetarum." Etsi differt stilus historicorum a stilo prophetarum, „tamen Iosephus et omnes Iudaei veteres et recentes appellant propheticos [omnes libros Veteris Testamenti] credentes eos vere

---

[1] In eadem libri Holden editione in fine (p. 464 sqq) adduntur „animadversiones" episcopi *D'Argentré* in „analysim fidei", ex quibus haec excerpsisse iuverit: „Scripturae Sacrae dignitatem temere deprimit Holdenus, ut traditionis non scriptae auctoritatem extollat. . . . Sic Holdenus incidit in Scyllam, volens vitare Charybdim. Graviter sane hic errat, primum quidem in eo, quod, si Holdeno credimus, auxilium speciale, divinitus praestitum auctori cuiuslibet scripti canonici, ad ea solummodo se porrigat, quae vel sunt pure doctrinalia (etc. ut supra in textu). Quare disertis verbis negat (ad fidem pertinere historica, immo negat Scripturam esse verbum Dei fide credendum esse). O paradoxa in scholis christianis inaudita! Constat enim Deum esse praecipuum auctorem totius Scripturae Sacrae, ita ut, quidquid in Scriptura continetur, sit proprie Dei verbum. At (si vera sunt, quae Holden dicit) maxima Scripturae pars non erit verbum Dei, sed verbum piorum hominum, communi Dei auxilio adiutorum. Praeterea si res historicae, in sacris litteris expressae, quae ad fidei dogmata haud necesssario referuntur, non sunt de fide divina, incertum erit, an pleraque facta, quae in sacris codicibus commemorantur, ad fidem divinam pertineant. Hinc autem quot ambages, quot dubia nascentur!" Immo plurima Christi gesta fide divina credenda non essent.

[2] Rotterdam 1689, gallice.

a Deo esse inspiratos. Ut liber sit inspiratus, necesse non est eum de verbo ad verbum esse a Deo dictatum. Falsus inspirationis conceptus, quem hi scriptores sibi formaverunt, ratio ipsis erat statuendi opinionem contrariam toti antiquitati tam iudaicae quam christianae. Iesus Christus, qui apostolis promiserat futurum, ut Spiritus Dei eos induceret in omnes functiones ministerii sui, non privavit eos ratione et memoria. Quamvis essent inspirati, non desinebant esse homines et agere modo aliorum hominum. Fateor iis *necessariam non fuisse inspirationem, ut scriberent facta, quorum testes fuerant. At hoc non impedivit, quominus dirigerentur a Spiritu Sancto in omnibus, quae scribebant, ne in errorem inciderent.*" Hanc directionem vel inspirationem omnes veteres scriptores ecclesiastici admiserunt et eam diserte docent, etsi loquuntur de cura et diligentia, quam sacri scriptores adhibuerint in componendis libris suis. Ostenditur inspiratio totius Scripturae ex 2 Tim 3, 16. Reicitur inspiratio verbalis ut opposita doctrinae plurimorum veterum doctorum ecclesiae. Narratur disputatio Lovaniensium et Duacensium contra Lessium et alios theologos Societatis Iesu (de qua supra n. 283 sqq), et fertur hoc iudicium: Illae tres propositiones, Lessio obiectae, „conformes videntur sanae rationi neque alienae sunt a theologia veterum Patrum, qui in hac re potius audiendi sunt quam Sacra Facultas Theologica Lovaniensis, quae eas condemnavit modo plane iniurioso Societati Iesuitarum. . . . Hi recte egerunt, quod non caece secuti sunt opinionem illa aetate in scholis communem . . . neque censura illarum duarum Facultatum eos impedivit, ne imposterum de inspiratione sacrorum librorum easdem opiniones in collegio Lovaniensi proponerent".

Citat Cornelium a Lapide de inspiratione (supra n. 293), quem recte dicit non consentire neque cum Estio neque cum Grotio, quem tamen docere illas tres theses, quae Lessio obiciebantur, immerito affirmat. Eius sententiam censet plane rationabilem, Lovaniensium vero et Duacensium opinionem nec cum ratione nec cum experientia posse conciliari.

Cap. 24 refutat rationes Lovaniensium et Duacensium. Inter alia de iis, quae S. Paulus scribit de paenula sua Troade relicta ait: „Fateor necesse non fuisse, huiusmodi res a Deo dictari S. Paulo et ceteris scriptoribus sacris. . . . *Sufficit, ut fateamur sacros scriptores directos fuisse a Spiritu Sancto in omnibus, quae scribebant, ne in errorem inciderent.*" Hanc directionem semper opponit dictationi proprie dictae rerum et verborum, quam etiam vocat „inspirationem immediatam". Neque vero explicat, utrum haec „directio" sit positivus influxus in hagiographum an mera negativa assistentia cavens errores, postulat tamen, ut scripta ea sint, quae possint constituere regulam fidei et morum. Negando „inspirationem immediatam" videtur solum negare velle revelationem stricte dictam. Ex altera parte defendit tertiam Lessii thesim eo sensu, quasi etiam ad nostros libros sacros reapse applicari possit, id quod Lessius ipse negat. Ceterum Simon fatetur se non vidisse doctrinam Lessii, nisi prout proponatur in documentis Lovaniensium et Duacensium.

318. Transit dein ad sententiam „Doctoris Facultatis Theologicae Parisiensis", qui est Holden (supra n. 315). De hac sententia ait:

„Sufficit mihi exponere opinionem huius doctoris, neque audeo eam impugnare, utpote approbatam a sapientibus magistris. Neque vero audeo eam tenere secundum totam extensionem suam. Bonum fuisset, si quibusdam exemplis illustrasset, quid intellegeret obiecta non pure doctrinalia aut ad doctrinam non perfecte pertinentia. *De Dominis*, ex quo Holden principia sua hausisse videtur, copiosius de hac re loquitur eamque magna cum subtilitate exponit (l. 7, c. 2, n. 21 22). Ait: ‚Non omnia, quae in Scripturis continentur, esse simpliciter et absolute obiectum nostrae fidei seu spectare ad articulos fidei. Sola enim revelata sunt obiectum fidei, ac non omnia, quae Scriptura habet, docet aut narrat, sunt revelata.' Ex hoc principio, quod nonnullis exemplis illustrat, colligit hanc conclusionem, posse excusari eruditissimos quosdam theologos catholicos, qui evangelistis adscripserunt lapsus provenientes ex defectu memoriae, ut cum ponunt unum nomen pro alio, aut cum inter se non consentiunt de tempore et aliis circumstantiis factorum, quae referunt, dummodo his non afficiatur substantia factorum vel res ipsae. ‚Tales enim lapsus extra substantiam facti nihil fidei obsunt aut obesse possunt, neque sunt circa aliquid fide divina credendum, sed circa id, quod solam humanam sensatam secum fert notitiam. Humanam porro notitiam subesse posse lapsui non videtur absurdum, etiam in sacris Spiritus scriptoribus, quoties lapsus humanae notitiae in facti substantiam et adiunctam revelationem non redundat.' Nihilominus De Dominis, etsi hanc opinionem satis copiose explicat, testatur se non audere eam ex toto sequi. Fatetur esse in Scriptura plures locos, quibus scriptores errasse videntur, et solutiones dari solitas ad solvendas tales difficultates esse valde coactas, at pias animas iis debere esse contentas, quamvis non satisfaciant iis, qui omnia secundum rigorem examinent. ‚Ego sane, quod in me est, rigorem depono et malo cum difficultate piam amplecti interpretationem, quam lapsum istum levem et circa solas circumstantias admittere.' Sed post haec omnia non improbat opinionem doctorum catholicorum, qui huiusmodi lapsus agnoverunt, qui nihil fidei nocent, cum nihil magis minuat auctoritatem Sacrae Scripturae in ipsis rebus essentialibus et revelatis, quam responsa coacta, quae risum eorum movent, qui non eandem ac nos fidem habent. Unde efficitur archiepiscopo Spalatrensi difficile visum esse cum alterutra parte stare in re tam delicata, quam haec est."

319. Cap. 25 contra Spinoza obicientem apostolos non scripsisse ut prophetas, sed ut doctores, ait:

„Haec distinctio inter prophetas et doctores non destruit inspirationem, quam apostolis tribuimus, quippe quae non consistat nisi in simplici directione Spiritus Dei, quemadmodum explicavimus. . . . Iam notavimus ab initio huius operis veteres scriptores, ubi de evangeliis loquuntur, testari ea non esse composita nisi per occasionem et ob preces primorum fidelium. Reapse non videntur nobis evangelistae et apostoli habuisse mandatum expressum a Deo vel etiam a Iesu Christo datum edendi libros pro instructione primorum Christianorum . . . sed videmus Iesum Christum iis dedisse mandatum, ut euntes praedicarent evangelium omnibus gentibus terrae. Libri autem historici eorum, quos vocamus evangelia, nihil aliud sunt nisi collectiones praedicationum eorum, quae animatae erant illo Spiritu, quem Magister ipsorum iis promiserat . . . Spinoza in errorem incidit, imaginans non posse

hominem uti ratione sua et simul dirigi per Spiritum Sanctum. . . . Ipse semper supponit inspiratione tolli usum rationis, quod est falsissimum. . . . Semper confundit prophetiam cum enthusiasmo. . . . Quare quidquid obicit ad monstrandum maximam partem sermonum apostolorum consistere in solis monitis et exhortationibus moralibus, non obest inspirationi apostolorum eo modo intellectae, quo antea cum Iesuitis Lovaniensibus supposui."

Pro ulteriore expositione huius rei Simon nos delegat ad duo Responsa, quae dedit *aux Sentimens de quelques Théologiens de Hollande.* In primo Responso [1] maxime pugnat contra Clericum (cf. supra n. 259), qui scripserat a Richardo Simon quasdam partes Scripturae non censeri inspiratas. Hoc Simon negat et copiose ostendit sacros scriptores fuisse vero quodam sensu prophetas (c. 6, p. 60 sqq).

Cap. 12 annotat „S. Hieronymum et sapientissimos Patres consentire *stilum prophetarum non venire a Spiritu, qui eos inspirabat, sed ab ipsis.* Hoc, quod diximus in Historia critica, non potest rationabiliter in dubium vocari. . . . Eadem res variis terminis exprimi potest, non mutata substantia, et semper recte dicuntur prophetiae verbum Dei, etsi prophetae utuntur vocabulis suis propriis; neque enim quidquam dicunt, quod Deus iis non inspiravit. Prophetia Isaiae bene translata in linguam graecam aut latinam non minus verbum Dei est quam in lingua hebraica, quae erat lingua prophetae. Non minus veneramur evangelium Matthaei, graece scriptum, quam si haberemus autographum, quod communiter censent hebraice vel syriace scriptum fuisse. . . . Etiam *veri prophetae non semper sciverunt se prophetare.* . . . Iudaei et Christiani unanimiter admittunt duplicem sensum in Scriptura, alterum litteralem et historicum, alterum mysticum et spiritualem, qui ceteroqui suo modo saepe litteralis est. Videmus in psalmis dicta, quae litteraliter et historice ad David et Salomonem referuntur, quae tamen a Iudaeis et Christianis etiam de Messia intelleguntur ob quasdam circumstantias ibi adiunctas, quae difficulter Davidi vel Salomoni attribuuntur. Ego vero censeo auctorem psalmorum non has omnes cogitationes habuisse eumque saepius solum sensum historicum respexisse. Unde non est concludendum Deum non direxisse mentem et verba huius scriptoris versus sensa magis sublimia, quae reservata erant temporibus Messiae. . . . Quamquam auctores psalmorum et canticorum non loquuntur secundum morem prophetarum, qui totiens in ore habent illud: ‚Haec dicit Dominus', non sequitur eos non fuisse directos per Spiritum Dei in operibus suis. Prophetae a Deo singulariter missi erant ad annuntiandam voluntatem suam hominibus; quare eos oportebat in exhortationibus suis efferre se non esse nisi eius interpretes. Hoc autem non valet de canticis et sacris historiis, quae non pronuntiabantur coram populo, sicut prophetiae. Horum operum stilus plus humani in se habet. *Satis erat, si Deus eos dirigebat ita, ut in errorem non inciderent, neque necesse erat ipsis inspiraret expressiones neque semper ipsas res.* Sapientissimi interpretes inter Catholicos ita sentiunt."

Iterum provocat ad Cornelium a Lapide, semperque repetit sufficere directionem, qua caveantur errores. „Sanctus Ioannes non debebat per viam inspirationis discere facta, quae viderat oculis suis. Itaque cum evangelia

[1] Amsterdam 1621 (sic in editione impressa, debet esse 1686).

dicuntur esse inspirata, hoc non debet eo rigore intellegi, quasi omnia, quae his libris continentur, immediate venirent a Spiritu Sancto, sed sensus est Deum eo modo eorum calamum rexisse, ut in errorem non inciderent. Homines sunt, qui scribunt, et Spiritus, qui eos dirigebat, non privavit eos ratione neque memoria, ut iis inspiraret facta, quae iam perfecte noverant, sed *generaliter eos determinavit ad haec potius facta scribenda quam alia,* quorum non minus notitiam habebant" (p. 123 sqq). Multa quidem alia addit Simon, sed contra repetitas obiectiones adversariorum eadem responsa fere repetit. Adversarii negant inspirationem, eo quod Sacra Scriptura evidenter non sit verbotenus a Spiritu Sancto dictata; Simon vero defendit inspirationem, eo quod obiectiones nihil probent contra directionem Spiritus Sancti, in qua inspiratio consistat, sed supponant falsum et exaggeratum conceptum inspirationis. Sed neque hic, quid sit haec „directio" Spiritus Sancti, neque umquam alibi explicat. Ex una parte videtur contentus assistentia, qua avertatur error; ex altera parte loquitur de determinatione ad scribendum et approbat theoriam Cornelii a Lapide, quae nihil falsi prae se fert. Manet igitur obscuritas quaedam, quae ex scriptis Richardi Simon elucidari non potest. Alia eius scripta, quae huc pertinent, sunt „Lettre à Monsieur l'abbé P. touchant l'inspiration des Livres sacrés", quae epistula principaliter agit de arte critica circa Sacram Scripturam exercenda; et „Réponse à la défense des sentimens de quelques Théologiens de Hollande", maxime c. 11 (Utrumque opus simul prodiit Roterodami 1699)[1].

320. Magis audacter quam Simon ad Holdenii doctrinam accessit **Phil. Ner. Chrismann** in „Regula fidei catholicae" § 49 sqq[2], ubi de inspiratione haec habet:

§ 49: „Fuerunt ex Protestantium coetu bene multi atque in iis maxime Episcopius, Salmasius, Cappellus, Millius[3], Marcus Antonius de Dominis, Spinoza, qui, tametsi scriptores sacros utriusque Testamenti a Deo inspiratos agnoscebant in rebus sacris et ad religionem stabiliendam necessariis conscribendis, minime tamen in aliis ad humanam historiam scientiasque naturales attinentibus, quas ex occasione attingunt, adeo ut in iis scribendis suo ipsorum genio relicti saepius aberraverint. Nec novus hic error est, iam ab Anomoeis, teste Epiphanio haer. 76, adoptatus, a sanctis vero Patribus et ecclesiae catholicae doctoribus strenue et constanter, si paucos excipias, profligatus. . . . Et sane arrepta semel hac licentia illud in Scripturis Sacris repudiandi, quod ad fidem religionemque non pertinere putatur, nihil erit, quod a malevolis et incredulis non possit eodem praetextu explodi; unde nihil christianae religioni perniciosius fingi posse existimavit S. Augustinus in ep. 28 (supra n. 118). . . . Et vero cur theistae non pauci tantopere ela-

---

[1] Inter adversarios Richardi Simon, quod varias quaestiones biblicas attinet, est *L. E. Dupin;* sed quia eius sententia de inspiratione (Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques I, Paris 1701, Dissert. prélim. l. 1, c. 2, § 6 sqq) est aeque ambigua, eum omitto.

[2] Ed. Augustae Vindel. (sine anno) 40 sqq.

[3] Episcopius et Salmasius erant Calvinistae, Millius vero Anglicanus, qui de inspiratione aeque laxam opinionem habebant atque illi, de quibus supra (n. 258).

borant in erroribus chronologicis, geographicis etc. in Sacra Scriptura detegendis, nisi ut per istos sacris scriptoribus etiam in divinis revelationibus referendis fidem eripiant?"

§ 50: „Ex modernis Protestantibus plerique, quantum scio, qui nondum ad castra Socinianorum et theistarum transiere, cum Catholicis de re praecipua, videlicet de aliqua, quacumque demum, Sacrarum Scripturarum divina inspiratione consentiunt, omnemque in vindicandis a falsitatis et erroris periculo sacris scriptoribus lapidem movent. E contra, non una eademque est inter ipsos quoque Catholicos de inspirationis ratione et modo sententia. Patres quidem et antiqui theologi de inspiratione agentes plerumque simpliciter docent sacros libros inspiratos esse, quin tamen huius inspirationis modum et gradum exacte determinent. At inde a saeculo XVI coeperunt *varii inspirationis gradus* distingui, queis Deus mentem hagiographorum afficere solet. *Primus* est revelatio seu manifestatio rei antea ignotae omnino divinitus facta, qua sacer scriptor ea percipit, quae aliunde penitus nescit.... *Secundus:* peculiaris instinctus seu internus animi motus, a Deo in scriptore excitatus, vi cuius ad ea conscribenda animatur, quae Deus vult, ut litteris consignentur. Hoc autem denuo diversimode contingit: 1. In dogmatibus fidei et morum, in vaticiniis, legibus, praeceptis et factis iam antea revelatis. 2. In historiis variisque rerum circumstantiis referendis, quae scriptores vel per se ipsos didicerunt vel ab aliis acceperunt. *Tertius:* specialis assistentia sive praesentia, qua Spiritus Sanctus scriptorem ita dirigit, ne in errorem incidat, cum ea, quae aliunde iam noverat, litteris mandat. Hac in re Spiritus Sanctus duo ista scriptoribus praestat: 1. fixam tribuit, constantem et erroris nesciam voluntatem vera narrandi, 2. eo lumine perfundit, ut in iis, quae propriis sensibus perceperunt, congerendis neque oblivioni neque errori obnoxios umquam fieri contingat. His iam praenotatis, sequentes statuo canones:

321. § 51: „I. In libris sacris et canonicis contineri doctrinam a Deo per prophetas, apostolos, evangelistas aliosque hagiographos revelatam; atque hoc praecipue sensu Sacram Scripturam esse proprie verbum Dei, veritas divina et catholica est. II. Illud solum ex libris divinis fide divina credendum est, quod tamquam doctrina revelata refertur. III. Fide quoque divina credenda sunt, quae iam antea revelata fuerunt, licet postmodum sacri scriptores vel propriis sensibus se ea percepisse vel ab aliis fide dignis audivisse testentur", ut multa, quae in evangeliis de vita et dictis Christi narrantur. „IV. Libri etiam historici Spiritu Dei pleni sunt", quia narrant miracula, continent praecepta moralia, exhibent ea, sine quibus veritas vaticiniorum non possit stare. „V. Facta vero, quae nec antea nec in actuali scriptione revelantur, fide divina proprie non sunt credenda . . . v. g. Pilatum tunc fuisse Iudaei praefectum, quando Christus crucifixus est; illud 2 Tim 4: Lucas est mecum solus . . . et alia sexcenta; unde haec non fidem divinam, sed pure catholicam faciunt. Auctores igitur sacri non habuerunt in omnibus revelationem, bene vero eam inspirationem divinam, qua interius permoti ad scribendum peculiari assistentia sive praesentia Spiritus Sancti diriguntur, ne labantur, ne quid falsi aut erronei permisceant et ne uspiam a vero deflectant. VI. Quare tantum abest a dogmate, ut ne quidem certum et necessarium sit, ut singulae veritates et sententiae immediate a Spiritu Sancto sacris scriptoribus suggerantur aut inspirentur. *Sufficit namque ea inspiratio, qua Spiritus Sanctus auctores sacros inter scribendum direxit, ne errarent.*"

Dicit hanc regulam Scripturae non esse contrariam, cum 2 Petr 1, 21 sermo sit de solis prophetis, 2 Tim 3, 16 „vox autographa θεόπνευστος aliud stricte innuere non videatur, quam Scripturam Spiritu Dei plenam esse“ (cf. supra n. 3), neque ulli alii textus obstent. Ex Patribus unum Origenem pro se invocat, quippe qui (Hom. 16 in Num.) censeat Ionae vaticinium non impletum, a Iona potius quam a Deo prolatum esse[1]. In decreto tridentino de Scriptura nihil aliud vult statui „quam omnem veritatem salutarem et morum disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus“.

Pergit: „Huic insuper sententiae suffragantur innumeri, iique primi nominis theologi. Abbas (?) *Dupin, Dissertation préliminaire sur la Bible* l. 1, c. 2; *Calmet,* in dissert. de sacrorum librorum inspiratione ad 2 Petr 1, 21, tom. 8; *Canus, Holden, Stattler,* loc. theol; *Blau, Simonius etc.* Qua de re doctissimus *Amort* demonstrationis criticae religionis christianae q. 19 asserere haud dubitat: ‚Communem nunc esse apud cordatiores Scripturae interpretes et theologos sententiam non omnes libros Scripturae in eo sensu esse sacros et canonicos, quasi omnia verba aut omnes sensus essent immediate dictati a Spiritu Sancto, sed arbitrantur ad constituendum librum sacrum et canonicum sufficere, quod scriptor ex speciali motione seu inspiratione divina motus se applicuerit ad ea scribenda, quae vel ex libris fide dignis. vel ex relatione idoneorum testium, vel ex ductu rationis cognoverat, ita tamen, ut Deus speciali sua assistentia caverit, ne in eiusmodi scripto irreperet error, specialiter in materia fidei et morum.‘ VII. Omnia, quae in Scripturis referuntur, vera et certissima sunt; estque haec veritas non revelata sed catholica.“

322. Notandum est Chrismann suam de inspiratione sententiam proponere in sola § 51, et quidem Prop. V et VI; nam quae in antecedentibus paragraphis dicit, solum valent ad statum quaestionis explicandum; alia vero, quae in § 51 dicit, versantur circa materiam Scripturae. Propositionibus vero quinta et sexta *ad inspirationem nihil aliud necessarium esse vult nisi solam assistentiam divinam, qua arceantur errores.* Pro qua sententia invocat innumerorum theologorum, eorumque primi nominis auctoritatem. Iamvero inter octo, quos allegat, unus est primi nominis theologus Canus, qui plane aliter

[1] Hoc testimonium ne pertinet quidem ad quaestionem de inspiratione librorum sacrorum, sed Origenes ibi ait potuisse etiam veros prophetas interdum aliqua dicere, quae dicere a Deo iussi non erant, et sic posse explicari, cur quaedam vaticinia non sint impleta. „Unde similiter etiam in ceteris prophetis aliqua quidem Dominus locutus est, et non prophetae, alia vero prophetae, et non Dominus, et sic videbitur obiectio intentata dissolvi, cum non tam sua quam prophetae verba Dominus revocat ac mutat in melius. Sed magis arbitror absolutionem priorem totius Scripturae sensibus convenire, et illis praecipue dictis, quibus patiens et multae misericordiae et poenitens super malitias dicitur Deus“ (In Num. hom. 16, n. 4; *M* 12, 694). Solutio autem prior est, quod Deus terret ad corrigendos homines; unde si corriguntur, prophetia comminatoria exsecutioni non mandabitur. „Terret enim, ut corripiat hominem in auditionis tribulatione, ut verbo comminationis deterritus emendet se, qui male agit, nec perveniat ad eum ipsa vindicta male gestorum suorum“ (Ib. n. 3).

de inspiratione sentit (supra n. 277). Alii tantum abest, ut sint primi nominis theologi, ut plurium opera propter doctrinam suspectam vel falsam in indicem librorum prohibitorum sint relata, ut Dupin, Simon, Stattler (ut et ipsius Chrismann). Blau est nullius auctoritatis theologus rationalista, qui miseram vitam misera morte finivit. Ergo etsi isti in eandem doctrinam conspirarent, non esset multum curandum. Ceterum non solum Canus, sed ne reliqui quidem omnes recte testes invocantur. Dupinium et Simonium obscure loqui iam diximus.

Idem dicendum de *Calmeto,* qui in dissertatione (non in commentario) in 2 Petr 1, 21 „De divina librorum sacrorum inspiratione“ [1] articulo primo ostendit Scripturam esse inspiratam. „Nisi enim Scripturae essent divinitus dictatae, in maximum religio nostra discrimen adduceretur, et nisi id a nobis perspicue posset ostendi, fidei hostes nimiam de nobis victoriam obtinerent.“ In articulo secundo ait: „Theologi vero de inspirationis ratione inter se non consentiunt.“ Narrata disputatione de Lessii sententia, distinguit *„tria de inspiratione systemata“,* quorum primo negatur omnis vere supernaturalis influxus in sacros libros. „Secundum *a Patribus constituitur, qui sacros scriptores et actu et proxime ita inspiratos ferunt, ut nihil omnino tum sententiis tum locutionibus in omnibus Scripturae libris exhibuerint, quod a Deo non acceperint.*“ Tertium systema hanc eandem inspirationem admittit in omnibus, quae sacri scriptores, nisi a Deo edocti, scire non potuerint. In aliis vero quae naturaliter sciverunt, *„peculiari Spiritus Sancti directione et praesentia instruuntur, ne in iis referendis umquam decipiantur, utque suis scriptis infallibilem vindicent auctoritatem“.* Primum systema reiciendum est. Secundum „ipsa innititur Scriptura et Iesu Christi atque apostolorum auctoritate“. Tertium qui defendunt, „ab iisdem Patribus non sunt secernendi; non enim aliam inducunt sententiam, sed Patribus honorem habentes id clarius explicant, quod illi rudiore minerva tradiderunt. . . . Nulla sane apud ipsos nisi vocum et locutionum diversitas. Cum vero serio res perpenditur, eorum distinctionem reici non posse invenimus, et utilissimum esse agnoscimus, si sacros interdum auctores, ut divinam sibi vindicarent auctoritatem, Spiritus Sancti, a quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis et praesentiae tantummodo indigos fuisse fateamur.“

Hac quidem sententia videtur manifeste solam assistentiam postulare; at quod huic nudae assistentiae opponit, videtur esse revelatio stricte dicta rerum antea occultarum. Nam in hac tantum suppositione theologi illi non recesserunt a doctrina Patrum, quae Christi et apostolorum auctoritate nititur. Revera alii aliter Calmeti opinionem intellegunt.

Quod vero *Stattler* attinet, concedit is quidem ecclesiam non tulisse ullum iudicium de variis opinionibus; sed quid tenendum sit, ita enuntiat:

„Deus ut plurimum in Sacris Scripturis non ipse immediate loquitur, sed solum sacri scriptores, quos ipsos immediate loqui permittit, inspiratione sua movet, ut ea praecise loquantur vel scribant, quae actu scribunt, simulque

[1] Wirceburgi 1789, III 462 sqq.

dirigit ita, ut ne umquam falsum scribant." Postea addit „specialem divinum influxum etiam saepissime ad ipsum verborum delectum se extendisse" [1].

Ergo Stattler nequaquam solam assistentiam requiri docet. Immo ipse Amort, cuius verba Chrismann allegat, praeter assistentiam postulat „specialem motionem". Propter istam allegationem verborum Amort quidam censent etiam ipsum Chrismann eiusdem sententiae fuisse. Quodsi ita est, propositionem suam VI male posuit et obscuritate laborat.

323. Sine ulla vero obscuritate loquitur **Bonfrerius**, qui in „Praeloquiis in Scripturam Sacram", quid sentiat de inspiratione, exponit capite octavo.

„Cum Scripturae Sacrae libri ita scriptorum hagiographorum sint, ut ipsi tantummodo instrumenta sint et organa, quorum ministerio Spiritus Sanctus usus est ad sua consilia et sensa hominibus manifestanda, primariusque eorum auctor sit idem Spiritus Sanctus, videndum nunc nobis, quomodo sese Spiritus Sanctus cum scriptoribus hagiographis habuerit, quique factum sit, ut sacris libris divina auctoritas velut sigillo impresso conciliata sit.

„*Tribus modis potest concipi Spiritum Sanctum sese cum sacris scriptoribus habere,* antecedenter videlicet, concomitanter et consequenter; *qui omnes tres modi videntur sufficere, ut aliquid sit Scriptura Sacra et verbum Dei.*

„*Antecedenter* se habet Spiritus Sanctus, cum inspirat, revelat, demonstrat, quae dicenda scribendave sunt, ita ut de suo marteve proprio nihil addat scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quae a Spiritu Sancto inspirata revelataque sunt, ad eum modum, quo discipulus magistro dictante excipit, quae ab eo proferuntur . . . [immo] etiam ad eum modum, quo, qui scribere discit, ad formandos characteres permittit sibi a magistro, manum tenente et dirigente, eandem manum et calamum, non quo et quomodo ipse velit, sed quo et quomodo vult is, qui dirigit et impellit, moveri; hoc est, ad eum modum, ut non sit in potestate loquentis et scribentis aliud loqui et scribere, quam quod Spiritus Sanctus inspiraverit." Provocat ad Ps 44, 2 et 2 Petr 1, 21, dicitque hoc fieri posse tribus modis: vel per revelationem internam in ecstasi, vel per visionem seu allocutionem externam, vel „per inspirationem internam in vigilia, ita tamen ut supernaturali lumine intellegerent scriptores se a Deo moveri et Dei verba eloqui". Censet autem hunc esse modum propheticum, cum futura, arcana, mysteria monstrantur.

„*Concomitanter* se habet Spiritus Sanctus, cum non ad modum dictantis et inspirantis se habet, sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret. Hoc enim modo potest Spiritus Sanctus scriptorem hagiographum dirigere, ut in nullo eum errare fallive permittat. Cum enim praesciat, quid ille scripturus sit, ita ei adstat, ut, sicubi videret eum erraturum, inspiratione sua illi esset adfuturus. *Hic modus videtur a Spiritu Sancto conservatus in historiis,* dictis aliorum factisque referendis, quae vel visu cognita vel auditu ab hominibus fide dignis

[1] De locis theologicis, Weissenburgi 1775, § 34 36, p. 53 sqq.

accepta fuerant. Ita evangelia, ita acta apostolorum, ita Machabaeorum libri, ita ceteri libri historici, a prophetis aliisve conscripti, nisi cum res, ob antiquitatem vel remotionem temporis aut locorum arcanae et incognitae, referendae fuerunt, uti factum a Moysi in Genesi." Explicat dein Bonfrerius, quomodo hic modus a priore tripliciter differat. Primo, in priore modo scriptor habet libertatem exercitii, sed non specificationis, quia libere quidem scribit, sed ea tantum, quae revelatione vel inspiratione accepit; in altero autem modo utramque libertatem habet, quia, etsi Spiritus Sanctus extrinsecus assistat, ne homines alia scribant quam quae ipse vult, „ab intrinseco tamen liberi sunt, cum re ipsa Spiritus Sanctus illos non determinet, nec quidquam antecedenter in illis operetur, nisi sicubi operatio divina illis est necessaria". Secundo, in priore modo vix ullus est labor hagiographi, quia hagiographus omnia quasi dictata accipit a Spiritu Sancto (nisi forte agatur de scribendis iis, quae iam antea revelata fuerunt); in altero vero modo hagiographus laborare debet, sicut quivis alius scriptor. Tertio, in priore modo hagiographus certus est se doceri et moveri a Deo; in altero autem modo „nescit fere scriptor quae scribit esse a Deo, nisi aliunde certus sit sibi Spiritum Sanctum assistere". Tunc igitur requiritur nova revelatio, ut scripta possint esse fidei obiecta. Nihilominus etiam in hoc altero modo notandum est „*non deesse scriptori initio inspirationem quandam generalem scribendi* talem historiam, vel pulchras gnomas ad vitam moresque bene componendos, vel quid aliud, licet haec inspiratio sit fere interna et occulta". Porro notandum est, „licet in hoc secundo modo Spiritus Sanctus hominem sibi relinquat, nihil in eo antecedenter operando, *subinde tamen etiam priorem modum huic secundo admisceri et inspirationem aliquam accedere*", ut si scriptor quid obliviscatur, vel si secus esset erraturus vel scripturus, quae ab aliis minus fideliter relata audiverat. Tunc enim positivo influxu Spiritus Sanctus eum recturus esset.

„*Consequenter* se habere posset Spiritus Sanctus, si quid humano spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus Sanctus testaretur omnia, quae in eo scripta essent, vera esse. Certum enim est tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum et eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cetera, quae inspiratione vel directione eiusdem Spiritus Sancti conscripta essent, quemadmodum tam est regis verbum et paris auctoritatis, cum quis a secretis vel notarius proprio marte mandatum aliquod regium vel instrumentum publicum concipit, quod postea rex probat et sigillo suo impresso munit, cum eo, quod rex ipse concipit, scribit, dictat. *Hoc tertio modo etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis, quos habemus, Sacrae Scripturae libris,* absolute tamen nihil vetat uti vel etiam aliquando usum forte in iis libris nonnullis ac scriptis, quos supra c. 6 diximus fuisse Scripturam Sacram et postea tamen intercidisse." Addit Spiritum Sanctum ita approbasse Arati et Epimenidis dicta (Act 17, 28. Tit 1, 12). „Pari modo integram unam historiam vel librum aliquem sive de moribus sive de re quapiam alia tractantem, quamquam initio profano spiritu scriptum, potest Spiritus Sanctus Scripturam Sacram reddere asserendo vera esse omnia, quae in eo libro haberentur." [1]

[1] Simili modo *Frassen* in tomo primo „Disquisitionum biblicarum" ait: „Scriptoribus sacris Spiritus Sanctus assistit tripliciter: *antecedenter,* cum inspirat, revelat

324. Itaque *Bonfrerius tria distincte docet:* a) nullum ex nostris libris sacris per solam subsequentem approbationem Dei factum esse librum canonicum, absolute tamen fieri potuisse. Haec est tertia Lessii sententia, ut ab ipso Lessio explicata (supra n. 284), quae est pura quaestio iuris, nullo modo quaestio facti. b) Multa in sacris libris scripta esse ex inspiratione stricte dicta et revelatione. Ibi Bonfrerius videtur exaggerare inspirationem, quia aliquam partem sacrorum librorum in ipsa ecstasi vel visione *scriptam* esse nulla specie argumenti probari potest. Confunditur igitur revelatio prophetica cum scriptione. c) Multas partes historicas sacrorum librorum esse scriptas sub sola assistentia Spiritus Sancti, partim negativa, quando sacer scriptor iam per se praevidebatur vera scripturus, partim positiva, si secus aberraturus fuisset. Hac in assertione confunditur divina *auctoritas* libri cum divina *origine* libri. Deus enim non solum est fideiussor, sed etiam auctor Sacrae Scripturae. Ceterum etiam in hoc modo Bonfrerius admittit initialem impulsum ad scribendum; sed neque hoc sufficit, ut Deus fiat auctor libri sensu proprio.

Numquam vero Bonfrerius dixit, quod interdum in eius ore ponunt, esse triplicem inspirationem: antecedentem, concomitantem, consequentem, quae est contradictio in terminis, cum inspiratio necessario aliquid antecedens significet; sed dixit solum primum modum esse inspirationem, in secundo vero modo Spiritum Sanctum non ad instar inspirantis se habere, sed dirigentis tantum. Ergo debuit concludere quasdam Scripturae partes non esse proprie inspiratas, sed solum divinitus veridicas.

325. Hanc conclusionem Bonfrerius non fecit, fecit autem **Ioannes Jahn**, qui etiam ultra processit et *negavit libros sacros recte vocari divinitus inspiratos.* Postquam exposuit in libris Veteris Testamenti contineri revelationes divinas, dicit hoc non sufficere, nisi simul constet has revelationes esse sine errore litteris mandatas.

---

aut demonstrat scribenda; *concomitanter,* dum scribentis mentem et manum ita dirigit, ut in nullo eam errare permittat; *consequenter* vero, dum aliquid humano spiritu et a profano auctore conscriptum assumitur a scriptore canonico in testimonium eorum, quae scripsit, ut Act 17 et Tit 1" (l. 1, c. 1, § 4). Ergo hic theologus non docet integrum librum sacrum hac ultima ratione fieri posse.

Mariana in dissertatione „Pro editione vulgata" c. 6 in fine hanc opinionem ne commemorat quidem, sed refert opinionem doctorum theologorum docentium sacros scriptores „pleraque inflatu Spiritus divini excepisse sine ulla cura et labore . . . alia ex memoria deprompta scribentis, ex ratione, experimento aut aliorum relatione, semper tamen Spiritus numine praesente, ne lapsus contingeret. . . . Quae sententia nobis quidem probabilis videbitur, ab Anomaeorum amentia procul, quando per eum modum ab Scriptura divina omne prorsus repellitur mendacium ob praesens numen Spiritus Sancti, providentis atque praestantis, ne mens sacri scriptoris laberetur". Oblivioni dandum non est eo capite non exponi inspirationis doctrinam, sed ostendi solum esse „nefas de divinorum librorum veritate dubitare, quorum Deus ipse auctor est, ut mortis et interitus expers, ita ab omni mendacio alienus".

„Ut hi libri auctoritatem divinam habeant, necesse est eorum auctores a Deo immunes ab erroribus in scribendo servati sint. Hanc assistentiam divinam, qua caventur errores, vocamus inspirationem. Quae appellatio usu quidem firmata, at non valde apta est, quia, cum subiecta significatio sit negativa, positivi quid enuntiat. Eo enim ipso haec divina errorum depulsio a revelatione differt, quod nihil novi manifestat, nihil docet, sed solum cavet, ne iis, quae scriptor iam scit, errores admisceantur, revelatio vero de Dei consiliis docet, instruit, illuminat. . . . Haec definitio conceptus inspirationis et differentia a revelatione diligenter observanda est, quia his duobus confusis saepe magnae difficultates oriuntur. . . . Illi qui inspirationem quorundam locorum severissime interpretantur, aliis locis, praesertim si causam stili diversi vel delectus rerum indicant, ad solam immunitatem ab erroribus redeunt." Allegat Augustinum et Hieronymum. „Itaque cum illi ipsi, qui severissimam inspirationis notionem propugnant, interdum mitiori conceptui sese accommodent, manifestum est eos verba sua fortia et severas definitiones reapse non tam severe intellegere et, quod substantiam rei attinet, cum iis consentire, qui solam infallibilitatem librorum sacrorum affirmabant, vel saltem opinionum differentiam nullius momenti habuisse." [1]

Refert disputationem Lessii et Lovaniensium, et illius sententiam plurimis et maximis theologis placuisse et omnino praeferendam esse ait. Inter defensores huius sententiae enumerat Bellarminum, Suaresium, alios, qui ab ea plane alieni fuerunt. Ob varios errores Jahnii Introductio in Indice librorum prohibitorum posita, sed anno 1827 ab Ackermann correctis erroribus denuo edita est.

326. Quemadmodum Jahn pro sua sententia ad Bonfrerium provocat, ita etiam **Daniel Haneberg**, qui in libro „Versuch einer Geschichte

[1] Einleitung in die göttlichen Bücher des Alten Bundes I², Wien 1802, 91 sq 107 sqq. Praecipuae sententiae germanice sic enuntiantur: § 19: „Sollen nun diese Schriften ein göttliches Ansehen haben, so müssen die Verfasser von Gott auch im Schreiben vor Irrthümern seyn verwahret worden. Den göttlichen Beystand zur Verhüthung der Irrthümer nennen wir Eingebung oder Inspiration, eine Benennung, die der Gebrauch gestempelt hat, ob sie gleich nicht sehr passend ist, indem sie etwas positives aussagt, indessen der unterlegte Begriff negativ ist; denn eben darin unterscheidet sich diese göttliche Verwahrung vor Irrthümern von der Offenbarung, dass sie dem Schriftsteller keine neue Aufschlüsse gibt, ihn nichts lehret, sondern nur die Einmengung der Irrthümer in dasjenige, was er schon weiss, verhindert, die Offenbarung aber Belehrungen, Kenntnisse und Einsichten in die Rathschlüsse Gottes verleihet." § 23: „Indessen kommen selbst diejenigen, welche die Inspiration in einigen Stellen im strengsten Sinn erklären, in andern Stellen, besonders wenn sie die Ursache von der Verschiedenheit der Schreibart und von der Wahl der Sachen angeben, wieder auf eine blosse Verhüthung der Irrthümer zurück. . . . Da nun selbst die Vertheidiger des strengen Inspirationsbegriffes sich bisweilen nach dem mildern Begriffe bequemten, so ist es offenbar, dass sie ihre starke Ausdrücke und strenge Bestimmungen, wirklich nicht so streng nahmen, und im Grunde mit denjenigen übereinstimmten, die bloss die Untrüglichkeit der heiligen Bücher behaupteten, oder sie sahen doch den Unterschied für eine Kleinigkeit an, die nichts zu bedeuten habe."

der biblischen Offenbarung", Regensburg 1850, 714 Bonfrerii expositionem recapitulat, et ceteroqui recte, nisi quod loquitur de „inspiratione antecedente, concomitante, consequente", quo loquendi modo Bonfrerius numquam usus est. Dein addit:

„Quae ex his tribus speciebus inspirationis huic vel illi libro, huic vel illi versiculo applicanda sit, vix in individuo determinari potest. Hoc unum dicere licet eos locos, quibus diserte effertur: ‚Haec dicit Dominus" etc., potissimum ad primam classem [librorum strictissime inspiratorum], relationes vero empirico-historicas ad ultimam classem [librorum per solam subsequentem approbationem sacrorum] pertinere. Libri poëtici ad secundam maxime classem [librorum sub sola assistentia divina factorum] annumerandi videntur." [1]

Itaque Haneberg, longius quam Bonfrerius progressus, censuit, etsi non valde firmiter, quosdam libros nostrae Sacrae Scripturae per solam subsequentem approbationem factos esse sacros et canonicos, id quod Bonfrerius explicite negavit. In tertia editione Haneberg haec verba addidit: „Ne in hac tertia quidem et tenuissima specie inspirationis excludi patet specialem directionem scriptoris per subtiliorem influxum providentiae divinae, cui tot viae praesto sunt." [2] Tandem quarta editio ex mente auctoris a professore Weinhart correcta est iuxta decreta Concilii Vaticani. Sed de hoc Concilio iam dicendum.

CAPUT VII.

DOCTRINA INSPIRATIONIS POST CONCILIUM VATICANUM.

ART. I.

DE CONCILIO VATICANO.

327. Ex articulo praecedenti constat fuisse theologos, qui docerent non totam Scripturam Sacram cum omnibus suis partibus ex positiva inspiratione Dei ortas esse, sed partim sub sola assistentia divina ita scriptam, ut nullum errorem contineat. Unde concludebant ad rationem libri sacri et canonici duo essentialiter requiri, ut liber contineat revelationem sine errore, et ut ab ecclesia approbatus et in canonem receptus sit (cf. supra n. 316).

---

[1] „Welche von diesen drei Arten der Inspiration gerade auf dieses oder jenes Buch, diesen oder jenen Vers anwendbar sei, ist im einzelnen kaum zu bestimmen; man kann nur sagen, dass jene Stellen, in welchen es ausdrücklich heisst: ‚So sprach Gott' u. dgl. am ehesten der ersten, dagegen empirisch historische Berichte der letzteren Art angehören möchten. Die poetischen Bücher scheinen vorzugsweise zur zweiten gerechnet werden zu dürfen."

[2] Eine besondere Leitung des Schriftstellers durch die zartere Einwirkung der an Mitteln reichen Vorsehung wird natürlich auch bei dieser dritten und schwächsten Art der Inspiration nicht ausgeschlossen" (p. 817).

Concilium autem Vaticanum, postquam docuit exsistere supernaturalem revelationem, ita pergit:

„Haec porro supernaturalis revelatio secundum ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Qui quidem *Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus,* prout in eiusdem Concilii decreto recensentur et in vetere vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. *Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt*" (Sess. 3, c. 2). In canone vero quarto de Revelatione statuitur: „Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit." [1]

328. Hac definitione manifeste docetur: Libros sacros non esse humana tantum industria concinnatos, non esse ex sola approbatione ecclesiae sacros, sed esse Deo inspirante ita conscriptos, ut Deus sit eorum verus auctor, esse traditos ecclesiae ut libros, qui hoc speciali modo Deum auctorem habeant. Cum quaedam in hac definitione desumpta sint ex Concilio Tridentino, huc referuntur ea, quae supra (n. 273 sqq) de hoc Concilio diximus.

Praeterea *notanda sunt haec:* Cum Concilium Vaticanum doceat pro sacris et canonicis habendos esse libros, prout in vetere vulgata editione leguntur, in praeviis discussionibus proposita erat haec emendatio: „Qui quidem libri integri, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in vulgata latina editione *Clementis VIII auctoritate promulgata* habentur, cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis suscipiendi sunt." [2] De hac emendatione episcopus Gasser in „relatione" sua ait:

„*Haec emendatio non potest admitti,* quia omnino res diversae sunt. Vulgata latina, ab ipso Concilio declarata tamquam authentica, et emendationes factae per pontifices subsequentes, cum res sint omnino differentes, non debent confundi. Eo minus debent, quia, ut nostis, in ipsa praefatione huius editionis anni 1592 dicitur, quod emendatio hucusque non omnibus numeris absoluta dici possit, et quod quaedam studio sint relicta, quae emendanda fuissent, ex causis, quae ibidem afferuntur." [3] Iudicio Patrum postulato, hanc emendationem „fere omnes reiecerunt" [4].

Itaque non agitur de editione Clementina, sed de Vulgata, prout iam ante Tridentinum per multa saecula in ecclesia legi consuevit.

---

[1] *Denzinger,* Enchir. n. 1636 1656. Conc. Collectio Lacensis VII 251 255.
[2] Collectio Lacensis VII 123, § 3, n. 29. [3] Ib. 142. [4] Ib. 143.

329. Omnes libri Vulgatae cum omnibus suis partibus „pro sacris et canonicis" habendi sunt. De his verbis idem episcopus Gasser:

„Hac occasione (inquit) *non possum non advertere, quod in schemate nostro liber canonicus idem sit ac liber sacer seu inspiratus.* Cum tamen videatur unus alterve reverendissimorum Patrum aliquam admittere distinctionem inter librum canonicum et inspiratum, paucissima hac de re dicam. Eiusmodi distinctio mihi omnino aliena videtur a doctrina catholica; nam iam ex antiquissimis temporibus libri canonici et libri sacri omnino sunt idem. Sic exempli gratia in Concilio Carthaginiensi III, approbato a sede apostolica, dicitur: ‚Placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil aliud legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae etc.' Ergo canonicae Scripturae iuxta Concilium Carthaginiense III sunt simul etiam Scripturae divinae." Citatis verbis Isidori Hispalensis et Concilii Florentini, de Tridentino ait: „Mens Concilii Tridentini nulla alia erat, quam ut [contra Protestantes] enuntiaret, quod omnes libri Veteris et Novi Testamenti recensiti, prout in Vulgata latina habentur, integri sacri et canonici habendi sint. Ergo certe ex Concilio Tridentino nihil potest inferri, quod liber canonicus et liber sacer non sit unum idemque." [1]

Nihilominus unus ex episcopis proposuit hanc emendationem: „Verba: ‚atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt', vertenda videntur in sequentia: ‚atque ut tales ab ipsa ecclesia accepti, in canonem sunt relati ac fidelibus propositi'. Idque ex eo, quod ratio ‚sacri' consistit in divina inspiratione, quam ecclesia agnoscit ex traditione; ratio autem ‚canonici' derivatur ex eo, quod ecclesia, librorum divinitate recognita, illos in canonem recenset et ut sacros recipiendos esse declarat. Non ergo satis distincte paulo ante absolute asserta esset complexa illa phrasis: ‚Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet.' Transeat tamen; sed notabilis illa diversitas respectuum ad vitandam confusionem aliquo saltem pacto indicabitur formula superius allata, nempe ‚atque ut tales ab ecclesia accepti, in canonem sunt relati ac fidelibus propositi'. Ad rem: Concilium Tridentinum libros illos ut *Sacros* se suscipere ac venerari dixit, et posteaquam illorum indicem recensuit, anathemate percellit eos, qui pro sacris et *canonicis* eosdem non susceperint." [2]

Respondit episcopus Gasser: „Exceptio 59 vult inferre aliquale discrimen inter libros canonicos et libros inspiratos seu sacros. Reapse quoad etymologiam est discrimen inter has voces; immo etiam in hypothesi potest distingui inter librum canonicum et inter librum inspiratum, seu potius vice versa. Sed in concreto, sicut nos loquimur de libris sacris Veteris et Novi Testamenti, nullum datur discrimen inter libros canonicos et inter libros inspiratos seu sacros." [3] Admissa non est illa emendatio, sed doctrina definita est, prout in schemate expressa erat.

---

[1] Ib. 138 sq. [2] Ib. 225 sq, n. 59. [3] Ib. 239 sq.

Granderath in historia Concilii Vaticani ad verba episcopi Gasser adnotat: „Gasser concedit differentiam conceptuum, censet autem reapse omnes libros inspiratos, qui exstent, etiam esse canonicos et vice versa; quae suppositio fortasse vera est, sed difficulter probatur.“ [1]

Nihilominus haec probatio non videtur adeo difficilis. Nam omnes libros canonicos esse libros inspiratos ex ipsa definitione ecclesiae immediate patet. Potest igitur solum quaeri, num sint libri inspirati, qui in canonem non sint recepti, seu qui non sint canonici. Iamvero si libri inspirati stricto illo sensu intelleguntur, quo ecclesia semper intellexit ut libros sacros distinctos ab omnibus aliis libris, utpote *constituentes fundamentum et regulam fidei catholicae,* sic nullus liber inspiratus est, qui canonicus non sit. Etsi enim actualis in canonem receptio non pertinet ad rationem inspirationis, ostendit tamen librum, qui in canonem recipitur, esse verbum Dei scriptum, omnibus ad credendum propositum. Atqui si Deus inspirat librum scribendum ad hoc, ut sit fundamentum et regula fidei catholicae, etiam intendit, ut liber qua fidei norma recipiatur seu ut canonicus habeatur. Potuit quidem Deus et potest etiam nunc inspirare librum ad privatum usum alicuius vel aliquorum. Sed haec inspiratio ab inspiratione nostrorum librorum sacrorum differret, sicut revelatio privata differt a revelatione publica. Ecclesia vero numqum alios libros vocavit sacros seu inspiratos nisi eos, qui pertinent ad fidem catholicam. Ergo recte dixit Gasser librum omnem inspiratum in concreto esse etiam librum canonicum; et e converso intentio Dei, ut liber ab ecclesia proponatur ut canonicus, est de conceptu inspirationis, prout hic applicatur ad nostros libros sacros.

Quod vero libri ut sacri ecclesiae traditi sunt et ab ipsa agnoscuntur, non pertinet ad *essentiam* inspirationis, sed ad *manifestationem* inspirationis, quemadmodum idem episcopus in Concilio Vaticano exposuit:

„Positive dicitur, quid sit inspiratio, et quidem quoad characterem internum, scilicet quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem; et deinde quoad characterem externum, quod ut tales ecclesiae per apostolos [2] traditi sint. Nam ut et Augustinus iam dixit: ‚Evangelio

[1] Geschichte des Vatik. Konzils II, Freiburg 1903, 466.

[2] In schemate definitionis haec verba „per apostolos“ posita erant in ipso capite. Sed obiectio quaedam facta erat, de qua Gasser ait: Deputatio decrevit, „ut verba ista ‚per apostolos‘ omittantur, non quidem quod verba, si dicimus ‚ecclesiae traditi qua tales‘ alium sensum fundant, quam si dicimus ‚per apostolos traditi‘. Nam ut ecclesia de fide credendum proponere possit, librum aliquem esse inspiratum, utique non solummodo debet esse haec *scientia certa,* sed debet etiam esse *revelata;* ut vero sit revelata, debet inveniri in deposito ecclesiae, et ut inveniatur in deposito ecclesiae, utique deponi debuit a Iesu Christo, ab apostolis etc. Sed ut nihilominus verba aliquantulum latius pateant, deputatio proponit verba ista ultima schematis sic esse a Congregatione generali accipienda, ut dicatur: *atque ut tales ipsi* (scilicet ecclesiae) *traditi sunt*“ (Coll. Lac. VII 142). Quo sensu haec verba „aliquantulum

non crederem, nisi ecclesiae me moveret auctoritas'. Ergo character iste externus debet accedere, ut liber aliquis habeatur inspiratus, et ut fide divina hoc credere teneamur." [1]

330. *Exclusa igitur est omnis sententia, qua liber aliquis vel pars aliqua Scripturae dicitur non ex positiva et immediata inspiratione Dei processisse.* Maxime igitur falsa est opinio Ioannis Jahn (supra n. 325), qui omnem inspirationem proprie dictam reicit; falsa est omnis opinio, secundum quam ad rationem libri inspirati vel sola assistentia divina cavens errores requiritur, vel sola approbatio subsequens, vel utraque simul; falsa omnis opinio collocans rationem libri inspirati in eo tantum, quod revelationem sine errore contineat. Quomodo ad Lessii opinionem se habeat definitio vaticana, supra (n. 286) expositum est.

In ipso Concilio Vaticano theologi ad schema huius definitionis adnotaverant *reici duplicem errorem: primum* eorum, qui affirment quosdam libros sola industria humana scriptos, per approbationem ecclesiae, sive mosaicae sive christianae, factos esse sacros; *alterum* eorum, qui dicant libros solum ratione materiae, quod sine errore veritates revelatas contineant, esse sacros. Dein *positive statui tria:*

„1. Libri conscripti sunt *inspirante* Spiritu Sancto. Erat igitur supernaturalis operatio Spiritus Sancti in homines ad ipsos libros scribendos. 2. Ex hoc ipso, quod actio Spiritus Sancti referebatur ad scribendos libros per homines ad hoc opus inspiratos, ipsi libri sunt et ab apostolo dicuntur *Scriptura divinitus inspirata.* 3. Denique actio illa inspirationis erat huiusmodi, ut Deus sit *librorum auctor seu auctor scriptionis,* ita ut ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae, in homine et per hominem agenti, et proinde libri contineant *scriptum verbum Dei.*" [2]
„Ex hoc puncto procedat necesse est inquisitio theologorum, qui accuratius naturam inspirationis scrutaturi sunt. Quaerendum ipsis est, quae operatio Dei in humanum auctorem libri requiratur, ut Deus reapse auctor eius sit. Hic igitur conceptus auctoris libri theologo in inquisitione sua continuo ob oculos versari debet. Nam si quis inspirationem in ea actione divina in humanum auctorem collocare vellet, ob quam Deus non vere auctor libri vocari posset, a recta via aberraret." [3]

331. Postremo Concilium Vaticanum, sicut Tridentinum, loquitur de *expositione Sacrae Scripturae.* Tridentinum negativa formula usum erat: Non licere „contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum

---

latius pateant", non apparet, nisi in quantum illud membrum „per apostolos" sic non diserte definitur, etsi necessario subintellegitur. Fortasse voluerunt evitare, ne quid de modo traditionis, e. g utrum explicite an implicite, neque de iis, qui nomine apostolorum comprehendantur, exponendum videretur.

[1] Coll. Lac. VII 141. [2] Ib. 522.

[3] *Theod. Granderath,* Geschichte des Vatik. Konzils II 481.

Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari". Concilium autem Vaticanum pro verbis negativis eligit positiva:

„Quoniam vero, quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari." [1]

Ad illa verba „a quibusdam hominibus prave exponuntur" a theologis Concilii Vaticani haec explicatio addita est:

„Patet praeposterum omnino esse sensum, ad quem temerarii quidam recentiores critici et interpretes decretum Concilii [Tridentini] detorserunt. Aliqui enim dixerunt decretum esse merae disciplinae, et non absolute pro quovis tempore, sed solum pro illis adiunctis, quibus editum est, habere valorem. Alii vero id, quod Concilium vetat Scripturam interpretari ‚contra sensum', quem tenet ac tenuit ecclesia, ita intellegendum esse aiunt, ut solummodo fas non sit interpretando dogma aliquod fidei, ab ecclesia definitum, excludere et negare [2]. Quamvis e. g. constet textum Iac 5, 14 ab ecclesia intellegi de sacramento extremae unctionis, iuxta haec principia sensus iste ecclesiae non necessario esset norma interpretationis, sed posset aliquis libere negare hunc sensum textui inesse, dummodo non neget ipsum dogma, extremam nempe unctionem esse sacramentum novae legis. Quare necesse est, ad huiusmodi petulantia ingenia coercenda, supremam illam interpretationis catholicae normam, quae est iudicium et consensus ecclesiae de vero sensu Scripturarum, ita proponere, ut manifestum sit 1. non de re mutabilis disciplinae, sed incommutabilis dogmatis hic agi; 2. non solum excludi interpretationem, quae contradictorie opponatur sensui, quem ecclesia alicui Scripturae loco subesse doceat, sed etiam necesse esse ipsum illum sensum ab ecclesia retentum habere ut verum sensum Scripturae. Hoc autem utrumque fit per definitionem in schemate propositam." [3]

Ceterum de hac parte capitis hinc atque illinc disputatum est in Concilio [4], neque hucusque de sensu illorum verborum: „In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium" inter theologos plane convenit. Sed hanc rem, quia non pertinet ad inspirationis doctrinam, hic missam facimus [5].

---

[1] Coll. Lac. VII 251.

[2] *J. Ranolder* (Hermeneut. Bibl.[2], Budae 1859, 295 sq) inter hos recenset *J. Jahn* (Einl. I, § 91), *H. Gener* (Enchir., Vienne 1812, 41), *A. Arigler* (Hermeneut. Bibl., Viennae 1813), alios.

[3] Coll. Lac. VII 523.

[4] Ib. 124, n. 38 sqq; 143 sqq; 226, n. 60; 240 sq.

[5] Cf. *Granderath,* Geschichte des Vatik. Konzils I 466 sqq 481 sq.

ART. II.

DISPUTATIONES ORTAE DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS ET INFALLIBILITATIS SACRAE SCRIPTURAE.

332. Per Concilium Vaticanum poterat quaestio de inspiratione Sacrae Scripturae videri plane soluta, cum definitum sit totam Scripturam cum omnibus suis partibus ex positiva inspiratione Dei ita processisse, ut Deus sit verus eius auctor. Nihilominus non multo post Concilium disputatio de inspiratione nova vi revixit, cuius rei ratio erat haec: Ex una parte adversarii ecclesiae obiciebant Catholicis eos decretis vaticanis cogi ad admittenda ut divina oracula Scripturae dicta omnia et singula, etiamsi cum sana ratione et certis scientiae placitis evidenter pugnarent. Ut igitur huic obiectioni occurrerent, plures viri docti inter Catholicos studebant ostendere definitionibus ecclesiae nequaquam tantum artatam esse libertatem sentiendi, quantum adversarii supponerent. Ex altera parte quidam, laudabili studio ducti cum ecclesia animos quam plurimorum conciliandi, vias, quibus sibi appropinquarent dissidentes, quam latissimas reddere conabantur. Quod ut efficerent, praecepta fidei et morum neque tam multa neque tam gravia esse neque in specie inspirationem tam presse intellegendam esse, quam multi opinarentur, dicebant. Simul sperabant futurum, ut laxato paululum inspirationis conceptu, studia exegetica fierent faciliora, amoeniora, magis fructuosa. Cum vero disputantium multitudo maxima fuerit, ex multis paucos eligemus, qui vel magis noti sunt vel magis distinctum specimen huius modi procedendi praebent.

333. Ponatur igitur primo loco, qui neque tempore neque auctoritate inter primos fuit, sed qui liberaliores opiniones omnes in systema quoddam redegit, Canonicus **Salvatore di Bartolo**, cuius liber *I Criteri teologici*, in linguam gallicam versus et notis quibusdam interpretis auctus, longe lateque ab ipso auctore spargebatur[1], mox tamen in indicem librorum prohibitorum relatus est. Auctor favet „communionismo“ et „minimismo“. Ut scilicet unio inter Catholicos et alios ab ecclesia dissidentes facilius efficiatur, vult efferri ea, quae sint omnibus Christianis communia, taceri vero ea, quae sint diversa (modo ne agatur de evidenti revelatione), exspectari clariorem expositionem conceptuum, promoveri sensum fraternitatis omnium hominum. Haec „communionismum“ constituunt, cui addendus est „minimismus“, i. e. ecclesia debet „restringere, quantum fieri potest, affirmationem sive magistralem sive dogmaticam; theologus autem debet limitare,

[1] Les Critères théologiques, Paris 1889. Huius versionis paginas indicabo. Doctrina huius editionis in quibusdam differt a prima editione italica.

quantum fieri potest, extensionem huius affirmationis ecclesiasticae", sicut providentia divina in gubernatione mundi, evitatis superfluis, fines suos per minima media, quibus fieri potest, attingit. Ita minimismus limitat doctrinam necessario tenendam, ut largum campum relinquat libertati theologicae, semper integra servata revelatione (p. 286 sqq).

334. Tali igitur intentione motus, de inspiratione haec docet:

„Inspiratio est auxilium supernaturale, influens in intellegentiam et voluntatem hagiographi et efficiens, ut scribat veram doctrinam in rebus fidei et morum, item facta vera, essentialiter nexa cum fide et doctrina morali, reliqua autem cum intentione omnino recta et missione divina, plane speciali, ad salvandum genus humanum." In explicatione addit: „Est concursus Spiritus Sancti talis, ut tota Scriptura huic Spiritui divino ut auctori attribuenda sit" (p. 244). Sed ecclesia, etsi hoc definivit, numquam tamen „accurate determinavit elementa constitutiva conceptus inspirationis, et inter theologos de extensione inspirationis non convenit". Unde debemus consulere rationem, traditionem, textus biblicos, sententias virorum praeiudiciis non occupatorum, disciplinas naturales.

Inspiratio tres gradus habet: maximum, minimum, medium (p. 245). Quoad doctrinam fidei et morum et facta cum ea conexa Deus non potest inspirare nisi veritatem. Quoad alia necessario requiruntur intentio recta et missio illa specialis (p. 246). Quod attinet priorem classem rerum, maximum inspirationis admittendum est, interdum usque ad ipsa verba (p. 247). „Cum ignoremus, quando inspiratio textus biblici adsit in minore gradu et plus actionis relinquat operationi humanae, fidelis debet esse dispositus ad reverentiam omnem possibilem deferendam affirmationi biblicae, quamdiu praesentia argumentorum certorum eum non obligat ad minuendam hanc reverentiam, in quantum operatio humana debite probata est" (p. 248). „Non semper neque in expressionibus neque in modo dicendi inspiratio admittenda est" (p. 249).

„*Minimum inspirationis adest in elementis accessoriis factorum in libris sacris narratorum, neque inspiratio in hoc gradu fidem facit infallibilitati cooperationis humanae.*" Hic enim maxime „verbum materiale" (pars materialis) Sacrae Scripturae apparet. Hic igitur non omnis dubitatio, aequivocatio, error excluditur. Communibus quidem fidelibus hoc non est dicendum, cum non possint satis capere distinctiones necessarias; „at non videmur nobis carere debita reverentia, cum, dummodo res sit evidens, loquimur de aequivocatione vel errore verbi materialis" (p. 251). Hac re Deus non offenditur, quia non ipse commisit aequivocationem vel errorem, sed homo, secretarius eius. Si Verbum incarnatum habuit imperfectiones naturales, si Deus permisit, ut in Scripturam ab hominibus conservatam paulatim irrepserint errores, „cur Deus non sineret secretarium suum, i. e. hagiographum, committere in narratione factorum accessoriorum defectus, qui in ipsum non redundant, sed soli homini, quo usus est, imputantur?" (p. 252). Si cum inspiratione non pugnat, quod auctor sacer scripto suo inserit antiqua documenta, „cur igitur Scriptura cessat esse inspirata, quando hagiographus in rebus accessoriis aequivocationes committit, sequitur opiniones communes, incidit in errores? Deus, permittens, ut manifestetur imperfectio humana, intactam servavit, in veritate sua, totam cogitationem divinam" (p. 253).

335. „*Minimum inspirationis adest in materiis ordinis non religiosi,* et hoc minimum inspirationis non reddit nos certos de infallibilitate cooperationis humanae. Etiam in materiis ordinis non religiosi (i. e. extra ambitum doctrinarum fidei vel morum vel factorum essentialium) inspiratio habetur; nam etiam in hoc ordine non religioso scriptor praeter rectam intentionem habebat specialem missionem salvandi genus humanum scriptis suis. . . . Inspiratio se extendet ad has omnes res accidentales, quae complent opus hagiographi. At non dicemus hanc inspirationem esse in maximo gradu vel etiam in intermedio gradu, id quod esset mediocrem honorem deferre dono Dei et absorbere activitatem scriptoris humani; dicemus eam esse in minimo gradu, nec quidquam amplius. Haec minima inspiratio plus libertatis relinquit scriptori humano. Hic, essentialiter limitatus et fallibilis, poterit reapse . . . in hoc ordine non religioso committere aequivocationes, errores, vel simpliciter dubitare." *Ad hunc ordinem non religiosum pertinent geographia, chronologia, historia naturalis, physica, fortasse etiam philosophia minus accurata et defectus litterarii contra stili elegantiam.* Sed etiam hic reverentia Scripturae exhibenda eatenus tantum recedit, quatenus seriis argumentis postulatur (p. 254 sqq).

Itaque si haec breviter comprehendere placet, secundum Bartolo *tota quidem Scriptura est inspirata, sed praeter res fidei et morum et res cum his essentialiter nexas Scriptura non est infallibilis, sed potest continere errores.*

Interpres gallus hanc notam apponit: „Facile hic recognoscuntur ideae illustrissimi Cardinalis Newman. Eas tamen auctor exhibet cum quadam modificatione. Cum enim secundum magnum illum scriptorem anglum quidam textus minimi momenti potuerunt esse exempti ab inspiratione, canonicus S. di Bartolo extendit inspirationem usque ad singulas has res ordinis accessorii, sed subdit tum inspirationem non iam fidem facere infallibilitati cooperationis humanae. Differentia inter haec duo systemata est pure theoretica" (p. 335).

336. Cardinalis **Newman** de inspiratione scripserat in periodico „The Nineteenth Century" (Febr. 1884). Hunc articulum impugnaverat *Healy* (postea episcopus) in „The Irish ecclesiastical Record", a qua impugnatione Newman doctrinam suam defendit opusculo: „What is of obligation for a Catholic to believe concerning the Inspiration of the Canonical Scriptures", London 1884. Cum in hoc opusculo sententiam suam magis explicet, satis erit eius summam et paginas indicare.

Tridentinum et Vaticanum nobis de inspiratione dant informationem magis distinctam et definitam quam ulli alii fontes theologici. Iamvero „haec duo concilia definiunt Scripturas esse inspiratas, et in omnibus partibus inspiratas, sed non immediate inspiratas actu divino, sed mediantibus hominibus inspiratis, eas esse *inspiratas in omnibus rebus fidei et morum,* quibus verbis non sola doctrina theologica significatur, sed etiam narrationes historicae et

propheticae, quas continent, inde a Genesi usque ad Actus Apostolorum, eas tandem, quia sunt inspiratae, quatenus scriptae ab hominibus inspiratis, continere humanum elementum, quod manifestatur lingua, stilo, ratione cogitandi, indole, proprietatibus intellectualibus, iis infirmitatibus, non peccaminosis, quae ad naturam nostram pertinent, et ex quibus in rebus nullius momenti procedere potest, quod in definitionibus doctrinalibus vocari solet *obiter dictum*. Nihilominus cum donum inspirationis sit divinum, Catholico obliviscendum non est id, quod tractet, esse vere verbum Dei, quod, ut dixi in articulo meo, propter difficultatem semper definiendi limites inter divina et humana non potest in eadem linea poni cum aliis libris, quemadmodum nunc facere solent, cum naturam sacramenti habeat, quod est internum quid et externum et canalis gratiae supernaturalis" (p. 4 sq).

Cum inspiratio Scripturae derivetur ex inspiratione sacrorum scriptorum, haec autem inspiratio sit charisma, dicendum est de hoc charismate, quod valet de omnibus gratiis gratis datis: Hae gratiae dantur ad certos fines et his finibus limitantur. *Finis, ad quem evangelistae et prophetae mittebantur, erat hic, ut docerent nos officia nostra erga Deum et homines; ergo quoad has res erant inspirandi.* In harum rerum inspiratione insistunt concilia, quae toties repetunt Scripturam esse inspiratam in rebus fidei et morum (cf. supra n. 276). Cur adeo insistunt, „si tamen fides et mores respectu inspirationis sunt partes tantum largioris doni? Cur non pure et simpliciter Scriptura dicta est inspirata in omnibus materiis sive fidei sive factorum, non in omnibus tantum partibus, sed etiam quoad quaecumque obiecta? Si nihil minus quam suprema et perfectissima veritas in omnibus rebus censenda est ista gratia data inspiratis scriptoribus, cur specialiter efferuntur res fidei et morum ut provincia legitima inspirationis, et ita obumbratur amplior et magis completa consideratio biblicae veritatis?" (p. 8 sqq.)

337. Sed hic quaestio oritur: *Si inspiratio pertinet ad res fidei et morum, „numquid historicae relationes factorum includuntur?* Non possum nisi cum risu cogitare fuisse aliquem, qui me censuerit tam absurdum, ut eas excludam, praesertim cum textu satis longo in dissertatione mea eas expresse incluserim . . . nam ita scripsi in § 13, p. 5 6: Cum concilia, ut ostensum est, efferant inspirationem Scripturae respectu fidei et morum, notatu dignum est ea numquam dicere ullum verbum directe respectu inspirationis eius in materia factorum. Sed numquid inde concludere licet, relationem factorum in Scriptura non fieri certam per eius inspirationem? Non licet ita concludere. . . . Simplex ratio est haec: Sacra narratio, per tot aetates protracta, quid est nisi ipsum obiectum fidei nostrae et regula oboedientiae nostrae? Quid nisi haec ipsa narratio est illa supernaturalis doctrina, ob quam inspiratio data est? Quid est tota historia relata in Scriptura inde a Genesi usque ad Esdram et ab Esdra usque ad finem Actuum Apostolorum nisi manifestatio providentiae divinae, qua tum magna ex parte et cum applicationibus analogicis explicatur universalis historia, tum praeparatur, praefiguratur, praedicitur evangelica dispensatio? Paginae eius ab initio usque ad finem spirant providentiam, gratiam, Dominum nostrum, opus eius et doctrinam. . . . Sub hoc respectu Deum habet auctorem, etsi digitus Dei verba nulla formabat nisi decalogum. Ideo historia biblica merito postulat, ut secundum substantialem plenitudinem suam accipiatur de fide ut vera.

Sub hoc respectu Scriptura inspirata est, non solum in rebus fidei et morum, sed in omnibus partibus suis, quae cum fide nexae sunt, inclusa materia factorum" (p. 11 sqq).

Sed sunt in Scriptura etiam *obiter dicta,* „i. e. phrases, clausulae, sententiae biblicae de materia puri facti, quae, utpote non pertinentia ad fidem et mores, sine violentia referri possunt ad humanum elementum in eius compositione". Haec non necessario falsa, sed sine auctoritate prolata sunt, non igitur fidem postulant. Unde ex admissione obiter dictorum „hoc commodum oritur, ut quis possit dimittere difficultatem sibi obiectam, ad quam solvendam fortasse doctrina vel eruditione vel ingenio caret, ut neque affirmare neque negare debeat quaestionem, quae est ultra vires eius, et a qua nihil pendet. In rebus difficilibus studiosus catholicus in pace relinquitur. Si vero quaeritur, quis definiturus sit, quae sint res alicuius momenti, quae non sint, statim respondeo: ecclesia. . . . Sumamus exemplum ex iis, quae Scriptura offert. S. Paulus loquitur de penula, quam Troade apud Carpum reliquit. Hocine infallibile dictum putaverit S. Timotheus? Supponamus eum ex certa evidentia repperisse, penulam ab apostolo apud Eutychum, non apud Carpum fuisse relictam, numquid ipse, numquid Catholici nunc turbarentur, quod S. Paulus commisisset errorem? Numquid Christiani dicturi essent se non iam fidem habituros esse Paulo, cum tam clare ostendisset se non habere Spiritum Dei? . . . Estne, quod Paulus rogat Timotheum de penula verbum [divinum]? Estne plus quam apparens exceptio a continuitate inspirationis in textu epistulae? Numquid ideo non fuit haec continuitas sine ulla interruptione in S. Paulo, si consideramus inspirationem ut supernaturalem habitum? Licetne mihi hanc quaestionem urgentem et magni momenti ponere sine profanatione: num potuit S. Paulus dicere: Haec dicit Dominus: mitte penulam etc.? Nihilominus non nego eum potuisse in certo casu ita loqui. Sed adigimurne hic ad hanc hypothesim?" Censet Cardinalis hanc suam doctrinam posse colligi ex S. Thoma 1, q. 102 et de Pot. q. 3 (p. 14 sqq).

Si per hanc doctrinam videtur „restringi" inspiratio, nonne illi quoque „restrictionem" admittunt, qui negant inspirationem verbalem? Et si una „restrictio" admittitur, cur alteram admittere non licet? (p. 19 sqq). Docet quidem Vaticanum „libros integros cum omnibus suis partibus inspiratos esse". Sed responsum non videtur difficile. „Nullane est distinctio inter donum ipsum et *finem,* propter quem datum, et usum, ad quem applicandum est? . . . Quamquam Scriptura est plene inspirata, quaestio manet, ad quem finem? Brevi, inspiratio Scripturae in omnibus *partibus* est una res; in omnibus *rebus,* alia res."

Itaque quoad res, quae nullum nexum habent cum fide et moribus, Cardinalis Newman admittit in Scriptura „obiter dicta", quibus non necessario ut verbis infallibilibus fides habenda sit, idque ob eam rationem, quod ad finem Sacrae Scripturae hoc non requiratur.

338. Audacius egit **Franciscus Lenormant.** Secundum ipsum *tota quidem Scriptura est inspirata, at non quidquid inspiratum est, etiam infallibiliter verum est.* Concedendum est in rebus fidei et morum

Scripturam esse normam infallibilem; sed de aliis rebus idem dici nequit. Ita undecim priora capita Genesis, i. e. historia sacra usque ad vocationem Abrahae exclusive, sunt vetus quidam mythus, qui servit ut vehiculum idearum religiosarum, sed in quo elementa historica et fabulosa non iam separari possunt. Hos conceptus Lenormant praecipue exponit in opere „Les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux". In introductione tomi primi (Paris 1880) haec ait:

„Christianus sum, et nunc, cum fides mea possit esse titulus ludibrii, eo magis insisto, ut eam alta voce proclamem. Sed simul homo litteratus sum, et ut talis non novi alteram scientiam christianam, alteram licentiose philosophantem, sed unam solam scientiam admitto, quae non indiget alio epitheto praeter nomen suum, quae quaestiones theologicas omittit ut extraneas provinciae suae, et cuius omnes, qui eam bona fide quaerunt, eodem titulo famuli sunt, quaecumque sunt eorum persuasiones religiosae. Huic scientiae vitam meam consecravi, et sacro conscientiae officio viderer mihi deesse, si motus praeceptis alius ordinis, quomodocumque in se venerabilibus, timerem sincere et sine ambagibus dicere verum, in quantum puto me illud invenisse. Fides mea solidius fundata est, quam ut timida sit; unde si in decursu inquisitionum mearum occurreret mihi apparens antinomia inter scientiam et religionem, ne uno quidem temporis puncto studerem eam attenuare vel dissimulare, a priori certus futurum, ut aliquando in harmoniam redeant, ad quam cognoscendam aptus non fui. Sed addere oportet, mihi adhuc numquam in vitae curriculo, quod complectitur quinque lustra studio dedita, occurrisse realem pugnam inter scientiam et religionem. Secundum meam persuasionem earum provinciae sunt absolute distinctae, ut desit periculum conflictationis. Bellum inter eas oriri nequit, nisi altera in alterius fines abusive se ingerat. Veritates earum sunt diversi ordinis, neque umquam consentiam ad eas inter se sacrificandas, quia numquam necesse erit hoc fieri" (p. VI sq).

His principiis munitus, putat se posse et admittere inspirationem Sacrae Scripturae et tamen res (non pertinentes ad fidem et mores) in ea contentas tractare, quasi non essent scriptae in libro inspirato.

339. „Quod in specie attinet quaestiones biblicas, quarum una tractatur in hoc opere, firmiter credo inspirationem divinam sacrorum librorum, et perfecta subiectione subscribo decisionibus doctrinalibus ecclesiae huc pertinentibus, sed scio his decisionibus *inspirationem non extendi nisi ad ea, quae religionem spectant, quae fidem et mores tangunt, hoc est ad instructiones supernaturales in Scriptura contentas.* In aliis rebus indoles humana scriptorum biblicorum servata est integra. Suam quisque notam impressit stilo libri sui. Quoad scientias physicas non habuerunt lumen speciale, secuti sunt opiniones communes, immo praeiudicia temporum suorum. ‚Finis Sacrae Scripturae est, inquit Cardinalis Baronius, ut doceat nos, quomodo ad caelum eatur, non quomodo caelum gradiatur' [1], a fortiori non, quomodo eant res in

[1] Cf. infra n. 367 nota.

hac terra, et quae vicissitudines inter se successerint. Spiritus Sanctus non id agit, ut revelet veritates scientificas, non magis quam historiam universalem. ‚Tradidit mundum disputationi eorum.' Subiectio, quam Christianus debet auctoritati ecclesiasticae in doctrinis fidei et morum ex libris biblicis derivandis, non tangit libertatem integram hominis litterati, ubi agitur de diiudicanda indole narrationum, de modo eas recte interpretandi secundum rationem historicam, de propria earum origine aut relatione ad traditiones aliorum populorum, qui carebant adiumento inspirationis divinae" (p. VII sqq).

340. „*Doctrina christiana distinguit in Scriptura ut duas res diversas revelationem et inspirationem. Omnia inspirata sunt, non omnia revelata sunt.* Inspiratio nequaquam excludit usum documentorum indolis humanae neque acceptatas per hagiographos traditiones populares, sua sponte formatas per decursum saeculorum, communes Hebraeis et populis destitutis omni alio adiumento praeter lumen naturale, populis deditis errori polytheismi. Quidnam debemus recognoscere in primis capitibus Genesis? Narrationem revelatam, an potius traditionem humanam, collectam per scriptores inspiratos ut antiquissimam memoriam generis sui? Haec est quaestio, ad quam examinandam adductus sum, comparans narrationes libri sacri cum illis, quae circumferebantur multo ante aetatem Moysis inter populos excultos inde a summa antiquitate, a quibus Israel erat circumdatus, ex quibus erat egressus. Quantum ad me, conclusio huius inquisitionis non est dubia. Quae legimus in primis capitibus Genesis, non sunt relatio dictata per Deum ipsum, cuius possessio erat singulare privilegium populi electi. Haec est traditio, cuius origo recedit in noctes saeculorum maxime remotorum, quam omnes magni populi Asiae anterioris communem habebant cum quibusdam variationibus. Forma, quam ei dat Scriptura, tam arte cognata est cum illa forma, quam hodie rursum invenimus Babylone et in Chaldaea, huius vestigia adeo premit, ut non iam dubitari posse censeam, quin ex eodem fonte profluxerit. Familia Abrahae hanc traditionem secum tulit in transmigratione ex Ur Chaldaeorum in Palaestinam, eamque extulit fixam iam quoad formam, sive scripto fuit consignata, sive ore conservata. . . . Prima capita Genesis constituunt ‚librum originum' secundum narrationes a generatione in generationem propagatas inter Israelitas inde a temporibus patriarcharum; et quae narrabantur in hoc populo, similia erant secundum substantiam iis, quae dicebantur in libris sacris regionum adiacentium Euphrati et Tigridi" (p. XVI sqq).

„Sed, inquies fortasse, si haec ita se habent, *ubinam cernis inspirationem divinam* scriptorum, qui hanc ‚archaeologiam' composuerunt, ubi illud auxilium, quo tu, ut omnis Christianus, debes eos credere fuisse ductos? Ubi? In spiritu absolute novo, qui animat eorum narrationem, etsi externa forma integra fere manserit eadem atque apud proximos populos. Eadem est narratio, eaedem digressiones, eodem ordine sibi succedentes. Nihilominus nisi quis caecus est, non potest non perspicere sensum factum esse plane alium. Polytheismus exuberans, qui apud Chaldaeos obumbrabat has historias, religiose eliminatus est, ut locum cederet monotheismo maxime severo. Ea, quae olim prae se ferebant notiones naturalisticas singulariter crassas, iam facta sunt vestimentum veritatum moralium ordinis altissimi et purissime spiritualis. Lineamenta essentialia formae traditionalis servata quidem sunt, attamen inter Scripturam et libros sacros Chaldaeorum interiacet intervallum unius ex commutationibus maxime immensis, quae umquam factae sunt in

opinionibus humanis. Ecce miraculum, alio quidem loco positum, sed non ideo minus fulgens. Studeant alii hoc explicare per simplicem et naturalem progressum conscientiae hominum; quod me attinet, sine dubitatione agnosco hic effectum interventus supernaturalis providentiae divinae, et inclino me coram Deo, qui inspiravit legem et prophetas.

„Secundum finem mihi propositum in hoc libro examinanda non est quaestio, quae fortasse numquam solvi potest, videlicet quid in hac traditione respondeat veris factis, quid sit symbolicum. Solummodo in originem et generalem indolem harum narrationum inquirere volui. Sed si ex factis, quae collegi, adducimur, ut plus, quam generatim fieri solet, ibi tribuamus allegoriis et symbolis, latitudo interpretationis, quam orthodoxia permittit, sat ampla est, ut fidei nihil timendum sit ex inquisitionibus scientificis. Schola alexandrina in genere et Origenes in specie primis saeculis ecclesiae interpretati sunt prima capita Genesis sensu allegorico; et saeculo XVI Caietanus hoc systema restauravit, qui, etsi audax videtur, numquam notatus est ulla censura ecclesiastica“ (p. XVIII sqq).

Post haec mirum non videbitur, quod secundum Lenormant Sacra Scriptura continet mythos heroicos, cum e. g. in Genesi scriptor sacer quoad antiquissima tempora non tam voluerit proponere historiam, quam fabulae (legendae) generaliter sparsae subicere sensum symbolicum et allegoricum, conformem doctrinae suae religiosae (I 334 sqq); porro quod Scriptura continet e. g. in tabulis ethnographicis defectus et errores, cum nulli possit in mentem venire „nos hic habere ethnographiam divinitus revelatam et consequenter infallibilem“ (II 324), et eiusmodi alia.

341. Lenormant securitatem a censura ecclesiastica sibi promiserat exemplo Caietani. Quae spes eum fefellit; nam liber eius condemnatus est. At hac condemnatione non deterriti, alii Catholici in Gallia eamdem viam inierunt, quorum nomine reverendissimus dominus **d'Hulst**[1] haec scripsit:

Possuntne opiniones Lenormant conciliari cum doctrina catholica? „Plures dubitant, praesertim ex quo opus Francisci Lenormant in Indicem relatum est. Sed ex hoc facto non debent fieri conclusiones, quas non continet. Notatio in Indice non semper condemnatio doctrinae est, sed est prohibitio tantum legendi illum librum. Haec prohibitio ex sensu congregationis, quae eam pronuntiat, et summi pontificis, qui eam confirmat, potest habere pro motivo aut errores doctrinales aut temeritatem vel imprudentiam, qua communibus fidelibus eius lectio fit periculosa, aut simpliciter inconvenientem loquendi aut res efferendi modum, aut tandem rationes opportunitatis. . . . In re, de qua agitur, licet supponere lectionem libri Lenormant fidelibus fuisse interdictam praecipue ob novitatem theoriarum inquietantem, quae ibi in lucem prodibant. Sine praeparatione, sine explicatione factae iuris publici, hae theoriae eae erant, quae fidem simplicium vehementer turbare possent.

[1] La Question Biblique, Paris 1893.

Ceterum inutiliter Lenormant concessiones exaggerasse videtur. . . . Unde si pensamus hanc hypothesim sub forma excessiva primum a catholico scriptore propositam fuisse, intellegimus, cur sancta sedes fidelibus dixerit: Hae doctrinae non sunt tutae, saltem non sunt maturae; itaque abstinete a legendo opere, quo continentur" (p. 34 sq). Sed purgatae ab his excessibus et liberatae a nota novitatis, ideae Francisci Lenormant multis videntur acceptabiles. „Hypothesis, secundum quam inspiratio Scripturarum extenditur ad ea, quae narrantur de initio generis humani, at his narrationibus non confert absolutam veracitatem, sed solummodo cum iis coniungit veritates dogmaticas et morales, haec hypothetis adoptatur a certo numero virorum doctorum et orthodoxorum" (p. 35).

Iuxta asseclas huius theoriae „in Scriptura admitti possunt enuntiationes non omnino verae. Eas Deus non in se recipit, etsi inspirator totius operis est. Cur non? Quia *aliud est revelare, aliud inspirare.* Revelatio est doctrina divina, quae pro obiecto habere nequit nisi verum. Inspiratio est motio, quae determinat scriptorem sacrum ad scribendum, dirigit, impellit, invigilat. Haec motio secundum hypothesim, quam expono, reddit scriptum immune ab errore in rebus fidei et morum; sed censetur haec praeservatio ultra non procedere, verum eosdem limites habere, quos habet infallibilitas ecclesiae. Promissio inerrantiae ecclesiae ad hoc tantum facta est, ut possit nobis cum certitudine proponere obiectum fidei et regulam morum. Sine dubio Scriptura non solum infallibilis est, ut ecclesia, sed etiam inspirata. Sed *etsi inspiratio ad omnia extenditur, fortasse non omnibus dictis sacri scriptoris confert infallibilitatem, sed hoc privilegium fortasse reservatum est solis dictis de fide et moribus.* Fortasse alia enuntiata, quibus fidem inspiratio non facit, solum adsunt tamquam vehiculum doctrinae de fide et moribus. Fortasse Deus inspirator, qui potuit etiam in tali casu corrigere errores materiales scriptoris sacri, hoc facere utile non iudicavit. Haec est opinio scholae, quam appellare possis latiorem (école large). Hae autem sunt rationes huic opinioni faventes:

„Primum, inquiunt asseclae huius scholae, optima via determinandi effectus inspirationis ea est, ut quaeramus motivum eius. . . . Atqui *finis, quem Deus, dictans sacros libros, sibi proposuit,* is est, ut docens hominem, quid debeat credere, sperare, facere, perducat eum ad destinationem supernaturalem. Itaque si necesse est omnia dicta Scripturae, quae ad hunc finem referuntur, sint affirmationes divinae, quoad alias res id dubium videri potest."

„Secundum, Concilium Tridentinum declarat Vulgatam versionem authenticam", sed solum in rebus fidei et morum. „Ergo si auctoritas divina Vulgatae non est definita nisi quoad expositionem fidei, auctoritas divina Scripturae practice iisdem limitibus includitur. Cur non theoretice?"

„Praeterea Concilium Vaticanum, renovans decretum Concilii Tridentini, declarat verum sensum Scripturae esse eum, quem tenet sancta ecclesia. . . . Sed addit interpretationem, de qua est sermo, et ad quam hae regulae pertinent, esse expositionem Scripturae in rebus fidei et morum . . ." (p. 24 sq).

Cardinalis Newman libertatem, quam haec theoria conciliat, restringit ad obiter dicta. „Haec timiditas intelligitur, si recordamur eminentissimum auctorem posuisse quaestionem loco valde periculoso; agit enim de obiecto vel extensione inspirationis. At si inspiratio est limitatae extensionis, in Scriptura sunt partes non inspiratae. Haec autem est formula nova et peri-

culosa, quae difficulter conciliatur cum dictis conciliorum et cum doctrina traditionis. Unde intellegitur, cur prudens theologus eius applicationem restringendam censuerit ad fragmenta plane accessoria. Hoc inconveniens multum minuitur, immo disparere videtur, si tenetur inspiratio totalis Scripturae usque ad ipsa minima, ita tamen, ut in quibusdam partibus ad fidem non spectantibus, restringatur certitudo infallibilitatis, quae ceteroqui est effectus proprius inspirationis. Limitata ad obiter dicta, exceptio esset mediocris utilitatis ad solvendas magnas difficultates exegeticas. . . . Unde alii scriptores, diligenter loquentes de effectibus inspirationis, non de obiecto . . . principium latissime applicarunt, non ad sola minima accessoria, sed ad partes sat amplas Scripturae, imprimis ad eas, quae agunt aut videntur agere de quaestionibus scientificis, dein ad alios textus maioris momenti et extensionis, qui prae se ferunt aut videntur prae se ferre indolem historicam" (p. 26 sq).

342. *Scriptura non tradit instructiones scientificas;* ergo non potest cum scientia rerum naturalium collidi. Quae de rebus physicis in Scriptura leguntur, dicta sunt secundum opiniones tum vigentes, neque propter se scripta sunt, sed quasi ad marginandas ideas religiosas. Sic omnis relatio textus sacri ad scientias profanas sublata est, quia nihil refert, consentiatne iste modus loquendi cum rerum veritate necne (p. 27 sqq).

Difficilior est quaestio de historia sacra. „Licebitne ad partes Scripturae, quae historicae reputantur, extendere illam theoriam, quae sine fidei detrimento videtur applicari posse ad partes, quae scientificae reputantur? Gravis quaestio, quae considerari potest ut axis principalis, circa quem imposterum omnes controversiae biblicae movebuntur. Statim tamen dicamus quaestionem ita positam esse nimis amplam. Si sub his terminis nimis simplicibus solvenda esset, solutio sua sponte videtur futura negativa. Nam etsi admitti potest in Scriptura non inveniri cosmographiam, ne ad instans quidam somniare licet ibi non inveniri historiam. . . . Saltem pars historiae divinitus proposita est, quia revelatio ipsa est factum historicum, et quia integrum systema factorum humanorum cum ipsa revelatione coalescit. Creatio, status primitivus hominum, lapsus, promissio Salvatoris, variae formae foederum divinorum eorumque signa attestantia, eventus, quibus Messiae adventus praeparatur, tandem vita ipsa Salvatoris, praedicatio, mors, resurrectio, institutio ecclesiae, ecce facta! Si haec sunt falsa, tota religio est falsa. Nisi sunt revelata, nihil est revelatum. Si scriptores inspirati, qui ea referunt, per inspirationem immunes servati non sunt ab errore, inspiratio nullius utilitatis est. Ergo quaestio non est, num in Scriptura inveniatur historia, sed num omnia ea, quae in hac collectione divina historica videntur, sint historia revelata vel saltem per inspirationem testificata" (p. 31 sq).

Minoris momenti est quaestio, utrum certi libri, qui non pertinent ad historiam generalem populi israelitici, ut Iob, Ruth, alii, sint libri vere historici, an sub forma historica sint instructiones tantum dogmaticae et morales. Haec res est incerta neque sub fidei praeceptum cadit. Vera difficultas est in primis (undecim) capitibus Genesis. Utique etiam haec essent habenda historica, nisi graves rationes suaderent agi de communi quadam traditione mythologica antiquissimorum populorum orientalium, quemadmodum ostendit Franciscus Lenormant. Eius quidem theoriae videntur audaces et novae in ecclesia. Esse novas non est mirum, quia documenta, de quibus

agitur, inventa non sunt nisi nostra aetate; non tamen sunt magis novae neque magis audaces quam e. g. S. Augustini interpretatio sex dierum. „Sed ita, inquiunt, errores in Scripturam introducuntur. Haec autem sola vox erroris iam excludit inspirationem. At respondetur hanc esse praecipitem locutionem. *Error excludit inspirationem, in quantum imputari posset Deo, non in quantum esset aliquid a scriptore sacro commissum.* Potuisset quidem Deus se constituere vadem omnium, quae in libro sacro enuntiantur, sed potuit etiam actionem inspiratricem restringere ad hos effectus: movere auctorem ad scribendum; revelare ei certas veritates; dirigere eum et praeservare ab omni errore in rebus fidei et morum; tandem quando scriptor utitur documentis, non intervenire ad corrigendas eorum imperfectiones et minus recte dicta, nisi in quantum offenderent contra finem dogmaticum et moralem inspirationis. . . . Semper admissum est elementum humanum, subordinatum elemento divino in compositione sacrorum librorum. Omnes commentatores, omnes Patres ecclesiae notarunt differentias stili, ingenii, praeparationis intellectualis, quibus inter se distinguuntur scriptores sacri.“ Si tales defectus Spiritus Sanctus permittere potuit, cur non defectus in narrationibus historicis, in quantum non spectant fidem et mores? Si ad solas veritates religiosas infallibilitas ex inspiratione oriunda extenditur, cessant gravissimae difficultates, quae contra Scripturam moveri solent (p. 32 sqq).

Neque timendum est, ne hac via paulatim in rationalismum incidamus. Nam rationalistae negationem ordinis supernaturalis ut principium inquisitionis ponunt. „Nos vero numquam admittemus ipsa supernaturalia per se esse contra verisimilitudinem, multo minus constituere contradictionem, si agitur de habitudine Dei ad homines. . . . Neque procedemus ultra limites, quos ecclesia assignabit. Scimus ex doctrina conciliorum hos limites esse eos, quibus circumscribitur dominium fidei et morum. . . . Solutiones nostras subiciemus iudicio magisterii infallibilis. . . . Post promulgationem decreti Indicis de libro ‚Les origines de l'histoire d'après la Bible' plura alia scripta in lucem prodierunt, quae cum variationibus quibusdam theorias analogas proposuerunt. Roma silentium servavit. Non audemus nos interpretes huius silentii constituere neque ei subicere significationem approbationis vel tolerantiae. Quo die sancta sedes ruperit hoc silentium, una erit vox filiorum ecclesiae, qua acceptabunt eius directionem doctrinalem. . . . Sed non credimus eam tam cito locuturam esse. Quamdiu tacet, adversarii certarum opinionum eas impugnare possunt, condemnare non debent“ (p. 39 sqq).

ART. III.

LITTERAE LEONIS XIII.

343. Defensores theoriae „scholae latioris“ dicebant librum quidem Francisci Lenormant esse notatum, doctrinam ipsam non esse damnatam; si summus pontifex eam damnaret, se paratos esse ad subiectionem: quamdiu hoc factum non esset, sibi licere ex fine inspirationis concludere, quousque extenderetur infallibilitas Scripturae, et quibus in rebus scriptor sacer, humanis suis viribus relictus, potuisset in errores incidere.

Roma cito locuta est; eodem anno 1893, quo libellus domini d'Hulst in lucem prodiit, Leo XIII edidit Encyclicam *Providentissimus Deus* (18. Nov.), qua damnatur ipsa illa doctrina et reicitur principium, super quod aedificata est. Allegemus ea tantum verba summi pontificis, quae ad hanc rem pertinent.

„*Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem.* Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus [contra veritatem Scripturae obiectis] sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod *falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit.* Etenim libri omnes atque integri, quos ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt. Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino, confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano [cuius verba proponuntur]. Quare *nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit.* Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere SS. Patres [Allegantur verba Augustini et Gregorii Magni]. Consequitur, ut qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint, professi unanimes libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum, nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse.“ [1]

Itaque *summus pontifex directe reicit doctrinam illam, quam supra a domino d'Hulst ut probabilem expositam audivimus,* directe etiam reicit principium illud: quaestionem de veritate sententiarum biblicarum diiudicandam esse ex fine Sacrae Scripturae. Ut omnibus catholicis tenendum statuitur inspirationem extendi ad integram Scripturam omnesque eius partes, et per inspirationem excludi omnem

[1] Sanctissimi Domini Nostri Leonis divina providentia Papae XIII Litterae encyclicae De studiis Scripturae Sacrae, Friburgi Brisg. 1894, 59 sqq.

errorem. Regula iudicandi de Scripturae inspiratione et infallibilitate statuitur unanimis et constans ecclesiae traditio, prout in scriptis sanctorum Patrum, Doctorum, ecclesiae definitionibus exstat.

344. *Principia ad solvendas difficultates summus pontifex haec indicat:* 1. Inspiratio et infallibilitas ad solos *locos authenticos* pertinent, non ad omnes et singulos textus, qui nunc leguntur, quia „fieri potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint.“ [1] Idem valet de versionibus, etiam de Vulgata, in qua „si quid ambigue, si quid minus accurate elatum sit, inspectio praecedentis linguae, suasore Augustino, proficiet“ [2].

2. *In quaestionibus historicis non rationes internae, sed testimonia externa primum locum tenent.*

„Perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo ex solis internis, uti loquuntur, rationibus cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime conquirenda et excutienda; illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam nisi ad quamdam confirmationem possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est, ut sacrorum authenticitatem librorum impetant et discerpant; illud ipsum, quod extollunt, genus criticae sublimioris eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur. Inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae. Inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis; ideo prophetias, miracula, cetera, quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris libris dimovere non verebuntur.“ [3]

3. Quod difficultates ex ordine physico obiectas attinet, *„nulla theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis utergue finibus se contineant.“*

Sacri scriptores noluerunt tradere disciplinas naturales; unde etsi de rebus naturalibus loquuntur, considerandum est „eos potius, quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare, aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora hodieque de multis fert rebus in cotidiana vita ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone cum ea primo proprieque efferantur, quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor angelicus) ea secutus est. quae sensibiliter apparent, seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more.“ Praeterea neque theologi neque physici pro certis asserere debent, quae certa non sunt; multae sic cavebuntur concertationes [4].

---

[1] Ib. 57 sq. [2] Ib. 33. [3] Ib. 51 sq. [4] Ib. 53 sq.

4. *Quoad difficultates historicas* pontifex ait:

„Haec ipsa [de rebus physicis dicta] deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim multos esse, qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio, qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla iis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae Sacrae ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem.“ [1] Contra vero catholici „insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a nobis praefinita sunt, fideliterque teneant Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem; nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse, quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat; nam quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse; neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere; item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies, sed veritas manet et invalescit in aeternum (3 Esr 4, 38). Quare sicut nemo sibi arrogaverit, ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus, ita, si quid inciderit difficilius, quam explicari possit, quisque eam sumat cautionem temperationemque eiusdem Doctoris: Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere“ [2].

345. Ex Leonis XIII sententia non esse ad novas opiniones accedendum, quemadmodum volebant ii, quorum causam agebat dominus d'Hulst, manifestum quoque est *ex litteris summi pontificis die 25 Nov. 1898 ad Ministrum generalem Ordinis Fratrum Minorum datis,* quae inter alia haec habent:

„Dein nihil esse vides, quod fidei christianae tam vehementer intersit, quam explanari probe et fideliter, ut oportet, conscripta divino Spiritu afflante volumina. Habenda ratio et diligentia est in re tanti momenti, ne quid non modo superbia, sed ne levitate quidem animi imprudentiave peccetur, imprimisque *ne plus aequo tribuatur sententiis quibusdam novis, quas metuere satius*

[1] Leonis XIII Encycl. De studiis Script. Sacr. 57.

[2] Ib. 65 sq. Verba Augustini ex epist. 55, n. 21 et Doctr. christ. l. 3, c. 8, 18.

est, non quia novae sunt, sed quia plerumque fallunt specie quadam et simulatione veri. Adamari hac illac coeptum, vel a quibus minime debuerat, genus interpretandi audax atque immodice liberum. Interdum favetur etiam interpretibus catholico nomine alienis, quorum intemperantia ingenii non tam declarantur sacrae litterae, quam corrumpuntur. Cuiusmodi incommoda in malum aliquod opinione maius evasura sunt, nisi celeriter occurratur. Omnino postulant eloquia Dei a cultoribus suis iudicium sanum ac prudens, quod nullo modo poterit esse tale, nisi adiunctam habeat verecundiam modestiamque animi debitam. Id intelligant ac serio considerent, quicumque pertractant divinos libros, iidemque meminerint utique habere se, quod in his studiis tuto sequantur, si modo audiant ecclesiam, ut debent. Nec silebimus Nos ipsos per litteras ‚Providentissimus Deus', quid hac de re sentiat, quid velit ecclesia, dedita opera docuisse. Praecepta vero et documenta pontificis maximi neglegere, catholico homini licet nemini." [1]

Ad eamdem rem redit Leo XIII in *litteris ad archiepiscopos, episcopos, clerum Galliae datis die 8 Sept. 1899* [2], in quibus serio monet rem esse valde periculosam, si theologus catholicus sub praetextu melius defendendi Scripturam Sacram, velit recipere suaque facere placita rationalistarum; potius constanter insistendum esse iis principiis, quae ipse in Encyclica ‚Providentissimus Deus' exposuerit, et a quibus recedere theologo catholico non liceat.

ART. IV.

DISPUTATIONES RECENTISSIMAE.

346. Plerique Catholici Encyclicam Leonis XIII cum reverentia et gaudio suscipiebant. E. g. audiatur initium litterarum, quas rector

---

[1] Acta Sanctae Sedis XXXI, Romae 1898—1899, 264 sq.

[2] Quia hoc documentum gallice scriptum est, textum originalem hic apponere placet: „Au sujet de l'étude des Saintes Écritures, Nous appellons de nouveau votre attention, Vénérables Frères, sur les enseignements que Nous avons donnés dans Notre Encyclique ‚Providentissimus Deus', dont Nous désirons que les professeurs donnent connaissance à leurs disciples, en y ajoutant les explications nécessaires. Ils les mettront spécialement en garde contre des tendances inquiétantes qui cherchent à s'introduire dans l'interprétation de la Bible, et qui, si elles venaient à prevaloir, ne tarderaient pas à en ruiner l'inspiration et le charactère surnaturel. Sous le spécieux prétexte d'enlever aux adversaires de la parole revelée l'usage d'arguments qui semblaient irréfutables contre l'authenticité et la veracité des Livres Saints, des écrivains catholiques ont cru très habile de prendre ces arguments à leur compte. En vertu de cette étrange et périlleuse tactique, ils ont travaillé, de leurs propres mains, à faire des brèches dans les murailles de la cité qu'ils avaient mission de défendre. Dans Notre Encyclique précitée, ainsi que dans un autre document [Lettre au Ministre Général des Frères Mineurs], Nous avous fait justice de ces dangereuses témérités. Tout en encourageant nos exégètes à se tenir au courant des progrès de la critique, Nous avons fermement maintenu les principes sanctionnés en cette matière par l'autorité traditionelle des Pères et des Conciles, et renouvelés de nos jours par le Concile du Vatican" (Acta Sanctae Sedis XXXII, Romae 1899—1900, 202).

(M. d'Hulst) ac professores Facultatis theologicae Parisiensis ad summum pontificem dederunt:

„Rector ac professores Facultatis theologicae, Lutetiae Parisiorum apud catholicam Universitatem canonice institutae, postquam litteras encyclicas *Providentissimus Deus* perlegerunt atque assidua meditatione perpenderunt, non possunt quominus omnibus ac singulis, quae Sanctitas Vestra inibi docuit, iussit, monuit, ac nominatim de divinae inspirationis effectu, qui ad omnium canonicorum librorum singulas partes sic extenditur, ut ex sese quemlibet errorem excludat, prompto obsequio adhaerere atque obtemperare paratos sese profiteantur."

Nonnulli tamen Catholici recalcitrabant, cuius rebellionis miserrimum quoddam specimen praebet libellus, cui titulus: „Les Études bibliques. L'Encyclique et les Catholiques anglais et américains", Paris 1894. Hic libellus est versio quarumdam dissertationum, quae anglice scriptae, iam a pluribus theologis solide refutatae erant ante versionem gallicam. Nihilominus interpres gallus dicit se versionem fecisse, ut videant theologi, quid respondere possint, cum scientia sit res rationis, non decretorum. Immorari petulantibus ineptiis huius libelli superfluum fuerit[1].

Iam si inspiratio ad totam Scripturam omnesque eius partes extenditur, et si per inspirationem omnis error excluditur, nonne soluta videri potest gravissima pars quaestionis de inspiratione? At disputationes inter Catholicos de effectu inspirationis non ideo cessarunt, immo his ultimis annis maxime efferbuerunt. Errorum biblicorum nomen evitant omnes fere, multi vero loquuntur de relativa veritate, de mythis vel „legendis" biblicis, de allegorica interpretatione, omissa litterali, de citationibus implicitis; de traditionibus popularibus in Scripturam receptis. Quibus loquendi modis varia indicantur, quae prout a singulis scriptoribus exponuntur, partim vera, partim falsa sunt. Unde quia ex ipsis vocabulis non sufficienter apparet, quae significatio subsit, quibusdam exemplis rem illustremus, etsi fieri nequit, ut omnium omnes opiniones proponamus.

347. Exegetis recentibus nomen notissimum est Patris **Lagrange**, qui non solum notionem inspirationis saepius exposuit, sed etiam quomodo ad libros sacros, maxime historicos, applicanda sit, dissertationibus exegeticis ostendit.

Statuit hanc regulam: Firmiter servanda sunt principia ex traditione accepta de inspiratione, sed simul latissima sit applicatio horum principiorum in exegesi[2]. Principia sunt scholae thomisticae, supra iam exposita (n. 277 sqq). Liber sacer est et opus Dei et opus

[1] Cf. si placet, quae scripsi in Theol. Zeitfragen III 28 sqq vel Apparatus ad hist. coaev. inspirationis 33 sqq.

[2] Revue Biblique 1896, 220.

hominis. Deus est causa principalis, homo causa instrumentalis. Deus assumit ad scribendos libros homines, quales sunt cum omnibus suis perfectionibus et defectibus, eos elevat supernaturaliter, illuminat intellectum, movet voluntatem ad perficiendum opus, quod vult, et ita per eos scribit libros, non quoad res tantum, sed etiam quoad dictionem et vocabula, et fit vere auctor librorum. Lagrange non vult, ut Franzelin, procedere a conceptu Dei auctoris librorum sacrorum, sed a conceptu inspirationis, concedit tamen hos duos conceptus necessario esse iungendos, ut completa notio inspirationis habeatur[1], et censet „reactionem contra Franzelin fuisse nonnihil exaggeratam“[2]. Quidquid id est, Deus est auctor Sacrae Scripturae, quatenus est causa eius et fideiussor veritatis eius[3].

Itaque Scriptura in omnibus et singulis est vera et immunis ab omni errore[4]. At nunc oritur quaestio, num „critica permittat, ut dicamus auxilio divino conferri veritatem omnibus propositionibus categoricis“ Scripturae. Quidam distinguunt inter veritatem absolutam et veritatem relativam; sed fortasse haec distinctio multis theologis non placet. Ergo alia via procedamus. Ponamus principia traditionis ut maiorem argumenti, facta vero per criticam probata ut minorem, et videamus, quae conclusiones ex his praemissis colligantur[5].

348. *Principia, quae secundum traditionem ponuntur,* sunt haec:

„Ex eo, quod Scriptura inspirata est, efficitur eam esse veram. Sed cum vere sit fructus laboris scriptoris sacri, lumine divino adiuti, numquam ei debemus subicere alium sensum litteralem nisi eum, quem scriptor sacer novit et exprimere voluit. Haec est magna regula exegesis. . . . Vane igitur aliquis ita loqueretur: Sententiae Scripturae sunt sententiae divinae, inscrutabilis profunditatis, emanantes ex veritate absoluta. Haec omnia quidem vera sunt; at nihilominus sententia divina, in Scriptura nobis proposita, ea est, quam Deus in mente scriptoris sacri produxit, et quae proponitur nobis eo ipso modo, quo scriptor eam intellexit et nobiscum communicare voluit. Unicum praeceptum exegeticum est penetrandi mentem et intentionem scriptoris sacri. Deus noluit plus dicere, quam scriptor sacer dicere voluit. . . . Haec omnia, valde simplicia, admissa ab omnibus commentatoribus, ad hanc propositionem evidentem reducam: *Sane, Deus omnia docet, quae in Scriptura docentur, at non docet quidquam, quod non docetur per scriptorem sacrum, hic vero alia non docet, nisi quae vult ibi docere*[6]. Hoc principium valde simplex

---

[1] Ib. 206 210 213 sq 215 502. [2] Ib. 499. [3] Ib. 502.
[4] Ib. 501 sqq. [5] Ib. 505.
[6] In „The Irish ecclesiastical Record“ (1905) 343 *W. Mc Donald* ait: „Quodlibet Scripturae dictum necessario verum esse eo sensu, quo a Deo intenditur, concedo; sed quo argumento probatur illud etiam necesario verum esse eo sensu, quo a scriptore humano intenditur? Omnes, ni fallor, fatentur, cum Deus non dederit gratiam inspirationis ad docendam profanam historiam vel scientiam, quotiescumque scriptor inspiratur ad faciendam assertionem, quae possit habere significationem stricte scientificam vel historicam, adesse alteram significationem — religiosam vel

simul valde fecundum est, quia supponit inspiratione non mutari neque sensum terminorum neque indolem propositionum neque genus litterarium librorum; unde alia via non possumus cognoscere sententiam et intentionem auctoris nisi investigando sensum terminorum, indolem propositionum, genus litterarium librorum. . . . Habemus hoc principium traditionis exegeticae: Deus non docet infallibiliter, nisi quae scriptor sacer docet. Habemus aliud illud principium sani sensus: Scriptor sacer non docet, nisi quae vult docere. Habemus tandem principium criticae litterariae: Intentio auctoris manifestatur genere litterario, quod elegit. . . . Neque error neque veritas habetur nisi in iudicio, i. e. in affirmatione aut negatione categorica; iudicium autem categoricum non adest, nisi quando auctor tale iudicium proferre vult. Qua in re externa apparentia fallere potest. Nam si in enchiridio philosophico, ut exemplum propositionis contingentis hoc ponitur: Petrus occidit Paulum, nihil affirmatur de veritate facti. Idem valet, si haec propositio invenitur in narratione ficta. Tunc enim haec propositio in se quidem est falsa, neque vero auctor erravit neque decepit. Aliis verbis: propositio ea est erronea, quae cum obiective falsa sit, ut vera affirmatur. Neque obliviscendum est, etsi omnes affirmationes categoricae verbi inspirati sint verae, verbo tamen inspirato non contineri plures affirmationes categoricas quam alio verbo, neque tales affirmationes censendas esse, nisi quas auctor ut tales proferre velit.

„Haec utique sunt principia satis antiqua; nam diu notum erat psalmistam, quando in ore impii ponit haec verba sacrilega: *Non est Deus,* ea non in se recipere. Ars critica non est nova. Semper usi sunt critica litteraria quoad authenticitatem, critica historica ad diiudicandas conditiones auctoris, critica rationali ad determinandum sensum verborum et propositionum. Nihilominus interdum timuerunt ea uti, non ad diiudicandam veritatem doctrinae, sed ad diiudicandum, utrum necne revera *doctrina* proponatur certo aliquo loco. Fortasse . . . quia mirum videbatur, ut Deus revelaret sententias, quibus non immediate doctrina exprimeretur. Magis etiam mirum videbatur, ut Deus revelaret historiam aedificantem sine veritate historica, quasi non solum necesse esset, omnia in Scriptura esse vera, sed etiam ipsam continere maximam summam possibilem omnium verorum, idque in omni ordine rerum.“ [1]

349. His principiis positis agitur *de postulatis criticae novae.*

„Critica litteraria libris quibusdam, qui ut unum quid considerabantur, plures auctores assignat, operibus alium locum secundum ordinem temporis

---

moralem — quae etiam contineatur in illa assertione et intendatur a Spiritu Sancto. Sed cum alterius auctoritate fit assertio, quae potest habere duas significationes, quomodo efficitur, ut is, qui suggessit vel inspiravit illud dictum, in se recipiat plus quam significationem, quam ipsemet intendit?“ Illustrat hoc exemplo ancillae iussu dominae dicentis dominam non esse domi, in qua re ancilla fortasse vult mentiri, domina non vult; item exemplo Caiphae (Io 11, 49 sqq) et aliorum. Dein (p. 344) concludit: „Exspecto theologicum argumentum assertionis, qua Deus dicitur esse fideiussor non religiosae tantum vel moralis significationis dictorum, quae inspiravit, sed etiam cuiusvis erroris scientifici vel historici, quem fortasse intendit humanum eius instrumentum. Non nego hoc ita esse, sed exspecto argumentum, et assero hoc non colligi immediate ex principio, secundum quod Deus, qui mentiri nequit, est fideiussor veritatis propositionum divinitus inspiratarum“ (vide e. g. supra n. 126 et infra n. 450 notam). [1] Revue Biblique 1896, 506 sqq.

assignat, sub tramis optime contextis censet se detegere elementa diversa, interpretatur certos textus per scripta primitiva perdita. Ex quibus omnibus nihil est, quod pugnet cum revelatione. . . . Criticae scientificae [i. e. disciplinis physicis] satisfactum est, ex quo tempore concesserunt Scripturam sequi apparentias. . . . Critica rationalis est applicatio ipsorum principiorum hermeneuticorum. . . . Exegetae catholici semper usi sunt sana libertate. E. g. semper intellexerunt doctrinam propositam per modum discussionis, et discussionis quidem poëticae, ut in libro Iob, non eadem subtilitate et perspicuitate pollere, qua institutionem positivam philosophiae. . . . Concesserunt S. Paulum interdum uti argumento ad hominem, Iudaeis proponendo argumenta, quae ipsi valida censebant, quae tamen non docebat ut veritates revelatas, a se hominibus traditas. Maldonatus etiam censebat evangelistas interdum ex Vetere Testamento per modum accommodationis argumentari, i. e. ut res suo nomine appellemus, eos argumentari non tam ex Scriptura quam ex sensu, quem verba secundum superficiem contextus habere poterant. Haec omnia theologi admiserunt, hae sunt conclusiones tutae; ideo eas in memoriam revocavi, quia mihi multae difficultates evanescere videntur, si haec eadem principia, traditione accepta, applicantur ad libros historicos, qui dicuntur, ratione habita naturae eorum, quam recens scientia profundius investigasse sibi videtur." [1]

350. Praecipue *critica historica* est in quaestione. „Libros historicos Scripturae ab aliis secundum formam externam non differre omnibus notum est. Suntne eiusdem naturae? Licetne ad eos applicare eadem praecepta critica? Responso generali iam dato specialis tantum hic applicatio facienda est. Itaque negandum est, in quantum agitur de discutienda doctrina, quam proponunt, de discutendis veritatibus, quas positive affirmare intendunt. Ratio est, quia sunt inspirati. Sed affirmandum est, in quantum agitur de determinanda eorum indole, de statuendis limitibus, intra quos volunt docere. Ratio est, quia inspiratio non mutat genus litterarium libri, neque ideo, quod fidem facit veritati affirmationum, numerum earum auget." [2]

Comparat dein Lagrange libros historicos sacros cum libris profanis, qui secundum externam formam sunt historici. Hos libros dividit in tres classes, prout continent aut narrationes fictas, aut veram historiam, aut narrationem primarum originum seu historiam primitivam. Narrationes fictae, nisi ad solam delectationem ordinantur sed ad veritatem aliquam inculcandam, sunt verae, non historice sed didactice. Si vero auctor proprie dictam historiam scribit, veritas postulat, ut res narrentur, sicut factae sunt. Neque tamen ad hoc ipsum requiritur summa accuratio usque ad minima quaeque; sed varia dicuntur ad pingendam veram imaginem illius aetatis vel illorum hominum, de quibus agitur, etsi forte non omnia et singula lineamenta umquam in uno aliquo sic collecta apparuerint. Historia primitiva est media inter fictam et proprie dictam. Insunt elementa historica, insunt narrationes fictitiae. Haec simul scriptor futuris aetatibus

[1] Ib. 508 sq. [2] Ib. 509 sq.

tradere vult, non aliam iis tribuens dignitatem, nisi quam apud omnes habent. Nihil aliud affirmat, nisi hac ratione origines narrari.

351. „Haec tria genera litteraria possuntne penetrare in Scripturam, et sub quibus conditionibus? Si *narratio ficta (le roman)* non tendit nisi ad pascendam curiositatem, a fortiori si continet doctrinas male sanas, non esse ei locum in libris sacris, luce clarius est. Sed si doctrinam aptam continet cum fictione proportionata et certis animorum dispositionibus convenienti, si vult efficere, ut exsurgant animi, adiuti comparatione ingeniosa et verisimili, meretur nomen historiae aedificantis, quae cur a Deo inspirari nequeat, reapse non perspicitur. Experientia teste historia ficta potest esse utilior quam historia vera. Iam obliviscendum non est, tales libros prae se ferre rationem relationis quam accuratissimae, qua fictione nolunt quemquam in errorem inducere. Ergo ad probandum librum biblicum esse historicum satis non est provocare ad vivum narrandi modum, ad multitudinem minutissimarum rerum, ad allusiones geographicas vel historicas. Ex altera parte non est dubium, quin ecclesia determinare possit, librum, qui secundum apparentiam est historicus, vere esse historicum. Hoc enim saltem est factum dogmaticum. Unde consulenda est traditio dogmatica, si tamen adsint declarationes explicitae et unanimes. Quod pauci Patres, qui exposuerunt librum Tobiae, eum censuerunt esse historicum, per se solum non sufficit ad minuendam libertatem exegetarum recentium, quia hoc non aequivalet declarationi formali et unanimi Patrum, de fide esse hunc librum esse historicum.... Vix opus est in memoriam revocare Canticum canticorum prae se ferre formam verae historiae, cum plurimi recentes historicum illud habeant. Nihilominus Patres illud habent pro mera allegoria. Ergo negari nequit hoc genus inveniri in Scriptura et consequenter interpretandum esse secundum proprias suas leges.“ [1]

352. *Historiam veram* in Scriptura inveniri certum est.

„At neque historia postulat accurationem minutissimam, quam possis dicere materialem; sed formalem tantum accurationem intendit, eam qua substantialis veritas dictorum et factorum reproducitur. Sufficit percurrere evangelia, ut constet eorum auctores referre eadem facta et eadem verba modis diversis. Quidam, quoties enantiophania occurrit, negant facta esse eadem.... Huic exegesi, quae numquam communiter recepta fuit, renuntiavimus. Renuntiemus etiam modo considerandi historiam, qui non magis commendatur. Factum etsi certum est, narratur tamen, sicut solent similia facta narrari. Deus non docet nisi quae historiographus docere vult; spondet de veritate, sed minuta exornantia non debemus considerare ut sententias, quas Deus docet, et quae necessario verae sunt.... Explicemus igitur differentias per libertatem, quam omnis auctor habet, per diversitatem finis et informationis; sic substantialis veritas rerum, quas tenere oportet, in eo maiore luce ponetur. Quam expositionem relative latam si admittimus, cum agitur de evangeliis inter se conciliandis, noverimus etiam applicare, quando apparens contradictio adest inter scriptorem sacrum et historiam profanam, cum sic non comparetur verbum Dei cum verbo hominis, sed solum agatur de statuendo sensu verbi divini.“ [2]

[1] Revue Biblique 1896, 510 sq. [2] Ib. 511 sq.

353. „*Sed historia originum,* haec mira historia, in qua relatio factorum et incertae fabulae intime miscebantur, si ingreditur Scripturam, quomodo possumus ibi distinguere vera et falsa? Historia enim aedificans vel parabola nullum factum docet, historia scientifica omnia facta docet; sed hic ubi erit veritas? Quomodo certi erimus? Et praecipue, in hac mixtione, ubi erit lumen divinum, iudicium infallibile de acceptis? . . . Parabola non docentur facta; sed numquid semper scimus, ubi sit parabola? Alii loquuntur de parabola Lazari; alii eam censent veram historiam. Contrarium fit, si agitur de Tobia, de Iudith, de Iona. Iam si Deus potuit dubiam relinquere quaestionem, num facta Iudith sint vera, quare non potest eandem dubitationem permittere, si agitur de discernendis variis elementis, quibus liber componitur? Quis tandem discernet? Ecclesia ut supremus iudex, exegetae vero primo loco ut humiles eius famuli. . . . Sancti Patres non sunt unanimes. Eorum inclinatio adoptandi opinionem metaphoricam obstat eorum consensui de indole stricte historica narrationum, de quibus loquimur. Potuerunt supponere in historia primitiva non omnia esse aeque litteraliter intellegenda, atque si ageretur de historia stricte scientifica; admiserunt posse doctrinam proponi in eodem libro et sub eadem forma, tam per narrationem factorum certorum quam sub velo metaphorae. Unde ita quaero: Si scriptor sacer est sufficienter verus, quando veritatem proponit in fragmentis, quae reputantur historica, sub forma historica, quae revera non est nisi allegoria, quare non est sufficienter verus, quando eandem veritatem proponit sub forma historica, quae revera non est nisi traditio popularis, cuius valor non affirmatur? Theologice loquendo, ubi est differentia? Est tamen differentia, et ea quidem in favorem explicationis, quam proponimus. Allegoria pura dubiam reddit ipsam substantiam factorum . . . explicatio critica recentium de indole historiae primitivae in tuto collocat substantialem veritatem factorum et melius congruit cum genere litterario libri. . . . Fieri potest, ut factum historicum non sufficienter moveat animum populi rudis. Tum vero formae maxime convenientes ad illud magis efferendum non sunt metaphorae per auctorem creatae, sed formae in traditione servatae, sufficienter tamen correctae, ut factum recte repraesentent. . . . Unde haec sit conclusio: Exsistit in Scriptura historia primitiva, de cuius substantia spondet veracitas divina; sed certae circumstantiae considerari possunt sive ut metaphorae et allegoriae sive ut accommodatio hebraica traditionis oralis. Hae circumstantiae potius vestimentum quoddam veritatis sunt quam veritates, quae propter se docentur. . . . Sed scriptor sacer, utens sive documentis sive traditionibus oralibus incertis, fruitur privilegio iudicii infallibilis de acceptis. Quod iudicium eum servat ab omni errore formali in affirmationibus suis atque confert, ut convenientes sint metaphorae nationales vel populares, si ita loqui licet, ad recte proponenda ea, quae proprie docentur. . . . Tota novitas nostrae exegesis in eo est, quod, cum veteres auctori attribuerent intentionem omnia affirmandi, nisi faceret formales exceptiones, nos censemus ope artis criticae has exceptiones posse inveniri et facilius supponi in uno genere litterario quam in alio. . . . Haec conclusio non est contraria dogmati inspirationis, quia supponimus veritatem semper salvam, simpliciter agitur de ea invenienda. Non est contraria consensui obliganti Patrum, cum quia eorum exegesis, etsi esset constans, non tamen haberet vim declarationis principiorum, tum quia haec exegesis non est constans, et quia magnus numerus allegoristarum ostendit

locum esse dubitationi, utrum certa facta librorum historicorum doceantur ut obiective vera." [1]

Addit Lagrange: „Veri theologi cum gaudio vident labores nostros, sed illis loqui non debemus de essentiali mutatione dogmatum, de libris, qui fuerunt veri et non iam veri sunt, non debemus limitare inspirationem librorum canonicorum, neque declarare eam revera componi posse cum errore formali, neque supponere Deum positive docere mythos vel legendas sine realitate. Si inter nos et theologos conyenit de principiis, ipsi libenter admittent nostras aestimationes criticas." [2] Ceterum Lagrange dicit se nolle hoc loco singulis exemplis theoriam suam illustrare, sed remittit nos ad dissertationem de hexaemero. Videamus igitur nonnulla, quae ibi docet.

354. „*Primum caput Genesis* affirmat et docet facta realia, et sensu quidem proprio *docet* ea. . . . Docet omnia Deo creata esse. Materia voci eius oboedit. Ipse iubet, et in instanti res sunt, quemadmodum vult. Haec potentia non est potentia caeca; virtus Dei agit verbo, quo ipso iam exprimitur intellegentia, nec minus sapientia apparet in ordine, quem Deus instituit in operibus suis. Creatura bona est, quia facta est conformis ideae eius, qui eam in exsistentiam vocavit; ceterum nihil divini continet. . . . Solus homo aliquid habet, quo evehatur supra materiam, similitudinem intimam cum Deo. . . . Haec omnia docentur modo claro, etsi simplici. . . . Haec igitur prima pagina iam comprehendit seriem affirmationum de factis realibus; omnia intellegenda sunt litteraliter; non est ibi allegoria, minus etiam mythus imaginatione fictus. . . . Sed quod attinet opus sex dierum, videmus ibi apparere allegoriam. . . . Ibi habetur doctrina litteralis: creatio omnium rerum; tabella rationalis: ordo operum; allegoria: duratio dierum." [3]

In narratione de peccato originali substantia narrationis haec est: „Vir et femina creati a Deo ut unicum par, destinati alter ad alterum, cum certa praeeminentia viri. Homo tum erat in plena possessione intellegentiae suae et per eam superior omnibus creaturis super terram. Componitur ex elemento caduco et ex elemento, quod a Deo venit, ideoque naturaliter morti est expositus. Sed per modum favoris Deus viro et feminae spondet immortalitatem eosque in condicione innocentiae et felicitatis ponit. Submittuntur probationi; si succubuerint, perdent immortalitatem. Tentantur a potentia mala, quae eos a Deo avertit, alliciens bono spirituali. Peccant, innocentia disparet, sentiunt pudorem, signum concupiscentiae, perdunt favorem amicabilem Dei. Implicantur pugnae cum malo, cuius poterunt esse victores. Haec pugna fiet inter miserias, eamque mors sequetur. Nihilominus Deus non derelinquit homines perfecte, sed disponit novum ordinem rerum. Attamen felicitas paradisi periit in perpetuum. Omnes filii primorum hominum portabunt poenam lapsus eorum et nascentur in statu inferiore, qui priori successit: in privatione familiaritatis divinae, in concupiscentia, miseria, morte. Potentia Dei ibi manifestatur. — Facta hac analysi nemo non advertet duas res: perfectam conformitatem huius doctrinae cum dogmate catholico et absentiam omnis vinculi necessarii huius doctrinae cum quibusdam particulis narrationis, quae ei serviunt ut vehiculum quoddam . . ."

[1] Revue Biblique 1896, 512 sqq. [2] Ib. 518. [3] Ib. 393 sqq.

„Sed haec vera historia estne communis historia? Voluitne auctor, ut omnia litteraliter intellegeremus, e. g. cum describit Deum ut principem in horto ambulantem, ut figulum formantem statuam, ut sartorem consuentem vestem pelliceam? Nemo id ne somniat quidem. Sunt, inquiunt, anthropomorphismi; de Deo fit sermo ut de homine, quia imaginatio nostra aliter procedere nequit. Verum est, sed negari nequit in hac parte tales familiaritates frequentiores esse quam in praecedenti, ubi Deus simplici verbo omnia creavit.... Est igitur ratio diligenter examinandi circumstantias narrationis.“ [1]

355. Ex iis, quae Lagrange de his circumstantiis discutit, pauca speciminis gratia eligo: „*Paradisus* in determinata regione locatur et videtur describi ut elementum historicum proprie dictum. Sane necesse erat hominem aliquo loco a Deo creari; traditio hebraica, quae non probatur falsa, indicabat Chaldaeam. Tamen non condemnantur ii, qui Euphratem et Tigridem censent esse posteriorem accommodationem. Quod si verum est, supponendum est auctorem non tam voluisse determinare situm paradisi, quam ei assignare qualemcumque locum in regione, quae putabatur pulcherrima.... *Arbor vitae* solum per accidens confert ad immortalitatem. Potius igitur eius symbolum dici potest [quam realis arbor].... *Arbor scientiae boni et mali* est symbolum valde aptum boni spiritualis, quo tentatus est homo, sed corruptio non pendebat ex interna vi fructus. Ergo arbor scientiae potest fuisse realis, potest esse solum symbolum. Hoc pendet ex tota indole narrationis.“ Quoad *animalia ad Adam adducta*, „quicumque hoc agmen vel hanc praesentationem sibi imaginatur ut reale quid, non potest non videre ridiculum rei; sed ut symbolum optime exprimit superioritatem intellectualem Adami super omnia animalia“. Similiter de aliis [2].

„Examinavimus circumstantias, quae non videntur ab auctore proponi ut stricte historicae. Studuimus ostendere eas non tam esse substantiam doctrinae quam involucrum eius. Vidimus in una vel altera re a magnis doctoribus admitti hoc genus litterarium ... Proposueramus ostendere, quid certe esset licitum. Ex primis temporibus ecclesiae in hac gravi quaestione occupabatur intellectus christianus. Semper censuerunt hanc esse historiam, at historiam, quae non esset sicut alia.... Brevi habemus in historia lapsus documentum singulare, singulare quoad pondus morale, singulare quoad extremam familiaritatem actionis divinae et indolem symbolicam tam clare indicatam in persona serpentis.... Censuimus distingui posse elementa essentialia et accessoria, doctrinam et involucrum eius; ut fundamentum doctrinae facta certa, sed proposita modo, qui non est nisi figuratus. Hic autem oritur difficultas.... Potestne factum narrari cum additamentis symbolicis? Historia et symbolum, nonne haec sunt contradictoria? Iam accedimus ad quaestionem de origine narrationis.“ [3]

356. *Lagrange admittit cum „criticis“ derivationem Pentateuchi ex variis fontibus seu „theoriam documentariam“.* „Redactor Pentateuchi“ usus est variis documentis, quorum auctores aut iterum habuerunt documenta scripta aut hauserunt ex orali traditione. Iamvero apud antiquos populos non israeliticos non exsistit ulla expressa traditio de peccato originali, neque quantum ad substantiam rei neque quantum

[1] Ib. 1897, 361 sq. [2] Ib. 363 sqq. [3] Ib. 367 sq.

ad circumstantias. Ergo agitur de traditione solius populi israelitici. Ecclesia nos docet hanc traditionem esse veram quoad substantiam factorum, sed non dicit omnes circumstantias esse necessario litteraliter accipiendas. Unde investiganda est intentio auctoris.

„Nobis certum videtur ipsum voluisse docere veram historiam; sed se exhibebat ut virum nimis prudentem et subtilem, quam qui non intellegeret, quot mira in singulis invenirentur, et ipse indicat viam interpretationis symbolicae. Sane nemo undique conquirit seriem symbolorum ad narrandam historiam veram; sed si historia vera, ex revelatione nota, apud populum aliquem induta est forma populari, homo ingeniosus nonne poterit eam vestire circumstantiis graphicis, quae in eius narratione erunt ad instar metaphorae vel symboli? Ex eo, quod eius aetate plurimi eas litteraliter intellegebant, non colligitur ipsum quoque eas ita intellexisse. . . . Non censemus Deo indignum eum nos docere veritatem revelatam modo valde simplici additis quibusdam per imaginationem popularem transmissis, quibus auctor inspiratus utitur ut symbolis; neque volumus, ut animae se perdant, quia renuunt adhaerere iis, quae, ut credant, ecclesia ab iis non postulat.“ [1]

Itaque quoad historiam primitivam distinguenda est substantia factorum, quae est revelata, et involucra litteraria, ex traditione populari transumpta, quae ad modum metaphorae vel symboli intellegenda et interpretanda sunt.

357. Dicta haec sunt respectu trium primorum capitum Genesis. Quid vero *de rebus octo sequentibus capitibus narratis*, quae praecedunt vocationem Abrahae? Respondetur:

Homines desperate desiderant ascendere ad origines suas. Graeci et alii invenerunt mythos. „Scriptura propior est realitati, non audeo dicere historiae. . . . Quando Scriptura dicit artes paulatim excultas esse, vitae nomadicae indolem aliam esse atque vitae, quae in urbibus agitur, homines non semper usos esse instrumentis musicis, non semper tutudisse metallum et ferrum . . . videtur mihi anthropologia plene consentire neque fieri posse, ut aliter origines et progressus culturae concipiantur. Estne igitur haec historia, observata et tradita? Non audeo affirmare, quia historia, ea quidem, quae sensu proprio dicitur, exigit, ut cognoscamus circumstantias, saltem temporis et loci. — Sed Scriptura citat nomina propria. — Hoc non sufficit, quia haec nomina sub forma hebraica apparent, quae non est eorum; et quid est nomen proprium, cuius forma mutata est, in hoc saeculorum oceano? . . . Qua ratione de fide est Iubal esse inventorem musicae?“ Nonne haec nomina saepe sunt nomina ipsarum rerum inventarum? Abel significat probabiliter pastorem. Prima urbs vocatur Henoch, i. e. dedicatio. Iobel est aries. Cornu arietis serviebat ut instrumentum musicum. Quid mirum Iabal esse patrem pastorum, et Iubal patrem musicorum? Cain significat malleatorem, ergo Tubalcain invenit artem cudendi instrumenta. Haec non est historia stricte dicta, ut quae fuerit impossibilis. „Nihilominus iuvabat ostendere serie non interrupta historiam salutis. Scriptura vitat historias absurdas et ineptas . . . applicat se ad sensibilia, ad inventiones, quae etiamtum exsistebant, nominat

[1] Revue Biblique 1897, 368 sqq.

earum originem et progressum et relinquit has inventiones in subobscura luce, quae ne speciem quidem habet historiae.... Eandem curam realitatis, in quantum attingi et repraesentari potest, invenio in excursibus de diluvio et de turre babylonica.... Indoles generalis legendae biblicae indicat inundationem realem, cuius ceteroqui interpretatio religiosa multum excedit dignitatem historicam. Neque turris babylonica est pura fictio. Auctor biblicus sine dubio viderat templum giganteum Borsippae, quod numquam completum erat, et quod Nabuchonodosor, inveniens plane ruinosum propter colliciarum malum statum, gloriosum duxit ad coronam exaedificare. Considerare Babyloniam ut urbem superbam, in quam omnes linguae confluebant, non est chimaera." Porro demersio regionis australis maris mortui potest esse facta, quo tempore iam homines in terra vivebant, et ita „ruina Sodomae et Gomorrhae non iam releganda est ad puros mythos, quasi sit simplex expressio horroris, quem inspirat regio fortasse unica in mundo ratione sublimis desolationis. Utique legenda biblica ultra purum factum progreditur, quia secus non fideliter exprimeret, quae vult dicere, sed semper studet quasi pro recedente parte picturae habere realitatem aliquam, qua aspectus terminetur, sive in regione deserta sive in temporibus praeteritis." [1] Quod attinet narrationem de uxore Loth, „auctor sine dubio non magis credidit realitatem facti, quam cum narrat originem incestuosam Moab et Ammon. Hic ironia est tam acerba, lusus verborum est tam factitius et tam crudelis, ut traditio bene perspiceret, quid de hac re esset censendum, et S. Hieronymus dicebat de rabbinis suae aetatis, non vituperans eorum dictum: ‚appungunt desuper quasi incredibile'. Quidquid est de ratione horum punctorum, sensus exegeticus rectissimus est. Satira non est historia." [2]

358. Itaque non sola prima undecim capita Genesis sed etiam sequentia varia narrant, quae non sunt vera historia, sed quid? Mythi?

„*Ergone mythi sunt in Scriptura?* Opinio communis insurgit contra hanc sententiam neque vult audire hoc vocabulum. Quidam scriptores catholici, quorum numerus crescit in dies, exigunt distinctionem. Certe non vocabulo insistunt, si forte sunt, qui vocabulo pungantur. Sed censent illud esse aptum ad exprimendam similitudinem saltem externam inter mythos et historiam primitivam", dummodo elementa mythica, quae in Scriptura inveniantur, purgata sint ab omni colore polytheistico. „Equidem censeo melius vitari vocabulum, quia vocabula applicanda non sunt nisi secundum sensum usu acceptum. Iamvero usus cum vocabulo mythi coniungit ideam religionis falsae, immo puerilis. Itaque illud omittamus et solas res intime penetrare studeamus." [3] Loquamur potius de legendis, de sermonibus figuratis et parabolicis, de vestimento litterario, quod est circumstantia, non vero obiectum doctrinae, de traditionibus popularibus, de accommodationibus Dei ad sensum humanum etc.

Ceterum saepe difficile est dicere, ubi historia desinat et legenda incipiat. Quae ecclesia vere facta esse docet, facta tenemus; in quantum nihil declaravit, libertate utimur. E. g. quoad prima capita Genesis confitemur factum peccati originalis; „sed omisso hoc facto, quod revelationi ut firmis-

[1] La méthode historique, surtout à propos de l'Ancien Testament, Paris 1903, 210 sqq. Alteri editioni addita est inquisitio in librum Doctoris Loisy „L'Évangile et l'Église".

[2] La méthode historique 207. [3] Ib. 200 sqq.

simo fundamento innititur, non est inconveniens tribuere historiae primitivae indolem propriam, etsi veteres eam non satis perspexerunt.... Quaedam, ni fallor, inquietudo obtinet. Quo ibimus? Quo ducimur? Manemus in nostra domo, in ecclesia, ubi habemus tantam libertatem, quantam alii, ad studium linguarum et historiae, cum securitate animae de rebus essentialibus, quae est condicio necessaria ad ulteriorem inquisitionem. Speramus nos ituros ope progressus historici, qui negari nequit, ad intellectum magis profundum viarum Dei in humano genere, saltem quod attinet ordinem harum manifestationum" [1].

Maximi sane momenti sunt ea, quae Lagrange docet de indole librorum historicorum Veteris Testamenti. Addamus tamen alia quaedam, quae de libris inspiratis in genere statuit.

Liber inspiratus non solum potest esse anonymus, sed etiam pseudonymus. Liber Sapientiae non est vere Salomonis, sed per modum fictionis litterariae. „Quis hoc decidit? Critica philologica Graecorum. Sed critica philologica hebraistarum eandem conclusionem exigit, si agitur de Ecclesiaste.... Critica historica non minus idem exigit pro libro Danielis." Porro liber inspiratus potest esse compositus a pluribus auctoribus, ut Proverbia et Pentateuchus. Neque inspiratio semper postulat doctrinam perfectam, sive moralem sive religiosam. In Vetere Testamento erat progressus essentialis. Ergo in libris Veteris Testamenti sensus inferiores possunt occurrere etiam apud bonos homines, quemadmodum in libris Ecclesiastici et Proverbiorum est quidem doctrina moralis valde practica, at non assurgens ad nobilitatem christianarum virtutum. Unde plus potest proficere Christianus legendo caput Imitationis Christi quam librum Leviticum. In Vetere Testamento apparent infirma et egena elementa. Omnia ibi vera sunt in suo genere, non omnia altissima, non omnia affirmationes categoricae [2].

Alia, e. g. ea, quae de Evangeliis dicuntur[3], praetereo, quia hic solum agitur de nova hac methodo intellegenda, ad quem finem ea, quae dicta sunt, sufficere videntur.

359. Vestigiis Patris Lagrange ingreditur fere **F. Prat**, qui saepius quidem in periodico „Études" (LXXXVI sqq, Paris 1901 sqq) de inspiratione eiusque relatione ad artem criticam scripsit, sed recentissime libello „La Bible et l'Histoire" (Paris 1904) varias expositiones suas breviter comprehendit. Quare iuverit conspectum huius libelli dare, indicatis paginis.

Quaestio praecipua est, num omnes libri sacri, qui olim censebantur historici, sint vere historici, et num in libris historicis omnia et singula sint presse historica, et num per inspirationem divinam omnia, quae in libris historicis leguntur, sint ab errore immunia. Newman a quibusdam obiectionibus expedire se studebat theoria obiter dictorum, sed haec theoria non potest stare, quia introducit errores in Scripturam et est inutilis ad solvendas graviores difficultates. Theoria domini d'Hulst reiecta est per Encyclicam

[1] La méthode historique 219 sq. [2] Ib. 82 sqq. [3] Ib. 22 sqq.

„Providentissimus Deus", qua statuitur neque licere inspirationem restringere ad solas res religiosas neque licere ullum dictum inspiratum falsitatis accusare. Quid igitur? Numquid desperandum est de conciliatione Scripturae et scientiae? Nequaquam. Sed utriusque natura bene pensanda est (p. 9 sqq).

Deus per Scripturam non vult nos docere res profanas, ad salutem non profuturas.

„Nullus liber Scripturae est liber physicorum, non quod Scriptura non possit continere neque contineat reapse affirmationes ordinis physici; sed quia non potest esse ex professo et principaliter enchiridion physicae vel geologiae, quin desinat esse ex professo et principaliter liber religiosus, opus inspiratum. Ergo non est infra physicam neque iuxta physicam, sed supra physicam" (p. 19). Ideo Scriptura utitur communi loquendi modo, nolens describere intimam rerum naturam. Poetae et historici aliter loquuntur de rebus naturalibus quam professores disciplinarum physicarum, neque ideo decipiunt vel errant. Accommodatio ad conceptus et loquelam populi non est error, ut non possit inveniri in Sacra Scriptura. Apud Ieremiam c. 28 Hananias falsus propheta simpliciter vocatur propheta, quod explicans Hieronymus ait: „Quasi non multa in Scripturis Sanctis iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, dicantur, et non iuxta quod rei veritas continebat." [1] Nonnulli loquuntur de „veritate relativa", sed hac ambigua voce melius abstinemus, praesertim cum saepe non sit nisi euphemismus ad designandum errorem. Ex altera parte cum solus Deus sit veritas absoluta, omnis veritas humana est relativa, et sic haec vox nihil speciale dicit. Secundum S. Augustinum diligenter distinguendae sunt res profanae et res religiosae. Quoad illas audimus etiam eruditos non christianos, de his solus fidelis iudicat. Quia Scriptura facta non est ad docendas res naturales, non debemus eam vi trahere ad nostram de his rebus opinionem. „Turpe est nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum christianas litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens, risum tenere vix possit." [2] Consentit S. Thomas in prooemio opusculi decimi („De articulis 42"). Itaque non bene agunt exegetae, qui volunt sensus, quos sacer auctor solos habere potuit, detorquere ad doctrinas physicas nostrae tantum aetati notas, e. g. in expositione primi capitis Genesis.

Omnia incommoda vitantur, si haec *quattuor praecepta* servantur: a) Et theologi et doctores profani intra limites suae disciplinae se contineant. b) Scriptura non est implicanda quaestionibus physicis, nisi in quantum notitia harum rerum ad salutem et oeconomiam fidei pertinet. c) Scriptura loquitur de rebus naturalibus modo communi hominum. d) Si textus biblicus plures explicationes admittit, illa non est statuenda, quae cum scientia pugnat. Nihilominus a sensu obvio et litterali non est recedendum sine sufficienti ratione. Sed ubi sufficiens ratio pugnat cum sensu obvio, alius sensus admittendus est. Ita mundus est veterior, quam secundum Scripturam videatur; genealogiae Genesis non complectuntur totum genus humanum, diluvium non fuit geographice universale, confusioni babylonicae non interfuerunt omnes homines tum viventes (p. 18 sq).

[1] In Ier 28, 10; *M* 24, 855.

[2] *S. Augustinus,* De Genesi ad lit. l. 1, c. 19, n. 39; *M* 34, 261.

Haec praecepta suo modo etiam ad historiam applicanda esse diserte docet Leo XIII in Encyclica: „Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri." Res quidem historicae saepe multo artius cum religione cohaerent quam res physicae, quia revelatio habet suam historiam et religio christiana nititur factis historicis. Sed quoad multas res hic intimus nexus non adest. Utrum mundus exstiterit diutius an brevius, utrum in libro Iudicum iudices omnes sibi successerint an quidam fuerint simul, eiusmodi alia nihil conferunt ad salutem. Scriptura non est enchiridion historicum, sed altiorem finem habet. Quaeritur, qua ratione historiam contineat (p. 27 sqq).

360. Sicut nullum genus litterarium per se indignum est sacro scriptore, ita etiam *quod attinet historiam, nullus modus eam proponendi a priori e Scriptura excludi debet.*

Possumus distinguere imprimis duos modos extreme oppositos: meram compilationem et elaborationem (ut utamur termino conciso). Compilator documenta colligit et unum post alterum posita lectori exhibet. Elaborator e documentis collectis, perspectis, ordinatis novum opus conficit, quod totum est suum, quo sua sensa de rebus gestis exhibet. Medium genus in eo est, quod historiographus intra suos limites et secundum suum finem ex documentis eligit ea, quae integra vel abbreviata proponere vult, et quoad cetera agit sicut qui secundum modum tenet. Debet indicare suos fontes, nisi forte omnibus noti sunt, et distinguere ea, quae ex ipsis hausit, et quae de suo iudicio addidit. Sed quoad modum allegandi mores hominum fuerunt et sunt diversi diversis locis et temporibus (p. 30 sqq).

„Itaque *prima quaestio solvenda respectu alicuius libri sacri est determinatio generis litterarii,* ad quod pertinet.... Sicut alii, ita auctores sacri scribunt ex ingenio, imaginatione, corde, toto animo suo; sunt per vices oratores, historici, poetae, philosophi.... Utut inspirata, compositio non magis mutatur secundum genus litterarium, quam propositio secundum naturam suam. Ut scriptum aliquod sit historicum, et maxime sensu stricto historicum, non sufficit habere speciem historicam. Certae parabolae, ut boni Samaritani et pauperis Lazari, tam localem colorem habent, ut ancipites haereant interpretes inter narrationem fictam et historiam realem.... Canticum canticorum videtur sensu litterali describere nuptias Salomonis; nihilominus longe plurimi Patres et interpretes nolunt ibi ullam particulam historiae agnoscere" (p. 32 sq). Historia Iob videtur esse vera historia, quamdiu non probatur contrarium. De indole historica libri Iudith disputatur in utramque partem. Si probatur eum non esse historicum, sed forte ex genere narrationis paraeneticae, quam Iudaei vocant *Midrash,* eius veritas moralis et religiosa non perit, neque ideo dubitatio oritur de eius inspiratione. Narratio ficta, ut est parabola et allegoria, potest esse utilior quam narratio veri facti. Quare Christus toties locutus est in parabolis (p. 33 sqq).

361. Sed supponamus constare de indole historica alicuius libri sacri, *videndum tum est de modo allegandi.*

Historicus enim refert, quae ab aliis accepit. Iam quoad modum allegandi scriptores hebraei fuerunt in peiore condicione quam scriptores graeci et latini. Hi enim dicendo „dicitur, traditur, fertur", vel adhibendo orationem

indirectam vel certos modos verbales, poterant exprimere dubitationem, vel fidem rerum narratarum a se in fontes suos amovere. Semitae autem eiusmodi modis loquendi et flexionibus carent. Omnia, etiam subordinata, coordinant; omnia oratione directa enuntiant, e. g. Dixit Dominus ad Moysem: vade et dic ad filios Israel: haec dicit Dominus.... Unde etiam provenit, ut internos conceptus per modum externi sermonis significent, et, quando volunt significare: Iste cogitavit vel voluit haec et haec, dicunt: Iste dixit haec et haec. Hinc fit, ut saepe ignoremus, utrum Deus hominibus locutus sit verbis internis an externis (p. 40 sqq).

Porro *sacer scriptor, quando aliorum verba profert, ea non facit sua, nisi ea explicite vel aequivalenter approbat.* Quod si non ita agit, solum affirmat ea esse vere dicta ab aliis, non affirmat ea esse vera. Sic citatio erit vera, non necessario res citata.

Non requiritur, ut diserte dicat se non approbare dicta, quae refert, vel dubitare de eorum veritate, sed hoc iudicium legentibus relinquere potest. Fortasse nulla historia scripta est, in qua scriptor minus prodit, quam historia sacra. Saepe pessima dicta et facta narrantur, nullo verbo addito de eorum qualitate morali. Itaque cum ne in rebus moralibus quidem silentium Scripturae accipi possit pro approbatione, multo minus in rebus historicis, cum Scriptura multo magis sit codex doctrinae moralis quam manuale historiae. Notandum quoque est, fontes, quibus sacri scriptores utuntur, non esse omnes eiusdem dignitatis, quemadmodum ostendunt numeri diversi ad idem factum pertinentes (e. g. 2 Rg 24, 9 et 1 Par 21, 5), quae diversitates non possunt omnes convenienter ad antiquariorum incuriam reduci (p. 42 sqq).

Maior videtur esse difficultas quoad *„citationes implicitas“*.

Nostra aetate variis artificiis typographicis indicantur, quae ex aliis tacito nomine auctoris exscribuntur. Interdum talia signa superflua sunt, si proverbia, versus, dicta omnibus nota apponuntur. Hae igitur vocari possunt „citationes implicitae“. Suntne tales in Scriptura? Sine dubio. Sufficit comparare Is 36, 1 sqq cum 4 Rg 18, 13 sqq; item Paralipomena cum libris Regum. Omnes libri historici Veteris Testamenti videntur scripti ope documentorum priorum, sed allegationes explicitae sunt eo rariores, quo antiquiora sunt tempora, de quibus sermo est. In Pentateucho solus „liber bellorum Domini“ nominatur (Nm 21, 14), in libro Iosue solus „liber Iustorum“ (Ios 10, 13). Scriptor librorum Regum laudat „Libros verborum dierum [i. e. annales] Salomonis, regum Iuda, regum Israel“ (3 Rg 11, 41; 14, 19 29 etc.). In libris Paralipomenon referuntur tituli sedecim documentorum, etsi forte eadem scripta variis nominibus designantur (p. 46 sqq).

Iam aequales illorum scriptorum facilius poterant dignoscere „citationes implicitas“, quia etiamtum documenta aderant, ex quibus desumptae erant. Nunc haec sectio est res laboriosa, quae saepe non ducit nisi ad probabiles coniecturas. Interdum vero est res manifesta. E. g. Esr 2 et Neh 2 numeri partiales sunt diversi, etsi summa totalis indicatur eadem. Numquid hoc explicatur librariorum incuria? Sed textus hebraicus et textus Vulgatae consentiunt, et versio graeca, facta brevi post libros editos, non multum differt. Nehemias loquitur „de libro census“, ex quo transumpsit catalogos (Neh 7, 5), neque corrigens librum neque ullum de eo iudicium ferens. Versio Septuaginta in serie patriarcharum inter Arphaxad et Sale inseruit Cainan,

quod nomen Lucas retinuit in genealogia Christi (Lc 3, 36). Hic locus Lucae semper fuit crux exegetarum. Variae solutiones datae sunt, ex quibus multi recentes eam praeferunt, quod Lucas proponit genealogiam secundum Septuaginta, non iudicans de eius authentia. Apostoli saepe utuntur versione Septuaginta, etiam ubi non concordat cum textu hebraico. Sensus talium allegationum est: Sic dicit Scriptura secundum versionem communiter receptam, sicut nos ut verba Scripturae proferimus verba Vulgatae. Eodem igitur modo potuit Lucas proponere genealogiam secundum versionem tunc vulgatam. Eam non nominat, sed neque in epistula ad Hebraeos vel aliis locis nominatur, ubi sine dubio allegatur. Ergo „citationes explicitae et implicitae" admittendae sunt in Scriptura. Historiographus autem profanus utens documentis non necessario spondet de eorum infallibilitate; ergo neque de historiographis sacris hoc supponendum est (p. 50 sqq).

„Inspiratio praeservat ab omni errore, at non dat omnem scientiam. Nihil impedit, quominus hagiographus haesitet, dubitet, ignoret, fateatur dubitationem suam vel ignorantiam, abstineat ab omni formali affirmatione, proponat opinionem suam cum omnibus restrictionibus, ei attribuat simplicem probabilitatem." Deus quidem, principalis auctor, neque ignorat neque dubitat. At non Deus immediate scripsit, sed per hominem. In hac mysteriosa unione, cuius fructus est liber inspiratus, et Deus et homo totum librum producunt. Nihilominus, quidquid est divinum in libro, ad Deum reducitur; quidquid humanum, ad hominem. Deus elevat hominem, ut infallibiliter scribat, quidquid scribendum est, etsi forte sunt infirmitates humanae, dubia aliaque eiusmodi (p. 57 sq).

Itaque sicut Lagrange maxime provocat ad traditiones populares, ita Prat ad „citationes implicitas". Convenit inter eos de hoc principio: Scriptor sacer non omnia, quae scribit, vult docere ut vera, necessario credenda, sed fontibus suis eum gradum fidei et veritatis relinquit, quem per se habent. Unde gravissima quaestio est, quid sacer scriptor ipse affirmet, quid vero solum proponat ut ab aliis relatum, vel ut vestimentum litterarium ex populari traditione receptum. Ut haec recte discernantur, maxime attendendum est ad genus litterarium, quod ante omnia diligentissime diiudicandum esse recentes exegatae statuunt, cum ex eo modus interpretandi magna ex parte pendeat.

362. Alius theologus, qui magis insistit in veritate relativa, seu, ut ipse loquitur, in „veritate oeconomica" Sacrae Scripturae, est **A. Loisy**, qui varias dissertationes de „quaestione biblica" collegit in libellum „Études Bibliques" (Paris 1901).

Inter alia haec exponit: Applicatio methodi criticae ad studium Scripturae facta non est nisi inde a saeculo XVII. Sufficit in memoriam revocare nomina Ludovici Cappel et Richardi Simon (cf. supra n. 219 317 sqq). Quia multi critici pugnarunt contra revelationem, ipsa ars critica in suspicionem impietatis cecidit; sed usus ipse cum abusu non est confundendus. Critica ipsa est ars recte aestimandi res secundum dictamen rationis. In quantum

ad antiqua documenta scripta adhibetur, inquirit in eorum integritatem, originem, sensum, indolem. Dividitur in criticam textus, criticam authentiae, criticam sensus. Scriptura, ut liber divinus, est supra criticam. Inspiratio non est obiectum naturalis scientiae, sed revelationis. Sed Scriptura, ut liber humanus, habens originem et historiam inter homines, est obiectum criticae. Critica textus biblici et versionum vix incohata est. Solius textus graeci Novi Testamenti habemus editiones criticas, quarum nulla censeri potest definitiva. Item magna series quaestionum exsistit de compositione sacrorum librorum, neque minus difficilis est saepe quaestio de interpretatione. Ergo negari nequit materiam criticae adesse in Sacra Scriptura.

363. At *licetne Scripturam subicere crisi?* Ex definitionibus ecclesiae constat libros sacros integros servatos esse quoad substantiam, et mutationibus accidentalibus, qui forte irrepserunt, non affici doctrinam fidei et morum. Criticae igitur est in singula inquirere, ut statuatur, utrum sint authentica necne. Similiter ecclesia numquam definivit, qui essent auctores singulorum librorum sacrorum, neque probabile est talem definitionem futuram esse; ergo in hac quoque re criticis libertas rationabilis conceditur. Etiamsi in ipsis sacris libris auctores indicantur, videndum est, quid hoc indicium valeat. Ex eo, quod in libro Sapientiae rex Salomon loquens inducitur (7, 1 sqq; 9, 7 8), non concluditur Salomonem esse auctorem libri. Etiamsi scriptor sacer alium scriptorem ut auctorem alicuius libri sacri nominat, loqui potest secundum opinionem tunc communem. „Liber sacri sunt inspirati, ut sint veri; sed sunt etiam inspirati, ut sint, quod sunt: libri proportionati necessitatibus temporum quibus in lucem prodierunt, libri conformati secundum ingenium et indolem antiquorum.“ Unde hic oriuntur multa „problemata litteraria“, quae sunt obiectum criticae historialis.

Quod ipsam exegesim attinet, servanda sunt decreta Tridentini et Vaticani de retinenda interpretatione ecclesiae in rebus fidei et morum. Haec est interpretatio theologica, a qua distinguenda est interpretatio historica et critica, quae solum sensum scriptoris sacri eruere studet, non sensum, quo secundum doctrinam ecclesiae sensus auctoris complendus est. Praecipue quando explicant Vetus Testamentum, interpretes christiani semper aliquid addunt ad sensum stricte litteralem, e. g. ad primum caput Genesis productionem rerum e nihilo. Itaque exegeta, si vult determinare sensum ipsius auctoris sacri, non debet „commentarium traditionalem“ recipere. Non ideo reicit hunc commentarium, sed videt in eo fructum progressus posteriorum temporum [1]. Hac ratione exegeta perpetuitatem fidei ostendet, non perpetuitatem verbalem, qua eaedem formulae semper repetuntur, sed perpetuitatem realem doctrinae viventis et crescentis, non tamen recedentis a se ipsa. Hac ratione cognitio traditionis biblicae et ecclesiasticae fiet profundior, sincerior, exactior, et ipsa theologia dogmatica ex hac historica consideratione magnam utilitatem capiet. „Scriptura est talis, qualis debebat esse, ut a primis legentibus intellegi posset. Visa, qualis est, apparet vividior, maior, ad-

[1] Hic apparet fundamentalis error doctoris Loisy, qui censet posse aliquid esse historice verum, quod sit dogmatice falsum, et vice versa, etsi hoc non tam simpliciter exprimit, sed solum postulat, ut sibi ut historico concedatur, quod theologice admitti nequeat.

mirabilior, divinior simul et humanior. Vera critica non destruit nisi praeiudicia, sed fidem illustrat." [1]

364. Quod res physicas attinet, „nullus scriptorum sacrorum insinuavit sibi propositum esse scribere dissertationem de astronomia. *Veritas igitur quaerenda est in iis, quae volunt nos docere, non in rebus accessoriis*, seu potius non in rebus alienis ab eorum doctrina. Locuti sunt quidam de erroribus Scripturae, quia nimium veritatis in ea quaesiverunt, veritates, ad quas nobis proponendas Scriptura destinata non est. . . . Auctores sacri habuerunt opiniones suorum temporum de rebus astronomicis, geologicis aliisque disciplinis physicis. Hae opiniones serviunt quadantenus ut vestitus historiae biblicae, et quodammodo etiam ipsius revelationis. . . . Est aut levitas aut mentis angustia, si quis in hac re invenit obiectiones contra auctoritatem sacrorum librorum. . . . Scriptura, liber divinus, est simul et debebat esse secundum totam vim huius termini liber humanus. Veritas divina, ut se manifestaret hominibus, incarnata est ut Verbum aeternum. Filius Dei similis factus est nobis in omnibus ‚absque peccato'. Scriptura quoque assimilatur libro alicui antiquitatis, qui compositus esset in iisdem condicionibus historicis, excepto uno solo defectu, quo fieret inepta ad providentiae consilia, qui defectus esset formalis error, propositus ut veritas divina. Ceterum oportebat Scripturam esse librum humanum, quia interpretes revelationis divinae erant homines et scribebant, ut intellegerentur ab aliis hominibus; ideo se conformarunt moribus litterariis suae aetatis et veritatem revelatam quodam quasi modo fundebant in formam opinionum communium et traditionum gentis suae, correctis tamen in hac scientia contemporanea iis, quae poterant contradicere principiis essentialibus veritatis religiosae. Scriptura igitur continet elementum divinum et elementum humanum; sed haec duo elementa inter se penetrant ad constituendum opus divino-humanum, in quo separari nequeunt duae partes: altera actionis divinae, altera actionis humanae. Hae duae actiones operatae sunt per modum unius, ut aiunt scholastici. Liber inspiratus totus est et opus Dei et opus hominis". Velle distinguere inter inspirationem rerum et verba non inspirata, vel inter textus dogmaticos et morales Deo attribuendos et alia, quorum homo sit auctor, est facere vivisectionem. „Numquid ideo dicendum est omnes sententias in Scriptura contentas esse eiusdem dignitatis, et eodem rigore tenendam esse hanc assertionem: ‚Terra stat in aeternum', atque illam: ‚Dominus Deus tuus Deus unus est'? Nemo ita censet, etsi quidam hoc dicere visi sunt. Ne intellegitur quidem, quomodo possibilis sit liber, scriptus ab hominibus et pro hominibus, qui contineat veritatem, totam veritatem, sub forma accommodata necessitatibus omnium temporum. Talis Scriptura requireretur ad satisfaciendum postulationibus thesis protestanticae. Sed Scriptura, cum edita sit ab auctoribus viventibus in tali regione talique aetate, necessario prae se fert indicia originis et primae suae destinationis. Proprietates singulorum scriptorum, opiniones illius saeculi, mores litterarii popularium eorum ibi apparent perfecte manifesta in ipsa atmosphaera divina inspirationis. Per hanc ‚relativam rationem' Scripturae revelatio adaptabatur necessitatibus temporum, quibus producta est." Haec quidem res post progressum disciplinarum naturalium speciem imperfectionis habet. „Sed etiam haec imperfectio pure relativa est, et ratione habita intentionum providentiae

[1] Etudes bibliques 7 sqq.

dicere licet eam esse sine sequelis, cum magisterium perpetuum ecclesiae adsit ad discernendam infallibiliter sub antiquo involucro, sub quo nobis tradita est, veritatem in Scriptura contentam." [1]

Quidam Catholici (inquit Loisy) admittunt errores in Scriptura et contradicunt traditioni; quidam statuunt absolutam inerrantiam Scripturae et contradicunt factis. Rationalistae errant negantes revelationem supernaturalem, sed quantum ad „scientificum" Scripturae studium varia probarunt, quae non iam in dubium vocari possunt, e. g. historiographos sacros tum Veteris tum Novi Testamenti tractasse historiam liberiore modo, quam soleant nostrorum temporum historiographi, ideoque etiam liberiore modo interpretandos esse. Oportet igitur Catholicos in tractanda Scriptura uti „methodo rigorose critica". Historia dogmatis inspirationis, historia canonis sacrorum librorum, historia textus et versionum Scripturae, historia exegesis biblicae requiritur, ut habeatur fundamentum, super quod construi possit discussio originis et analysis sacrorum librorum, historia compositionis eorum, historia Israelis et religionis israeliticae, tum demum historia originum christianarum. Qui timent examen serium et sincerum Scripturae, non habent spiritum verae traditionis catholicae. Veritas recipienda est, undecumque venit, etiamsi acatholici eam invenerunt. „Non est proditor veritatis traditionalis, qui oculos aperit veritati rationali." Nullum dogma sic in periculum vocatur, „neque facimus veritati concessiones, si eam perspectam recipimus, cuiuscumque ordinis est." Si malum est, sub praetextu scientiae impugnare fidem, non minus malum est, sub titulo colorato serviendi fidei negare certa scientiae iudicia.

365. *„Inerrantia Scripturae non potest significare veritatem absolutam omnium dictorum et propositionum de quocumque obiecto.* Liber absolute verus pro omnibus temporibus in omni ordine veritatis non magis possibilis est quam triangulum quadratum. Liber, etiam divinus, semper liber est, qui, destinatus hominibus, necessario simul liber humanus est. Liber absolute verus pro omnibus temporibus, si posset exsistere, nullis temporibus intellegi posset. Liber verus secundum scientiam hodiernam non iam esset verus secundum scientiam crastinam. Si omnes homines insigniuntur nota suae aetatis, idem valet de eorum operibus, praecipue de operibus litterariis, quae non auctorum tantum suorum proprietates, sed etiam opiniones et mores referunt aetatis, qua vixerunt. Non est symbolum, quod, sub forma omnibus mentibus omnium saeculorum perspicua, totam summam veritatis exhibeat, cuius percipiendae homines capaces sunt et erunt. Ipsa veritas religiosa data non est hominibus ut thesaurus immutabilis, quasi adamas incorruptibilis, successive contemplandus omnium aetatum hominibus. Doctrina revelata potius similis est plantae pretiosae, quae vivit et crescit, semper eadem secum ipsa sub continuo progressu, qui est manifestatio et condicio naturalis exsistentiae eius. Neque igitur poscendum est a Scriptura, ut habeat relationem ad stadia suc-

[1] Ib. 26 sqq.

cessiva scientiae humanae. Scriptura erat, quod debuit esse ad satisfaciendum necessitatibus religiosis primorum legentium." Inde fluit in Scriptura illud „elementum relativum", quod neque negandum neque exaggerandum, sed examinandum est. „Quaestio, quo sensu et qua ratione Scriptura vera sit, neque in Scriptura neque in vetere traditione ex professo tractatur." Ceterum variae expositiones satis violentae veterum, quae nunc relictae sunt, hoc saltem docent secundum scriptores ecclesiasticos Scripturam esse veram supposita vera interpretatione. „Errores Scripturae (vel potius qui dicuntur errores) nihil aliud sunt nisi pars relativa et imperfecta libri, qui ob hoc ipsum, quod erat liber, debebat habere partem relativam et imperfectam."

Hae imperfectiones habent triplicem fontem: opiniones tunc communes de rebus physicis, defectum documentorum ex temporibus antiquissimis, mores litterarios illarum aetatum. Potest addi: imperfectum statum religionis.

„Haec veritas pure relativa nullum praeiudicium erat absolutae dignitati principiorum, quae sunt fundamentum doctrinae biblicae. Concipisne revelationem completam inde ab initio? Intellegi non potuisset. Imaginaris eam imbutam revelatione scientifica, quam nemo percipere potuit ante recentissima tempora? Fuisset partim inutilis.... Si ratione theologica rem consideramus, dicere possumus auctores biblicos non errasse, cum illis locis, ubi eos deficientes deprehendimus, non habuerint formalem intentionem docendi ut verum, quod nos falsum cognoscimus.... Sed si quis conatur nimium veritatis in Scriptura invenire, exponit se periculo ibi inveniendi multos errores."

Auctores sacri ut vehiculum doctrinae moralis et religiosae sumpserunt traditiones historicas, quas invenerunt, nullum de iis facientes iudicium. Futurum regnum messianicum apud prophetas et secundus adventus Christi apud evangelistas proponenda erant ut quid proxime instans, ut haberent vim movendi animos hominum. Haec non erat illusio, etsi vaga illa forma externa obiectorum spei carebat realitate.

366. „Scriptura est vera, ecclesia est infallibilis. Liber, quantumvis verus, non potest interpretari se ipsum, neque accommodare se statui intellectuali, morali, sociali temporum, pro quibus non est scriptus. Haec est ratio, cur commentarius ecclesiasticus indole et forma variaverit secundum varias epochas. Debet esse semper novus, quamvis Scriptura non possit non manere, quod est. Commentarius historicus non destruit commentarium traditionalem Scripturae, sed simpliciter fundamenta eius verificat. Si quid progressus scientiae biblicae demere videtur praerogativae Scripturae, manifestat necessitatem magisterii ecclesiastici. Ita critica fit apologia ecclesiae contra sectas super solius Scripturae auctoritatem fundatas." Optimum est, omnia, quae exegetae independentes proposuerunt, rursum secundum principia catholica in examen vocare.

„Veritas Scripturae est veritas, quae sub certo respectu vocari potest oeconomica, quae coordinatur infallibilitati ecclesiae eam interpretantis. Forma, sub qua haec veritas exhibetur, primum quantum ad nos, multas imperfectiones implicat, quae secundum placita scientiae recentis nominari possunt errores, sed quae, cum non sint obiectum doctrinae revelatae in Scriptura

contentae, fruuntur secundum placita theologorum quadam quasi proportionali veritate, quae fuerit condicio necessaria revelationis temporibus biblicis." [1]

„*Quoad prima capita Genesis* nostra opinio est iis non contineri historiam originum mundi et humani generis, sed potius philosophiam religiosam huius historiae, etsi in his capitibus quaedam ex traditione hausta sunt, quae habeant significationem historicam. Per modum hypothesis vero supponimus externam formam, sub qua haec philosophia religiosa nobis proponitur, partim manasse ex traditione chaldaica. . . . Non dissimulamus opinionem nostram esse satis novam in exegesi catholica, sed non videtur nobis impugnari posse nomine ullius principii theologici, sive nomine inspirationis Scripturarum sive nomine traditionis auctoritative interpretantis easdem Scripturas. . . . Itaque si undecim prima capita Genesis non prae se ferunt indolem documenti historici secundum sensum completum et hodiernum vocis, non ideo doctrina inspirationis ullo modo in periculum vocatur. Sive historica sunt sive non. haec capita sunt inspirata. Possunt habere et habent rationem sufficientem exsistentiae, dignitatem doctrinalem satis magnam, quae manifestetur, habent non minus quam aliae partes Scripturae characterem divinum." Si narratio de paradiso putatur historica, oriuntur inextricabiles difficultates, quas solvere conantur per „hypotheses fragiles, complicatas, contradictorias". Concedamus intentionem sacri scriptoris non fuisse, ut geographicum situm paradisi determinaret, sed ut doceret peccatum primorum hominum. Sic retinebimus ea, de quibus traditio est unanimis, et liberi erimus ab hypothesibus inter se diversis et contradictoriis. Idem valet de diluvio, quod in Scriptura manifeste describitur ut universale geographice et ethnographice; unde per restrictiones quascumque vis infertur verbis Scripturae.

„Secundum rationem criticam et scientificam Scriptura exigit commentarium novum, cuius paucissima elementa exstant in traditione, quia modus traditionis non est modus scientiae recentis. . . . Patres interpretati sunt Scripturam ut theologi et pastores, secundum rationes dogmaticas et morales, non solide tractantes, immo plerumque ne suspicantes quidem omnes quaestiones, quas critica litteraria et historica movere potest respectu Scripturae. . . . Quomodo Scriptura se habeat ad statuta scientifica nostrae aetatis, neque praevideri neque determinari neque explicari potuit a Patribus. Manent hi magistri nostri in interpretatione doctrinali Scripturae; non potuerunt neque voluerunt esse magistri nostri quoad interpretationem criticam, quam exigit progressus scientiae recentis. Itaque si licet in dubium vocare indolem historicam primi capitis Genesis, ratio non est, quia Augustinus hoc caput interpretatus est modo ideali, sed quia traditio, unanimis quidem quoad sensum dogmaticum huius capitis, nobis non dat commentarium eius scientificum." [2]

Loisy, etsi alios terminos et alium modum explicandi saepe habet atque plerique propugnatores exegesis „criticae", convenit tamen cum iis in deneganda indole historica multis partibus Sacrae Scripturae, quae antea habebantur historicae et adhuc communissime habentur.

[1] Études bibliques 38 sqq. In fine additur nota (p. 60), qua auctor refert ob hanc dissertationem, antequam edita sit Encyclica „Providentissimus Deus", se debuisse relinquere Institutum Catholicum Parisiense, ubi duodecim annos docuerat.

[2] Études bibliques 70 sqq.

Sive ipse loquitur de veritate oeconomica, sive alii loquuntur de mythis, legendis, traditionibus popularibus, documentis dubiae auctoritatis, in Scripturam receptis, omnes, quod rem ipsam attinet, admittunt in Scriptura errores materiales, qui a scriptoribus sacris non quidem ut veritates docentur, sed neque ut errores notantur, sed simpliciter referuntur, ita ut legentibus relinquatur, adhibitis principiis criticis invenire, quid in illis narrationibus, secundum formam historicis, sit verum, quid falsum, quid dubium[1].

367. Cum vero hi exegetae inculcare soleant sibi ut exegetis incumbere Scripturam secundum elementum humanum examinare et aestimare, theologorum autem dogmaticorum esse indolem divinam Scripturae demonstrare, iuverit audire, *quid theologi dogmatici ex sua parte de his principiis „exegesis criticae et scientificae" censeant.* Qua in re accidit, ut, sicut permulti exegetae catholici nequaquam novae exegesi assentiuntur, ita quidam dogmatici ad eam accedant, alii vero eam reiciant. Duobus exemplis rem illustrabo.

Zanecchia ait:

„Ad plene solvendas innumeras illas difficultates, quae ad infirmandam auctoritatem ac veritatem biblicarum assertionum a rationalistis proponuntur, tum ex naturalium scientiarum progressu, tum ex mutua sacrorum textuum comparatione, necnon ex cuneiformis documentis remotae antiquitatis, hisce temporibus in Assyro-Chaldaea detectis, et ex antiquis inscriptionibus Aegypti, oporteret, ut communiter dicitur, reviviscere tempore illo ac loco, ubi hagiographus librum suum composuit, et notitiam possidere non solum status animi ipsius hagiographi, sed etiam status, quem scientiae naturales illo tempore habebant, et cognoscere documenta, traditiones, legendas, figuras rhetoricas orientales, quae in usu erant illo tempore ac loco, ubi hagiographus librum suum conscripsit." Sacra enim Scriptura est liber divino-humanus. Sacri autem scriptores ita scribebant, ut ab hominibus suae aetatis intellegerentur, ergo secundum eorum conceptus. Quia igitur interdum ipsa tempora originis sacrorum librorum et mores litterarii illorum temporum nobis incerta sunt, difficulter dicitur, quid reapse sacri scriptores variis suis assertionibus docere voluerint, a qua tamen quaestione tota exegesis pendet; „siquidem Deus docet in sacro libro id, quod hagiographus intendit ac vult docere . . . ex mente igitur ac voluntate hagiographi omnia, quae veram Scripturarum intellegentiam respiciunt, perpendi debent."

---

[1] Sunt quidem alii quoque exegetae, qui eadem vel similia principia propugnant. Sed omnia singillatim exhibere neque possibile neque opus est. Plerique solum colligunt, quae Lagrange, Prat, Loisy exposuerunt, neque novas considerationes maioris momenti addunt. Solent distinguere inter veritatem absolutam et veritatem relativam, inter errores formales et errores materiales, inter ea, quae sacri scriptores dicunt, et ea, quae ut ab aliis dicta referunt, inter veritatem historiae stricte dictae et veritatem aliorum generum litterariorum, inter modum criticum scribendi historiam et modum antiquorum, maxime Semitarum, referendi res historicas. Haec omnia sub uno aspectu posita habes apud *Fr. de Hummelauer,* Exegetisches zur Inspirationsfrage, Freiburg 1904.

Hinc generale principium ad solvendas difficultates deducitur.

„*Nam omnia et singula, quae ab hagiographo docentur, sunt quidem divinitus inspirata ac vera, non tamen absolute, i. e. omnibus modis, sed illo peculiari modo, quo ab hagiographo intenduntur atque docentur.* Proinde non sufficit simplex praesentia alicuius assertionis in Sacra Scriptura, ut assertio illa, prout in littera iacet, divinitus inspirata ac vera retineatur, sed investigare oportet, an assertio illa reapse ab hagiographo doceatur, vel solummodo assertione illa utatur ad docendam veritatem, quam divinitus concepit et scribere intendit ac vult. In prima hypothesi assertio illa, prout in littera iacet, est absolute ac intrinsece inspirata et vera; in secunda vero hypothesi est solummodo relative inspirata ac vera, i. e. in ordine ad veritatem, quam hagiographus per illam assertionem tradere intendit ac vult.“ Patet id de metaphoris, parabolis, similibus.

Idem valet, „proportione servata, de narrationibus genealogicis, de factis atque eventibus in Scriptura relatis, de personis, de notionibus cosmographicis, astronomicis, physicis etc., nec non de fontibus, in quibus hagiographus hausit narrationes, quas in suo libro rettulit.... Id ipsum probabiliter dicendum est de aliquibus nominibus, quae ad modum personarum in Genesi ponuntur, in genealogiis filiorum Noe; videntur enim non omnia illa nomina veras personas designare, sed ad populorum distinctionem atque originem significandam vulgata fuisse.... In sacris ergo libris, qui historici appellantur, sub forma historica, qua conscripta fuerunt, non semper vera historia factorum eorumque chronologicus ordo reperitur, quia scopus hagiographorum non erat ubique veram historiam humanarum rerum tradere, sed communiter utebantur historicis notionibus, et prout in vulgo erant, ad religiosas vel morales veritates docendas. *Qui proinde in ea, quae sacra historia vocatur, accuratam veramque historiam ubique reperire praesumit, se exponit certo periculo inveniendi non historicam veritatem, sed historicos errores,* qui tamen neque Deo inspiranti neque hagiographo scribenti imputari possunt, sed unice inquirenti historicam veritatem, ubi nec Deus nec hagiographus eam docuerunt. Similiter in assertionibus cosmologicis, astronomicis etc. finis hagiographorum non erat lectiones tradere circa scientiarum naturalium materias, sed utebantur notionibus illarum scientiarum, prout priscis illis temporibus vigebant apud populum, cui Scripturam tradebant, ut ex notionibus illis, sive realiter sive apparenter veris, disceret religiosas veritates, quas divinitus ei consignabant.... Si igitur ex scientiarum progressu nonnullae assertiones biblicae de rebus naturalibus erroneae vel parum accuratae deteguntur, non ideo errores in Sacra Scriptura adesse affirmari potest, quia ipsa non ordinantur ad erudiendos homines, quomodo mundus vel caelum vadat, sed ex mundanis caelestiisque notitiis, realiter vel apparenter veris, instruit homines, quomodo ex mundo ascendere in caelum debent, iuxta Baronii expressionem.“ [1]

---

[1] Quia haec verba saepe invocantur, sed vix umquam accurate allegantur, iuverit notare ea legi in epistula quadam, in qua Galilei, praemissis quibusdam excerptis ex opere *S. Augustini,* De Gen. ad lit. 2, 9 10, concludit non fuisse intentionem Spiritus Sancti, ut nos doceret res ad salutem nullo modo pertinentes. Quam conclusionem ita confirmat: „Io direi quello che intesi da persona ecclesiastica constituita in eminentissimo grado [in nota subiungitur: Card. Baronio], cioè, l'intenzione dello Spirito S. essere d'insegnarci come si vadi al cielo, non come vadi il

„Demum *nihil prohibet scriptorem sacrum ad ostendendam processionem omnium creaturarum a Deo uti documentis ac traditionibus, in quibus rerum eventus plus vel minus poetica descriptione narrantur.* Sic in primis Genesis capitibus introductio dierum in instantanea creatione, ordo quo res a Deo processerunt, descriptio formationis protoparentum, eorum felicitas ante lapsum, descriptio paradisi voluptatis, arboris vitae et arboris scientiae boni ac mali in medio paradisi, fluvii qui inde egrediens in quattuor partes dividebatur, relatio colloquii Dei cum lapsis protoparentibus, tunicarum pellicearum quibus Deus eos vestivit etc., sunt narrationes veridicae quidem quantum ad radicem eventuum, sed in earum forma descriptiva orientalis poetica extranea non fuit. Hagiographus autem narrationes illas accepit, prout in usu erant apud populos, et in sacro libro rettulit, non quidem ut auctoritate propria illas approbaret, praesertim in earum forma, sed quatenus lumine inspirativo iudicavit conscribendas esse, ut populi cognoscerent cuncta mundi bona non alium praeter Deum auctorem habuisse, qui specialem providentiam erga hominem manifestavit, singularemque misericordiam una cum iustitia in eum ostendit. Huiusmodi certe fuerunt veritates, quas in dictis capitibus hagiographus tradere voluit; eius proinde finis non erat describere populo verum modum, quo res a Deo processerunt. Si enim ipse ex divina revelatione verum modum, quo creaturae conditae a Deo fuerunt, descripsisset, rudis populus, vulgaribus traditionibus assuetus, nullam fidem scriptori sacro praebuisset eiusque Scripturam sprevisset."

368. „*Tota igitur Scriptura divinitus inspirata est atque vera: sed qua veritate, num litterali vel relativa, perpendi debet perspicaci sanaque critica,* attendendo ad modum, quo antiquitus traditiones impertiebantur. Si enim hodie quam plura media ab hagiographis adhibita, in religiosa instructione tradenda, parum vel nullimode apta nobis esse videntur propter scientiarum naturalium progressum nostrasque habitudines, irrationabiliter ineptas fuisse iudicaretur tempore ac loco, quo sacri libri conscripti fuerunt. Nec progressus naturalium scientiarum infirmare in nobis valet venerationem erga Scripturam, sicut apud rationalistas ac Protestantes contingit, quinimmo influit ad maiorem Scripturarum intellegentiam ac venerationem. Cum enim verum numquam vero opponatur, si ex naturalibus scientiis aliquid certum et evidenter oppositum alicui biblicae assertioni resultat, signum est biblicam illam assertionem non in se absolute ac separatim accipiendam, sed alio sensu et relative ad alia, quae ab hagiographo traduntur, intellegendam ac interpretandam esse. Quapropter si male ac iniuste rationalistae agunt despiciendo Scripturam propter praesumptos errores contra scientiarum naturalium pronuntiata et contra accuratam historiam, quasi Scriptura inspirata ac ordinata esset ad historicas et naturales illas veritates docendas, non laudabiliter se gerunt exegetae ac apologistae catholici, dum Scripturarum textus violenter contorquent, ut illos cum vera historia et scientiis naturalibus concilient, volentes scriptores sacros docuisse id, quod docere minime intendebant."

„Ut igitur concludamus, narrationes biblicae neque omnes historicam veritatem habent neque omnes historica veritate destitutae sunt, et quamplures in iis inveniuntur, in quibus fundamentum designat veridicum atque

---

cielo. Spiritui Sancto mentem fuisse nos docere, quomodo ad caelum eatur, non quomodo caelum gradiatur" (Opere complete di Galileo Galilei II, Firenze 1843, 36).

historicum factum, forma vero et circumstantiae, quibus traditur, ex poetica arte proveniunt. Similiter omnes biblicae assertiones veritatem continent, haec tamen neque semper absoluta est neque ubique relativa manet, sed in aliquibus absoluta est et in aliis relativa. Vera itaque intellegentia Scripturae maximam eruditionem requirit; ubi vero haec non sufficit, exspectandum est iudicium ecclesiae, cuius est iudicare de vero sensu ac interpretatione Scripturarum." [1]

Integrum fere hunc locum exscribere placuit, ut sine explicatione addita manifestum sit hunc theologum dogmaticum plenis „exegesis criticae" velis ferri. Audiamus iam alium, qui plane oppositum cursum tenet.

369. **Ludovicus Billot** in libello De inspiratione scripto [2], postquam exhibuit doctrinam traditionis de inerrantia Scripturae, ait:

„Soli nostrae aetati reservabatur novus ille sui generis progressus: *incredibilem dico quorundam biblicorum opinionem, qui scientificos vel historicos errores in Scripturis admissibiles esse existimaverunt,* etiam in sensu composito divinae inspirationis. Imaginantur namque inspirationem, quam *oeconomicam* vocant, contradistinguentes doctrinam, quam nos Deus docere intendit, a modis, sub quibus docet et proponit eam. Et de doctrina quidem, quae terminat intentionem Dei inspirantis, ultro fatentur, quod non est nec potest esse nisi veritas.... At vero per ipsos nihil prohibet, quominus forma, sub qua veritas dogmatica dictata est a Deo, sacris litteris consignanda, iis erroribus, sive scientificis sive historicis, fuerit referta, quibus pro temporum vel locorum diversitate praeoccupatae erant mentes hominum, eorum videlicet hominum, per quos condebantur, et ad quos tamquam ad proximos atque immediatos lectores dirigebantur Scripturae Sacrae.... Quae igitur cum ita se habeant, videndum est primo, quibus de causis biblici nostri ad eam opinionem devenerint, quae sensui christiano, ne dicam communi, tam aperte repugnat. Secundo, quibus argumentis illam utcumque firmare conentur. Tertio, quomodo fuerit insubsistens ista opinio, expresse condemnata per Encyclicam *Providentissimus Deus*" (p. 98 sq).

Exponit dein Billot rationes, ob quas statuerint illam „oeconomicam veritatem" Scripturae, simul ostendens, quomodo illi, qui hanc opinionem non sequuntur, difficultates physicas et historicas solvere soleant. Dein ipse hanc novam opinionem reicit, utpote pugnantem cum veracitate Dei.

„Neque ullum invenire est effugium in ea quam fingunt *oeconomica inspiratione,* distinguentes inter id, quod intendebat Deus homines edocere, et id, quod loco medii adhibuit ad proponendum doctrinam religionis. Eiusmodi enim conceptio, si eo vergat, ut in medio ad finem praedictum possibilis fallacia asseratur, destruit primo sanctitatem, deinde vero sapientiam Dei." Sanctitatem destruit, quia non licet ad finem bonum media mala adhibere;

[1] *Zanecchia,* Scriptor sacer 84 sqq.

[2] De Inspiratione Sacrae Scripturae, Romae 1903.

ergo neque falsa dicere licet ad vera docenda. Destruitur sapientia, quia fidem Scripturae adimit, quae toties mendosa invenitur. Tota quaestio haec est: „possitne ad errorem quoque sese extendere inspiratio illius, qui summa, absoluta et subsistens veritas est". Hoc autem diserte negat Leo XIII in Encyclica sua. „His igitur convicti tum rationibus tum auctoritatibus, plerique biblici, verbo saltem tenus, recesserunt ab inconsulta concessione errorum in Scripturis. Sed nunc adinvenerunt novos dicendi modos, qui, ad rem quod attinet, in idem reincidunt. De quibus iam dicendum venit" (p. 110 sqq).

370. *Non multo post Encyclicam Leonis XIII „prostrata opinio, novis palliata nominibus, novas resumebat vires....* Quippe retinebantur omnia fundamenta praecedentis sententiae. Adhuc astronomia Scripturae est in aperta oppositione cum veritate scientifica. Adhuc plurimae narrationes, in libris praesertim Veteris Testamenti consignatae, tamquam historice falsae haberi debent.... Et nullus tamen in Scripturis error? Ita plane. Quia error in aliquo libro non est, nisi illud, quod materialiter a veritate alienum est, proponatur ut veritas. Quia, *quid proponatur ut veritas, quid vero non, ex genere litterario uniuscuiusque libri determinandum est.* Quia unumquodque litterarium genus suam habet propriam veritatem.... Quia denique, si ad theologiam pertinet adstruere integralem Scripturarum veritatem ... opus tamen criticae est determinare, assignare et definire propriam singulis libris *veritatis speciem*, quae ex eorum *formis litterariis* tota quanta pendet" (p. 118 sq).

Toto hoc systemate latius explicato, proponitur refutatio, atque imprimis principiorum, super quae totum illud systema fundatur.

„Principium primum: *Quod scriptores biblici nec plus nec minus auctores sunt ac alii quicumque scriptores profani.* Falsum est et falsum erit, quamdiu causa instrumentalis non ponetur in eodem gradu causalitatis cum causa principali." Profani auctores sunt causa principalis, biblici vero auctores causa instrumentalis tantum operum suorum; ergo non est paritas.

„Principium secundum: *Quod ad scriptores biblicos pertinebat determinare litterarium genus librorum suorum.* Falsum est et falsum erit, quamdiu ad auctorem principalem spectabit assignare speciem veritatis, quae in libro proponenda et quaerenda est. Nam de eo nunc genere litterario agitur, de quo loquuntur nostri critici, ex quo totus libri sensus dependet, et a quo directivum principium integrae interpretationis accipitur. Ergo de genere litterario, quo specificatur liber. Si autem id, quo specificatur liber, non a Deo est, sed ab homine, quomodo adhuc principalis auctor Deus?"

„Principium tertium: *Quod nulla est forma litteraria, apud homines recepta, quam respuat inspiratio Spiritus Sancti.* Falsum est, si intellegatur de formis litterariis, quas ipsi fingunt, praecipue vero de ineffabili illa forma litteraria historiae orientalis.... Falsum est, inquam, et falsum erit, quamdiu erit verum, quod defectus nostros, ignorantias nostras, vitia nostra, temeritates et vanitates nostras inspiratio divina non capit. Nam *quae illi dicunt genera litteraturae, verius diceres genera vanitatis, in quibus vel nulla excusatio est, vel, si est, ignorantia excusat errorem, et temeritas ignorantiam.* Atqui defectuum nostrorum corrector est Deus, non susceptor. Et si ad illam quoque comparationem nunc appellare licet, quam novi biblici afferre solent, Verbum caro factum non assumpsit ullum ex iis defectibus, qui, ex peccato

orti, aliquid adimunt de plenitudine scientiae et gratiae, sed habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis. Quanto ergo minus horum defectuum fiet particeps secundum operationem illam, quae non iam assumptae, sed divinae suae naturae propria est, inspirando et dictando libros de genere *primitivo-mythico* vel *historico-orientali!* Haec sane ad destructionem portentosi systematis sufficere viderentur" (p. 128 sq).

Quod in specie *mythum* attinet, „est traditio fabulosa, quae pro vera historia a vulgo habetur, phantastice exprimens vel aliquod dogma religiosum vel aliquam naturae legem, vel aliquod factum primitivum". Atqui teste traditione nihil est in Scriptura fabulosum. Et „esto, quod in mytho narratio nihil aliud sit quam vestimentum realitatis, semper tamen est vestimentum fallax, eo quod non ut vestimentum sese prodit, sed ut realitatem ipsam". Mythi inventi sunt ad persuadendum multitudini de rebus, quas secundum intellegibilem rationem capere non poterat. Ergo *nisi volumus Deum talis imposturae cooperatorem facere, non possumus admittere eum mythos scribendos inspirasse*, et hoc eo minus, si mythi ab absurditatibus fabularum gentilium epurati sunt. „Nam mythus tanto magis deceptivus est, quanto magis dissimulat condicionem suam." Et sic revera mythi decepissent omnes Patres et Doctores ecclesiae et omnes sapientes usque ad nostra tempora. Scriptura ipsa propter facta, quae secundum exegetas criticas sunt mythi, Deum laudandum esse docet. Numquid ad Ps 150 addendum est: Laudate Deum in mythis et fabulis? (p. 129 sqq.)

371. „Iam veniamus ad *citationes implicitas*, quae novae inventionis pars magna sunt". Loquuntur de citationibus implicitis, ut errores a sacris scriptoribus in alios transferant, quorum illi testimonio usi sunt. „Sed *vanissimum effugium* ad conciliandam inerrantiam Scripturae cum materiali falsitate narrationum eius." Nam citationes, si adsunt, factae sunt ex inspiratione Dei, qui scivit narrationes esse falsas. „Sed quid, quaeso, de illo, cui falsitas documenti esset certissime nota, quique non obstante hac sua certissima conscientia, documentum ipsum simpliciter ac sine addito vel insereret narrationi vel dictaret inserendum?" Quidquid est de variis moribus litterariis hominum, Deus tales mores non habet; unde „intelleges, puto, quomodo ex dictatione eius descendere omnino non possit citatio implicita falsi et erronei documenti. Et ideo a primo ad ultimum doctrina de citationibus implicitis, intellecta in eo sensu et prae eo scopo, quem intendunt novi exegetae, est evidentissime reicienda.... Sint ergo, ut volueris, tacitae quaedam in Scripturis transcriptiones praeexsistentium documentorum, id tamen certo certius nonnisi ex dictatione Dei, qui, dum documenta illa inspiratae narrationi interseruit, eo ipso fideiussorem se fecit fidelitatis atque omnimodae veracitatis eorundem" (p. 132 sqq).

„Superest tandem ultima et pessima omnium inventio, qua scilicet in eloquiis veritatis introducitur formalis, expressa et data opera ab ipso auctore sacro quaesita *historiae corruptio* [quando narrat factum substantialiter verum cum circumstantiis fictis], amplificatio, arbitraria accommodatio ad veritates fidei et morum efficacius inculcandas. In quo quidem redeunt omnes animadversiones superius adductae, sive de fine, qui non legitimat media, sive de inaudito illo et vere incredibili modo informandi mores per ipsum in actu exercito datum falsationis exemplum, sive de dictatione seu suggestione divina, quae si supponatur ad eiusmodi falsationes se non extendere, pessum ibit

fides integralis Scripturae inspirationis, sin autem e contra, in causa erit principium, a quo sine blasphemia recedere nefas, Deum scilicet nullius mendacii auctorem esse posse."

Itaque *libri sacri non sunt ulli communi generi litterario adiudicandi,* sed potius in iis agnoscendum est „genus illud singulare, transcendens, nullam cum aliis comparationem ferens, quod est ipsa Scriptura Sacra". Secundum traditionem eloquia Domini fuerunt semper eloquia casta, argentum purgatum septuplum. „Nunc eadem illa divina eloquia et plumbum et stannum et scoriam continere perhibentur, quae opere criticae oportet ad purum excoquere. Antea firmiter persuasum habebatur Scripturam, etiam veterem, esse talem, quae, humili sermonis modulo inexhaustam veritatis plenitudinem comprehendens, simul et parva nutriret et magna oblectaret ingenia. Nunc inventum est, quod, infantili cogitatione concepta, soli infantili mentalitati antiquorum accommodabatur. . . . Nunc ultima novae exegesis conclusio est Scripturam esse atra a principio ad finem caligine perfusam et longe lateque densioris obscuritatis in iis, quae hactenus pro claris et perspicuis habita fuerant, quam in ceteris. Cui enim aenigmata Sphingis faciliora non viderentur quam simplex Bibliorum historia, qualem illi esse volunt?" Ratio huius errationis est, quia illi exegetae ferventiore studio in linguas orientales quam in disciplinas sacras feruntur. „Litterae orientales eos insanire faciunt." Carent debita reverentia erga Deum et eius oracula, et adeo de se praesumunt, „ut se ipsos *competentes,* ceteros quoscumque *incompetentes* soleant appellare" (p. 136 sqq).

Ecce, habes iudicia plane contraria duorum theologorum dogmaticorum, qui Romae docuerunt et scripserunt, et quorum opera Romae approbata sunt. Ipsa auctoritas ecclesiastica de nova illa exegesi nondum sententiam tulit, sed solum plures libros, in quibus nova illa methodus adhibetur, condemnavit, prout recentissime varia opera Alfredi Loisy. Edita tamen sunt interim duo responsa „Commissionis biblicae", quae infra referentur.

---

372. Sicut supra (n. 140) post expositam doctrinam SS. Patrum, ita nunc quoque paucis colligere iuvat, quae de historia doctrinae de inspiratione post aetatem Patrum enarravimus.

1. Theologi scholastici exposuerunt, quomodo charisma hagiographorum a munere prophetico, quod attinet influxum Dei in intellectum, eo maxime differret, quod inspiratio ad scribendum non importat infusionem novarum specierum, sed solum iudicium de acceptis, idque in ordine ad scribendum.

2. Copiosius explicaverunt, qua ratione scriptor sacer esset causa instrumentalis, Deus vero causa principalis Sacrae Scripturae.

3. Inerrantiam omnimodam Scripturae docuerunt et propugnarunt unanimiter.

4. Quaestio de canone definita est tum in Concilio Florentino tum in Concilio Tridentino, in quo simul Vulgata, quae iam diu ubique auctoritatem obtinuerat, authentica declarata est.

5. In variis conciliis, maxime Vaticano, definitum est libros esse sacros et canonicos eo, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum auctorem haberent.

6. Reiecta est doctrina, quae vel inspirationem ad aliquas partes Scripturae restringit, vel in textu inspirato errorem inveniri posse affirmat. Quaestio, num et quomodo errores materiales, ut distinguuntur a formali errore, in Scriptura admitti possint vel debeant, nunc maxime exagitat mentes theologorum [1].

---

[1] Utile erit iam hic breviter indicare, quid significet illud „materialiter falsum". Potest enim hic terminus habere multiplicem significationem: a) In locutionibus metaphoricis sensus materialis est falsus. Sed cum hunc sensum loquens non intendat, nullus adest error nisi forte ex parte eorum, qui verba contra sensum auctoris crasse materialiter intellegunt. In Sacra Scriptura sunt locutiones propriae, et sunt locutiones metaphoricae. Ad rectam intellegentiam requiritur, ut hae ab illis distinguantur. Idem valet de aliis dictionibus poeticis vel rhetoricis; idem valet interdum de locutionibus typicis. b) Cum quis aliorum iudicia vel dicta refert, potest verum esse haec esse ab aliis dicta vel iudicata, etsi haec dicta vel iudicia falsa sunt. Unde oritur quaestio, num et ubi in Scriptura referantur falsa dicta, mythi, legendae, traditiones populares etc. Tales relationes sunt formaliter verae, sed materia, quae refertur, saepe non est vera. Ergo ut maneat formalis veritas, perspicuum esse necesse est auctorem nolle affirmare materialem veritatem. c) Potest aliquis vera dicere, sed simul uti consuetis loquendi formulis vel opinionibus, quae materialiter sunt falsae. Dicere: Sol oritur vel occidit, est materialiter falsum, formaliter verum, quia loquens significat res, prout sensibiliter apparent, non prout in se sunt. Theologus, qui vult probare doctrinam aliquam iam fuisse a SS. Patribus propositam, formaliter vere loquitur, etsi e. g. secundum communem opinionem sub nomine S. Augustini citat opus S. Prosperi, ut saepe temporibus medii aevii factum est. Unde oritur quaestio, num sacri auctores interdum veritatem proponant ratione materialiter erronea, sed tum communiter admissa, quae ipsam veritatem proponendam non afficit.

LIBER II.

DOGMATICUS.

PRAENOTANDA.

373. Haec *altera pars* tractatus vocatur *dogmatica,* non solum quia circa dogma versatur, quod ab ecclesia omnibus credendum proponitur, sed quia in hoc dogma dogmatica via ac ratione inquirendum est. Dogmatica autem theologia circa dogmata ecclesiae quattuor praestat. Primum ostendit doctrinam, de qua agitur, in fontibus revelationis contineri; secundum, istam doctrinam vel ex aliis dogmatis vel ex disciplinis humanis illustrare et confirmare conatur; tertium, ex iis, quae revelata sunt, conclusiones theologicas argumentando evolvit; quartum, contra adversarios doctrinam defendit.

Atque ex iis quidem quae de historia doctrinae de inspiratione diximus, manifestum est dogma inspirationis exstare in fontibus revelationis; immo varia quoque, quae ad inspirationis naturam et vim elucidandam valent, enarrata sunt. Nihilominis ut conceptus dogmaticus clarior evadat, per modum synthesis membra disiecta in unum quasi corpus colligenda et inter se aptanda et uno conspectu exhibenda sunt. Id utique post historicam expositionem satis facile et breviter fieri potest. Dein vero intrandum erit in *quaestiones disputatas* multas et difficiles, quae de hoc dogmate factae sunt et adhuc fiunt, quae quaestiones pleraeque sunt speculativae, non paucae vero exegeticae. *Series quaestionum* haec erit: De exsistentia inspirationis, de essentia inspirationis, de extensione inspirationis, de inerrantia Sacrae Scripturae, quae est effectus inspirationis, de sensu Sacrae Scripturae, de criteriis inspirationis.

374. His ultimis temporibus *dubitatio* interdum mota est, *utrum convenientius et utilius sit procedere ex conceptu inspirationis,* ut a Patribus, theologis, conciliis proponitur, *an potius ex ipsis libris inspiratis,* non in quantum hi docent, quid sit inspiratio, sed in quantum sunt obiecta inspirata seu terminus inspirationis divinae. Nam ex effectibus saepe facilius et securius cognitio causae acquiritur, quam ex causa ipsa, praesertim si haec a sensibus nostris est valde remota. Censent enim nonnulli implacabile quoddam bellum necessario oriri, si theologi dogmatici a priori statuant, quales ex conceptu inspira-

tionis libri inspirati esse debeant, et si exegetae, inspicientes et perquirentes libros inspiratos, inveniant eos non esse tales, quales secundum dogmaticos esse debeant. Ideo convenientius iis videtur, prius diligenter examinare indolem singulorum librorum sacrorum et dein statuere, quid et qualis sit inspiratio.

At observandum est *inspirationem esse factum divinum et supernaturale, quod omnem nostram cognitionem ita transcendit, ut nisi ex revelatione supernaturali a nobis certo cognosci non possit.* Ergo a Deo loquente discere oportet, quomodo in conficienda Scriptura se habuerit; non vero ex indole sacrorum librorum, prout sunt obiecta naturalis cognitionis, actio Dei inspirativa inveniri et diiudicari potest. Secundum formam litterariam libri sacri similes sunt libris profanis neque quidquam prae se ferunt, quod explicari nequeat, nisi ex inspiratione Dei auctoris principalis scripti sint. Nonne illi ipsi theologi, qui favent novae methodo, libros sacros ad communia genera litteraria reducendos et secundum suum quemque genus litterarium explicandos esse docent, efferunt, inculcant? Quod si ita est, libri sacri non sunt eiusmodi miracula litteraria, quae per ipsam sensibilem formam suam postulent omnipotentiam divinam ut causam unice sufficientem exsistentiae suae. Apparent ut opera humana et proxime vere sunt opera humana; immo ob hoc ipsum, ut humanum elementum magis in luce ponatur, multi praeferunt illam novam methodum. Atqui inspiratio est quid divinum, naturae ordinem excedens. Ergo mere a posteriori, i. e. ascendendo ab effectu ad causam, inspiratio neque ostendi neque explicari potest, sed eodem modo quo alia fidei dogmata ex fontibus revelationis probanda et explicanda est. Quidquid a posteriori colligitur, si cum ecclesiae doctrina pugnat, falsum sit necesse est. Unde exegetae catholico iam ante omnem inquisitionem in Scripturae libros constat totam Scripturam cum omnibus suis partibus esse divinitus inspiratam et ab erroribus immunem.

375. Ceterum fautores novae methodi, qui catholici sunt, hoc non negant, sed potius volunt, integra Scripturae inspiratione et infallibilitate supposita, *ad ulteriorem inspirationis explicationem non tam a priori ex speculativa huius conceptus consideratione quam a posteriori ex obiecti inspirati investigatione procedendum esse,* et hoc eo magis, quod scientifica, ut aiunt, Scripturae expositio recentissimis tantum temporibus exculta sit, cum praeteritis saeculis unice fere theologicam Scripturae rationem prae oculis habuerint; esse autem ad rectam inspirationis expositionem formandam non mediocris momenti, ut non divinum tantum sed etiam humana elementa in Scriptura accurate perspiciantur.

Haec quidem non sine ratione dicuntur, sed interdum cum quadam exaggeratione, quasi non veteres quoque doctores et scriptores sciverint et docuerint Scripturam humana quoque opera esse scriptam,

multiplicatam, conservatam, translatam, propagatam, et ex hac humana cooperatione fluxisse humanas quoque infirmitates et defectus. Aliqua „scientifica“ Scripturae tractatio adfuit inde a primis saeculis religionis christianae, etsi non omnes quaestiones, quae nunc ponuntur, olim notae erant. Non est igitur differentia secundum essentiam, sed secundum gradum. Addantur, quae recens inventa sunt; sed totam methodum invertendi ratio sufficiens nulla est.

Neque contra unanimem traditionem, si qua in quaestione dogmatica forte habetur, novae solutiones dari possunt. Methodus critica et historica, quam nostra aetate etiam in re dogmatica adamare coeperunt, nisi valde caute in usum deducitur, facile a recta dogmatum via abducere potest et plures iam abduxit. Non ideo neglegenda est ratio historica et critica in quaestionibus dogmaticis, sed primae partes ei tribui non debent. Dogmatica enim procedendi ratio est alia, quae tamen historiae et criticae auxilium non aspernatur.

376. Fontes theologici sunt Scriptura et Traditio. Attamen Scriptura ut Scriptura Sacra non potest ad argumentationem *dogmaticam* adhiberi, antequam de eius inspiratione constat. Hanc autem ipsam probandam et exponendam suscepimus. Ergo antequam eius exsistentiam probaverimus, ex Scriptura ut inspirata nobis argumentari non licebit. Possemus quidem probationem in parte historica factam supponere. Sed quo clarius pateat dogmatica argumentatio, ex ordine argumenta proponemus ex Scriptura, conciliis, Patribus, theologis, ratione, secundum vim probandi, quae singulis suo loco convenit. Sicubi autem amplior expositio historica necessaria vel utilis est, pro ea delegabuntur legentes ad correspondentes paragraphos partis historicae.

Itaque *incipiemus a libris Veteris Testamenti, in quantum ex iis, independenter ab eorum inspiratione, colligi potest, quam indolem veteres Iudaei sacris suis libris tribuerint.* Cum vero in Scriptura nobis servata sint testimonia prophetarum, Christi, apostolorum, haec testimonia suam dignitatem habent ex personis, a quibus prolata sunt, etiamsi scripta non essent in libris inspiratis. Haec autem non est historica tantum, sed etiam dogmatica dignitas, ideoque illis testimoniis, supposita eorum historica veritate, ut argumentis dogmaticis uti licet.

CAPUT I.

DE EXSISTENTIA INSPIRATIONIS.

ART. I.

TESTIMONIA SCRIPTURAE DE INSPIRATIONE.

§ 1. TESTIMONIA VETERIS TESTAMENTI.

377. Iudaeos multis saeculis ante Christum habuisse libros sacros vidimus (supra n. 8 sqq). Inter hos libros principatum tenent lex, prophetae, psalmi. Iamvero *non soli illi libri, qui pressius prophetici dicuntur, ad prophetas auctores referuntur, sed legis quoque et psalmorum scriptores prophetae appellantur.* Moyses non solum propheta erat, sed maximus prophetarum. „Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem" (Dt 34, 10). „Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei et palam, et non per aenigmata et figuras Dominum videt" (Nm 12, 6 sqq)[1]. Sed David quoque propheta fuit: „Dixit David, filius Isai, dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Iacob, egregius psaltes Israel: *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam.* Dixit Dominus Israel mihi, locutus est Fortis Israel" (2 Rg 23, 1 sqq). Huc referuntur a multis Patribus verba illa: „Lingua mea calamus scribae velociter scribentis" (Ps 44, 2), quibus volunt Davidem se ipsum exhibere instrumentum Spiritus Sancti in componendis psalmis[2]. Itaque principales partes Scripturae a veteribus Iudaeis prophetis auctoribus adscribebantur. Immo omnes sacros scriptores ab iis numeratos esse inter prophetas constat. Si qua dubitatio oriebatur, utrum liber aliquis accensendus esset Sacrae Scripturae necne, ratio erat, quia incertum erat charisma propheticum scriptoris eius, ut inter alios testatur Flavius Iosephus[3].

---

[1] Cf. supra n. 10 14 20.

[2] Cf. supra n. 83 88 109 et veteres expositores illius psalmi communiter.

[3] Supra n. 21. Dicta rabbinica de eadem re apud *F. Buhl,* Kanon und Text des A. T., Leipzig 1891, 8 35 sqq.

378. Iam *quid est esse prophetam?* In Vetere Testamento ille, qui a Deo mittebatur nuntius ad populum israeliticum, ut mandata Dei ei deferret, vocabatur *nabi* (propheta). Quae vox sine dubio *includit notionem hominis, qui a Deo moveatur ad loquendum, et qui nomine Dei, non suo, loquatur ad populum.* Quidquid enim est de etymologia vocis (de qua diversae sunt opiniones), ipsa Sacra Scriptura diserte testatur secundum rem hunc sensum voci subesse. „Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce, constitui te Deum Pharaonis, et Aaron, frater tuus, erit propheta tuus" (Ex 7, 1). Cur Aaron dicitur propheta Moysis? Hoc Deus ipse explicat: „Loquere ad eum [Aaron] et pone verba mea in ore eius. . . . Ipse loquetur pro te ad populum et erit os tuum; tu autem eris ei in Deum" (Ex 4, 15 16)[1]. Itaque propheta est quodammodo os, per quod Deus ad homines loquitur. „Quasi os meum eris", ait ad Ieremiam prophetam (Ir 15, 19). Deus dat verba sua in ore prophetae (Ir 1, 9). Ideo propheta vocatur „vir Dei" (1 Rg 2, 27; 9, 6 etc.), „vir Spiritus" (Os 9, 7), i. e. qui a Deo vel a Spiritu Dei movetur ad loquendum, similiaque alia, quae nota sunt[2]. Unde prophetae solent dicere: „Haec dicit Dominus", ergo eo ipso tempore, quo prophetae loquuntur, Deus loquitur.

Prophetae, ut possint esse legati Dei ad homines, recipiunt in intellectum et voluntatem suam motionem divinam, qua fiunt instrumenta viva Dei. Spiritus Dei dicitur „insilire" in prophetas (1 Rg 10, 10), „fieri in iis" (1 Rg 19, 20), „fieri super eos" (2 Par 20, 14), „assumere eos" (Ez 3, 12), „induere eos" (2 Par 24, 20) etc. Prophetae loquuntur verba Dei, vel Deus loquitur per prophetas. „Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo et auribus tuis audi. Et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, et loqueris ad eos et dices eis: Haec dicit Dominus Deus" (Ez 3, 10 11). „Verba, quae misit Dominus exercituum in Spiritu suo per manum prophetarum priorum" (Zach 7, 12). Propter altiores cognitiones, quas accipiunt, prophetae saepe vocantur „videntes", et prophetia dicitur „visio" (1 Rg 3, 1; 9, 11 18 19. Is 29, 10; 30, 10 etc.). Motio voluntatis ad loquendum fit per mandatum Dei, sive internum sive externum (Is 6, 9. Ir 1, 7 etc.).

Quia Deus loquitur per prophetas, *idem est nolle recipere verba prophetarum atque contra Deum rebellare.* „Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, per diem consurgens diluculo et mittens; et non audierunt me nec inclinaverunt aurem suam. . . . Et loqueris ad eos omnia verba haec, et non audient te . . . et dices ad eos: Haec est gens, quae non audivit vocem Domini Dei sui" (Ir 7, 25 sqq). „Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me" (Ez

---

[1] Sic secundum textum hebraicum. Hieronymus vertit: „Tu autem eris ei in his, quae ad Deum pertinent."

[2] Plura apud *Cornely,* Introd. II[2] 267 sqq.

3, 7). Unde correspondens poena: Deus locutus est iis per prophetas, et noluerunt audire; ipsi clamabunt ad Deum, et Deus eos non exaudiet (Zach 7, 13).

379. *Prophetae non necessario usu sensuum externorum, multo minus usu rationis privantur in recipiendo influxu divino, sed sciunt, quid agant et loquantur.* Conscii infirmitatis humanae, deprecantur tantum munus (Ex 4, 10 sqq. Ir 1, 6), student se subducere difficili huic negotio (Ion 1, 3), queruntur de irrito labore s: › (3 Rg 19, 4 10 14). His et aliis prophetae Veteris Testamenti distinguuntur a vatibus gentilium, qui in furorem acti oracula edebant[1]. Soli falsi prophetae vocantur insanientes, vel veri prophetae a suis adversariis (4 Rg 9, 11. Ir 29, 26. Os 9, 7. Soph 3, 4). Aliud est, quod interdum prophetae appropinquante Deo vel angelo terrore concutiuntur, tum quia haec non est insania, tum quia divinitus confortantur (Ez 2, 1 sqq. Dan 10, 4 sqq). Excipiendus videtur Balaam, qui longe alia proferebat atque ea, ad quae dicenda venerat. Verumtamen ne hic quidem actus est in furorem, sed bene intellegebat, quae loquebatur (Nm 22 sqq).

380. Ergo si sacri scriptores sunt prophetae, et si prophetae non ex proprio spiritu loquuntur, sed nomine Dei verba Dei deferunt, *concludere licet eos non proprio marte scripsisse, sed a Deo motos,* cum etiam in scriptis suis totiens repetant: „Haec dicit Dominus." Non repugnat quidem eos a Deo missos fuisse ad loquendum, et dein sua voluntate sermones suos litteris consignasse. At scripta prophetarum potius insinuant, prophetis fuisse persuasum etiam scribendum sibi esse ex mandato divino. Ceterum hoc saepe diserte effertur.

Deus enim iubet interdum prophetas scribere. „Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro et trade auribus Iosue" (Ex 17, 14). „Dixit Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus" (Ex 34, 27). Isaias librum suum vocat „librum Domini" (34, 16). Cur? Quia et verba

[1] *Cicero* haec scribit: „Vetus opinio est, iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi romani et omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines divinationem, quam Graeci *μαντικήν* appellant, i. e. praesensionem et scientiam rerum futurarum. . . . Inest igitur in animis praesagitio, extrinsecus iniecta atque inclusa divinitus; ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. . . . Ex quo intellegitur esse extra divinum animum, humanus unde ducatur" (De div. l. 1, n. 1 66 70). Abalienatio a sensibus et ratione indicatur ipso vocabulo *μάντεως*, quod a *μαίνεσθαι*, i. e. furere, insanire, derivatur. Unde loquuntur veteres de sacra insania (cf. supra n. 15 57). Plura de differentia inter prophetas et vates gentilium apud *Leitner,* Die prophetische Inspiration 29 sqq. Hanc differentiam etiam S. Paulus effert: „Scitis, quoniam, cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes", sed aliter prophetae veri Dei; nam „spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt" (1 Cor 12, 2; 14, 32), quia non caeca necessitate coguntur ad prophetandum.

Dei continet et ex mandato Dei scriptus est. Sic enim Deum sibi mandasse testatur: „Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stilo hominis“ (8, 1), i. e. modo intellegentiae humanae accommodato. Et iterum: „Nunc ergo ingressus, scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in aeternum“ (Is 30, 8). Habacuc quoque narrat: „Respondit mihi Dominus et dixit: Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur“ (2, 2 3; cf. Ez 24, 2; Dan 8, 26; 12, 4).

Maxime attentione digna sunt, quae leguntur apud Ieremiam 36:

„Factum est verbum hoc ad Ieremiam a Domino dicens: Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversum Israel et Iudam, et adversum omnes gentes, a die, qua locutus sum ad te, ex diebus Iosiae usque ad diem hanc, si forte audiente domo Iuda universa mala, quae ego cogito facere iis, revertatur unusquisque a via sua pessima, et propitius ero iniquitati et peccato eorum. Vocavit ergo Ieremias Baruch, filium Neriae, et scripsit Baruch ex ore Ieremiae omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri. Et praecepit Ieremias Baruch, dicens: Ego clausus [impeditus] sum; ingredere ergo tu et lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini in die ieiunii, insuper et audiente universo Iuda, qui veniunt de civitatibus suis, leges iis. . . . Et fecit Baruch, filius Neriae, iuxta omnia, quae praeceperat ei Ieremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini.“ Prius legit populo, dein principibus, qui erant in domo regis. Principes „igitur, cum audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum suum et dixerunt ad Baruch: Nuntiare debemus regi omnes sermones istos. Et interrogaverunt eum dicentes: Indica nobis, quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius. Dixit autem iis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento. . . . Misitque rex Iudi, ut sumeret volumen. Qui tollens illud . . . legit, audiente rege et universis principibus, qui stabant circa regem. . . . Cumque legisset Iudi tres pagellas vel quattuor, scidit illud [rex] scalpello scribae et proiecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula. Et non timuerunt neque sciderunt vestimenta sua rex et omnes servi eius, qui audierunt universos sermones istos. . . . Et factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen et sermones, quos scripserat Baruch ex ore Ieremiae, dicens: Rursum tolle volumen aliud et scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Ioakim, rex Iuda. Et ad Ioakim, regem Iuda, dices: Haec dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus veniet rex Babylonis . . .? Propterea haec dicit Dominus contra Ioakim, regem Iuda: Non erit ex eo, qui sedeat super solium David. . . . Ieremias autem tulit volumen aliud et dedit illud Baruch, filio Neriae, scribae, qui scripsit in eo ex ore Ieremiae omnes sermones libri, quem combusserat Ioakim, rex Iuda, igni; et insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.“

Ergo Ieremias scripsit librum suum ut propheta, vi muneris prophetici, iussus a Deo. Hic igitur liber vere ad Deum auctorem referendus et ut liber divinus habendus est. Quare Deus eius combustionem gravissimis poenis punit et se fideiussorem constituit eorum, quae libro continentur. (Tria haec: quod liber a propheta prodiit, quod ex voluntate Dei scriptus est, quod sententiae eius sunt divinae auctoritatis, tria haec sufficiunt, ut liber iste recte dicatur sacer et a Deo inspiratus.) Atqui Iudaeis persuasum erat omnes suos libros sacros a viris propheticis scriptos esse. Ergo secundum analogiam de omnibus aliis libris sacris eodem modo iudicandum est. Utique ex testimonio Veteris Testamenti non possumus immediate ostendere, qui sint libri sacri tali modo orti et divina auctoritate fruentes. Quaestio enim de canone alio modo solvenda est. Sufficit nobis hic ostendisse, quomodo ipsa Scriptura, considerata ut documentum historicum, testetur exsistentiam quorundam librorum sacrorum, et quem conceptum nobis exhibeat inspirationis divinae, sive ad loquendum sive ad scribendum.

381. *Sunt theologi qui ex illa narratione Ieremiae concludere velint ipsa vocabula et constructionem verborum scriptori inspirato a Deo suggeri.* Ratio eorum est, quod Baruch dicat: „Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me omnes sermones istos“ (Ir 36, 18). Nam qui legit, non solas sententias sed etiam singula verba ex libro haurit. At haec *ratio est infirma.* Ieremias enim non iubetur scribere revelationes, quas tunc inter scribendum accipiebat, sed quas antea iam acceperat (36, 2), et quas saltem partim iam scripserat. „Censent recentiorum plures Ieremiam iam antea variis schedis suas contiones et sermones litteris consignasse et nunc demum omnia rite digesta in unum collegisse volumen. . . . Cum miracula non sint multiplicanda sine ratione, facilius concipitur, quomodo Baruch dictare potuerit argumentum oraculorum, si iam varia erant schedis notata, quam si cuncta ex sola debuerit repetere memoria.“ [1] Iam in capite vigesimo quinto apud prophetam legimus: „Et adducam super terram illam omnia verba mea, quae locutus sum contra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quaecumque prophetavit Ieremias adversus omnes gentes“ (25, 13). Et alio loco: „Haec dicit Dominus Deus Israel dicens: Scribe tibi omnia verba, quae locutus sum tibi, in libro“ (30, 2). Et postea: „Et scripsit Ieremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem, in libro uno, omnia verba haec, quae scripta sunt contra Babylonem“ (51, 60). Cum igitur Ieremias saepius prophetias suas litteris mandaverit, cumque probabiliter ea saepius pro contione repetierit, nulla est ratio recurrendi ad miraculosam suggestionem singulorum verborum, ut intellegamus, quomodo propheta quasi legens dictaverit sermones suos.

[1] *Knabenbauer,* Comment. in Ier. 36, 4.

Itaque ex Vetere Testamento ut testimonio historico colligimus fuisse inter Iudaeos libros sacros, hos libros secundum persuasionem Iudaeorum scriptos esse a viris propheticis, qui non ex suo solo intellectu et voluntate scribebant, sed divinitus illustrati et moti, ideoque libros eorum habere divinam auctoritatem. Hanc fuisse persuasionem synagogae etiam ex Philone, Flavio Iosepho, traditione Iudaeorum constat. Patet igitur, cur libri illi dicantur divinitus inspirati.

§ 2. TESTIMONIA NOVI TESTAMENTI.

382. Si aperimus Novum Testamentum, frequenter nobis occurrit illud: „Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino“ (Mt 1, 22; 2, 5 15 17 23 etc.). Quibus verbis indicantur prophetiae Veteris Testamenti. Neque vero ex solis libris, qui presse dicuntur prophetici, haec, quae necessario adimplenda dicuntur, sumpta sunt, sed etiam ex aliis libris Veteris Testamenti, maxime ex lege et psalmis. Sufficiat in memoriam revocare illa verba Christi: „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me“ (Lc 24, 44). Ergo *in Novo quoque Testamento libri sacri Veteris Testamenti considerantur ut libri prophetici,* continentes infallibilem veritatem divinitus revelatam. Id solum hic iterum monendum est nobis non esse quaestionem de canone sed de inspiratione; nolumus igitur invenire, qui sint omnes et singuli libri sacri, sed quo sensu sint sacri.

Adfuisse temporibus Christi et apostolorum determinatam *collectionem sacrorum librorum,* efficitur ex illis appellationibus: *ἡ γραφή* (Io 2, 22; 10, 35. Gal 3, 22 etc.); *αἱ γραφαί* (Mt 22, 29. Lc 24, 32 etc.); *τὰ ἱερὰ γράμματα* (2 Tim 3, 15). Quando e. g. Christus Dominus dicit: „Scrutamini Scripturas, *ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς*“ (Io 5, 39), haec locutio supponit collectionem librorum sacrorum omnibus notam. *Unitas huius collectionis* inde quoque eruitur, quod verba, quae in variis libris leguntur, simul allegantur sub hac formula: „Scriptura dicit.“ Ita e. g.: „Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?“ (Io 7, 42.) Priora verba sumpta sunt ex psalmo (131, 11), posteriora vero ex Michaea (5, 2). Iterum: „Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum; et qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Et lapis offensionis et petra scandali his, qui offendunt verbo“ (1 Petr 2, 6 sqq). Haec leguntur Ps 117, 22 et Is 8, 14; 28, 16. Similiter Rom 3, 10 sqq, similiter aliis locis. Ergo omnes libri ad illam collectionem pertinentes sunt libri sacri et prophetici.

Dividitur tota collectio in legem, prophetas, psalmos (Lc 24, 44), interdum in legem et prophetas (Mt 5, 17), vel tota vocatur lex (Io

10, 34; 12, 34. 1 Cor 14, 21). Neque integris tantum libris nomen Scripturae inditur, sed etiam singulis dictis. Exemplo sit illud S. Ioannis: „Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt" (Io 19, 36 sq ex Ex 12, 46 et Zach 12, 10). Eodem sensu intellegenda est locutio: „Haec Scriptura, ista Scriptura" (Mc 12, 10. Lc 4, 21; cf. 24, 27. Act 8, 35. 2 Petr 3, 16). Est igitur hoc vocabulum Scripturae nomen proprium, quo tota collectio cum singulis suis partibus designatur ut a quibusvis aliis libris distincta et indolis prorsus singularis, qua omnibus aliis libris incomparabiliter praestat.

383. Iamvero *Sacrae Scripturae, sicut a Iudaeis, ita a Christo ipso et ab apostolis summa auctoritas tribuitur,* ut formula: „Scriptura dicit", „Scriptum est", argumentum efficacitatis prorsus ineluctabilis inducatur. Quae formula in evangeliis, actibus, epistulis apostolorum circiter centies quinquagies repetitur (Mt 4, 4 sqq. Io 10, 34. Act 15, 15. Rom 1, 17. 1 Petr 2, 6 etc.). Inde autem, quod Christus et apostoli dicta Veteris Testamenti indiscriminatim proponunt ut argumenta tam firma, ut nullam oblocutionem patiantur, efficitur et totam collectionem et singulos textus, immo interdum singula vocabula (e. g. Gal 3, 16. Hebr 8, 8 13), habita esse testimonia omni fide digna et omni exceptione maiora. Ideo toties repetitur: „Non potest solvi Scriptura" (Io 10, 35), „Oportet impleri Scripturam" (Act 1, 16), „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt" (Lc 24, 44), „Donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant" (Mt 5, 18).

Ex hac ultima sententia immerito quidam colligunt unamquamque litteram et unumquemque apicem a Deo sacris scriptoribus suggesta vel dictata esse. Nam hac dictione Christus significat minimum quodque mandatum, cum sic pergat: „Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis." Neque scriptura quadrata, quam haec Christi verba supponunt, est ea, quae temporibus Moysis in usu fuit[1]. Dicitur igitur non esse quidquam in lege, sive magnum sive parvum, quod censeri possit invalidum.

Quae vero est *ratio huius infallibilis auctoritatis? Haec est, quod Deus loquitur per sacros scriptores ut per prophetas* et consequenter per Scripturam ut per librum suum, seu quod sacri scriptores et Sacra Scriptura loquuntur nomine Dei et in Spiritu Sancto. Verbum Scripturae est *τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κυρίου διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος* (Mt 1, 22; 2, 15 etc.). Ait Christus: „Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis

[1] *Knabenbauer* i. h. l.

meis credetis?" (Io 5, 45 sqq.) Conclusio est haec: Cum per Moysis scripta Deus vobis loquatur, si Deo per Moysen loquenti crederetis, etiam Deo per me loquenti crederetis; si vero Deo per Moysen loquenti fidem denegatis, consequens est, ut et Deo per me loquenti fidem denegetis. Alibi legimus: „Congregatis pharisaeis, interrogavit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo?" (Mt 22, 41 sqq.) Ergo in psalmo 109 David loquitur „in Spiritu". Unde Deus ea, quae in Scriptura leguntur, dicitur loqui ad Iudaeos Christi aetate viventes: „Non legistis, quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham?" (Mt 22, 31 sq.) „Verba deprompta sunt ex Ex 3, 6; vocantur *dicta vobis*, quia Sacra Scriptura non est solum liber narrationum rerum gestarum, sed est verbum Dei, loquentis per scriptorem ad omnes, ut omnes erudiantur et doceantur et ad omnem virtutem admoneantur." [1]

384. *Eodem modo atque Christus apostoli loquuntur.* Ita S. Petrus: „Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David" (Act 1, 16). Et allegans psalmum 15, de verbis illis: „Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem", sic ait: David „propheta cum esset . . ., providens locutus est de resurrectione Christi" (Act 2, 30 sq). Ergo in psalmis, prout scripti exstant, David loquitur in Spiritu, et Spiritus loquitur per os David. S. Paulus scribit: „Dixit enim Deus in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima" (Hebr 4, 4). Quae verba in Genesi (2, 2) non referuntur ut *a* Deo dicta, sed *de* Deo dicuntur. Ergo secundum S. Paulum, in quantum scripta sunt, Deum auctorem habent, quia Deus effecit, ut suo nomine litteris consignarentur. Ideo per Scripturam Sacram semper pergit Spiritus Sanctus exhortari homines: „Contestatur autem nos Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos, dicit Dominus: Dando leges meas in cordibus eorum et in mentibus eorum superscribam eas, et peccatorum et iniquitatum eorum iam non recordabor amplius" (Hebr 10, 15 sqq ex Ir 31, 33 sqq). Gal 3, 8 loco Dei providentis et loquentis simpliciter ponitur Scriptura: „Providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae: Quia benedicentur in te omnes gentes" (cf. Gn 12, 3).

Ergo secundum doctrinam Christi et apostolorum omnia et singula dicta Scripturae Sacrae sunt infallibiliter vera, quia per sacros scriptores et eorum libros Deus hominibus loquitur. Consequenter recte dicitur Sacra Scriptura a Deo inspirata.

---

[1] *Knabenbauer,* In Matth. 22, 31.

385. *Sacram Scripturam esse divinitus inspiratam disertis verbis docet S. Paulus,* scribens ad Timotheum: „Tu vero permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu" (2 Tim 3, 14 15). Admonet igitur Timotheum, ut permaneat in studio Scripturae. Cur? *Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ* (2 Tim 3, 16). Sermo est de Scriptura Veteris Testamenti, quam a matre iudaea didicerat Timotheus inde a pueritia sua. Haec Scriptura vocatur divinitus inspirata, sive *θεόπνευστος* accipitur ut attributum, sicut in Vulgata: Omnis Scriptura inspirata est utilis; sive accipitur ut praedicatum: Omnis Scriptura (scilicet Sacra) est inspirata et utilis.

θεόπνευστος in Vulgata recte vertitur „divinitus inspirata". Hunc esse verum sensum Patres graeci et latini unanimiter testantur[1]. Non ideo negatur subesse consequenter etiam hunc sensum: Omnis Scriptura Deum spirat.

Illud *πᾶσα γραφή* potest absolute sumi collective et verti „tota Scriptura", quia nomen *γραφῆς* potest considerari ut nomen quasi proprium. Magis obvius est sensus distributivus: „quidquid nomine Sacrae Scripturae venit." Est igitur *πᾶσα γραφή* idem, quod apostolus alio loco dicit: *ὅσα προεγράφη,* „quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus" (Rom 15, 4). Ergo quidquid „scriptum est", *θεόπνευστον* est.

Vocabulum theopneustias vel inspirationis, quod a scriptoribus christianis toties Scripturae tribuitur, ex hoc loco epistulae secundae ad Timotheum haustum est. Quomodo inspiratio sacrorum scriptorum et Sacrae Scripturae facta sit, S. Paulus non explicat. Id tamen conicitur ex iis, quae Scriptura de influxu Dei in prophetas generatim docet, et in specie ex alio textu Novi Testamenti.

386. *S. Petrus* ait: „Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris; hoc primum intellegentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*" (2 Petr 1, 19 sqq).

Dixerat apostolus se ipsum fuisse speculatorem magnitudinis Christi in transfiguratione. Nihilominus firmius testimonium dicit propheticum sermonem, qui in Scriptura legatur. Ut autem firmitas huius testimonii perspiciatur, ante omnia intellegendam esse originem eius. Omnis

[1] Cf. supra n. 4 5 62 63 69 70 71 72 74 83 85 88 etc.

enim prophetia, inquit, in Scriptura contenta, non est res propriae interpretationis, *πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται*, i. e. prophetae non ex suo ingenio ad cognoscenda et praedicanda illa mysteria pervenire poterant, sed solum a Spiritu Sancto adiuti, qui Spiritus solus perfecte sensum vaticiniorum cognoscit. Vel si quis mavult illud *ἐπιλύσεως* ad expositionem Scripturae referre, sensus est: Non potest Scriptura recte et perfecte exponi nisi cum auxilio eiusdem Spiritus, qui eius auctor est. Non enim voluntate humana umquam facta est vera prophetia, sed *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι*. Ergo sub motione Spiritus Sancti erant sacri scriptores, quando prophetias in Scriptura enuntiabant. Proxime igitur prophetae moti sunt a Spiritu Sancto ad annuntianda verba divina per Scripturam, et consequenter haec ipsa Scripturae verba iure dicuntur a Deo inspirata. Sermonem esse de locutione scripta patet, quia ad Scripturam apostolus iubet attendere Christianos, et hanc Scripturae prophetiam dicit esse allatam non voluntate humana, sed ex motione Spiritus Sancti. Intellegit autem non solos libros propheticos, cum prophetiae Christum spectantes in aliis quoque Scripturae libris inveniantur, et ex iis ab ipso apostolo saepe proferantur (cf. Act 1, 16; 2, 25; 3, 22 etc). Ergo Scripturae, utpote propheticae, auctor non est homo, sed Deus, seu Scriptura est divinitus inspirata.

387. *Schol. 1.* Potestne ex sensu typico Scripturae divina eius inspiratio probari?

Christus Dominus, apostoli, evangelistae interdum ex Vetere Testamento argumentantur, non secundum sensum, quem ipsa verba Scripturae prae se ferunt, sed *secundum sensum, quem facta verbis relata ex divina ordinatione praefigurant.* Potest enim Deus providentia sua cursum rerum ita dirigere, ut ea, quae fiunt, sint simul figura eventuum futurorum. Haec praefiguratio vocatur typus [1].

Indicium huius rei iam habetur in *Vetere Testamento,* in quo e. g. futurus Messias vocatur David, non ob aliam sane rationem, nisi quia regnum davidicum multo gloriosius resurget in regno messianico. „Post haec [post captivitatem] revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum" (Os 3, 5). „Servient Domino Deo suo et David regi suo, quem suscitabo iis" (Ir 30, 9). „Et suscitabo super eas [oves meas] pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit iis in pastorem. Ego autem Dominus ero iis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum" (Ez 34, 23 sq). Ergo David, liberans populum ab omnibus inimicis suis et gloriose regnans, est figura prophetica seu typus Messiae futuri.

[1] Cf. supra n. 90 108 127 176 etc.

Christus Dominus ait: „Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam“ (Io 3, 14 sq). Nisi quis irrationabiliter velit dicere fortuito tantum et casu esse similitudinem inter serpentem aëneum, quem Moyses iussu Dei exaltavit in deserto, ut aspicientes eum salvi fierent a morsu serpentum (Nm 21, 6 sqq), et Christum in cruce exaltatum et liberantem a peccato totum genus humanum, fateri debet factum divina providentia dirigente, ut serpens aëneus esset prophetia quaedam realis futuri Redemptoris. Idem valet de illis verbis Christi: „Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus“ (Mt 12, 39 sq).

Alii typi explicantur ab evangelistis et apostolis. E. g. S. Ioannes, postquam narravit ossa Christi crucifixi non esse confracta, haec addit: „Facta enim sunt haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo“ (Io 19, 36). Haec verba „os non comminuetis ex eo“ leguntur in libro Exodi (12, 46), ubi de solo agno paschali sermo est. At ritus agni paschalis ex intentione Dei erat figura Christi, qui est pascha Christianorum (1 Cor 5, 7). Ita verba illa sensu typico referuntur ad Christum. S. Paulus, loquens de transitu Iudaeorum per mare rubrum et de miraculis in exitu ex Aegypto et in migratione per desertum factis, ait: „Haec autem omnia in figura contingebant illis, scripta autem sunt ad correptionem nostram“ (1 Cor 10, 11).

Solum Deum posse esse auctorem typorum manifestum est. Nam homines possunt quidem fingere narrationes ad res intellectuales et morales illustrandas, ut fit in libris romanensibus quos vocant; sed solus Deus efficere potest, ut ipsi historici eventus ita procedant, ut simul significent res alias, maxime libere futuras.

Itaque cum constet sensum typicum in Sacra Scriptura inveniri (cf. Mt 2, 15. Rom 5, 14. Gal 4, 22 sq. 1 Petr 3, 20 sq etc.)[1], quae-

[1] Unde apostoli singulos typos noverunt? Respondeo: quaedam a prophetis indicata sunt; quaedam Christus explicavit, fortasse plura quam pauca illa, quae in evangeliis narrantur; alia poterant ex revelatione Spiritus Sancti discere; fortasse quaedam poterant ipsi invenire, illuminati a Spiritu Sancto et nixi generali illo principio de typica indole Veteris Testamenti. Typica enim expositio non erat aliena a mente et consuetudine Iudaeorum. Ergo si forte quidam typi erant generaliter agniti, poterant iis uti in doctrina christiana proponenda, etiam sine speciali revelatione. Eos autem umquam falsas rationes typicas assignasse et in scriptis inspiratis ut veras exhibuisse, utique admittendum non est, idque eo minus, quia agitur de re non profana, sed ad sacram doctrinam pertinente. Agitur enim de prophetiis realibus, ut inter alia patet ex illa formula: „Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est“ de typo. Proponere autem ut prophetias, quae vere prophetiae non sunt, apostoli non potuerunt. Interdum vero dubium manet, utrum agatur de vero typo, an de comparatione tantum vel pia meditatione et applicatione (plura apud *Cornely*, Introd. I[2] 552 sqq).

ritur, num ex hoc ipso statim concludere possimus Deum esse auctorem illorum scriptorum, quae typos continent. Sed hoc immediate saltem non sequitur. Nam ex hoc, quod Deus factum aliquod ita ordinavit, ut futurum eventum praefiguraret, non efficitur hoc factum etiam Deo auctore litteris consignatum esse. Revelatio quidem requiritur, ut aliquid cum certitudine sciamus de iis, quae ex libera Dei voluntate pendent, cuiusmodi sunt typi. Sed ea, quae revelata sunt, potest etiam auctor non inspiratus conscribere.

Nihilominus *ex modo, quo typi in Novo Testamento explicantur, cum certitudine concludi videtur libros, qui typos continent, ex inspiratione divina esse scriptos.* Imprimis enim in typorum explicatione fit provocatio ad Scripturam: „Scriptum est enim", „Ut Scriptura impleretur" (Io 19, 36. 1 Cor 9, 9. Gal 4, 22 etc.). Iamvero si quid debet impleri, quia scriptum est, Deus auctor fuit non solius facti, sed etiam scriptionis.

Praeterea interdum ratio typica pendet a re, praecise ut scripta est. Exemplo sit Melchisedech ut typus Christi (Ps 109, 4). Cur est typus Christi? Inter alia ideo, quia est „sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem habens; assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum" (Hebr 7, 3). Melchisedech, utpote homo, sine dubio habuit patrem et matrem et vitae initium et finem. Neque tamen quidquam horum narratur in Genesi (14, 18 sqq), sed subito introducitur ut rex Salem et sacerdos Altissimi, quasi semper fuerit et in perpetuum futurus sit[1]. Ergo hic ratio typica non est nude in re ipsa, sed in modo, quo res describitur. Nullus autem scriptor humanus potuit suo ingenio eligere ea, quae de Melchisedech scribenda vel omittenda erant, ut hic esset typus Christi. Ergo quae de Melchisedech scripta sunt, ex inspiratione Spiritus Sancti scripta sunt. Simile quid valet de aliis typis, in quibus ratio typica a scriptoribus Novi Testamenti eruitur ex singulis verbis, ut ex illis, quae dicta sunt de Sara et Hagar: „Quid dicit Scriptura? Eice ancillam et filium eius; non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae" (Gal 4, 30 ex Gn 21, 10). Atqui si ratio typica in ipsa recta electione verborum consistit, haec electio facta est ex inspiratione Spiritus Sancti, seu scriptor sacer in typis conscribendis fuit inspiratus, cum secus potuerit verba inepta adhibere. Ergo ex doctrina Novi Testamenti de typis Veteris Testamenti confirmantur ea, quae diximus de inspiratione librorum Veteris Testamenti.

388. *Schol. 2.* Possitne inspiratio Novi Testamenti ex Sacra Scriptura probari.

Admodum pauca sunt, quae de libris sacris Novi Testamenti in Scriptura dicuntur. S. Ioannes in Apocalypsi saepius repetit se ac-

[1] Inde quidam veteres immerito concluserunt eum fuisse angelum.

cepisse a Deo mandatum scribendi visiones suas (Apc 1, 10 sq 19; 2, 1 8 12 18; 3, 1 7 14; 19, 9), nominat librum suum prophetiam (22, 9 10) et tantam ei auctoritatem tribuit, ut per Dei iram nihil apponendum, nihil demendum esse moneat (22, 18 sqq).

Porro S. Paulus ad Timotheum scribit: „Dicit Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti; et: Dignus est operarius mercede sua" (1 Tim 5, 18). Priora verba leguntur Dt 25, 4. Posteriora autem verba non inveniuntur nisi in evangelio Lucae (10, 7), vel secundum sensum apud Matthaeum (10, 10). Ergo merito censetur Paulus evangelium Lucae, vel fortasse Matthaei, respicere et Sacrae Scripturae annumerare, tum quia praemittit: „Dicit Scriptura", tum quia verba evangelii iungit cum verbis e Deuteronomio sumptis.

Tertius locus, quo aperte dignitas Scripturae quibusdam scriptis Novi Testamenti tribuitur, est in secunda epistula S. Petri: „Domini nostri Iesu Christi longanimitatem salutem arbitremini, sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistulis, loquens in iis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas *(ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς)* ad suam ipsorum perditionem" (2 Petr 3, 15 sq). Cum *αἱ γραφαί* sit terminus technicus, quo Sacra Scriptura significatur, habemus testimonium, quo constat illis temporibus, quibus scripta est secunda Petri epistula, epistulas Pauli inter libros sacros recensitas esse, quos male intellegere tam periculosum est, quia ut „Scriptura" pertinent ad regulam fidei.

Cum haec sint omnia, quae in Scriptura de libris Novi Testamenti dicuntur, nullum argumentum biblicum suppetit ad probandam inspirationem omnium librorum Novi Testamenti, qui sunt in canone, sed necessario recurrendum est ad Traditionem.

ART. II.

TESTIMONIA TRADITIONIS DE INSPIRATIONE.

§ 1. TESTIMONIUM PRACTICUM EX USU VETERUM CHRISTIANORUM.

389. A sanctis Patribus sacros libros Veteris et Novi Testamenti saepe dici divinitus inspiratos vel dictatos multis testimoniis supra ostendimus[1]. At notandum est *ex solo vocabulo inspirationis* (vel alio synonymo) *argumentum peti non posse.* Est enim hoc vocabulum valde indeterminatum, quod in Scriptura non minus quam in traditione applicatur ad res varias, sola analogia quadam inter se convenientes[2]. Ex analogo autem nomine specifica alicuius rei ratio determinari nequit. Iam antea monuimus aptum non esse modum explicandi conceptum inspirationis biblicae ex sola notione inspiratoris[3]. Hoc inde

[1] n. 5 61 sqq. [2] Supra n. 2 sq. [3] Supra n. 312.

quoque illustratur, quod SS. Patres loquuntur de scriptis divinitus inspiratis vel dictatis, quae non pertinent ad Sacram Scripturam. *S. Gregorius Naz.* commentarium S. Basilii in Hexaëmeron vocat *τὴν θεόπνευστον ἐκείνην τοῦ πατρὸς ἡμῶν εἰς τὸ προκείμενον θεωρίαν*[1]. Scriptor „Computi de Pascha" (ante medium saec. III) de se ait: „Commisimus nos in rem tam laboriosam, in qua non derelicti, sed potius ab ipso Deo inspirati, volumus ... ostendere...."[2] *S. Augustinus*[3] affirmat S. Hieronymum scripsisse „non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu". *S. Leo M.*[4] de Concilio Chalcedonensi ait: „Nihil posse huic regulae, quae ex divina inspiratione processit, addi." *S. Gregorius M.*[5]: „Opus spe divinae inspirationis aggredior." Similia multa legimus; immo usque ad nostra tempora non raro dicitur scriptor aliquis fuisse bene vel male inspiratus.

Sed plura colligere superfluum est, cum res in se sit evidens; nam ex eo, quod quis dicitur inspirasse aliquem scriptorem vel librum, non potest quidquam determinate cognosci de modo, quo ad scriptionem libri se habuerit. Itaque concedimus posse etiam alia praeter Sacram Scripturam vero aliquo sensu dici a Deo inspirata. Sed his non obstantibus Christiani inde a primis saeculis libros sacros ut prorsus distinctos ab omnibus aliis omnesque alios dignitate specifica superantes agnoverunt, idque patet imprimis ex usu practico.

390. *Libri Sacrae Scripturae ubique in publica liturgia legebantur et explicabantur.* Testis est *S. Iustinus:* „Solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum fit conventus, et commentaria apostolorum aut scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Dein ubi lector desiit, is, qui praeest, admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit."[6] Testis est *Tertullianus:* „Edam iam nunc ego negotia christianae factionis, ut, qui mala refutaverim, bona ostendam. ... Cogimur [i. e. convenimus] ad litterarum divinarum commemorationem, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus in compulsationibus [i. e. persecutionibus] densamus."[7] Ceterum huius rei tot exstant testimonia, quot sunt homiliae SS. Patrum de Scriptura coram populo habitae.

Verum quidem est hinc inde in quibusdam ecclesiis lectos etiam esse libros non canonicos, ut epistulam Clementis Romani, Pastorem Hermae, aliaque scripta, etiam apocrypha. At hae erant exceptiones, et ne fieret confusio aliorum scriptorum cum Scriptura Sacra, hae excep-

---

[1] In Hexaem. prooem.; *M* 44, 61. [2] *M* P. L. 4, 942 sq.
[3] Epist. 82, 2; *M* 33, 276. [4] Ib. 145, 1; *M* 54, 1114.
[5] In 1 Reg. prooem. n. 5; *M* 79, 21.
[6] Apol. 1, 67; *M* 6, 430; cf. supra n. 38.
[7] Apol. 39; *M* 1, 468 sq. Alia apud *Zahn,* Gesch des N. T. Kanons 1, 139 sqq.

tiones in aliquibus ecclesiis interdictae sunt. *Concilium Laodicenum:* „Non oportet privatos psalmos legere in ecclesia neque acanonicos libros, sed solos canonicos Novi et Veteris Testamenti.“ [1] In aliis quidem ecclesiis permittebatur lectio aliquorum librorum non canonicorum, sed rarius et debita distinctione servata inter eos et Sacram Scripturam. *Concilium Carthaginiense III:* „Placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae [enumeratis iis additur:] Liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.“ [2]

Maxime interdicebantur libri apocryphi, i. e. qui falso prophetarum vel apostolorum nomina prae se ferunt. *Innocentius I* in epistula ad Exsuperium Tolosanum, postquam enumeravit libros canonicos, pergit: „Cetera autem, quae vel sub nomine Matthiae sive Iacobi minoris, vel sub nomine Petri et Ioannis, quae a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Thomae, et si qua sunt talia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.“ [3] Similia leguntur in *Decreto Gelasiano,* quod dicitur [4]; similia iam multo ante in *Fragmento Muratoriano* [5]. In *Constitutionibus apostolicis,* qui est ipse liber apocryphus, inducuntur apostoli dicentes: „Haec omnia scripsimus vobis, ut notum haberetis, qualis sit nostra sententia, et ne libros, qui ab impiis nominis nostri inscriptione sunt firmati, reciperetis.“ Apocrypha quaedam Iudaeorum vocant „libros apocryphos, exitiales ac repugnantes veritati“ [6]. Haec ostendunt ab ecclesia diligenter servatum esse discrimen inter libros canonicos et omnes alios, etiam apostolorum nomina prae se ferentes. Hoc *Eusebius* quoque testatur, qui distinguit inter *ὁμολογούμενα, ἀντιλεγόμενα, νόθους* [7]. „Quorum indicem contexere idcirco necessarium putavi, ut, cum ex ecclesiae traditione veras et sinceras Scripturas et omnium consensu probatas ab iis distinxerimus, quae dubiae quidem auctoritatis sunt nec in Novi Testamenti corpus relatae, a plerisque tamen ecclesiasticis scriptoribus agnoscuntur, hoc modo tum hos ipsos libros facilius dignoscere possimus, tum alios sub apostolorum nomine ab haereticis evulgatos, qui Petri, Thomae, Matthiae et quorundam aliorum evangelia, Andreae quoque, Ioannis aliorumque apostolorum actus continent, quos quidem libros nullus umquam, qui continuata ab apostolis successione in ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est.“ Hos ultimos libros vocat „absurdos et impios et prorsus repudiandos“ [8]. Ratio discriminis, inter libros canonicos et acanonicos tam diligenter servati, erat, quia ecclesia Sacram Scrip-

[1] Can. 59; *Harduin.* 1, 791. [2] Can. 47; *Harduin.* 1, 968.
[3] *Harduin.* 1, 1005. [4] *M* 59, 163.
[5] *Theod. Zahn,* Gesch. des neutest. Kanons II 8.
[6] Constitutiones apostolicae 6, 16; *M* 1, 949 sqq.
[7] Antilegomena interdum vocat *nothus,* interdum haec inter se distinguit.
[8] *Eus.,* H. E. 3, 25; *M* 20, 270 sqq; cf. 3, 25 et 6, 12; *M* 20, 267 sqq 543 sqq.

turam regulam fidei, divinitus constitutam et omnibus absolute sequendam credebat, cum alii libri, etsi in se optimi, humana tantum auctoritate polleant. *Augustinus:* „Solis (inquit) iis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam, alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate praepolleant, non ideo verum putem, quia ita senserunt.“ [1]

391. Praeterea *studebant SS. Patres summo zelo Scripturae sensum invenire et aliis exponere,* quia iis persuasum erat non posse in verbis divinis non inesse sensum verissimum et altissimum. Hinc efferunt in Scriptura nullam esse sententiam, nullum vocabulum, nullum signum, gravissimis sensibus et mysteriis vacuum [2]. Praeter doctores iam laudatos audiatur unus *S. Petrus Chrysologus:* „Singula Scripturae verba si singulis libris mandarentur, nec sic mysteria, quae in ipsis sunt, audientibus perlucerent.“ [3] „Non apices, non litterae, non syllabae, non verbum, non nomina, non personae in evangelio divinis vacua sunt figuris.“ [4] Recentibus quidem exegetis Patres saepe excessisse videntur in allegorica Scripturae expositione. Sit ita, excesserint: sed nonne hic ipse excessus manifeste supponit communem fidem divinae originis sacrorum librorum? Nemo enim in libro pure humano quaereret tam inexhaustas sensuum divitias. Ergo iam ipse modus, quo SS. Patres libros sacros tractabant, efficax argumentum praebet ad ostendendum Christianis primorum saeculorum persuasum fuisse de divina Scripturae inspiratione.

392. *Gentiles, qui bene noverant, quo in honore apud Christianos libri sacri essent, magnum se triumphum deportasse censebant, si possent a Christianis traditionem Scripturae extorquere.* Maxime in Diocletiani persecutione a. 303 factum est edictum, quo Christiani iubebantur tradere libros sacros ad comburendum. Neque deerant qui metu adacti edicto oboedirent. Hi „traditores“ vocabantur, ut inter alios testatur *Augustinus* [5]. Narrat *Eusebius:* „Nonus decimus agebatur annus imperii Diocletiani, cum mense Dystro, quem Romani Martium vocant, appetente die festo dominicae passionis proposita sunt ubique imperialia edicta, quibus ecclesiae quidem ad solum usque dirui, sacri vero codices flammis absumi iubebantur.“ Exsecutionem Eusebius ipse vidit: „Haec omnia nostris temporibus completa sunt, tunc cum aedes sacras solo aequari ac funditus subverti, sacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari oculis nostris vidimus.“ Nihil

---

[1] *August.*, Epist. 82, 3; *M* 33, 277. Integrum textum habes supra n. 118.
[2] Supra n. 51 63 69 72 74 86 116 etc.
[3] *Petri Chrysol.* Sermo 64; *M* 52, 379. [4] Ib. Sermo 146; *M* 52, 592.
[5] De bapt. 7, 2, 3; Contra Cresc. 3, 27; *M* 43, 226 510 sq.

tamen de traditoribus referre vult, sed solum de sanctis martyribus, qui pro fide et Scriptura gravissima tormenta et nobilissimam mortem subierunt, quorum longam seriem enumerat; fuit enim „ingens martyrum multitudo“ [1].

In actis SS. Saturnini, Dativi, aliorum plurimorum martyrum africanorum a. 304[2] haec leguntur:

„Temporibus Diocletiani et Maximiani bellum diabolus Christianis indixit eo modo, ut sacrosancta Domini Testamenta Scripturasque divinas ad exurendum peteret. . . . Sed non sustulit exercitus Domini tam immane praeceptum, sacrilegamque iussionem perhorruit et mox fidei arma arripuit, descendit in proelium, non tam contra homines quam contra diabolum pugnaturus. Et quamvis tradendo gentibus Scripturas dominicas atque Testamenta divina profanis ignibus comburenda, a fidei cardine cecidere nonnulli; conservando tamen eas et pro ipsis libenter sanguinem effundendo fortiter finiere quam plurimi. . . . Sed iam ad supradictae civitatis [Abitinensis] pervenerunt forum. Ibi primum congressi, confessionis palmam magistratus elogio sustulerunt. In isto namque foro iam pro dominicis Scripturis dimicaverat caelum, cum Fundanus, ipsius civitatis quondam episcopus, Scripturas dominicas traderet exurendas, quas cum magistratus sacrilegus igni apponeret, subito imber sereno caelo diffunditur, ignis Scripturis sanctis admotus exstinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio, pro Scripturis dominicis elementis furentibus, devastatur.“ Postquam Christiani Carthaginem perducti sunt, Anulinus proconsul interrogat *Emeritum,* in equuleo positum: „Habes ergo Scripturas aliquas in domo tua? Et respondet: Habeo, sed in corde meo. Et proconsul: In domo tua, inquit, habes, an non? Emeritus martyr ait: In corde meo illas habeo. . . . O martyrem, apostoli memorem, qui legem Domini conscriptam habuit, non atramento sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus! O martyrem legis sacrae idoneum diligentissimumque custodem, qui traditorum facinus perhorrescens, Scripturas dominicas ne perderet, intra secreta sui pectoris collocavit!“ [3]

393. Quae hic dicuntur de Sacra Scriptura in cordis scrinio abscondita, similiter leguntur in actis martyrum palaestinensium, in quibus *Eusebius* de quodam *Ioanne* martyre narrat, cuius alter pes candenti ferro debilitatus, oculi vero cauterio perusti fuerant:

„Porro hunc virum ob mores quidem et philosophicam vivendi rationem nihil attinet praedicare, praesertim cum huius rei causa non tantum admirationis sit consecutus, quantum ex memoriae praestantia. Quippe qui totos divinae Scripturae libros non in tabulis lapideis, quemadmodum ait divinus apostolus, nec in membranis animalium aut chartis, quae vermibus et longinquitate temporis consumuntur, verum in carneis cordis tabulis, in anima scilicet candida et in purissimo mentis lumine perscriptos habuerit. Adeo ut, quoties vellet, interdum legis mosaicae, interdum prophetarum

[1] *Eus.,* H. E. 8, 2 sqq; *M* 20, 743 sqq.

[2] Genuinitatem horum actuum agnoscebant Catholici et Donatistae, teste *Augustino,* Brev. collat. cum Donat. c. 17, n. 32; *M* 43, 643.

[3] *Ruinart,* Acta martyrum; Ed. Veron. 1731, 338 sqq.

libros, nonnumquam sacrae historiae locos, alias evangelica et apostolorum scripta, memoriter velut ex litterario quodam penu proferret. Fateor certe obstupuisse me, cum illum in frequentissimo ecclesiae coetu medium stantem et quosdam divinae Scripturae locos recitantem primitus vidi. Etenim quamdiu quidem vocem dumtaxat hominis audire mihi dabatur, quaedam illum, ut in ecclesiastico coetu moris est, legere existimabam. Verum illi proxime accedens, id, quod res erat, deprehendi: ceteros quidem, qui in circuitu adstabant, integra oculorum acie pollere, illum vero solis intellegentiae oculis praeditum instar prophetae cuiusdam oracula edere et reliquis corpore valentioribus multo praestare, facere omnino non potui, quin Deum summis laudibus efferrem ac praedicarem." Ioannes post tormenta iam prius tolerata tandem in Diocletiani persecutione martyrio coronatus est." [1]

Ipsae quoque mulieres supplicio affectae sunt, quia Scripturas non tradiderant.

In actis SS. Agapes, Chioniae, Irenes iudex interrogat *S. Chioniam:* „Num aliqua apud vos sunt impiorum Christianorum commentaria vel membranae aliquae vel libri? Respondit Chionia: Nulla, o praeses, nobis sunt; omnia illa imperatores, qui nunc sunt, a nobis abstulerunt. Praeses autem: Quisnam hanc mentem vobis dedit? Omnipotens Deus, inquit illa." Pro quo responso igni cremari iubetur. Dein praeses interrogat *S. Irenen:* „Tuae insaniae propositum ex his, quae facis, manifesto apparet, quae tot membranas, libros, tabellas, codicillos et paginas Scripturarum, quae sunt impiorum Christianorum, qui umquam fuerunt, ad hodiernum usque diem servare voluisti. . . . Quis tibi auctor fuit, ut membranas istas atque Scripturas ad hodiernum usque diem custodires? Ille, inquit Irene, Deus omnipotens, qui iussit nobis ad mortem usque ipsum diligere, qua de causa non ausae sumus eum prodere, sed maluimus aut viventes comburi aut, quaecumque alia nobis acciderint, perferre, quam talia prodere. . . . Domi nostrae erant, neque audebamus illa efferre. Quamobrem magnopere angebamur, quod non poteramus nocte ac die illis operam dare, sicut a principio consueveramus usque ad annum superiorem, quo et illa occultavimus." Irene vivens combusta est [2].

Interdum Christianis ut titulus condemnationis ad collum appendebatur Scriptura apud eos inventa. *S. Euplius,* deprehensus cum evangeliis, interrogatur a iudice Calvisiano: „Tu ea huc deportasti? Euplius dixit: Per me ea huc deportavi, ut et ipse vides. Invenerunt me cum illis. Calvisianus dixit: Lege ea. Euplius aperiens legit: Beati, qui persecutionem patiuntur. . . . Cum haec et alia legeret, Calvisianus consularis dixit: Hoc quid vult esse? Euplius dixit: Lex Domini mei, quae mihi tradita est. Calvisianus consularis dixit: A quo? Euplius respondit: A Iesu Christo, Filio Dei vivi. . . . Calvisianus dixit: Quare apud te habuisti et non tradidisti has lectiones, quas imperatores vetuerunt? Respondit Euplius: Quia Christianus sum et tradere non licebat, magisque expedit mori quam tradere. Qui tradit, vitam aeternam perdit. Ut eam non perdam, vitam meam do. . . . Tunc appensum est ad collum eius evangelium, cum quo apprehensus fuerat . . . et iterum gratias agens, praebuit iugulum et a carnifice decollatus est." [3]

---

[1] *Eus.,* De martyribus Palaestinae c. 13; *M* 20, 1515 sq.
[2] *Ruinart* l. c. 350. [3] *Ruinart* l. c. 361 sqq.

394. Quod gentiles Christianis in ludibrium, hoc Christiani ipsi interdum ex pietate faciebant, portantes evangelia super pectus, ut testantur *Ioannes Chrysostomus*[1] et *Isidorus Pelusiota*[2]. Adhibebant evangelia ad expellendos daemones, teste *Origene*[3], et ad curandos morbos, teste *Augustino*[4]; in signum reverentiae evangelia audiebant stantes secundum eundem Isidorum[5], et lumina accensa praeferebantur libro evangeliorum secundum *Hieronymum*[6]. Antiquus quoque est mos osculandi librum evangeliorum[7]. *Concilium Constantinopolitanum IV* can. 3 haec statuit:

„Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi et omnium liberatoris et salvatoris aequo honore cum libro sanctorum evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quae in libro feruntur, salutem consequemur omnes, ita per colorum imaginariam operationem et sapientes et idiotae cuncti ex eo, quod in promptu est, perfruuntur utilitate. Quae enim in syllabis sermo, haec et scriptura, quae in coloribus est, praedicat et commendat; et dignum est, ut . . . iconae honorentur et adorentur aeque ut sanctorum sacer evangeliorum liber atque typus pretiosae crucis.“ [8] Ergo sacros evangeliorum libros speciali modo honorandos esse ut ab omnibus concessum praesupponitur.

Haec abunde sufficiunt ad ostendendum Christianos omni aetate habuisse Sacram Scripturam librum non utcumque bonum et utilem, sed potius singulariter sanctum et divinum ratione originis et doctrinae seu ratione inspirationis divinae. Quod autem practice usu ostenderunt, hoc etiam theoretice verbis docuerunt.

§ 2. TESTIMONIA THEORETICA SS. PATRUM ET CONCILIORUM.

395. SS. Patres Sacram Scripturam solent appellare *divinam Scripturam*. Ita auctor „Cohortationis ad Graecos“ scribit regem Philadelphum sacros libros, „ut par erat, divinos existimasse“ [9] Ita divinam appellant Scripturam *Irenaeus*[10], *Hippolytus*[11], *Tertullianus*[12], *Lactantius*[13], *Marius Victorinus*[14], alii posteriores plurimi[15].

Ratio vero, cur Scripturam dicant divinam, non ea tantum est, quod contineat res divinas, sed *ea potissimum, quod eius auctores sint*

---

[1] *Chrysost.* In Matth. hom. 72, n. 2; *M* 58, 669.
[2] *Isid. Pel.* l. 2, epist. 150; *M* 78, 603.
[3] *Orig.* Contra Cels. 1, 6; *M* 11, 666.
[4] *August.* In Io. tr. 7, n. 12; *M* 35, 1443.
[5] *Isid. Pel.* l. 1, epist. 136; *M* 78, 271.
[6] *Hieronym.* contra Vigil. n. 7; *M* 23, 346.
[7] De his omnibus conferri potest Card. *Bona*, Rer. liturg. 2, 7. Alia quaedam apud *H. Höpfl*, Das Buch der Bücher, Freiburg 1905, 5 sqq.
[8] *Denzinger*, Enchir. n. 273. [9] Supra n. 39. [10] Supra n. 43.
[11] Supra n. 44. [12] Supra n. 47. [13] Supra n. 49. [14] Supra n. 50.
[15] Cf. supra n. 62 sq 70 93 96 109 117 sq etc. Alia apud *Zahn*, Gesch. des N. T. Kanons 1, 90.

prophetae, per quos Deus locutus sit hominibus. Prima explicatio inspirationis biblicae, quam apud SS. Patres invenimus, procedit ex conceptu prophetiae[1]. Nec mirum; hoc enim modo in ipsa Scriptura hanc doctrinam exponi vidimus (supra n. 377 sqq). *S. Iustinus* ait: Libri Scripturae ideo utiliores sunt libris omnium philosophorum, quia conscripti sunt ab hominibus beatis, iustis, Deo dilectis, divino Spiritu loquentibus, qui prophetae vocantur, ita ut, quaecumque in his libris dicuntur, Spiritus ipse locutus sit. Postquam hoc exposuit de libris Veteris Testamenti, docet plane eundem Spiritum locutum esse per sacros scriptores Novi Testamenti, ideoque eorum libros eiusdem esse dignitatis[2]. Eadem via incedit *Theophilus Antiochenus,* secundum quem omnes scriptores sacri tam concorditer loquuntur, quia eodem Spiritu repleti sunt, seu quia unus et idem Spiritus loquitur per omnes[3]. *Irenaeus* ex eodem principio explicat, quomodo in Scriptura „dictionum multae voces unam consonantem melodiam efficiant“[4]. Similiter *Hippolytus*[5]; ex posterioribus e. g. *Theodoretus*[6], *Chrysostomus*[7]. Hinc explicatur, cur veteres Scholastici consueverint notionem inspirationis ad conceptum prophetiae reducere[8]; hoc enim didicerant a SS. Patribus.

Quia prophetae non sua loquuntur sed Dei sensa, *Scriptura est verbum Dei, litterae missae a Deo ad homines per prophetas,* quas Deus dictavit et misit per homines inspiratos. Secundum *Chrysostomum* Deus has litteras dedit, Moyses autem attulit[9]. Alio loco ait Spiritum Sanctum dictasse, Paulum vero scripsisse[10]. Secundum *Augustinum* Christus tamquam caput suis membris scribenda dictavit[11]. Secundum *Gregorium Magnum* sacer scriptor est calamus, quo Deus scribit[12]. Unde etiam illud, quos plures Patres dicunt, dogmatice nihil referre, quis sit auctor humanus, cum constet proprium auctorem omnium librorum sacrorum esse Deum. Ita *Theodoretus*[13], ita alii post eum, maxime *Gregorius Magnus*[14], cuius verba scriptores sequentium saeculorum repetere solent.

Unde *Scripturae dicuntur scriptae a Spiritu Sancto.* Hoc saepius repetit *Origenes*[15], item *Basilius*[16], Hieronymus[17], alii. Vel Spiritus Sanctus dicitur conscriptor sacrorum librorum, ut in *Concilio Constantinopolitano secundo*[18]. Scripturae dicuntur a Deo dictae vel dictatae, quae duo vocabula non raro promiscue usurpantur; nam ubi in versionibus latinis est dictare, in textibus graecis saepe legitur *λαλεῖν, λέγειν* vel similia. Secundum *Irenaeum* Scripturae perfectae sunt, quia a Deo dictae[19]. Secundum *Cyrillum Alex.* Scriptura tota est unus

---

[1] Cf. *Zahn* l. c. 94 100.
[2] Supra n. 38. [3] Supra n. 40. [4] Supra n. 42. [5] Supra n. 44 sq.
[6] Supra n. 83. [7] Supra n. 85 sq.
[8] Supra n. 170; cf. 194 205 292 317. [9] Supra n. 85. [10] Supra n. 86.
[11] Supra n. 117. [12] Supra n. 132. [13] Supra n. 83. [14] Supra n. 132.
[15] Supra n. 62 sqq, [16] Supra n. 68. [17] Supra n. 109.
[18] Supra n. 139. [19] Supra n. 42.

liber et dicta ab uno Spiritu[1]. Idem dicit *Cyrillus Hiersol.*[2] et alii. Scribere enim est loqui vel dicere secundum genericam significationem, qua dicitur aliquis loqui, quando mentem suam alii manifestat.

396. Si haec et alia breviter comprehendimus, *Scripturae dicendae sunt ita a Deo inspiratae, ut ipse sit verus et proprius auctor earum.* Quare iam veteribus temporibus contra haereticos statutum est unum eundemque Deum Novi et Veteris Testamenti, i. e. legis, prophetarum et apostolorum esse auctorem[3]. *Eugenius IV* cum Concilio Florentino docet: „Sacrosancta Romana ecclesia unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, legis et prophetarum atque evangelii, profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur."[4] *Concilium Tridentinum* „omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor . . ., suscipit ac veneratur"[5]. Tandem *Concilium Vaticanum* eosdem libros „pro sacris et canonicis habet ideo . . . quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ecclesiae traditi sunt"[6]. Ex eodem conceptu Dei per inspirationem auctoris sacrorum librorum argumentatur *Leo XIII* contra eos, qui admittebant errores in Scriptura: „Nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae."[7]

Ergo non solum constat Scripturam esse divinitus inspiratam, sed etiam constat inspirationem ita esse concipiendam et exponendam, ut Deus vi eius verus auctor Scripturae dicendus sit.

CAPUT II.

DE ESSENTIA INSPIRATIONIS.

ART. I.

QUAE PERMISCENDA NON SINT CUM DOGMATE INSPIRATIONIS.

397. Inspiratio est quidem una ex „quaestionibus biblicis", at non unica. Orirentur autem difficultates non paucae, si variae quaestiones

[1] Supra n. 72. [2] Supra n. 93. [3] Supra n. 138 et 208.
[4] Supra n. 209. [5] Supra n. 272. [6] Supra n. 327.
[7] Supra n. 343.

ad Sacram Scripturam spectantes confunderentur. Ad hoc igitur periculum vitandum conducet statim a limine arceri quaestiones alienas.

Quemadmodum hucusque vidimus, inspiratio est actio divina, qua Deus factus est auctor sacrorum librorum iisque auctoritatem quandam divinam tribuit. Iamvero manifestum, est, inde quod Deus sit auctor alicuius libri, nullo modo posse conici, quis sit scriptor eius humanus. Ergo *quaestio de scriptoribus humanis singulorum librorum sacrorum ex doctrina de inspiratione solvi nequit, neque vicissim ex eius solutione pendet, utrum liber aliquis dicendus sit inspiratus necne.*

Quoad hoc alterum membrum exceptio eatenus tantum statuenda est, quatenus liber post mortem apostolorum scriptus non potest esse liber canonicus, i. e. liber, cuius inspiratio omnibus necessario credenda est. Nam depositum fidei inde a morte apostolorum incrementi capax non fuit. Quae apostoli non tradiderunt, fidei catholicae non sunt. Hanc rationem saeculo secundo, quando tot falsa evangelia aliaque scripta apocrypha vel adulterationes evangeliorum oriebantur, Patres urgebant. Nos, inquit *Irenaeus,* eam fidem defendimus, „quam ab apostolis ecclesia percepit et distribuit. Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum". Ita ab initio libri tertii, dein de quattuor evangeliis ea refert, quae supra (n. 43) iam audivimus. Ob hanc igitur rationem reicit „inenarrabilem multitudinem apocryphorum" [1], sicut omnia, quae tradita non sunt. Haec regula traditionis apostolicae etiam quoad libros canonicos constanter servata est ab ecclesia, ut inter alia efficitur ex Conciliis Tridentino (sess. 4) et Vaticano (sess. 2, c. 2).

Cum hac igitur limitatione quaestio de humanis scriptoribus librorum sacrorum, etsi sub aliis respectibus forte maximi momenti est, ad *formalem* rationem inspirationis indifferenter se habet. *Materialiter* potest cum inspiratione cohaerere, in quantum liber inspiratus testatur vel de suo auctore vel de auctore alius libri inspirati, ut si in secundo libro Regum (22) David dicitur composuisse psalmum decimum septimum, vel si in evangelio Ioannis dicitur scriptor eius esse ille discipulus, qui in coena recubuit super pectus Iesu (Io 21, 20 24), vel si Paulus se inducit ut auctorem epistularum, et similia. Haec igitur non derivantur ex formali conceptu inspirationis, sed materialiter tantum in libro inspirato continentur. Singulorum vero locorum, quibus talia testimonia de auctoribus sacrorum librorum continentur, sensum exponere non est theologorum dogmaticorum, sed exegetarum. Si sacri scriptores ita alicui adscribunt certum librum, ut eorum verba vera non maneant, nisi reapse eius est, omnis dubitatio tollitur; secus,

[1] *Irenaeus* 1. 20, n. 1 2; *M* 7, 653.

si eorum verba alium bonum sensum admittunt. Ceterum quicumque est, qui librum inspiratum scripsit, ideo fuit inspiratus, non quia hic vel ille homo erat, sed quia a Deo supernaturaliter movebatur ad scribendum. Multorum librorum Sacrae Scripturae auctores humani ignoti sunt aut dubii; sed libros esse inspiratos certum manet, quia hoc ab illa incerta re nullo modo pendet. Unde illud *Gregorii Magni:* Valde supervacue quaeri de ignoto auctore humano, „cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur“ [1]. Ergo ex inspiratione constat de auctore divino, non constat de auctore humano. Haec quaestio alia via solvenda est, et nisi exstat ecclesiae definitio vel traditio obligans vel testimonium indubium Scripturae, prorsus liberae inquisitionis et opinionis est.

398. *Neque ex inspirationis dogmate diiudicari potest, num liber, qui ut unus exhibetur in nostro canone, fortasse a pluribus scriptoribus compositus vel ab aliquo „redactore“ retractatus et additionibus quibusdam auctus sit.* Nam inspiratio id tantum postulat, ut, quicumque librum vel partem libri conscripsit, ex divina illustratione et motione scripserit. Potuit autem Deus non minus ultimum „redactorem“ quam primum incohatorem libri inspirare. Neque de aetate, qua ortus est liber, inspiratio quidquam edicit nisi hoc unum: non esse descendendum infra tempora apostolica [2].

399. *Porro ab inspiratione non excluditur ullum genus litterarium,* sed solus error et mendacium. Omne genus ad recte docendum et honeste movendum utile potest esse obiectum inspirationis, genus prosaicum, genus poeticum, genus historicum, genus propheticum, genus rhetoricum, genus epistulare, narrationes historicae, narrationes fictae (parabolae). Neque igitur ob inspirationem hoc vel illud genus a priori excludendum est. Neque ad inspirationis doctrinam pertinet de hoc vel illo genere quidquam statuere et determinare. Hoc quoque negotium exegetis relinquendum est, qui non ex inspirationis dogmate sed ex aliis principiis diiudicant, utrum liber aliquis, e. g. Iudith et Esther, sit historicus an propheticus et didacticus, et quomodo singuli libri pro suo genere litterario exponendi sint [3]. Neque suspicandum est inspiratione mutari genus litterarium. Nam inspirata epistula manet epistula, et inspiratum carmen manet carmen, et sic de ceteris. Unde si quis inquirit, pertineatne liber aliquis Scripturae ad hoc vel illud genus litterarium, quaestionem ponit, quae omnino extra dogma inspirationis versatur. In qua quaestione solvenda si duo forte ad oppositas conclusiones perveniant, et alter dicat librum esse historicum,

---

[1] Supra n. 132.

[2] *F. v. Hummelauer,* Exegetisches zur Inspirationsfrage, Freiburg 1904, 99 sqq.

[3] Cf. *Cornely,* Introd. I 582 sqq; II 2, 30 sqq 294 sqq; III 392 sqq.

alter esse merum poema, uterque tamen, si vult esse catholicus, fateri debet: Si historia est, est historia inspirata; et si poema est, est poema inspiratum. Dogmate inspirationis nemo vetatur inquirere in genus litterarium singulorum librorum sacrorum, neque determinatione generis litterarii ullo modo afficitur dogma inspirationis. Hoc dogma intactum manet, quamdiu origo divina totius Scripturae admittitur et error omnis excluditur[1].

400. *Multo etiam minus huc refertur quaestio de conservatione textus sacri et de versionibus,* quia haec evidenter et re et ratione ab inspiratione distinguuntur. Satis inutilis quidem esset quaestio de inspiratione, si libri omnes inspirati iniuria temporum periissent vel prorsus corrupti essent. Ergo disputatio de inspiratione, ut habeat finem, supponit etiamnunc permanere libros olim inspiratos. Hoc ita esse ecclesiae traditione et definitione probatur, qua certi sumus Scripturam substantialiter integram ad nos pervenisse eamque infectam non esse ullo errore in rebus fidei et morum[2]. Sed neque hoc factum ex conceptu inspirationis, neque conceptus inspirationis ex hoc facto evolvitur. Quia praeterea negari nequit in textum, prout nunc exstat, accidentales errores irrepsisse, studia critica necessaria sunt, ut integritas textus, quantum fieri potest, restituatur. Sed patet artem criticam neque pertinere ad inspirationis doctrinam neque vicissim per inspirationis dogma artem criticam interdici, id quod usu ecclesiastico omnium saeculorum comprobatur.

401. Sepositis igitur omnibus quaestionibus criticis, *unice considerandus est iste influxus inspirativus, quo Deus factus est auctor librorum sacrorum.* Hic influxus a Deo processit in scriptores sacros, et per scriptores sacros in libros sacros. Sicut autem libri sacri valde diversi sunt, ita diversus fuit influxus Dei in scriptores. Alio modo inspiravit Deus Ieremiam prophetam, alio modo Lucam evangelistam, alio modo psalmistam vel iubilantem vel lamentantem et paenitentem, alio modo conscriptores genealogiarum. Itaque *inspiratio personalis varias species variosque gradus habere potuit et habuit.* Sed ut omittamus inspirationem ad loquendum tantum, quae interdum a biblica inspiratione distinguitur ut „prophetica" inspiratio *(προφήτης* a *προφάναι)*[3], cum ipsa quoque inspiratione ad scribendum illae inspirationes personales ad gaudendum, tristandum, ad quiete inquirendum, ad rhetorice eloquendum, ad affectus humanos exprimendos vel retinendos, et quaecumque sub inspirationem personalem cadere possunt, tempore quidem saepe sunt coniuncta, attamen *ab ea inspiratione, qua libri sacri omnes inter se conveniunt et ab omnibus aliis libris distant, diligenter distinguenda sunt.* Ecclesiae definitiones de inspiratione respi-

[1] Cf. *F. v. Hummelauer* l. c. 1 sqq. [2] Supra n. 272. [3] Supra n. 3.

ciunt omnes libros canonicos in communi; ergo supponunt communem inspirationis conceptum, qui in omnibus libris canonicis verificetur. Haec autem non est inspiratio ad hos vel illos actus et affectus, qui in uno alterove libro sacro exprimuntur, sed est *simpliciter inspiratio ad scribendum.* Quot affectus desiderii, gaudii, spei, indignationis, commiserationis manifestantur in epistulis S. Pauli, ad quos affectus eliciendos sine dubio a Deo inspiratus erat! Sed tales affectus habuit, antequam scriberet, et habuisset, etsi non scripsisset quidquam. Neque igitur inspiratio ad illos affectus eliciendos ex conceptu suo etiam est inspiratio ad scribendum. Atqui libri sunt sacri et canonici, quia Deo inspirante conscripti sunt. Ergo inspiratio biblica ab omnibus illis inspirationibus affectuosis, lyricis, rhetoricis distinguenda est. Quaestiones de statu lyrico, historico, similes sunt exegeticae et potius pertinent ad genus litterarium quam ad inspirationem biblicam. *Haec dogmatica quaestio respicit per se universalem aliquem conceptum et definire vult essentiale illud, quo libri sacri, utcumque inter se diversi, omnes inspirati sunt.*

Merito igitur *Franzelin* iterum iterumque inculcat dogmaticam quaestionem de inspiratione versari circa solam essentiam inspirationis, qua liber sacer a Deo auctore fiat[1]. Neque iusta est querela, quae interdum auditur, quod secundum theologos dogmaticos sacri scriptores appareant quasi tubi phonetici, per quos alius loquatur, ita ut omnes illi pulcherrimi affectus psalmorum e. g. per eos transierint ut per inanimos canales. Qui ita loquitur, non medioeri confusione laborat. Hi enim affectus et alia similia sunt quidem materia librorum sacrorum, sed non sunt formalis illa ratio, ob quam ecclesia libros ut sacros suscipit et veneratur. Etiamsi illi affectus a Deo inspirati sunt, sicut revera omnes actus supernaturales a Deo inspirantur, immo etiamsi forte quaedam cogitationes et affectus ut tales se exhibent, quales sine charismatico Dei influxu fieri nequeunt, nihilominus inde non concluditur has cogitationes et hos affectus ita Deo movente scripto esse consignata, ut Deus auctor huius libri sit, in quantum liber est. De hac autem sola re agitur in quaestione dogmatica de inspiratione biblica, hanc solam considerabimus, non negantes alias illas inspirationes, sed interim abstrahentes ab iis, utpote ad hanc quaestionem dogmaticam non pertinentibus. Solum tum, cum de extensione inspirationis dicendum erit, de iis sermo redibit.

ART. II.

DE AUCTORIBUS SCRIPTURAE DIVINO ET HUMANIS.

402. Interdum veteres doctores dicunt homines fuisse quidem *scriptores* sacrorum librorum, unicum autem *auctorem* esse Spiritum Sanctum.

[1] Supra n. 314.

E. g. *S. Isidorus Hispal.:* „Hi sunt scriptores sacrorum librorum.... Auctor autem earundem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui prophetis suis scribenda dictavit.“ [1] Aliis verbis: Deus est unicus auctor, quod attinet specificam Scripturae dignitatem et auctoritatem; haec enim non ex humana, sed ex divina eius origine derivatur. Quae ratio nos non cogit ad negandum *scriptores quoque humanos esse veros auctores librorum sacrorum.* Qui utique nisi quidquam ad librorum confectionem contulissent nisi solam materialem conscriptionem, sicut amanuensis, cui singula verba dictantur, non possent recte vocari auctores. At non ita est. Ipsi sua iudicia, suos affectus exprimunt, ipsi librum mente et voluntate ad scribendum conceperunt; ergo veri sunt auctores. Auctores quoque et a Patribus et a theologis vocati sunt, ut e. g. a *S. Augustino,* qui ait nullum sacrorum auctorum in scribendo errasse[2], vel ab *Henrico Gandavensi,* qui etiam rationem exponit, ob quam veri auctores dici debeant[3]. Hinc apud theologos mos invaluit loquendi de *auctore primario* et de *auctoribus secundariis* Sacrae Scripturae[4], quem loquendi modum etiam servat *Leo XIII* in Encyclica „Providentissimus Deus“ [5].

Itaque ad explicandam essentiam inspirationis problema solvendum hoc est, quomodo auctor primarius se habuerit ad auctores secundarios. Nam sicut ratione auctoris nihil explicandum manet, si quis librum immediate per se scribit, ita, si scribit per alium, qui etiam auctor est, determinandum restat, quomodo per alium scripserit, cum hoc variis modis fieri possit. Ostendit autem nobis traditio viam, qua ad solutionem huius quaestionis perveniamus.

403. *Deus est causa principalis, sacer autem scriptor causa instrumentalis.* Veterrimi doctores hoc exprimunt comparando scriptorem sacrum cum cithara vel lyra quae a Deo pulsetur, vel cum tibia quae a Deo infletur, vel cum organo quod a Deo moveatur. Ita auctor „Cohortationis ad Graecos“, *Athenagoras, Theophilus Antioch., Hippolytus*[6]. *Clemens Romanus* dicit hagiographos fuisse ministros Dei[7]. *Iustinus M.* eos vocat *θεοφορουμένους*[8], quae expressio formata est secundum 2 Petr 1, 21. *Hieronymus* ait sacros scriptores linguam suam quasi stilum et calamum praebere, quo Spiritus Sanctus scribat[9]. Secundum *Augustinum* Christus per evangelistas tamquam per manus suas scripsit, non minus quam si ipse manu sua, quam in proprio corpore gestabat, scripsisset[10]. His et aliis dictis SS. Patres clarissime docent sacros scriptores esse causas instrumentales, Deum autem causam principalem. Neque tamen ulla ratione negant activitatem

[1] Supra n. 143. [2] Supra n. 118. [3] Supra n. 182.
[4] Supra n. 182 190 sq 277 300 sqq. [5] Supra n. 343.
[6] Supra n. 39 40 44. [7] Supra n. 37. [8] Supra n. 38.
[9] Supra n. 109. [10] Supra n. 117.

humanam in compositione sacrorum librorum, ut iam sufficienter patet ex reiectione contrarii erroris Montanistarum[1]. De qua re in decursu tractatus plura dicemus.

Est igitur quaestio, *quomodo auctor principalis uti possit aliis auctoribus secundariis ut instrumentis, ita ut ipse maneat vere et proprie auctor principalis.* Hic supponendum est ut certum hominem non solum a Deo accipere omnem agendi facultatem, sed etiam, ut reapse agat, indigere concursu divino. Non obstante hac a Deo dependentia homo est causa principalis actuum suorum. Nam quaecumque Deus homini in ordine naturali praebet ad agendum, ita ei offert vel confert, ut homo de his Dei donis pro arbitrio disponat. Atqui qui eligit et determinat actum secundum exercitium et speciem, sine dubio est causa principalis actus, etiamsi in agendo dependet ab agente altioris ordinis. Idem valet de actibus supernaturalibus, qui sine speciali auxilio Dei fieri nequeunt; nam Deus hoc auxilium ita attemperat, ut homo retineat plenum dominium actuum suorum et agat, quomodo vult. Instrumentum autem non ex sua determinatione ad agendum procedit, sed ab alio ad agendum movetur et determinatur, quemadmodum e. g. calamus non ex se ipso scribit, sed ab alio applicatur ad scribendum et tali modo scribendum. Ergo si scriptor sacer respectu libri sacri est causa instrumentalis, non principalis, non ab ipso ultimatim pendet determinatio ad talem librum scribendum, sed ad hoc a Deo movetur tum quoad actum scribendi tum quoad specificationem scribendorum. Hoc est, quod S. Petrus docet, prophetiam non voluntate humana allatam esse, sed a Deo motos *(φερομένους)* locutos esse sanctos homines (2 Petr 1, 21). Hoc est, quod SS. Patres docent comparatione facta sacrorum scriptorum cum calamo, quo Sanctus Spiritus scribat.

Et res quidem non indigeret ulteriore explicatione, si ageretur de instrumento vita carente, ut est calamus. Sed *sacri scriptores sunt instrumenta viva et rationalia,* qui ita sub motione Dei scripserunt, ut ipsi quoque veri autores, non puri amanuenses vel secretarii, multo minus instrumenta usu rationis carentia sint. Ipsi mente conceperunt librum scribendum, ipsi voluerunt hunc librum scribere et hoc suum consilium deliberate exsecutioni mandarunt. Quomodo igitur nihilominus instrumenta Dei in scribendo fuerunt? Certe non ideo, quia a Deo acceperunt facultates naturales necessarias et correspondentem concursum ad scribendum; nam hac ratione omnes libri, qui umquam in mundo facti sunt et fient, ad Deum referuntur, neque tamen Deus omnium librorum auctor est, neque eorum auctores sunt causae instrumentales Dei in scribendo. Multi quoque libri facti sunt a sanctis hominibus, quorum scriptio erat actus supernaturalis, procedens ex speciali illustratione intellectus et motione voluntatis. Neque tamen

[1] Supra n. 54 sqq.

horum librorum dicitur Deus auctor principalis, scriptores vero humani auctores secundarii. Ergo neque communis influxus gratiae ad hoc sufficit.

404. Consequenter, quia nihil aliud remanet, *recurrendum est ad illum extraordinarium influxum supernaturalem, qui charismaticus vocatur*[1]. Hoc et SS. Patres et theologi significant, eo quod reducunt inspirationem biblicam ad donum prophetiae, large accipiendo prophetiam, non ut est praedictio futurorum, sed ut est charisma illud, quo homo constituitur nuntius Dei, ut supra (n. 378) explicatum est. Itaque in Sacra Scriptura conficienda modo plane singulari Deus agit in scriptores humanos, ut, quae ipse scribenda iudicavit et voluit, ipsi quoque mente iudicando concipiant, voluntate complectantur, exsecutione perficiant. Motus igitur, cuius terminus est liber inspiratus, a Deo incipit, transit in scriptores humanos eorumque facultates ita movet, ut vi huius motionis charismaticae scribant istum determinatum librum, quem Deus vult. Quo fit, ut et ipsi recte vocentur auctores, quippe qui intellectu et voluntate sua librum producant, et tamen Deus sit auctor primarius, cum ipse primus mente et voluntate librum scribendum conceperit et, ut ab aliis conciperetur et scriberetur, effecerit.

Restat igitur, ut magis in specie explicetur, cuiusmodi sit ille influxus Dei in scriptorem sacrum. *Solet autem Deus pro sua sapientia et potentia creaturis ita uti, ut earum naturam et facultates non supprimat, sed eas ipsas applicet ad opus, quod perficere vult.* Ideo enim fit usus rei ut instrumenti, quia res de suis aliquid conferre potest ad effectum producendum. „Causa secunda instrumentalis non participat actionem superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum, nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum", sicut securis est ad incidendum, penicillus ad pingendum[2]. Sic igitur *Deus scriptores sacros adhibet ad scribendum, quatenus in iis sunt facultates aptae ad producendos libros, quos vult.* Sed quia liber inspiratus est effectus, cuius capaces non sunt ullae facultates naturales, *Deus has facultates supernaturaliter elevat et movet,* ut hagiographi scribant facultatibus naturalibus quidem, sed supernaturaliter elevatis. Unde scribit Deus per homines more hominum; homo autem non scribit nisi supernaturaliter elevatus et motus, scribit tamen ut homo[3], i. e. habens tales facultates, tales notiones, tales perfectiones et imperfectiones, tales modos sentiendi et loquendi. Haec enim omnia, quae Deus invenit in instrumento (utique et ipsa a Deo

---

[1] De charismatis agit S. Paulus 1 Cor 12.

[2] *S. Thomas* 1, q. 45, a. 5. [3] Cf. *S. August.* supra n. 121.

concessa), elevat et adhibet, ita ut in opere facto non divina tantum perfectio, sed etiam proprietates humanae appareant. Est igitur Scriptura effectus duplicis causalitatis, divinae et humanae, partim Deo, partim homini adscribenda, non secundum partialitatem effectus, sed secundum partialitatem causalitatis, totum opus divinum, totum humanum, sub alia tamen ratione divinum, sub alia humanum.

Restat igitur exponendum, in quo haec elevatio et motio divina in scriptore humano consistat. Et primum quidem dicemus, quid non sufficiat, dein quid non requiratur, ut tandem statuamus, quid et requiratur et sufficiat ad inspirationis conceptum.

ART. III.

QUID NON SUFFICIAT AD INSPIRATIONEM.

405. Sine dubio ad inspirationem librorum sacrorum *non sufficit praeservatio ab errore,* quemadmodum voluerunt *Chrismann, Jahn,* alii[1]. Haec doctrina, cum explicite damnata sit a *Concilio Vaticano*[2], sine haeresi teneri non iam potest.

Ceterum ex ipso modo, quo Jahn opinionem suam proponit, immediate patet eam esse falsam. Dicit enim libros sacros, cum ideo tantum sacri sint, quod revelationem sine errore contineant, non recte vocari inspiratos. Atqui et in Scriptura et in traditione indoles illa, qua libri sacri ab omnibus aliis specifice differunt, inspiratio vocatur[3], et haec appellatio iam inde a primis saeculis recepta est ut terminus technicus ad dogma catholicum exprimendum. Ergo opinio Jahnii, secundum quam indoles Scripturae Sacrae hoc termino apte exprimi nequit, est falsa.

Praeterea Deus est auctor principalis, a quo libri sacri scripti sunt, scriptores vero humani sunt auctores secundarii et instrumenta, quibus Deus usus est ad hos libros conscribendos[4]. Atqui per solam assistentiam, qua caventur errores, Deus neque scripsisset libros sacros, neque eorum auctor esset. Ergo per solam assistentiam non explicatur dogma inspirationis biblicae.

Neque per immunitatem ab errore, ex assistentia divina oriundam, essentialis illa differentia, quam ecclesia agnoscit inter definitiones conciliorum oecumenicorum vel summorum pontificum et Sacram Scripturam, ulla ratione sustinetur. Nam definitiones dogmaticae non minus infallibiles sunt quam Scriptura, neque vero umquam ecclesia eas inter libros sacros recensuit. Unde Jahnii opinio merito ab omnibus relicta fuit iam ante Concilium Vaticanum.

---

[1] Supra n. 321 sq 325. [2] Supra n. 327 sqq. [3] Supra n. 385.
[4] Supra n. 395 sq 402 sqq.

406. *Ad rationem libri inspirati non sufficere subsequentem ecclesiae approbationem* definitum est a *Concilio Vaticano*[1], et per se evidens est, cum ecclesia non possit sua approbatione efficere, ut Deus ea scripserit et auctor eorum sit, quae ab aliis auctoribus primariis scripta sunt.

Sed *ne Deus quidem sua approbatione subsequente libros divinitus inspiratos reddit,* qui humana tantum opera confecti sunt. *Lessius* quidem censuit scriptum tali modo approbatum non minorem auctoritatem habiturum esse quam Scripturam Sacram[2]. At non quaeritur de sola auctoritate ad faciendam fidem, sed praecipue de divina origine Scripturae Sacrae. Unde Lessius merito addidit se non asserere hunc modum purae approbationis in ulla Scripturae parte esse servatum. Similiter *Bonfrerius* non existimat quidem Spiritum Sanctum aliquando hoc modo usum esse in iis, quos habemus, Sacrae Scripturae libris; censet tamen eum absolute potuisse hoc modo ad dignitatem Scripturae Sacrae evehere scriptum aliquod, initio a profano auctore conscriptum[3]. At ut omittamus altercationem de voce Scripturae Sacrae, certe Deus ne per absolutam quidem potentiam praestare potest, ut liber ab ipso non scriptus sit liber sacer eo sensu, quo sunt libri canonici. Nam libri sacri et canonici Deum auctorem habent; nemo autem approbando opus iam perfectum fit auctor operis. Obicit Bonfrerius Arati et Epimenidis dicta, quae eo, quod Deus approbaverit ea, facta sint Scriptura Sacra (Act 17, 28. Tit 1, 12), et obicit similitudinem ex lege humana, quae a secretario conscripta, ex approbatione regis fiat lex. At neutrum exemplum valet ad rem, de qua agitur, probandam. Qui dictum alterius in suum librum recipit et laudat ut verum, non solum approbat illud dictum, sed illud scribendo reproducit et per modum citationis partem sui libri facit. Si Deus

---

[1] Supra n. 327. De hac quaestione in Concilio Vaticano *Franzelin,* tunc consultor commissionis theologicae, in hunc modum disseruit: „Ecclesia non efficit nec potest efficere, ut liber humana tantum ope scriptus evadat liber scriptus sub divina inspiratione; sed ecclesia infallibiliter manifestat et docet ex divino-catholica traditione, quinam sint libri inspirati, idque docet ac definit per hoc ipsum, quod librum accenset Sacris Scripturis seu ponit in canone. Res haec potest illustrari comparatione. Qui affirmaret veritatem fidei divinae esse vel posse esse eam, quae humano solum ingenio primum proposita et numquam a Deo revelata, attamen ab ecclesia definitur ut veritas fidei, is duplicem errorem doceret, primum, quod possit esse veritas fidei divinae, quae a Deo revelata non est, alterum, quod ecclesia possit veritatem humanam proponere credendam tamquam veritatem divinam. At simillimus error duplex continetur in eo, quod in schemate reicitur; dicitur nempe in Scriptura, quam *omnem* divinitus inspiratam esse Paulus docet, posse esse libros non divinitus inspiratos, et insuper ecclesiam posse ponere in canone, h. e. declarare divinitus inspiratum librum, qui divinitus inspiratus non est. Sicut ecclesia, quia infallibilis est, nihil potest definire tamquam veritatem revelatam, quod a Deo revelatum non est, ita prorsus ex eodem charismate infallibilitatis nullum librum potest ponere in censu Scripturarum, qui divinitus inspiratus non est" (Coll. Lac. VII 1621).

[2] Supra n. 284. [3] Supra n. 323.

solum approbasset dictum Epimenidis ut in eius poemate exstans, non ideo verbum Epimenidis factum esset textus inspiratus; quia autem Deus hoc verbum ut verum suo nomine scribendum inspiravit, habetur citatum inspiratum et approbatum. Neque igitur Deus est auctor dicti illius, sed est auctor citationis et approbationis. Quod autem legem humanam attinet, rex est auctor legis, quatenus indidit ei vim obligandi, non quatenus agitur de ipsa scriptione codicis legalis. Deum vero non solum Scripturae indidisse vim obligandi, sed ipsius libri scripti auctorem principalem esse ecclesiae doctrina efficitur. Idem dic de aliis exemplis, ut summi pontificis subscribentis et sigillo munientis Bullam vel Encyclicam ab alio conscriptam. Nam summus ponti.ex subscriptione et sigillo non fit auctor scripti, sed tribuit scripto auctoritatem doctrinalem, quam ex se non habebat[1]. Libri autem canonici non auctoritatem tantum divinam habent, sed etiam origine divini sunt, a Deo ipso principaliter scripti.

407. *Neque ad inspirationem sufficit divinum consilium, mandatum, initialis excitatio ad scribendum et directio in exsecutione neque generalis suggestio materiae*[2]. Haec omnia satis essent, ut Deus diceretur inspirator Scripturae, quia, ut quis sit inspirator alicuius libri, sufficit influxus remotus et pure moralis, qualis habetur in omni consilio et excitatione ad scribendum. Immo si in communi vita de inspiratore alicuius libri loquimur, non intellegimus nisi eum, qui remote tantum et moraliter ad libri scriptionem contulit, non vero eum, qui immediate et physice hanc scriptionem effecit. Hunc enim solemus vocare auctorem. Atqui ecclesia non solum semper docuit et docet Deum quomodocumque inspirasse Sacram Scripturam, sed eam mediantibus hominibus scripsisse eiusque verum auctorem esse[3]; ad hoc autem incitatio, directio, remotus influxus qualiscumque non sufficiunt.

408. *Multo minus sufficit personalis illa inspiratio, de qua saepe recentes Protestantes loquuntur* ut de singulari quadam commotione religiosa, qua sacri scriptores correpti sensa sua religiosa litteris mandaverint, et ob quam in ordine religioso non minus inspirati dicendi sint quam in alio ordine poetae saeculares. Ex qua personali inspiratione volunt derivari inspirationem ipsius Scripturae, cum Scriptura, scripta ab hominibus inspiratis, inspiret alios homines simili commotione religiosa: inspirata, quia et quatenus inspirat[4]. Sic student nomen inspirationis retinere, simul negantes id, quod hoc nomine ecclesia semper significavit. Multi sunt libri, qui religiose inspirant seu movent homines. „Imitatio Christi“ fortasse non paucos homines

---

[1] Si quis solam subscriptionem vult vocare „aequivalenter secundam scriptionem“, dicat; mihi non videtur recte dici.

[2] Ut e. g. censuit *Richardus Simon* (supra n. 319).

[3] Supra n. 395 sq 402 sqq. [4] Cf. e. g. supra n. 253 264 268 sqq.

magis inspirat quam liber Numerorum; ergo aeque vel magis est inspirata. Hoc illi theologi concedunt et dicunt et homines et libros inspiratos etiam in futurum prodire posse. Sed hoc ipso ostenditur hanc explicationem inspirationis non consistere cum doctrina universali et constanti ecclesiae, qua libri canonici creduntur specifice diversi ab omnibus aliis libris, idque ratione originis divinae. Non quia inspirant, sunt inspirati; sed quia a Deo inspirati sunt, ideo utique etiam facti sunt ad inspiranda sensa religiosa hominibus eos recte legentibus. Ante libros eorum scriptores inspirati erant. At si haec „personalis" inspiratio non fuisset quidquam nisi religiosa commotio, unice a scriptorum voluntate humana, etsi religiose commota, scripta eorum processissent. Scriptura autem Sacra principaliter a Dei voluntate processit et opus Dei est magis quam opus hominum. Ergo personalis seu ut Catholici communius loqui solent, passiva inspiratio scriptoris sacri plus sit necesse est quam mera excitatio quaedam religiosa, scilicet talis, qua scriptor constituatur instrumentum Dei in ordine ad scribendum hunc determinatum librum.

ART. IV.

QUID NON REQUIRATUR AD INSPIRATIONEM.

409. Cum in libris canonicis contineatur supernaturalis revelatio, et cum hi libri ad hoc divinitus inspirati sint, ut revelatio divina facilius et securius ad posteros transferatur, sua sponte exsurgit quaestio, num ad inspirationem requiratur revelatio.

Respondent theologi unanimiter *revelationem stricte dictam non esse de formali conceptu inspirationis.* Cardinalis *Caietanus* in Lc 1, 2 haec notat: „Originem plenissimae scientiae [suae S. Lucas] declarat traditionem apostolicam. Unde clare apparet Lucam scripsisse ex auditu ab apostolis et non ex divina revelatione sibi immediate facta, divina tamen gratia dirigente et servante, ne in aliquo erraret." *Canus:* „Fateor non singulas Scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa revelatione indiguisse", scilicet ea omnia, „quae naturali cognitione tenebant ... expressa revelatione non egebant" [1]. *Bañez:* Quando „res, quae scribitur, nota quidem erat, tamen quod [homo] animum ad scribendum appulerit, Deo specialiter movente atque inspirante factum est" [2]. *Bellarminus:* Deus sacris scriptoribus „non semper revelabat ea, quae scripturi erant, sed excitabat, ut scriberent ea, quae viderant vel audierant, quomodo recordabantur, et simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent" [3]. Similiter *Marchini* [4], *Kleutgen* [5], alii communiter.

---

[1] Supra n. 277. [2] Supra n. 278. [3] Supra n. 288.
[4] Supra n. 296. [5] Supra n. 302.

Ex altera parte theologi docent *dicta libri inspirati, quia et quatenus a Deo affirmantur*[1], *credi posse fide divina.* Nihil autem credi potest fide divina, quod non est divinitus revelatum. Ergo omnia, quae a Scripturae auctore affirmantur, sunt divinitus revelata. Quare *Bellarminus* e. g. ait: „Scriptura est verbum Dei immediate revelatum."[2] Ob hoc ipsum Scriptura est regula fidei, ut ait *Suarez:* „Nam si est verbum Dei scriptum, necesse est, ut sit regula veritatis, quia nulla est certior regula quam Dei auctoritas, quae in verbo eius continetur et per illud applicatur."[3] Ergo duo statuuntur: a) Inspiratio non est revelatio; b) omnia inspirata sunt revelata. Quomodo haec duo inter se conciliantur?

410. *Distinguenda est revelatio late dicta et revelatio stricte dicta; porro revelatio ipsis hagiographis facta et revelatio nobis a Deo per hagiographos facta.* Agitur proxime de influxu Dei in intellectum hagiographi. Itaque quando Deus mentem suam homini manifestat, intellectui eius novas species imprimens et simul lumen infundens ad his speciebus recte utendum, seu ad formanda recta iudicia, habetur revelatio stricte dicta; quando vero solum lumen communicat ad speciebus iam praehabitis determinato modo utendum, est revelatio late dicta. Revelatio fit publica, si Deus movet hominem, ut nomine et auctoritate Dei aliis proponat doctrinam, sive novis speciebus a Deo acceptam, sive solo lumine supernaturali illustratam. Utroque modo Deus loquitur ad homines iisque exhibet motivum et imponit obligationem fidei divinae[4]. Haec est doctrina *S. Thomae,* qui, ut supra[5] vidimus, in prophetica revelatione distinguit supernaturalem acceptionem rerum per species et supernaturale lumen ad recte utendum speciebus. Iamvero *certum est hagiographos non omnium rerum, de quibus scripserunt, notitiam accepisse per super-*

---

[1] Dico: „Quatenus a Deo affirmantur", quia potest esse dubium, quid proprie a Deo affirmetur in aliquo textu inspirato. De qua re postea plura.

[2] Supra n. 289. [3] Supra n. 291.

[4] Revelatio stricte dicta et revelatio late dicta in hoc univoce conveniunt, quod utraque est charismatica illustratio intellectus et (si agitur de revelatione publica) motio voluntatis ad loquendum (ore vel scripto) Dei nomine, et consequenter auctoritatem confert, cui respondet fides theologica. Sed revelatio stricte dicta, quae adiunctam habet „visionem" propheticam, est altior gradus revelationis, seu, ut veteres loquuntur, altior gradus prophetiae. Quia vero hoc respectu fidei nullam infert differentiam, ecclesia loquens de revelatione, ut est motivum fidei, non solet distinguere inter revelationem stricte dictam et late dictam (cf. *Vaticanum* sess. 3, c. 3); theologi autem, quando naturam prophetiae vel revelationis explicant, hoc discrimen efferre solent. Quidquid Deus revelat, fuit antea velatum, quatenus non divina auctoritate cognitum, etsi forte ex principiis naturalibus notum. Hac ratione id, quod revelatio ex etymologia significat, perfectius invenitur in re antea prorsus ignota quam in re antea aliquatenus tantum ignota. Ceterum in diiudicando sensu vocabulorum potius considerandus est usus quam nuda etymologia.

[5] Supra n. 172.

naturalem repraesentationem. Saepe enim indicant alios fontes, ex quibus hauserunt. In libris Regum fontes dicuntur fuisse annales regnorum Iuda et Israel[1]. In libris Paralipomenon sedecim nomina documentorum occurrunt[2]. Auctor secundi libri Machabaeorum hausit ex Iasone[3]. Lucas ait se omnia diligenter assecutum esse ab iis, „qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis“[4]. Ergo hi omnes pro suis scriptis non provocant ad revelationem propheticam, quam ipsi acceperint, sed ad fontes externos. Provocassent autem ad divinam revelationem, si eam accepissent, ut ostendunt exempla prophetarum, Ioannis in Apocalypsi, Pauli defendentis apostolicam suam missionem[5]. Quare *S. Thomas* hoc discrimen statuit inter prophetas stricte dictos et hagiographos, quod prophetae annuntiabant ea, quae ex revelatione ipsis facta acceperant. „Unde ex persona Domini loquebantur, dicentes ad populum: ‚Haec dicit Dominus‘, quod non faciebant illi, qui hagiographa [pressiore sensu, ut distinguuntur a prophetiis stricte dictis] conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his, quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adiutorio tamen divini luminis.“[6]

Etiam tum cum agebatur de conscribendis iis, quae ex sola supernaturali revelatione disci poterant, non necessario hagiographi ipsi hanc revelationem accipiebant, sed poterant scribere revelata, quae iam antea praedicata erant, ut ostendit exemplum Lucae. Immo ipsi quoque prophetae non necessario inter actum scribendi revelationes accipiebant, sed saepe scribebant, quae ipsis antea revelata erant, quemadmodum videmus in Ieremia[7] et Ioanne evangelista. Multi revelationes acceperunt, qui nihil scripserunt, ut plurimi apostoli. Multi scripserunt, qui ipsi nullam immediatam revelationem acceperunt, ut plurimi historiographi sacri. Num umquam quis inter ipsum actum scribendi revelationes acceperit, ignotum est[8]. Ergo manifeste constat revelationem stricte dictam non esse de formali conceptu inspirationis. Est tamen revelatio supernaturalis obiectum praecipuum et per se intentum inspirationis, quia ad notitiam revelationis conservandam et propagandam libri inspirati sunt.

411. His suppositis perspicitur, *quo sensu recte dici possint omnia inspirata esse revelata,* et sacri scriptores prophetae. Est enim Scriptura verbum Dei loquentis ad homines per hagiographos et eorum scripta[9]. Is autem, per quem Deus immediate loquitur ad homines,

---

[1] E. g. 3 Rg 14, 19 29. [2] 1 Par 29, 29. 2 Par 9, 29 etc.
[3] 2 Mach 2, 24. [4] Lc 1, 2 3. [5] Gal 1, 11 12.
[6] Supra n. 173. [7] Ir 36, 1 2. Cf. supra n. 380 sq.
[8] Neque prophetae neque S. Ioannes in Apocalypsi dicunt se inter scribendum accepisse revelationes, sed in visionibus se accepisse mandatum postea scribendi: cf. supra n. 172 nota. [9] Supra n. 395 sq.

est propheta, et verbum eius, sive orale sive scriptum, est pro iis, ad quos dirigitur, revelatio, cui ex parte hominum respondet fides divina[1]. Per sacros scriptores Deus *immediate* loquitur, quia ipsi

[1] Contra hanc doctrinam insurgit *Bonaccorsi*, qui duo statuit: a) non omne dictum Scripturae esse dictum Dei; b) non omne dictum Dei esse immediatum obiectum fidei divinae (Questioni Bibliche, Bologna 1904, 214 sqq). Ad quae iuvat haec notare:

Ad a) Probavimus a SS. Patribus et a theologis medii aevi unanimiter Scripturam praedicatam esse verbum Dei, non ratione materiae tantum, sed etiam ratione originis divinae. Atqui in hac re non potuerunt unanimiter errare et hunc errorem fidelibus ut indubiam veritatem proponere. Respondet Bonaccorsi SS. Patres fuisse victimas theoriae iudaico-alexandrinae et talmudicae et imaginatos esse Scripturam sensu materiali a Deo de verbo ad verbum dictatam; nunc autem modificato conceptu inspirationis etiam modificandum esse sensum formulae, qua Scriptura dicitur verbum Dei scriptum (l. c. p. 253). At imprimis verum non est SS. Patres (et theologos scholasticos) intellexisse inspirationem sensu mechanico vel etiam mantico Iudaeorum alexandrinorum. Id vidimus in parte historica. Praeterea fas non est in re dogmatica omnibus Patribus et theologis adscribere errorem unanimem et constantem.

Quod theologos attinet, negat Bonaccorsi eorum doctrinam fuisse unanimem, cum post saeculum XVI quidam theologi aliter docuerint. At horum dissensus non infirmat consensum usque ad saeculum XVI vigentem. Ceterum, quinam sunt theologi dissentientes? Sunt, inquit, Lessius, Bonfrerius, Gonetus, Frassen, Richardus Simon, Du Pin, Chrismann, Calmet, Jahn, Haneberg, Janssens, Drey, Aberle, Kuhn. At iterum quaedam hic notanda sunt. Opera Richardi Simon, Ludovici Ellies Du Pin, Philippi Chrismann propter laxiorem doctrinam in Indicem librorum prohibitorum relata sunt. Haneberg opinionem suam retractavit. Lessius ipse duas priores propositiones suas ita explicavit, ut cum communi doctrina conveniant, tertiam ita, ut ad nostros libros sacros non applicetur. Sed haec et alia iam antea exposita sunt (n. 283 sqq 315 sqq 405 sqq). *Gonetus* in tractu de fide (disp. 2, a. 1, n. 1) docet Scripturam tum quoad sensum tum quoad verba esse a Spiritu Sancto dictatam; dein (n. 2) addit: „Aliqui tamen existimant non omnia et singula Scripturae verba dictari specialiter a Spiritu Sancto“ (hic est ille marginalis numerus, ad quem provocat Bonaccorsi). Numero vero 16 suam sententiam sic proponit: „Scriptura canonica est infallibilis regula fidei: cum enim sit inspirata et dictata a Spiritu Sancto, necessario vera est in omni sensu, quem Spiritus Sanctus intenderit.“ Facile vides, ad quid reducatur tota ista obiectio contra unanimem Patrum et theologorum consensum. Verum est paucos quosdam censuisse ad constituendum librum sacrum sufficere assistentiam Dei avertentis errorem; sed etiam verum est hanc esse sententiam singularem, quae numquam fuerit probabilis et post Conc. Vatic. repeti non debeat.

Ad b) Bonaccorsi hic respicit doctrinam plurium Thomistarum, secundum quos habitus fidei infusus non extenditur nisi ad ea, quae Deus ecclesiae in salutem hominum revelavit. At imprimis haec quaestio non respicit revelationem publicam, sed revelationes privatas. Deinde haec est quaestio pure speculativa, quae non est confundenda cum altera quaestione magis practica, num umquam Deo loquenti assensum denegare vel eius dicta in dubium vocare liceat. Id nullus ex illis Thomistis, ad quos Bonaccorsi provocat, umquam dicere ausus est. Ita e. g. *Bañez* ait: „In proposito ille erit haereticus, qui, putans Deum aliquid revelare, negat esse verum, eo quod ex consequenti ait Deum mentiri, quod est contra fidem catholicam“ (In 2, 2, q. 1, a. 1, dub. 3 ad 2). *Gonetus:* „Si Deus, etiam ut auctor supernaturalis, revelaret alicui aliquid temporale sub ratione temporali, quod proinde ad communem ecclesiae instructionem et utilitatem non pertineret neque in Deum referretur, talis

sunt solum instrumenta, per quae Deus loquitur, non sunt causae principales locutionis. Omnis revelatio supernaturalis est immediata, prout opponitur revelationi Dei naturali. Nam in revelatione naturali Deus producit et gubernat creaturas, quibus homo uti possit ut mediis ad Deum secundum earum analogiam cognoscendum, seu Deus se exhibet ut *obiectum* mediate cognoscibile. In revelatione vero supernaturali Deus mentem suam manifestat eo modo, quo *persona* cum persona communicat cogitationes suas, seu locutione proprie dicta. Haec personalis et subiectiva manifestatio ex genere suo est magis immediata quam manifestatio pure obiectiva causae per effectum. Eatenus igitur *Deus nobis in Scriptura immediate loquitur,* quia Scriptura est verbum Dei formale et proprie dictum. Sunt quidem intermedii inter nos et Deum scriptores sacri; at sunt intermedii non ut obiecta, ex quibus Deum cognoscimus, sed sensu subiectivo ut os Dei, per quod Deus ad nos loquitur[1]. Hac igitur ratione, *quia verba Scripturae sunt immediatae locutiones Dei ad nos, omnia inspirata sunt nobis revelata,* quamquam inspiratio, ut exsistit in mente sacri scriptoris, non est per se et formaliter revelatio sensu stricto manifestationis rerum, ex repraesentatione supernaturali ab hagiographo cognitarum. Itaque cum notitia rerum biblicarum ab hagiographis partim

---

revelatio non spectaret ad fidem infusam supernaturalem et theologicam, sed ad donum prophetiae vel ad aliud lumen supernaturale, per modum transeuntis communicatum" (De fide disp. 1, a. 3, n. 69). Atqui ratione quaestionis biblicae hoc perinde est, utrum assentiamur Deo loquenti per habitum infusum an cum sola gratia actuali, dummodo constet Deo loquenti numquam licere assensum denegare. Hoc autem omnes Thomistae docent. Unde patet secundum eorum doctrinam omne dictum Dei esse obiectum immediatum assensus supernaturalis, etsi non sit obiectum immediatum habitus fidei.

Potius insistendum est distinctioni inter ea, quae sunt per se revelata, et ea, quae sunt per accidens revelata. Nam de iis, quae sunt per accidens revelata, nemo debet ex praecepto Dei directe actum fidei elicere, sed indirecte tantum, quatenus credere debet omnia, quae Deus quomodocumque revelat, esse vera. Hoc, nihil aliud, docet *S. Thomas* in 1 Cor. 11, lect. 4 (ad quem locum Bonaccorsi provocat), ubi quaerit, quomodo fiat aliquis haereticus: „Pertinet aliquid ad *disciplinam fidei* [i. e. ad praeceptum fidei] dupliciter: Uno modo directe, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur. . . . Quaedam vero indirecte pertinent ad *fidei disciplinam,* in quantum scilicet ipsa non proponuntur ut propter se credenda, sed ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei, sicut si negetur Isaac fuisse filius Abrahae, sequitur aliquid contrarium fidei, scilicet Sacram Scripturam continere aliquid falsi." Ergo secundum S. Thomam non licet dicere in Scriptura aliquid falsi affirmari; sed ex altera parte non est praeceptum directe eliciendi actus fidei de iis, quae per accidens tantum revelata sunt. Haec est communis theologorum doctrina.

Manet igitur verum omnia, quae in Scriptura ab hagiographis ut vera affirmantur, esse dicta Dei, et omnia dicta Dei esse obiecta assensus supernaturalis, quatenus non licet ea negare vel in dubium revocare.

[1] Cf. supra n. 378. Hoc non eodem modo valet de iis, qui nunc vi muneris ordinarii verbum Dei annuntiant, quia hi non ex influxu charismatico loquuntur, sed ordinario modo tradunt, quae ordinaria via acceperunt. Ergo non aeque immediate Deus per eos loquitur.

accepta sit supernaturali revelatione stricte dicta, partim via naturali, manifestum est rerum scribendarum notitiam esse aliquid, quod inspirationem secundum prioritatem rationis saltem praecedat, non vero intrinsecus constituat, cum non obstantibus notitiis vario modo acquisitis omnes libri sacri aequaliter sint inspirati. Nam si supernaturalis acceptio constitueret inspirationem, inspirati non fuissent hagiographi scribentes ea, quae naturaliter noverant. Atqui secundum doctrinam ecclesiae tota Scriptura cum omnibus suis partibus est divinitus inspirata. Ergo praecedens rerum acceptio supernaturalis non est ad inspirationem necessaria. Immo nulla rerum notitia est de internis constitutivis inspirationis, quia nosse res non est inspirari ad eas scribendas, sed notitia rerum (ratione prius) supposita inspiratio subsequitur.

412. Ergo *nihil impedit, quominus homo inspiretur ad scribenda ea, quae independenter ab omni extraordinario influxu divino iam noverat, vel etiam ea, quae aliis hominibus nota et fortasse ab iis iam scripta erant opera pure humana.* Nam si talia conferre poterant ad finem, quem Deus per Scripturam prosequebatur, nulla ratio erat, cur Deus easdem res non posset suo nomine scribendas et ecclesiae ut verbum divinum tradendas eligere. Veritas antea solummodo more humano cognita et proposita, evehitur ad altiorem ordinem et fit obiectum fidei divinae, eo quod Deus eam enuntiat et hominibus proponit[1]. Neque igitur haec res est comparanda cum actione alicuius hominis, qui sententias et locutiones ex libro alterius transcriberet et dein se ut auctorem libri gereret, quamvis nihil nisi furtum litterarium commisisset. Hic enim homo totam suam scientiam et fortasse etiam dictionem ex alterius libro hausisset eiusque bona intellectualia illicite in sua convertisset. Dei vero scientia aeternitate, causalitate, certitudine, auctoritate omnem scientiam humanam superat. Ergo non ex ulla indigentia vel deficientia repetit ea, quae homines antea iam dixerant. Haec omnia posset, si vellet, nova specierum infusione vel alio modo prophetico revelare. Sed quia ei placuit hominibus uti tamquam instrumentis ad Scripturam conficiendam, voluit, ut de suis conferrent, quae convenienter poterant, assistendo iis et dirigendo eos, ut in praeviis suis inquisitionibus vera illa sine admixtione erroris acquirerent, quae scribenda erant. Hinc factum est, ut sacri scriptores multa ab aliis iam dicta vel scripta repeterent. Nihil tamen in Scriptura exstat, quod, etsi opera pure humana scriptum esset, plagii, ut aiunt, nomen mereretur.

Quoad veritates supernaturales scribendas revelatio ante inspirationem praerequiritur; *quoad inspirationem vero ipsam subsequens reve-*

[1] Num et quomodo idem possit esse obiectum scientiae et fidei, hic non est inquirendum (cf. *Chr. Pesch*, Praelect. dogm. VIII, n. 402 sqq).

latio necessaria est. Cum enim Scriptura ex intentione Dei ecclesiae ut obiectum fidei proponenda sit, divinitus reveletur necesse est Scripturam esse inspiratam. Nam nisi Deus revelasset inspirationem, inspiratio, utpote factum supernaturale, non posset innotescere, a fortiori non posset esse dogma credendum. Ergo Deus revelavit integram Scripturam cum omnibus suis partibus esse inspiratam. Haec autem revelatio, quae, ut vidimus[1], partim in Scriptura, partim in traditione continetur, factum inspirationis praesupponit, non constituit. Nihilominus ipsa quoque efficit, ut inspirata recte dicantur revelata. Ergo ratum fixumque manet revelationem stricte dictam non pertinere ad interna constitutiva inspirationis; si vero revelatio late sumatur, ut est quaevis locutio Dei ad homines, inspirationem esse unum ex multis modis revelationis divinae[2].

---

[1] Supra n. 377 sqq.

[2] A duplici errore cavendum est in hac quaestione de mutua relatione inter inspirationem et revelationem:

a) Quidam putant hagiographos de rebus naturalibus, quas suis viribus relicti fortasse non certo noverant, non potuisse infallibiliter scribere nisi revelatione accepta. Hoc non est verum. Nam Deus potest sine revelatione homines ita dirigere et movere in loquendo vel scribendo, ut vi huius influxus eorum verba sint infallibilia, quamquam naturales rationes, quibus nitebantur in admittendis rebus, non sufficiebant ad creandam certitudinem. Ita e. g. potest fortasse Deus videre vulgi opinionem de auctore alicuius libri esse veram, etsi homines non habeant firma argumenta ad eam probandam. Si inspiraret aliquem ad hanc rem ut certam scribendam, esset infallibile testimonium Dei de auctore libri sine revelatione hagiographo facta; et si Deus revelaret rem fuisse a se inspiratam, ut ecclesiae traderetur tamquam verbum Dei, infallibiliter constaret librum esse eius, quem communiter auctorem opinabantur. Unde errant illi, qui sic argumentantur: De hac vel illa re hagiographi censendi non sunt accepisse specialem revelationem; ergo eorum dicta non habent maiorem auctoritatem quam communis de hac re opinio illius aetatis. Sicut nunc Deus dirigit concilia ad faciendas definitiones infallibiliter veras, non quia argumenta, quibus utuntur concilia, sunt infallibiliter efficacia, sed quia assistentia divina cavet errorem, sic potest etiam inspiratio infallibiliter excludere errorem sine revelatione proprie dicta.

b) Alii ex opposito sic procedunt: Omnia dicta Scripturae sunt a Deo revelata; ergo de omnibus possum elicere actum fidei theologicae. Hoc quidem verum est, si certe constat, quid et quo sensu a Deo dictum sit. Sed si quis simpliciter aperiret Scripturam, quam manu tenet, et diceret: Hic legitur haec sententia; ergo eam ut a Deo revelatam credo fide divina — posset misere errare. Nam ante talem actum fidei plura requiruntur: 1. ut textus secundum sensum sit is, quem hagiographus scripsit; 2. ut sensus grammaticalis verborum sit sine ambiguitate clarus; 3. ut certo constet, quid Deus his verbis ut suam sententiam affirmare voluerit. Quia vero in textibus ad fidem et mores non pertinentibus saepe haec tria minime certa sunt, ideo generatim de iis melius actus fidei in specie non elicitur, cum recta applicatio principiorum criticorum et hermeneuticorum in his rebus difficilis sit, et ex altera parte Deus hos textus non ideo scribi voluerit, ut de iis per se actus fidei elicerentur, sed ut servirent tamquam vestitus eorum, quae per se credenda proponuntur. Ideo satius erit fidem in specie de iis elicere, quae ecclesia in specie credenda proponit, alia vero, quae per accidens tantum credenda sunt, generali illa formula comprehendere: Quaecumque Deus revelavit.

413. *Non requiri ad inspirationem biblicam, ut homo in ecstasi scribat, et ab ea plane excludi alienationem mentis,* efficitur ex reiectione contrarii erroris Montanistarum et ex constanti doctrina Patrum et theologorum[1]. Cum res in se sit satis evidens, neque ab ullo theologo in dubium vocetur, ulterius immorandum non est. Nam etsi maneret verbum divinum, quod Deus loqueretur per hominem usu mentis privatum nec quidquam intellegentem, tamen neque conveniens est hominem a Deo tractari ad instar irrationalis instrumenti, neque necessarium est ad hoc, ut Deus sit auctor primarius, cum Deus ipso intellectu et deliberata voluntate hominis ut instrumento uti possit.

Ob eandem rationem *neque requiritur, ut Deus scriptorem ita ad scribendum physice praedeterminet, ut libertas humana pereat*[2]. Deus enim intacta libertate humana, quaecumque vult, efficere potest. Cum igitur ad scribendum elegerit instrumenta libera, non est supponendum eum destructa eorum libera cooperatione, per modum lapidis vel ligni eos movisse. Instrumento non libero non dantur mandata ad agendum, sed simpliciter impellitur. Deus autem non raro sacris scriptoribus dedit mandatum scribendi[3]. Ergo iis usus est ut instrumentis liberis. Idem patet ex modo, quo hagiographi loquuntur de scriptione sua. S. Lucas ait: Quoniam multi conati sunt gesta et dicta Christi litteris mandare, „visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas verborum, de quibus eruditus es, veritatem“ (Lc 1, 1 sqq). Paulus Romanis ait se ex parte audacius iis scripsisse (Rom 15, 15), Corinthiis vero: „Etsi contristavi vos in epistula, non me paenitet. Etsi paeniteret, videns quod epistula illa, etsi ad horam, vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad paenitentiam“ (2 Cor 7, 8 9). Scriptor libri secundi Machabaeorum concludit librum suum, dicens: „In his faciam finem sermonis; et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi“ (2 Mach 15, 38 39). Haec et alia similia non potest scribere, nisi qui conscius sibi est se scribere cum deliberatione et libertate. In prologo (non inspirato) Ecclesiastici legimus: „Avus meus Iesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis et prophetarum et aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit et ipse scribere aliquid horum, quae ad doctrinam et sapientiam pertinent.“ Itaque libertas hagiographorum in scribendo saepe exprimitur, nusquam vero minimum indicium adest quemquam illorum sine libertate scripsisse. Unde SS. Patres et theo-

[1] Supra n. 54 sqq 65 68 nota 88 96 111 145 172 185. Ceterum iam monuimus ecstasim propheticam ab amentia esse distinguendam (supra n. 59 nota; cf. n. 172).

[2] Quaestio, num omnino cum physica praedeterminatione libertas humana stare possit, non est huius loci.

[3] Supra n. 380 388.

logi communiter docent eos liberos fuisse in scribendo[1]. Determinat quidem Deus res scribendas; hoc autem infallibiliter assequi potest sine praedeterminatione physica, qua tollatur scriptoris libertas, cum omniscientiae et omnipotentiae divinae non desint viae etiam per actus liberos hominum obtinendi quemlibet effectum.

Quia igitur ad scribendum librum inspiratum concurrunt et intellectus scriptoris cum notionibus suis praecedentibus et voluntas eius cum libertate sua naturali, videndum est, quomodo Deus in intellectum et voluntatem humanam agat, ut ipse sit auctor principalis libri.

ART. V.

DE INFLUXU DEI IN INTELLECTUM HAGIOGRAPHI.

414. Secundum ea, quae praemissa sunt, supponimus hagiographo ante ipsam scriptionem libri notas esse res scribendas, sive naturali sive supernaturali via hanc notitiam accepit. Supponimus praeterea hagiographum non esse merum amanuensem, qui simpliciter materialem scriptionem exsequatur, fortasse ne intellegens quidem ea, quae scribit, vel certe non scribens secundum ideam libri, quam ipse antea in mente sua formavit, sed eum esse verum, etsi secundarium, auctorem libri, quem componit.

Iamvero *si is, qui necessarias cognitiones iam habet, accedit ad scribendum librum, quattuor praestare debet:* debet *imprimis* mente concipere ideam libri scribendi seu debet iudicare, quid scribendum sit; debet *secundo* considerare, quomodo res illas, quas scribendas iudicat, verbis exprimere velit; debet *tertio* habere voluntatem ea, quae mente concepit, scripto mandandi; debet *quarto* hoc consilium exsecutioni mandare aut per se aut per alium. Haec esse necessaria est per se evidens. Nam sine exsecutione non oritur liber, sine voluntate non fit exsecutio, sine praeviis iudiciis de rebus scribendis et de modo scribendi non potest haberi seria et efficax voluntas scribendi. Haec etiam intrinsecus pertinent ad illam ipsam actionem, qua liber conficitur et homo fit auctor libri. Nam scriptio libri est factum externum rationale, i. e. procedens ex intellectu proxime practico, seu ex intellectu sub motione voluntatis determinate et efficaciter iudicante de re facienda. Iudicia vero mere speculativa eo ipso, quod solum sunt speculativa, in ipsam scriptionem per se non influunt, sed possunt esse necessario praerequisita, maxime quatenus materiam scribendam exhibent.

Porro *haec quattuor sunt inter se distincta et separabilia.* Potest enim aliquis ideam libri alicuius possibilis prorsus perfectam in mente

[1] E. g. Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus; ex medio aevo S. Thomas, nostra aetate Franc. Schmid (supra n. 65 88 111 121 171 304). Solus Theodorus Mopsuestenus aliquo modo repugnare videtur (supra n. 79).

habere sine voluntate librum reapse scribendi. Potest aliquis et ideam libri habere et voluntatem scribendi, et tamen ob aliquod impedimentum ad exsecutionem non venire. Potest aliquis velle scribere et scire, quid scribere velit, et interim anxius haerere et laborare de elocutione rerum scribendarum, ut exemplo sunt non soli poetae, qui saepe sudant et algent ad inveniendum vestitum aptum cogitationum suarum, sed etiam alii scriptores, qui saepe omni dubitatione iam remota de rebus, quae dicendae sint, modum dicendi convenientem non inveniunt nisi post multa tentamina, et in posterioribus editionibus easdem res non raro aliis verbis exprimunt. Quod autem exsecutionem attinet, potest aliquis scribere aut ipse aut per alium, et si per alium, duplici modo. Aut enim adhibet simplicem amanuensem, cui singula verba dictat, aut alteri ideam libri, dispositionem partium, singulas res scribendas, brevi ea omnia exponit, quae constituunt librum, prout ipse eum mente concepit, indicat ei, quos fontes adire, quae ex iis haurire debeat, iubet eum tali modo scribere et exsecutioni huius mandati ita invigilat, ut certus sit nihil contra suam voluntatem scribi, nihil omitti, denique opus hoc modo confectum suo nomine in lucem edit. Patet non necessario neque ipsum auctorem libri neque eius amanuensem vel operis socium totam operis ideam statim ab initio in mente perfectam et absolutam habere debere usque ad ultimas eius partes et particulas, sed sufficere, ut generalem libri ideam ab initio habeat, dein vero singulas partes, prout successive scribendae sunt, clare et determinate mente concipiat et scripto mandet vel mandandas curet. Haec quidem omnia per se satis obvia et nota sunt, sed ea prae oculis habere oportet, quia Deus inspirando librum utitur hominibus secundum modum, quo homines agere solent.

415. *Quidam ex scriptoribus sacris expresse testantur se hac ratione libros suos composuisse.* Ita S. Lucas dicit se omnia, quae ad vitam et doctrinam Christi pertinent, accurate a testibus fide dignis audivisse, dein cum vidisset multos conatos esse has res narrare et ex variis his scriptis dubitationem vel confusionem oriri posse, sibi venisse in mentem easdem res scripto exponere, et quidem ordinate, ita ut Theophilus ex ipsa rerum serie secundum ordinem proposita veritatem discere posset. Nonne hic habemus modum, quo homines generatim libros componere solent? Scientia rerum praesupponitur: „assecutus omnia a principio diligenter“. Occasio et ratio, quae voluntatem eius impulit ad scribendum: „ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem“. Idea libri est: omnia ex ordine scribere, prout ea assecutus est. Exsecutus est propositum aut ipse per se aut per amanuensem vel socium. Nihil igitur activitatis humanae, nihil subsidiorum et auxiliorum, quibus homines in componendis libris uti solent, a libro inspirato excludendum est. In secundo libro Machabaeorum (2, 24 sqq; 15, 38 sqq) auctor loquitur de intentione

et fine operis, de fontibus, de studio et labore, de exsecutione plus minusve perfecta. In prologo Ecclesiastici dicitur Siracida post frequentem lectionem sacrorum librorum „voluisse et ipse scribere aliquid horum, quae ad doctrinam et sapientiam pertinent, ut desiderantes discere . . . confirmentur ad legitimam vitam".

416. Quae cum ita sint, quaeritur, *quomodo potuerit Deus fieri auctor principalis librorum, quorum homines auctores veri fuerunt.* Respondeo: *Principaliter faciendo ea, quibus ipsi homines auctores facti sunt.* Non debuit, ut vidimus, notitias praevias hominibus supernaturaliter indere. Nihilominus si homines ordinaria via has notitias acquirebant, debuit iis ita assistere eosque ita dirigere, ut ex eorum humanis inquisitionibus nullus error in eorum scripta irreperet. Neque enim errorem admitti posse in libris inspiratis et iam identidem audivimus et postea magis ostendemus. Sed haec assistentia in dirigendis studiis hagiographorum ipsam inspirationem praecedit.

Proxime autem pertinet ad compositionem libri, ut auctor librum prius in mente sua formet. Itaque *idea libri debuit principaliter exsistere in mente divina et ex ea derivari in mentem humanam;* non generalis tantum conceptus libri, sed singulae res et sententiae scribendae, eodem modo, quo liber prius exsistit in mente auctoris humani quam in charta. Neque tamen res ita concipienda est, quasi Deus librum idealiter in ipso ab omni aeternitate exsistentem deposuerit quodammodo in mente scriptoris humani, ut huic nihil faciendum fuisset nisi chartae committere, quae subito in mente sua perfecta aderant[1]. Nam hic modus secundum ea, quae diximus, statuendus non est. Liber in mente scriptoris exsistens est verbum mentis, terminus actus vitalis, ab ipso homine productus. Concurrit quidem Deus cum homine ad hunc terminum producendum; attamen neque concursus naturalis neque commune auxilium gratiae sufficit ad explicandum, cur Deus sit auctor principalis libri inspirati, sed ad hoc requiritur influxus charismaticus, quo homo fit instrumentum Dei[2]. Ergo Deus modo plane singulari ita influit in intellectum humanum, ut vi huius influxus homo mente concipiat ideam libri scribendi, prout Deus prius ipse hanc ideam in mente sua habuit. Idea divina est causa exemplaris libri scribendi, influxus Dei in mentem scriptoris humani pertinet ad rationem causae efficientis, sicut ait Sapiens (7, 15): „Mihi dedit Deus dicere ex sententia et praesumere digna horum, quae mihi dantur, quoniam ipse sapientiae dux est et sapientium emendator."

417. Quia haec supernaturalis actio Dei in intellectum non est revelatio stricte dicta seu communicatio specierum[3], nihil remanet, nisi

[1] Quam opinionem quidam Cardinali Franzelin contra eius expressa verba subiecerunt (supra n. 301 309).

[2] Supra n. 403 sq. [3] Supra n. 410.

ut sit supernaturale *lumen iudicativum, quo homo sententias ad scribendum format ea plane ratione, qua Deus vult.* Quo fit, ut hae sententiae, prout hic et nunc ad scribendum formantur, non sint simpliciter iudicia humana, sed principaliter iudicia Dei, qui mentem hominis, salva eius propria activitate, inflectit et regit, prout vult. Et sicut homo, qui librum componit, non incessanter diu noctuque de libro suo cogitat, ita neque influxus ille divinus adest, nisi hagiographus actualiter in libro componendo et scribendo occupatur. Motio enim moventis in mobili est ipse motus mobilis. Unde influxus Dei charismaticus in intellectum scriptoris sacri nihil aliud est nisi ipsa iudicia scriptoris, in quantum ex supernaturali motione Dei oriuntur[1]. Unde tum solum, cum iudicia formantur, influxus ille Dei habetur.

Potest igitur haec infusio luminis supernaturalis comparari cum ordinaria gratia actuali illustrationis. Utraque enim est supernaturalis gratia, utraque est in intellectu ut subiecto, utraque distinguitur a revelatione stricte dicta, utraque est lumen, quo homo iuvatur ad recte iudicandum, utraque errorem excludit. Attamen valde inter se differunt. Nam ordinaria gratia illustrationis datur ad sanctificandum hominem, qui eam recipit, et ad docendum eum recte credere, recte sperare, recte diligere, recte prosequi finem supernaturalem per debita media. Duplex munus habet et excitandi hominem ad agendum et elevandi actus eius, ut habeant internam proportionem ad finem supernaturalem. Gratia vero gratis data seu charismatica illustrationis in mente scriptoris sacri non datur ad hagiographum sanctificandum, sed excitat eum ad haec et haec scribenda, et elevat actus eius, non ut hoc modo proportionem habeant ad eius ultimum finem, sed ut proportionem habeant ad opus intentum faciendum, videlicet ut vi huius illustrationis infallibiliter scribantur ea omnia et sola, quae Deus scribi vult. Et haec quidem motio charismatica semper est efficax, quia Deus, cum absolute velit scribi librum, eliget eam motionem, quae effectu non carebit, etsi libertatem scriptoris intactam relinquit.

In hoc autem convenit charisma inspirationis cum ordinaria gratia actuali, quod, sicut gratia actualis non est exclusive interna, in mente tantum hominis exsistens, sed saepe externa quoque, consistens in auditione vel lectione verbi divini vel aliis occasionibus et condicionibus, quibus homines inducuntur ad agendum, ita etiam, *ut hagiographus impellatur ad scribendum, Deus non sola interna motione utitur, sed externis quoque circumstantiis.* Lucas scripsit ob amicitiam cum Theophilo; Paulus, ut responderet quaestionibus a Corinthiis propositis, et ob similia motiva; Marcus, ut ex vetere traditione refert *Clemens Alex.*, rogatus a Romanis, ut, quae a Petro apostolo praedicata erant, litteris consignaret, evangelium composuit[2]. His et aliis similibus efficitur Deum saepe usum esse externis incitamentis et cum

[1] *S. Thomas* 1, 2, q. 110, a. 2. [2] *Eus.*, H. E. 6, 14; *M* 20, 551.

iis internam motionem coniunxisse, ut hagiographos ad scribendum moveret; solo enim externo illo impulsu Deus factus non esset auctor Scripturae, sed ex altera parte interna gratia nullo modo excludit externa scribendi motiva.

418. Quaeritur, *quid sit obiectum iudiciorum supernaturalium*, in quibus consistit gratia inspirationis, quantum ad intellectum, et quid haec gratia addat ad iudicia formata ex causis naturalibus internis et externis. Imprimis illa iudicia historica vel doctrinalia vel alia quaecumque, quae in Scriptura leguntur[1], sive ex obiecto supernaturalia sive ex obiecto naturalia, in quantum sunt theoretica iudicia de certis veritatibus, non immediate pertinent ad inspirationem, sed sunt de praerequisitis ad inspirationem, sunt notitiae, quas scriptor in mente habuit, antequam consilium cepit eas in librum referendi. Lucas iam diu assecutus erat a testibus fidelibus dicta et facta Christi, neque tamen fortasse ei cogitatio inciderat ea conscribendi, dum tandem voluntas faciendi opus Theophilo gratum et utile eum ad scribendum instigavit. Similiter Marcus praedicationem Petri iam diu audierat et memoria retinebat, nec tamen de scribèndo cogitabat, nisi postquam Romani eum precibus urgere coeperunt. Neque Lucae neque Marco iudicia theoretica supernaturalia de dictis et factis Christi in ipso actu scribendi primum indita sunt, sed cum multis aliis credentibus, qui nihil umquam scripserunt, ea antea cooperante gratia divina conceperant. Vel, ut sumamus exemplum de iudiciis obiective mere naturalibus, auctor Actuum apostolorum saepe narrat ea, quorum ipse quoque pars fuit. E. g. „nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis et venimus ad eos [quos antea nominavit] in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. . . . Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum . . . assumpto eo venimus Mitylenen. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum“ (Act 20, 6 sqq). Haec et alia, quae sequuntur, ante conscriptionem libri Lucas sciverat cum certitudine, neque ullus charismaticus influxus ad haec iudicia formanda requirebatur. Aliud exemplum: S. Paulus in epistulis suis saepe manifestat internos suos affectus gaudii, tristitiae, desiderii, indignationis, compassionis. Sine ullo charismate potuit certo cognoscere se hos affectus habere. Ergo nulla est ratio dicendi Deum extraordinario influxu haec iudicia in sacris scriptoribus produxisse. Atqui si vel in uno textu inspirato eiusmodi iudicia deducenda non sunt ex charismate inspirationis, iudicia theoretica charismatica non sunt de inspirationis essentia. Verum quidem est: Si Deus voluit, ut ea scriberentur, quorum hagiographi tempore scriptionis actualem memoriam non habebant, debuit iis res

[1] Cf. supra n. 410 sqq.

in memoriam revocare, debuit fortasse species sopitas resuscitare, recte ordinare, clariores reddere, immo fortasse novas species infundere. Haec omnia poterant fieri. Sed poterat etiam esse, ut hagiographus iam sine tali influxu omnes species necessarias haberet, ut species essent recte ordinatae, clarae, cognitae ut verae sine ullo errore. Ergo ad essentiam inspirationis extraordinaria productio iudiciorum historicorum vel doctrinalium vel generatim iudiciorum theoreticorum non requiritur.

419. Restat igitur, ut *Deus supernaturali lumine scriptorem ita illustret, ut hic vi huius illustrationis iudicet ea et eo modo scribenda, quae et quomodo Deus scribi vult.* Deus e. g. iudicat scribendam esse seriem horum vel illorum eventuum historicorum; infundit hagiographo lumen, ut hic eandem seriem eventuum scribendam iudicet. Deus iudicat scribendum esse psalmum, illuminat scriptorem, ut hic eundem psalmum scribendum iudicet, quem aut cum adiutorio Dei componit inter scribendum, aut a se vel ab alio compositum memoria tenet. Et sic de ceteris. Patet enim hoc modo prius per intellectum divinum concipi et determinari librum scribendum vel epistulam vel poema vel quodcumque tandem est, et dein per influxum divinum moveri intellectum scriptoris humani, ut hic eadem quae Deus scribenda iudicet et determinet. Deus igitur erit auctor primarius, quia ab ipso primum et principaliter procedit illa motio, cuius terminus est hic liber. Scriptor autem humanus est auctor secundarius et causa instrumentalis, quia ipsius intellectus non iudicat et determinat scribenda nisi ad hunc finem a Deo motus.

Dices: Nonne hac ratione omnis liber Deo auctori principali adscribendus esset, cum sine concursu divino vel sine motione divina non possit quisquam librum ad scribendum mente concipere?

Respondeo negando; nam in nullis aliis illustrationibus Deus ita mentem hominis illuminat, ut vi huius illustrationis non possit oriri nisi talis liber, sed omnem ordinarium concursum naturalem vel supernaturalem Deus sic attemperat, ut electio effectus sit principaliter penes hominem, qui concursu utitur aut non utitur, tali modo aut alio modo utitur. Sed *in inspiratione biblica Deus electionem scribendorum facit et eum influxum adhibet, vi cuius non possit nisi effici hic et talis liber.* Hac igitur re differt illustratio inspirativa ab omni alia illustratione, quod procedit ex intentione producendi talem librum, et consequenter ita comparata est, ut terminus eius infallibiliter sit talis liber. Deus quodammodo in suo intellectu idealem librum componit, dein scriptor humanus vi influxus divini in suo intellectu eundem idealem librum componit.

Quamquam autem inspiratio ex parte intellectus consistit in iudicio practico vel in serie iudiciorum practicorum de libro scribendo, *in actu exercito simul est iudicium theoreticum de veritate rerum scriben-*

darum. Absolute enim repugnat Deum hominibus proponere ut vera, quae falsa sunt, vel ut falsa, quae vera sunt. Iudicium quidem pure theoreticum de veritate rei est aliquid praevium inspirationi et ab ea separabile; sed iudicium practicum de re aliis proponenda simul includit affirmationem veritatis eius. Impellendo igitur ad scribendum Deus sua facit iudicia hagiographorum, quia, quae ipsi scripto affirmanda censent, Deus prius affirmanda iudicavit, et hoc ipsorum iudicium est iudicium a Deo in ipsis productum. Quare eorum verba, Dei verba sunt, quae fidem postulant, non qualis homini habenda est, sed qualis divinae auctoritati debetur.

420. ***Schol. 1.*** **Num hagiographi sibi conscii fuerint inspirationis.**

Ex sacris scriptoribus *multi sine dubio sciverunt se esse a Deo inspiratos ad scribendum.* Imprimis omnes illi, qui divinitus mandatum acceperunt nomime Dei scribendi, ut Moyses, Isaias, Ieremias, Habacuc, alii[1]. David de se ait: „Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam" (2 Rg 23, 1 sqq). Sapiens librum suum speciali auxilio Dei attribuit (7, 15). Ioannes in Apocalypsi testatur se ex mandato divino scripsisse, et ideo monet libro suo nihil addendum, nihil de eo minuendum esse[2].

E contra *alia dicta conscientiam inspirationis non insinuant,* e. g. quae in libro secundo Machabaeorum (2, 24 sqq) legimus: „Ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare. Considerantes enim multitudinem librorum et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio, studiosis vero, ut facilius possint memoriae commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus. . . . Sicut enim novae domus architecto de universa structura curandum est, ei vero, qui pingere curat, quae apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt, ita aestimandum est et in nobis. Etenim intellectum colligere et ordinare sermonem et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiae congruit auctori; brevitatem vero dictionis sectari et exsecutiones rerum vitare brevianti concedendum est. Hinc ergo narrationem incipiemus, de praefatione tantum dixisse sufficiat." Et in fine libri: „Faciam finem sermonis. Et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi" (15, 38 39). Qui ita scribit, non videtur habere conscientiam inspirationis. Idem valet de prooemio Lucae. Neutrius tamen verbis haec conscientia necessario excluditur, cum per inspirationem neque labor

---

[1] Supra n. 380. [2] Supra n. 388.

in componendo libro neque defectus litterarii tollantur. Ergo ex ipsa Scriptura solvi nequit quaestio, habuerintne omnes scriptores sacri conscientiam inspirationis suae.

Sunt Patres et theologi, qui inclinant ad admittendam talem conscientiam. *S. Augustinus* probabile censet Matthaeum (27, 9) vidisse pro Ieremia Zachariam nominandum fuisse, neque tamen hoc emendasse, cum „cogitaret recordationi suae, quae Sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen prophetae, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. . . . Quid opus erat, ut emendaret Matthaeus . . . ac non potius sequens auctoritatem Spiritus Sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus“? Idem ad alios hagiographos extendit [1]. Contra secundum *S. Thomam* inspiratio ad scribendum non necessario iuncta est cum revelatione prophetica, sed potest fieri per solum instinctum divinum, in quo homo „aliquando sic se habet, ut non plene discernere possit, utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu vel per spiritum proprium“ [2]. *Suarez* ait: „Securius videtur idem in praesenti [quaestione] affirmare, quod de prophetia certum est, nimirum prophetam verum et proprium cognoscere, quae praedicit; ita enim de se significat David. Est autem eadem ratio de reliquis scriptoribus.“ Alibi addit sibi non constare, num interdum hagiographi ignoraverint se in scribendo regi a Spiritu Sancto [3]. Nostra aetate e. g. *Crets* censet probabilius omnes scriptores sacros supernaturalis illuminationis sibi conscios fuisse [4]. Sufficiant haec exempla ad ostendendum a theologis rem considerari ut incertam.

Ratio, *cur res sit incerta,* haec est, quod Deus, intime in animo hominis exsistens eumque conservans et cum eo in omnibus concurrens, potest etiam supernaturaliter ita mentem hominis illustrare, ut homo plane distinguere non possit, utrum cogitationes suae ortae sint ordinaria via an extraordinario influxu Dei. Non enim violenter Deus in animum agit, sed eum tam perfecte sibi subiectum habet, ut, quocumque vult, modo maxime convenienti et conaturali eum vertere possit.

Recte utique annotant S. Thomas, Suarez (locis citatis), alii theologi hominem, qui inconscius influxus charismatici a Deo moveatur, deficere a dignitate prophetae proprie dicti. Nam qui nescit, utrum ea, quae dicit vel scribit, sint Dei verba an sua, non potest cum auctoritate prophetae ut os Dei ad alios loqui; sed si verba eius sunt divina, necessario accedere debet revelatio, quibus hoc hominibus manifestetur, ut obligentur ad fidem theologicam his verbis habendam. Si haec revelatio non fieret ipsis scriptoribus sed aliis hominibus, Deus sensu proprio locutus non esset hagiographis, sed per hagio-

---

[1] Supra n. 119 sq. [2] Supra n. 170 173. [3] Supra n. 291 sq.
[4] Supra n. 307.

graphos aliis. E. g. si scriptor secundi libri Machabaeorum nescivisset se ex inspiratione scribere, et si apostolis tantum inspiratio illius libri revelata esset, nobis quidem verba libri essent verba Dei, ipsi scriptori non fuissent. Et haec videtur satis urgens ratio, quae suadeat eiusmodi ignorantiam in scriptore sacro non esse admittendam, nisi probetur. Probatio autem, ut recte ait Cardinalis *Franzelin,* non suppetit pro ullo ex nostris scriptoribus canonicis[1]. Manet tamen verum neque conscientiam inspirationis neque revelationem de facto inspirationis pertinere ad interna constitutiva huius charismatis, sed esse aliquid ei accessorium. Nam scribere ut instrumentum Dei sub influxu charismatico et habere conscientiam huius influxus ut charismatici sunt re et ratione distincta et inter se separabilia.

421. *Schol. 2.* Num liber secundus Machabaeorum excerptus sit ex Iasonis libris.

De libro secundo Machabaeorum iam saepius sermo fuit, maxime ad ostendendum, quid ad inspirationem non requiratur. Diximus quidem iam antea per se non pugnare cum conceptu inspirationis hagiographum inspirari ad ea scribenda, quae iam ab alio scriptore opera pure humana scripta sunt[2]. Sed cum liber inspiratus non exsistat, qui secundum materialem identitatem integer etiam scriptus sit ab auctore profano, videtur tamen secundus liber Machabaeorum esse excerptum quoddam ex libro Iasonis. Quare quidam per modum saltem coniecturae collegerunt fortasse librum ipsum secundum Machabaeorum scriptum esse sine speciali influxu divino et per solam ecclesiae approbationem nactum esse auctoritatem canonicam[3]. Nam ad hoc, ut quis faciat excerptum ex alterius libro, non videtur ulla charismatica illustratio intellectus esse necessaria.

Alii autem, quo efficacius hanc difficultatem eliminarent, *ostendere conati sunt illum librum non esse epitomen ex Iasonis libris,* sed potius breviorem expositionem eorum, quae Iason diffusius exposuerat[4]. Quae explicatio si admittitur, non necesse est ullam hagiographi a Iasone dependentiam admittere, cum potuerit easdem res, quas Iason tractavit, aliunde novisse.

Quia neque scimus, quis Iason fuerit, neque librum eius habemus, ex solis verbis secundi libri Machabaeorum res dirimi debet. Sunt autem verba haec: *Τὰ δὲ κατὰ τὸν Ἰούδαν τὸν Μακκαβαῖον καὶ τοὺς τούτου ἀδελφούς* [et quae ab iis et sub iis facta sunt], *τὰ ὑπὸ Ἰάσωνος τοῦ Κυρηναίου δεδηλωμένα διὰ πέντε βιβλίων, πειρασόμεθα δι' ἑνὸς συντάγματος ἐπιτεμεῖν. . . , Καὶ ἡμῖν μὲν τοῖς τὴν κακοπάθειαν ἐπιδεδεγμένοις τῆς ἐπιτομῆς οὐ ῥᾴδιον, ἱδρῶτος δὲ καὶ ἀγρυπνίας τὸ πρᾶγμα. . . .*

---

[1] *Franzelin,* De Scriptura thes. 3, cor. 3, p. 358 sq.
[2] Supra n. 412. [3] Cf. supra n. 285.
[4] Cf. *Fr. Schmid,* De inspir. 104 sqq.

Ἡδέως τὴν κακοπάθειαν ὑποίσομεν, τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων συγγραφεῖ παραχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς διαπονοῦντες. . . . Τὸ μὲν ἐμβατεύειν καὶ περὶ πάντων ποιεῖσθαι λόγον καὶ πολυπραγμονεῖν ἐν τοῖς κατὰ μέρος τῷ τῆς ἱστορίας ἀρχηγέτῃ καθήκει· τὸ δὲ σύντομον τῆς λέξεως μεταδιώκειν καὶ τὸ ἐξεργαστικὸν τῆς πραγματείας παραιτεῖσθαι τῷ τὴν μετάφρασιν ποιουμένῳ συγχωρητέον (2 Mach 2, 19 sqq).

Atqui *haec videntur manifeste indicare excerptum ex libro Iasonis.* Nam ter repetit auctor se facere epitomen eorum, quae Iason quinque libris copiose exposuerit. Atqui epitome non est quaevis brevis narratio historica, sed excerptum ex maiore opere. Talia excerpta multa nota sunt ex antiquitate, quae semper vocantur epitomae. Unde eo minus a communi significatione recedendum est, quia maius opus Iasonis diserte nominatur. Praeterea secundum contextum Iason est *συγγραφεύς*, cui auctor libri Machabaeorum opponitur ut epitomator; etsi universaliter exprimitur oppositio inter historiographum et epitomatorem, secundum sensum applicatio fit ad Iasonem et scriptorem secundi libri Machabaeorum. Opus Iasonis vocatur *οἱ ὑπογραμμοὶ τῆς ἐπιτομῆς*, i. e. exemplar, ad quod facta est epitome. Nam *ὑπογραμμός* est terminus technicus, quo significatur exemplar, quod proponitur ad describendum[1]. Ergo expresse, ni fallor, auctor dicit exemplar, ad quod factus sit libellus suus, esse quinque libros Iasonis. Hunc vocat „ducem historiae", *τὸν τῆς ἱστορίας ἀρχηγέτην*, cuius ipse est *μεταφραστής*. Metaphrastes autem est, qui alterius opus litterarium alio modo reddit, sive vertendo in aliam linguam sive excerpendo[2]. Ergo nisi vis verbis infertur, dicendus est liber secundus Machabaeorum excerptus ex libro Iasonis. Id etiam exegetae ut manifestum admittunt[3]. Ceterum auctor praeter ea, quae ex Iasone excerpsit, addidit epistulas et alia, quae duobus primis capitibus et ultimis versiculis capitis quinti decimi continentur.

Excerptum aliquod fieri per inspirationem divinam, nihil contradictorium, nihil Deo indignum est. Potest enim Spiritus Sanctus ita illuminare scriptorem, ut hic determinatas res et sententias excerpat, quas Deus vult, excerptasque eo modo disponat et proponat, quo Deus vult. Ratio vero inspirandi est, quia tale excerptum utile esse potest ad finem religiosum. Id in libro secundo Machabaeorum manifeste apparet, in quo singularis Dei providentia de populo israelitico saepe effertur, et ad hanc providentiam praedicandam totus liber scriptus est. „Deus autem, qui liberavit populum suum et reddidit hereditatem omnibus et regnum et sacerdotium et sanctificationem, sicut

---

[1] Unde *ὑπογραμμὸς παιδικός* apud *Clem. Alex.*, Strom. 5, 8; *M* 9, 80.

[2] Notum est nomen *Simeonis Metaphrastae,* qui ita vocatur, quia faciebat metaphrases antiquorum operum.

[3] Cf. e. g. *Cornely,* Introd. II 1, p. 442 sqq.

promisit in lege, speramus, quod cito nostri miserebitur" (2, 17 sq). Sacerdotes contra Heliodorum, qui templum invadebat ad deposita auferenda, „invocabant de caelo eum, qui de depositis legem posuit" (3, 15). Heliodorus fatetur: „Ipse, qui habet in caelis habitationem, visitator et adiutor est loci illius et venientes ad malefaciendum percutit et perdit" (3, 39). Similia leguntur per singula capita usque ad ultimum: „Omnes igitur caeli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit" (15, 34). Itaque liber, qui narrando vera facta, etsi ex alio libro excerpta, ita Dei providentiam glorificat, utique dignus est, qui a Deo inspirari possit. De veritate autem factorum, quae narrantur, ipsa inspiratio non relinquit dubitandi locum[1]. Sive Iasonis opus fuit inspiratum, ut quidam suspicantur, sive non fuit, liber secundus Machabaeorum divina auctoritate fruitur, quia ipse inspirante Deo conscriptus est.

Legimus in Vulgata: „Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem . . . brevitati studentes" (2, 29). Sensus clarius patet ex textu graeco: *Τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων συγγραφεῖ παραχωρήσαντες*, singulorum accuratam expositionem historiographo relinquimus, nos vero epitomen tantum facere studuimus. Neque igitur Iason dicitur respondere debere de veritate narratorum, sed ampla singulorum expositio in oppositione ad brevitatem epitomae ei conceditur. In textu graeco sermo non est de „auctoribus" sed de historiographo[2], qui secundum contextum est Iason, ut iam diximus.

Ex hac igitur praefatione libri secundi Machabaeorum colligitur, id quod iam antea monuimus, hagiographum res, quas scribit, non necessario haurire ex revelatione proprie dicta, sed posse eas haurire ex fontibus naturalibus, porro lumen divinum et motionem supernaturalem non necessario ad hoc valere, ut omnis labor in colligendis et conscribendis rebus auferatur, sed ad hoc tantum, ut exclusis erroribus vera ex auctoritate divina scribantur, tandem influxu divino non arceri omnes defectus litterarios.

Art. VI.

DE INFLUXU DEI IN VOLUNTATEM ET FACULTATES EXSECUTIVAS HAGIOGRAPHI, DE ASSISTENTIA DIVINA ET DE LIBRIS ECCLESIAE TRADENDIS.

422. Ut quis fiat auctor alicuius libri, praeter ideam libri in intellectu suo exsistentem necesse est habeat efficacem voluntatem ea, quae mente concepit, scripto consignandi. Atqui non homo sed Deus est principalis auctor Scripturae, neque voluntate humana facta est

---

[1] Quo sensu et ambitu haec veritas intellegenda sit, postea inquiremus.

[2] *Συγγραφεῖ*, quod vocabulum praecipue significat auctorem librorum historicorum.

Scriptura, sed voluntate divina[1]. Ergo etsi homines voluntate sua cooperantur ad Scripturam producendam, nihilominus eorum voluntas non agit nisi mota a voluntate divina, a qua intentio libri scribendi primum procedit. Sicut in ordinaria gratia actuali non intellectus tantum illustratio habetur, sed etiam motio voluntatis, ita similiter in charismate inspirationis fieri censendum est. Nam si Deus intellectui quidem lumen infunderet ad ideam libri concipiendam, sed homini relinqueret, utrum vellet necne conformiter ad hanc ideam operari et librum reapse scribere, potius voluntate humana allata esset Scriptura quam voluntate divina contra verba S. Petri (2, 1, 21), neque hoc modo scriptor loqueretur nomine Dei sed nomine suo. Est quidem ipsa illustratio intellectus aliquo modo etiam motio voluntatis. Quia tamen intellectus neque physice movet voluntatem neque ad unum determinat, etiam post lumen charismaticum intellectui infusum voluntas potest se in hanc vel illam partem determinare. Ergo *quia Deus ut principalis auctor vult, ut homo se determinet ad scriptionem huius libri, requiritur correspondens motio charismatica voluntatis,* quae quidem non tollit libertatem hominis[2], sed hac libertate servata effectum infallibiliter obtinet. Haec gratia motionis ad ordinariam gratiam supernaturalis influxus in voluntatem eodem modo comparatur, quo lumen charismaticum ad ordinariam gratiam illustrationis, et eodem modo cum interna motione voluntatis saepe iungitur motio externa. Unde quia ea, quae de intellectu dicta sunt[3], facile ad voluntatem applicantur, ulterius immorari opus non est; nam obiectum huius motionis voluntatis est exsecutio iudiciorum practicorum, quae ex illustratione in intellectu formata sunt. Aequivalet quidem haec motio expresso mandato scribendi, quod quidam a Deo acceperunt[4]; sed est simul physicus influxus Dei in voluntatem, declinabilis quidem ex interna natura sua, sed simul infallibilis, utpote procedens ex absoluta voluntate Dei, qui potest efficere, ut homines libere et simul cum absoluta certitudine effectum aliquem producant. Quamquam voluntas non est sicut lapis, qui passive tantum indifferens est, sed habet activam indifferentiam, qua teste conscientia potest se ipsam determinare sine ulla praevia determinatione externa, seu, quamquam voluntas positis omnibus ad agendum praerequisitis potest agere vel non agere, taliter agere vel aliter agere, Deus tamen habet tale dominium in voluntatem, ut possit hac ipsa indifferentia activa uti, quomodo vult et ad quemcumque effectum vult, cum absoluta infallibilitate.

423. Itaque *in voluntate hagiographi admittendus est duplex influxus Dei: alter moralis, alter physicus;* et physicus quidem, qui consistit

---

[1] Supra n. 386 404 sq. [2] Supra n. 413. [3] Supra n. 417.
[4] Supra n. 380 388.

in ipsa inmediata motione supernaturali (intrinsecus declinabili) voluntatis; influxus moralis, qui consistit in praecedentibus practicis iudiciis supernaturalibus; nam intellectus faciendo iudicia practica necessario moraliter in voluntatem influit. Potest praeterea accedere influxus externus moralis, ut expressum mandatum Dei, petitiones vel interrogationes hominum, vel aliae circumstantiae externae impellentes ad scribendum. Hic autem externus influxus ad inspirationem non essentialiter pertinet, sed accidentaliter se habet.

424. Ut iam veniamus ad materialem scriptionem, quae est executio iudicii practici et voluntatis scribendi, *ad hoc, ut quis sit auctor libri, non requiritur, ut ipse per se et physica sua operatione scriptionem efficiat,* sed sufficit, ut per alium scribat et in scriptionem moraliter tantum, i. e. dictando et invigilando, influat. Ieremias est auctor libri sui prophetici, etsi hic liber dictante Ieremia a Baruch scriptus est[1]. Ergo Ieremias eatenus scripsit, quatenus scribenda dictavit. Petrus primam epistulam suam scripsit per Silvanum (1 Petr 5, 12). Epistula ad Romanos est Pauli, sed eam scripsit Tertius (Rom 16, 22). Cur Paulus in prima ad Corinthios effert (16, 21): „Salutatio mea manu Pauli"? Quia non ipse epistulam scripserat. Solebat tamen sua manu subscribere, ne, si hoc omitteret, Christiani fictis Pauli epistulis decipi possent (2 Thess 2, 2).[2] Ideo monet Thessalonicenses: „Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistula; ita scribo." (2 Thess 3, 17; cf. Col 4, 18). Item monet Galatas (6, 11): „Videte, qualibus litteris scripsi vobis mea manu". Ergo Ieremias et Paulus et alii hagiographi, qui non ipsi scripserunt, sed amanuenses adhibuerunt, ostendunt auctores librorum posse esse sensu vero et perfecto auctores, etsi materialem scriptionem ipsi non immediate et physice efficiant. Ceterum hoc notum est; neque enim quisquam quaerens de auctore alicuius libri amanuensis nomen scire desiderat, aut auctorem ideo minus auctorem esse censet, quod amanuensis opera usus sit. Quod valet de nomine auctoris, valet de nomine scriptoris (vel conscriptoris, *συγγραφέως*), quod est solum nomen magis usitatum apud Latinos ad significandum id, quod nunc frequentius vocabulo auctoris exprimimus.[3]

Si Ieremias, Paulus, alii (fortasse omnes hagiographi) facti sunt auctores vel conscriptores librorum vel epistularum sine immediato et physico influxu in materialem scriptionem, *non magis requiritur*

---

[1] Supra n. 380.

[2] *S. Thomas* ait: „Consuetudo apostoli erat, quod totam epistulam faciebat aliquem scribere, sed in fine ponebat aliquid de manu sua . . . ne fallerentur" (In Col. 4, 16).

[3] Fortasse non inutile est notare conscriptorem non dici eum, qui cum alio simul scribat; nam conscriptor est etiam, qui solus librum componit. Illud „con" refertur ad obiectum; conscriptor enim varias res in unum scriptum colligit.

Dei influxus charismaticus, immediatus, physicus in facultates exsecutivas seu scriptorias et materialem scriptionem, ut Deus sit auctor et conscriptor sacrorum librorum. Nam quod sufficit, ut homo sit auctor, etiam sufficit, ut Deus sit auctor libri. Non potest quidem homo scribere neque omnino quidquam agere sine concursu divino. At concursus generalis non est id, quo constituitur charisma inspirationis; alioqui omnia, quae scripta sunt et scribentur, essent inspirata et ad Deum ut auctorem principalem referenda. In inspiratione naturalia supponuntur et charismatice elevantur. Ergo tum solum materialis scriptio intrinsecus pertineret ad inspirationem, si Deus facultates scriptorias physice elevaret et per facultates sic elevatas physice scriptionem materialem efficeret. Atqui hoc neque necessarium est neque probari potest. Deus est auctor principalis epistulae ad Romanos, quia Paulo usus est ut instrumento ad faciendа omnia, quae ab auctore epistulae fieri oportet. Paulus usus est Tertio ut instrumento ad efficiendam materialem scriptionem, non elevans physice eius facultates neque per eum ipse physice scriptionem efficiens. Sic Deus est auctor principalis, Paulus auctor secundarius, Tertius amanuensis. Quae Paulus, ut esset auctor, non debuit facere in Tertio[1], neque Deus debuit facere, cum Deus sit auctor primarius epistulae per Paulum auctorem secundarium.

Dices: Sine scriptione non fit liber, sine libro non est auctor, sine auctore non est inspiratio; ergo ad inspirationem scriptio essentialiter requiritur.

Respondetur: Sine dubio scriptio essentialiter requiritur, ut sacer scriptor sit auctor libri, et per sacrum scriptorem Deus. Sed sicut sacer scriptor potuit efficere scriptionem aut immediate et physice aut mediate et moraliter, ita necesse non est Deum immediate et physice scribere elevando et movendo physice facultates exsecutivas amanuensis. Ergo inspiratio, in quantum intellegitur charismaticus et physicus influxus in hagiographum, essentialiter absolvitur in intellectu et voluntate sacri scriptoris. Nam si hic ipse scribit, ex intellectu et voluntate elevatis et motis ad scribendum librum sua sponte derivatur influxus divinus efficienter in facultates exsecutivas. Si vero per alium scribit, ista derivatio in facultates exsecutivas fit quidem solum moraliter, sed non ideo minus efficaciter.

425. Quia autem amanuensis, cui auctor dictat scribenda, defectus committere potest in scribendo, auctor invigilare debet, ut ea omnia

[1] Tertius fuit instrumentum Pauli et per Paulum Dei, quia non ex ipsius intellectu et voluntate fluxit epistula ad Romanos, sed ex Pauli intellectu et voluntate supernaturaliter elevatis et motis. Sunt enim etiam instrumenta moralia, quae a causa principali per influxum in intellectum et voluntatem moraliter moventur, ut omnes, qui altero dictante scribunt. Physice autem per alium scribit e. g. magister, qui manum discipuli scribentis ducit.

et sola scribantur, quae ipse scribi vult; nam si quae sententiae praeter eius intentionem scriberentur, ipse harum sententiarum non esset auctor. Ergo Deus, qui est auctor totius Scripturae et omnium partium eius, invigilare debuit, ne quid praeter suam intentionem ab amanuensibus hagiographorum scriberetur. Sic igitur *requiritur assistentia divina,* qua iuxta *Leonis XIII* doctrinam [1] Deus ita scribentibus adstitit, ut scribenda apte infallibili veritate exprimerent. Ceterum etsi hagiographus ipse scribit sine amanuensi, possunt tamen per se lapsus calami accidere, quia facultates exsecutivae non semper perfecte oboediunt imperio voluntatis. Ergo etiam in hoc casu requiritur Dei assistentia ad cavendos saltem eos defectus, quibus sensus dictorum afficitur. Neque iuvat dicere: Deus ipse omnia scribit, ipse autem non debet sibi assistere, ne sibi errata e penna elabantur. Nam etsi vero aliquo sensu Deus dici potest ipse scripsisse libros sacros, scripsit tamen per instrumenta viva, rationalia, libera, quae in exsecutione errata committere possunt, etiam tum cum eorum intellectus et voluntas charismatice elevantur et moventur. Nihil quidem impedit, quominus aliquis dicat sibi potius videri Deum facultates exsecutivas sive hagiographi sive amanuensis eius ita supernaturaliter movere, ut hac motione omne erratum excludatur. Sed qui hoc dicit, conscius sibi esse debet se facere hypothesim, quae minime necessaria est, ut Deus sit verus inspirator et auctor Scripturae, sicut Paulus est verus inspirator et auctor epistulae ad Romanos, etsi Tertium non ita movit. Ergo qui talem influxum Dei postulat, statuit theoriam, quae per dogma catholicum non postulatur et a quovis libere reici potest, cum sola assistentia sufficiat. De assistentia divina hagiographis praestita theologi saepe loquuntur, ut e. g. Bañez, Contenson, Bellarminus, recentiores omnes fere [2]. Sed simul monent solam assistentiam non sufficere, cum haec etiam praebeatur conciliis et summis pontificibus in definitionibus suis, quorum scripta non sunt inspirata. Unde efficitur theologos non ipsum influxum positivum Dei in intellectum et voluntatem hagiographi intellegere assistentiam, sed aliquid ab eo distinctum [3]. Scilicet in re, de qua agimus, Deus eum, qui materialem scriptionem exsequitur, suis viribus simpliciter uti sinit, quamdiu eum videt recte scribentem; sed quamprimum videt eum aberrantem a recta scriptione, ita influit, ut error impediatur vel saltem ab amanuensi vel hagiographo corrigatur, antequam liber ecclesiae ut inspiratus tradatur. Potest hic influxus esse mediatus vel immediatus, per causas naturales vel per causas supernaturales, dummodo omnis error a Sacra Scriptura arceatur.

426. Hinc apparet *differentia inter Sacram Scripturam et definitiones conciliares vel pontificias.* His omnibus quidem proponitur doctrina

[1] Supra n. 343.
[2] Cf. supra n. 278 281 nota 288 290 293 301 etc.
[3] Cf. supra n. 405.

revelata infallibiliter propter assistentiam divinam. Sed in definitionibus ecclesiasticis nihil de necessitate habetur nisi assistentia divina, qua efficitur, ut ea, quae olim revelata sunt, infallibiliter proponantur et explicentur. Ad Scripturam vero requiritur necessario extraordinarius Dei influxus positivus, vi cuius fit, ut omnia, quae scribuntur, quia hoc modo scribuntur, sint Dei verbum fide divina credendum, et eatenus etiam revelata, licet obiecta fortasse pertineant ad ordinem naturalem. Praeterea in conciliis et bullis pontificiis non omnia sunt infallibilia, sed solae definitiones stricte dictae. Alia non definita absolute possunt errores continere; neque quidquam formaliter ob hoc ipsum, quod est ab ecclesia definitum, est divinitus revelatum et fide divina credibile. Porro ecclesiasticae definitiones non sunt, ut Scriptura, revelationis fons primitivus sed derivatus, quia innituntur Scripturae et traditioni apostolicae.

Potest quidem fieri, ut Deus influxu supernaturali et extraordinario moveat summum pontificem ad definitionem scripto edendam; et idem valet de conciliis. Nihilominus haec definitio scripta essentialiter differt a Sacra Scriptura, idque ob duas rationes: a) quia Deus non intendit, ut hoc scriptum qua suo nomine scriptum ecclesiae tradatur; ideo b) non dat revelationem, qua ecclesiae innotescat Deum esse auctorem principalem scripti, et scriptum qua scriptum toti ecclesiae ut Dei verbum recipiendum esse. Nam revelatio catholica post mortem apostolorum cessavit; ergo in hoc ordine providentiae Deus tale quid non iam revelare neque intendere potest[1].

427. Hinc colligitur *Deum, quando inspiravit libros sacros, intendisse, ut hi libri ecclesiae nomine Dei ut verbum Dei scriptum et ut fons et regula fidei traderentur.* Nam sine hac intentione Dei libri non pertinerent ad fidem catholicam. Ergo etsi actualis traditio librorum non constituit inspirationem, sed eam supponit, tamen intentio Dei, ut libri ecclesiae tradantur, dicenda est pertinere ad inspirationem, prout ab ecclesia intellegitur, quia ecclesia non agnoscit libros inspiratos, nisi qui sint verbum Dei omnibus credendum. Si vero Deus librum inspiraret ad privatum usum alicuius, nulla imponeretur fidelibus obligatio credendi, quae in eo continentur, sed de tali libro iudicandum esset sicut de revelatione privata. Hac de causa in Concilio Vaticano dictum audivimus inter librum inspiratum et librum canonicum nullam realem differentiam intercedere, etsi notiones inspirationis et canonicitatis sint formaliter diversae[2].

Itaque omnia exposuimus, quae initio articuli praecedentis ad scribendum librum necessaria esse diximus[3], exceptis iis, quae de

---

[1] Cf. supra n. 289 301 302 sqq 412. [2] Supra n. 329.
[3] Supra n. 414.

electione verborum dicenda sunt. Sed quia de hac re in sequenti capite loquemur, hic nihil restat, nisi ut proponamus definitionem inspirationis biblicae, prout ex dictis colligitur.

---

428. *Conclusio.* De definitione et de gradibus inspirationis biblicae.

Inspiratio biblica est charismatica illustratio intellectus et motio voluntatis et assistentia divina hagiographo praestita ad ea omnia et sola scribenda, quae Deus suo nomine scribi et ecclesiae tradi vult. Hanc definitionem esse ratam ex iis, quae hucusque exposuimus, constat. Nam liber scribitur per intellectum, voluntatem, vires exsecutivas. Ut igitur Deus per hominem scribat, charismatice intellectum hominis illustrare et voluntatem movere debet ad scribendum. Quoad exsecutionem vero, ut distinguitur ab actuali voluntate scribendi, sufficit iste influxus, quem voce assistentiae, modo supra explicato, significamus. Haec definitio quoad substantiam proponitur ab omnibus defensoribus sententiae communioris inde a saeculo XVI usque ad nostra tempora, etsi alii aliis clarius loquuntur. Tria illa: Supernaturalis influxus in intellectum et voluntatem et assistentia divina etiam a *Leone XIII* in Encyclica „Providentissimus Deus" distinguuntur: Deus, inquit, hagiographos „supernaturali virtute ita ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et (1) recte mente conciperent, et (2) fideliter conscribere vellent et (3) apte infallibili veritate exprimerent". Duobus annis ante hanc Encyclicam *Cornely* in brevi tractatu de inspiratione, quem addidit secundae editioni Compendii Introductionis in Sacram Scripturam, naturam inspirationis explicans, sic ait (n. 4): „Supernaturali illustratione Deus effecit, ut totum argumentum, quod per certum librum cum hominibus communicare voluit, mens scriptoris conciperet scribendum; gratia deinde sua efficaci voluntatem scriptoris, ut illud litteris consignaret, permovit; continua demum assistentia sua scribentem direxit, ut omnes et solas veritates, quas ipse illo in libro scribi voluit, hic apta vestiret forma, qua earum sensum plene redderet." Haec secundum rem sunt eadem, quae Leo XIII docet; ipsa vero vicissim sumpta sunt, ut Cornely ipse indicat, ex tractatu Cardinalis *Franzelin,* qui ad inspirationem postulat charisma, „quo veritates, quas Deus per Scripturam ecclesiae tradere voluit, mens hominum inspiratorum conciperet ad scribendum, et voluntas ferretur ad eas omnes et solas scripto consignandas" et praeterea talem operationem divinam, „ut homo scribens non solum actu eligat, sed etiam infallibiliter eligat signa apta ad res et sententias vere et apte exprimendas" [1]. Itaque haec definitio inspirationis non solum communiter

[1] *Franzelin,* De Scriptura 342 350.

recepta est a theologis, sed etiam a summo pontifice approbata. Res est tam clara, ut nullis cavillationibus obscurari posse vel certe nulla ulteriore explicatione indigere videatur.

429. Potest adhuc quaeri, *num inspiratio ad scribendum admittat gradus.* Cuius quaestionis duplex potest esse sensus, prout refertur aut ad scriptorem sacrum aut ad librum sacrum. Ipsa enim actio Dei entitative non potest habere gradus.

Inspiratio scriptoris sacri potest habere gradus. Nam et illustratio intellectus et motio voluntatis, cum sit aliquid finitum, potest esse maior vel minor. Utrum tamen inspiratio ad scribendum in omnibus fuerit aequalis an inaequalis, nescimus, quia de hac re nihil revelatum est, neque hoc nosse quidquam nostra interest. Sed potuit cum inspiratione ad scribendum coniuncta esse multiplex alia inspiratio personalis, ut antea dictum est[1]. Si tota haec inspiratio simul sumitur, potest dici alter hagiographus altero magis fuisse inspiratus, e. g. Isaias magis quam auctor secundi libri Machabaeorum, scriptores psalmorum magis quam compilatores genealogiarum. Verumtamen hae inspirationes propheticae, poeticae, affectuosae, vel qualescumque demum sunt, ad essentiam inspirationis biblicae non pertinent, sed ad eam accidentaliter se habent.

In ipsis libris inspiratis admittendi non sunt gradus inspirationis, quasi alter altero esset magis verbum Dei et maiorem auctoritatem haberet ad fidem theologicam postulandam. Nam ecclesia omnes libros Scripturae indiscriminatim pro verbo Dei scripto et pro regula fidei habet et „pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur", ut ait *Conc. Trid.* sess. 4.

Iudaei medii aevi maiorem auctoritatem tribuebant legi quam prophetis, et prophetis maiorem quam hagiographis, et has tres partes Scripturae ab ore Dei, a Spiritu prophetico, a Spiritu Sancto processisse docebant[2]. Ii recentes Protestantes, qui inspirationem nihil volunt esse nisi commotionem religiosam, quae ex scriptoribus transierit in eorum libros, saepe distinguunt inspirationem summam (ut in quibusdam psalmis), mediam (ut in Ecclesiaste), infimam (ut in libro Esther)[3]. Haec a doctrina ecclesiae sunt aliena, etsi Catholici quoque concedunt inspirationes illas personales, de quibus diximus, ex scriptoribus sacris transiise in Scripturam Sacram, et ita e. g. in una parte Scripturae inveniri inspirationem poeticam, quae in alia desit. Concedendus etiam est progressus religiosus et moralis a vetustissimis temporibus usque ad religionem christianam, qui pro-

---

[1] Supra n. 401.

[2] Spiritum Sanctum non intellexerunt sensu christiano, sed specialem influxum divinum. Cf. supra n. 10 et *Cornely*, Introd. I, 30 sqq.

[3] Cf. e. g. supra n. 268 269.

gressus in ipsis libris sacris apparet. Sed haec omnia pertinent ad materiam Scripturae, ipsam vero inspirationem, quae est formaliter verbum Dei, non mutant. Unde dicta Veteris Testamenti non minus dicta Dei sunt neque minus credibilia et credenda quam dicta Novi Testamenti: „Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio“ (Hebr 1, 1 2). Eadem est constans et unanimis doctrina sanctorum Patrum, secundum quos, quaecumque in Scriptura leguntur, a Deo dicta sunt et ideo ea veritate et auctoritate pollent. qua maior esse nequit[1].

430. Temporibus SS. Patrum, quamdiu quaestio de canone nondum erat plene soluta, solebant quidam a *libris canonicis,* i. e. ubique in canonem receptis, distinguere *libros ecclesiasticos,* i. e. non ubique in canonem receptos, qui quidem utiliter legi possent in ecclesia, attamen paris auctoritatis non essent cum libris canonicis, maxime ad dogmata probanda. Ita e. g. Rufinus, Hieronymus, quos nonnulli posteriores secuti sunt[2]. Sed haec distinctio prorsus sublata censenda est decretis Conciliorum Tridentini et Vaticani, quibus declaratur omnes libros ibidem recensitos ab ecclesia pari pietatis affectu ac reverentia suscipi, eorumque testimoniis Synodum usuram esse in confirmandis dogmatibus. Quare errarunt illi theologi, qui, ut *Ioannes Jahn* et alii, putabant etiam post Tridentinum libris deuterocanonicis non eandem auctoritatem tribuendam esse atque protocanonicis. Distinctio haec fuit quidem proposita in Concilio, sed a nullo probata et in verbis definitionis omissa est. Itaque testimonium clarum libri Sapientiae pro aliquo dogmate non est minoris auctoritatis quam testimonium in evangeliis ex ipsius Christi ore prolatum; nam utrobique Deus loquitur, cuius auctoritas non est minor aut maior, sed semper eadem[3].

Caput III.

DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS.

431. Quaerere de extensione inspirationis est quaerere, utrum omnia, quae in Scriptura dicuntur, sint inspirata, an quaedam scripta sint spiritu pure humano; dein utrum inspiratio extendatur solum ad res in Scriptura dictas, an etiam ad modum dicendi, seu, ut brevitatis causa loqui solent, utrum sola inspiratio realis admittenda sit, an etiam inspiratio verbalis.

In *Concilio Vaticano* definitum est sess. 3, can. 4 de Revelatione: „Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus,

---

[1] Supra n. 37 38 40 41 42 44 48 50 51 61 63 72 74 85 86 93 94 109 117 130 134.

[2] Cf. *Cornely,* Introd. I 110 sqq 134 sqq.

[3] Vide ib. 146 sqq.

prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit." Ergo inspiratio extenditur ad libros integros cum omnibus suis partibus.

Cum de hac ipsa expressione ante definitionem in Concilio Vaticano difficultas orta esset, *Franzelin* coram deputatione theologica in hunc modum disseruit:

„Altera difficultas erat, quod videatur inspiratio extendi ad singulas particulas ac ipsa verba sacrorum librorum, quando damnatur, si quis vel integrum vel ex parte librum divinitus inspiratum esse negaverit. At primum notio inspirationis declaratur iuxta formulam ecclesiasticam ita, ut Deus sit auctor Scripturarum seu librorum sacrorum. . . . Ad hoc autem, ut Deus auctor sit, requiritur quidem supernaturalis divina actio in humani scriptoris intellectum et voluntatem. Quaenam vero haec actio sit, hic strictius non definitur, sed relinquitur doctorum explicationi. Certum est in tradita notione inspirationis nec revelationem rerum scriptori factam (si revelatio proprio sensu intellegatur) multoque minus dictationem singulorum verborum comprehendi velut essentialem et necessariam ad inspirationis conceptum. Quod vero ad extensionem inspirationis spectat, diserta appellatione ad Concilium Tridentinum significatur eas partes credendas esse inspiratas, quas Tridentinum definivit esse sacras et canonicas. Quaestiones vero hactenus inter Catholicos controversae de sensu, quo partes librorum in Tridentino decreto intellegendae sint, nec definiuntur nec attinguntur. Quoad extensionem ergo inspirationis nihil omnino definitioni Tridentinae superadditur." [1]

Decretum Concilii Tridentini supra (n. 272) dedimus, et quomodo secundum hoc decretum intellegendum sit illud „libri integri cum omnibus suis partibus", indicavimus (n. 275), et diximus (n. 276) non posse decretum restringi ad solas res fidei et morum. Supposita igitur doctrina Tridentini et Vaticani magis in specie res explicanda est.

Art. I.

DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS AD RES OMNES IN SCRIPTURA CONTENTAS.

432. Cum quidam theologi, non acatholici tantum sed etiam catholici (ut *Lenormant, d'Hulst,* alii), concesserint quidem inspirationem ad omnes Scripturae partes extendi, sed simul negaverint inspirata omnia necessario esse vera et infallibilia, iuverit quaestionem de extensione inspirationis seiungere a quaestione de inerrantia Scripturae et has duas quaestiones separatis capitibus tractare, etsi reapse inter se intime cohaerent et iisdem fere argumentis absolvi possunt.

Cum Scriptura constet ex sententiis vel iudiciis scripto consignatis, quaestio de integra rerum biblicarum inspiratione [2] concidit cum quae-

[1] Collect. Lac. VII 1621.

[2] Germani interdum dicunt *Die durchgängige Realinspiration der Bibel.*

stione, utrum Deus omnes et singulas sententias Scripturae scribendas inspiraverit, an interdum siverit hagiographos quasdam sententias secundum suum sensum humanum scribere. Cardinalis *Newman* censebat quaedam obiter dicta in libris sacris esse sine inspiratione et consequenter sine auctoritate divina scripta[1]. *Holden* inspirationem restringebat ad ea, quae sunt pure doctrinalia vel necessarium respectum ad doctrinalia habent[2]. Aliis placuit distinctio inter res religiosas et res profanas, quarum illae essent inspiratae, hae non item. Vel dicebant inspirationem limitari, ut ecclesiae infallibilitatem, ad res fidei et morum. Hae vel similes sententiae, quibus limitatur inspiratio sacrorum librorum, non sunt novae; nam theologi catholici iam ante plura saecula eas impugnabant, ut e. g. *Canus* et *Bellarminus*[3]. Immo iam primis saeculis haeretici, ut Anomoei, hunc errorem induxerant[4].

433. *Ex dictis Scripturae,* quae ad hanc rem spectant, imprimis occurrit illud: *Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος* (2 Tim 3, 16), quae verba sufficientnr explicata sunt[5]. Ergo quidquid nomine Scripturae venit, divinitus inspiratum est. Potest tamen dubitari, quousque illud *πᾶσα* premendum sit. Sed si addiderimus illud, quod in Novo Testamento indiscriminatim citantur libri legales, historici, poëtici, prophetici, didactici ut quoad singula dicta habentes auctoritatem divinam[6], non difficulter concedemus illud *πᾶσα* extendendum esse ad omnes et singulas Scripturae sententias. Nam hic valet *argumentum inductionis:* A primo capite Matthaei usque ad ultimum caput Apocalypsis pluries centeni loci Veteris Testamenti aut ad verbum repetuntur aut secundum rem proponuntur ut dicta absolute vera et summae auctoritatis, sive de rebus magnis sive de rebus per se parvis agitur. Ratio vero, ob quam omnibus illis dictis tanta veritas et auctoritas attribuatur, semper una et eadem est: „Scriptum est"; quod autem scriptum est, eo ipso quod scriptum est, impleri debet usque ad ultimam litteram et ultimum apicem. His effici videtur secundum sensum Christi et apostolorum omnia in Scriptura esse inspirata sine ulla exceptione.

Neque obstat, quod quidam *obiciunt:* Omnia inspirata esse verba Dei, unde de iis valere: „Haec dicit Dominus"; absurdum autem esse e. g. dicere: Haec dicit Dominus: „Penulam, quam reliqui Troade aqud Carpum, veniens affer tecum et libros, maxime autem membranas" (2 Tim 4, 13); ergo haec verba non videri inspirata. *Respondeo:* Obiectio confundit locutionem, quae in Scriptura sollemnis est ad enuntiandam propheticam revelationem, cum simplici assertione: Paulum haec scripsisse ex speciali illustratione et motione divina. Utique inspiratione Deus testatus est Paulum habuisse voluntatem, ut sibi penula, quam

---

[1] Supra n. 337. [2] Supra n. 316. [3] Supra n. 277 288.
[4] Supra n. 284. [5] Supra n. 385. [6] Supra n. 382.

Troade reliquerat, a Timotheo afferretur. Sed ad hoc significandum nemo adhibebit sollemnem illam formulam: „Haec dicit Dominus", cum hac formula significetur revelatio (stricte dicta) prophetis facta, Deus autem certe non revelaverit Paulo eum habere desiderium recipiendi penulam, sed simpliciter eum moverit ad hoc scribendum. Ceterum hic iam tangitur quaestio, quo sensu singula Scripturae dicta sint Dei verba, quam quaestionem postea discutiemus.

434. Iam videamus, *quae sit doctrina SS. Patrum* de integra Scripturae inspiratione. Secundum *Clementem Rom.* Scripturae sunt Spiritus Sancti oracula, in quibus nihil perversum, nihil iniustum[1]. Secundum *„Cohortationem ad Graecos"* omnia in Scriptura consona sunt, quia sacri scriptores erant citharae, quae non sonabant nisi plectro divino motae[2]. Anonymus contra Artemonem scribens negat quidquam in Scriptura emendari posse, cum omnia a Spiritu Sancto dicta sint[3]. Secundum *Irenaeum* „Scripturae perfectae sunt, quippe a Deo et Spiritu eius dictae", nec quidquam in iis est, quod non sit spirituale, etsi nos forte non intellegimus[4]. *Marius Victorinus:* Quidquid scriptum est, „a divino Spiritu dictum credendum est"[5]. *Hilarius Pict.* enumerat varias res, de quibus Scriptura loquitur, et monet, ut „quidquid in caelestibus eloquiis est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur"[6]. Secundum *Origenem* „divina sapientia totam Scripturam divinitus inspiratam usque ad singulas litteras attigit . . . et singulis litteris, quoad unaquaeque capere potest, vestigia sapientiae impressit". Quare „non possumus hoc dicere de Spiritus Sancti litteris, quod aliquid in iis otiosum sit aut superfluum"[7]. *Basilius Magnus* docet „in verbis divinitus inspiratis ne unam quidem syllabam esse otiosam"[8]. *Gregorius Naz.:* „Diligentiam Spiritus usque ad apicem et litteram extendimus."[9] Maxime indefessus est *Chrysostomus* in hac doctrina inculcanda. Non annorum numeros, non nominum catalogos vult praetermitti. „Sunt quidam banausici, qui . . . ilico praetercurrunt et incusantibus respondent: Nomina tantum sunt neque quidquam habent utilitatis. Quid ais? Dens loquitur, et tu audes dicere: Nulla est dictorum utilitas?" Exhortatur: „Ne brevem dictionem neve syllabam unam ex iis, quae in divina Scriptura dicuntur, praetercurratis. Neque enim sunt verba simpliciter, sed Spiritus Sancti verba." „Igitur ne illas quidem, quae exiguae videntur, Scripturarum sententias praetercurramus. Nam et ipsae de Spiritus gratia sunt." Et similia multa in eundem sensum dicit, quae iam laudavimus[10]. *Hieronymus:* „Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus"[11], utpote Spiritus Sancti

[1] Supra n. 37. [2] Supra n. 39. [3] Supra n. 41. [4] Supra n. 42.
[5] Supra n. 50. [6] Supra n. 51. [7] Supra n. 63. [8] Supra n. 68.
[9] Supra n. 70. [10] Supra n. 86. [11] Supra n. 111.

dicta. Secundum *Augustinum* ita regebantur mentes hagiographorum a Spiritu Sancto, ut sine eius voluntate non potuerint aliud nomen pro alio scribere, neque ullum errorem vel defectum committere[1]. Concludamus verbis *Leonis Magni:* „Ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt."[2] Atqui Patres unanimiter docuerunt totam et integram Scripturam esse a Spiritu Sancto inspiratam, neque quidquam in ea inveniri, quod spiritu humano tantum scriptum sit.

Ait quidem *Ambrosius* de permissione Iudaeis a Moyse facta dimittendi uxores per libellum repudii: „Quae propter fragilitatem humanam scripta, non a Deo scripta."[3] Sed sensus est: Quaedam in Scriptura referuntur, quae non a Deo sed ab hominibus statuta sunt. Quare *Suarez* recte monet „aliud esse scriptorem *statuere* aliquid spiritu suo humano, aliud vero *scribere* statutum illud spiritu humano"; statuta humana inveniri in Scriptura, sed etiam haec litteris consignata esse ex inspiratione divina[4]. Ergo si Paulus in 1 Cor 7 distinguit praecepta divina et praecepta sua, Deus per Paulum testatur alia esse praecepta Christi, alia esse praecepta Pauli, quae illo loco nominantur. Nam sicut multa alia in Scriptura ex inspiratione scripta sunt, quae non sunt divina, ita etiam leges et praecepta, quae non sunt divina. Ceterum theologi praecipui omnes circa integram omnium, quae in Scriptura dicuntur, inspirationem cum SS. Patribus consentiunt, ut percurrentibus ea, quae supra excerpta sunt, manifestum erit[5]. Tandem huic sententiae *Leo XIII* auctoritatem suam addidit, dicens: „Nefas omnino fuerit inspirationem ad aliquas tantum Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem . . . quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit."[6]

435. Duas considerationes iuverit confirmationis gratia adiungere. Altera est, quod *SS. Patres in minimis saepe sententiis Scripturae altissimos sensus mysticos expressos vident.* Atqui tantam profunditatem sensuum non quaesivissent, si minima illa non ex inspiratione, sed spiritu humano scripta esse censuissent. Ergo etiam minima quaeque divinitus inspirata esse iis persuasum erat.

Altera consideratio haec est, quod e. g. *salutationes, quae in epistulis S. Pauli leguntur,* certe obiective ad res minimas pertinent. Nihilominus si simul sumuntur, sunt pars non spernenda illarum epistularum. In epistula ad Romanos integrum fere caput XVI constituunt. Quid igitur, si salutationes non sunt inspiratae, quomodo

---

[1] Supra n. 118 sqq. [2] Supra n. 131. [3] Supra n. 74.
[4] Supra n. 291. [5] Cf. e. g. supra n. 277 288 291 297 sq 308.
[6] Supra n. 343.

verum manet, quod definitum est in Tridentino et Vaticano, libros integros cum omnibus suis partibus esse inspiratos? Tot enim salutationes vix dici posse videntur particulae. At non in his considerationibus insistendum est, sed in communi et constanti doctrina Patrum et veterum theologorum, secundum quam nihil, ne ullae quidem particulae, in Scriptura ab inspiratione eximi debent.

Quod certitudinem huius doctrinae attinet, *Canus* contrariam doctrinam vocat „impium errorem“ [1], *Bellarminus* haeresim [2]; mitius iudicat *Franc. Schmid,* qui censet contrariam doctrinam, quae saltem particulas quasdam concedit non esse inspiratas, non esse ullo modo probabilem aut tolerabilem, non tamen haereticam [3]. Idem sentit *I. Corluy* [4]. Cum nostrum non sit censuras theologicas ferre, sufficiat cum Suaresio [5] dicere doctrinam supra propositam esse certam, id quod maxime valet post Leonis XIII Encyclicam.

ART. II.

QUO SENSU SINGULA SCRIPTURAE DICTA SINT DEI VERBA.

436. Quaecumque in Scriptura dicuntur, ipsius Dei verba esse ex Patrum et theologorum doctrina didicimus. At nonne in Scriptura etiam falsa et mendacia dicuntur? Haec autem quomodo possunt esse Dei verba? Respondetur, quia, etsi omnia in Scriptura a Deo dicuntur, non ideo omnia, quae Deus testatur ab aliis dicta esse, ideo ab ipso Deo dicta sunt. *Quae Deus dicit ita esse, sine dubio ita sunt; quae vero Deus dicit ita ab aliis dici, non necessario ita sunt* [6]. Humana sensa et humana verba non pauca in Scriptura referuntur. De his igitur Deus testatur ea ab hominibus esse iudicata et dicta. Sed

---

[1] Supra n. 277. [2] Supra n. 288. [3] *Fr. Schmid,* De inspir. 27.
[4] La Science catholique VII, Paris 1893, 481 sqq. [5] Supra n. 291.
[6] *S. Augustinus* ait: „Sicut in evangelio, quamvis verum sit omnino, *quod* dicta sint, non tamen omnia, *quae* dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse verax evangelii Scriptura testatur, sic in hoc libro [Iob], ubi multae personae locutae esse narrantur, non solum *quid* dicatur, sed a quo etiam dicatur, considerandum est. . . . Quando inquirentes probari nobis aliquid volumus testimonio sanctorum eloquiorum, non nobis dicatur credendum etiam esse, quod in evangelio scriptum est, si forte evangelista eum hoc dixisse commemorat, cui fides habenda non est. Nam dictum est illic a Iudaeis Domino Christo: ‚Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es et daemonium habes?‘ (Io 8, 48.) Quam vocem tanto amplius detestamur, quanto nobis Christus est carior; emissam tamen esse a Iudaeis dubitare non possumus, qui evangelicam narrationem verissimam credimus. Ita nec evangelistae derogamus fidem scribenti, et Iudaei vocem blasphemantis exsecramur. Nec solum impiis et nefandis hominibus, sed nec ipsis in fide parvulis atque adhuc rudibus et indoctis, qui forte ibi loquentes commemorantur, tamquam canonicae auctoritati accommodamus fidem.“ Ita verba caeci nati (Io 9, 31) non esse canonicae auctoritatis, etiam apostolos multa falsa dixisse, ut Petrus propterea etiam satanas dictus sit (Ad Orosium contra Priscill. c. 9; *M* 42, 676 sq).

quid de eorum veritate? Solutio huius quaestionis multiplices distinctiones involvit, quas proposituri a facilioribus incipiamus.

437. *Interdum dicta hominum referuntur, quae diserte aut approbantur aut improbantur, sive a Deo vel Christo sive ab hagiographo. De his igitur infallibile Dei iudicium habemus.* Christus Petro confitenti: „Tu es Christus [Messias], filius Dei vivi", respondet: „Beatus es Simon, Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est" (Mt 16, 16 sq). Iudaeis vero, dicentibus eum habere daemonium, respondet: „Ego daemonium non habeo" (Io 8, 49). S. Paulus de verbis Epimenidis: „Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri", ait: „Testimonium hoc verum est" (Tit 1, 12 sq).

Ceterum quamquam in hac re non videtur apparere specialis difficultas, sunt tamen quaedam observanda. Neque enim semper verba eo sensu ut vera approbantur, quo ab alio dicta sunt. E. g. verba Caiphae: „expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat", vera dicuntur, non quomodo Caiphas actus odio ipse protulerat, sed altiore sensu, quem Spiritus Sanctus intenderat: „Prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum" (Io 11, 50 sqq). Poetae graeci dicentes: Dei genus sumus, hoc fortasse intellexerunt sensu polytheistico vel pantheistico; Paulus vero approbat sensu monotheistico (Act 17, 28).

438. Porro *si longior aliqua oratio ut vera laudatur, utique id, quod integra illa oratione intenditur et affirmatur, verum est; sed non necessario vera sunt omnia et singula dicta in oratione occurrentia, quae ad principale intentum indifferenter se habent.* Ita Iob cum amicis disputaverat, essentne calamitates omnes poena peccatorum commissorum. Amici affirmaverant, Iob negaverat. Deus iudex sententiam fert contra tres amicos Iob: „Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob" (Iob 42, 7). Ergo quantum ad principalem quaestionem tres amici Iob male locuti sunt, Iob recte dixit. Licetne inde colligere singula eius dicta fuisse vera et bona? Nequaquam; nam ipse fatetur: „Insipienter locutus sum, et quae ultra modum excederent scientiam meam" (42, 3), et reprehensus est a Deo, quod voluerit investigare altitudinem consiliorum Dei permittentis, ut innocens tantis miseriis afficeretur (38, 1 sqq; cf. 32, 2; 33, 8 sqq). Ergo non obstante approbatione divina, Iob quaedam non recte locutus erat. „De audaciore et arrogantiore loquendi modo et de acri illa cum Deo expostulatione reprehenditur, qua debere a Deo sibi rationem reddi de calamitatibus immissis haud obscure innuerat; insuper iis usus est loquendi formulis, quae aliis facile offensioni esse possunt; unde reverentiam Deo debitam non semel laesit. Hos naevos ipse Iobus in fine

humiliter confitetur, deflet, paenitentia retractat."[1] Neque singula quaeque, quae amici eius dixerant, propter generalem improbationem falsa dicenda sunt (cf. Iob 5, 13 et 1 Cor 3, 19)[2].

Aliud exemplum e Novo Testamento est oratio a Stephano protomartyre coram synedrio habita. Non disertis quidem verbis hanc orationem Deus ut veram laudat. Sed, quia et antea iam dicitur: „Non poterant resistere sapientiae et Spiritui, qui loquebatur" (Act 6, 10), et postea iterum dicitur: „Cum autem esset plenus Spiritu Sancto" (7, 55), recte supponitur haec oratio habita ex instinctu Spiritus Sancti et his evangelistae verbis confirmata. Nihilominus non desunt, qui (ut e. g. *Beda Venerabilis*) censeant Stephanum commisisse lapsum memoriae vel linguae, quando loquebatur de „sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem" (7, 16). Nam non Abraham sed Iacob emit sepulcrum (Gn 33, 19; cf. 23, 8 19). Hac explicatione admissa, Lucas rettulit orationem, qualem Stephanus habuit, non ideo confirmans errorem; nam, etsi dicit Stephanum fuisse plenum Spiritu Sancto, et sic indicare videtur orationem ex speciali motione Spiritus Sancti habitam, non est inde concludendum Spiritum Sanctum non potuisse permittere, ut Stephanus in fervore orationis committeret lapsum quendam, qui ad finem totius orationis plane nullius momenti esset. Ea potius conclusio facienda est: approbatione generali non approbari necessario quasvis particulas orationis.

439. *Si in Sacra Scriptura laudantur certi homines ob aliquod bonum factum vel etiam ob multa praeclare gesta, non eo ipso omnia eorum verba dicuntur fuisse vera.* Narratur initio Exodi (1, 20) Deum bene fecisse obstetricibus aegyptiacis, quae non interfecerant pueros Hebraeorum secundum regis mandatum. Nemo tamen prudens inde inferet etiam approbari mendacium, quo se extricaverunt a regis increpatione (1, 19). Similiter Iudith, non obstante laude, quae ei tribuitur, mentita est Holoferni (Idt 10, 12 sqq). Immo patriarchae, qui adeo praedicantur in Scriptura, interdum ita locuti sunt, ut eorum verba a Deo approbata censeri non possint, ut Iacob, qui ad patrem suum dixit: „Ego sum primogenitus tuus Esau" (Gn 27, 19). Ergo inferre non licet: Quia aliquis a Deo laudatus haec et haec in Scriptura dixisse refertur, verba eius a Deo approbata sunt.

---

[1] *Knabenbauer*, Comm. in Iob, Parisiis 1886, 11.

[2] *S. Augustinus*, postquam dixit non omnes sermones in libro Iob esse canonicae auctoritatis, addit: „Quod non ideo dixerim, quia illi amici, a Domino reprobati et ab ipso sancto Dei servo merito culpati, nihil veri loqui potuerunt, sed quia non omnia, quae locuti sunt, vera putanda sunt. Quamvis enim adversum Iob nihil verum dixerunt, potest tamen etiam ex eorum verbis aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere" (Ad Orosium contra Priscill. c. 9; *M* 42, 676).

Ex altera parte *approbatio haberi potest etiam sine expressis verbis.* Sic videntur in secundo libro Machabaeorum non sola facta sed etiam verba approbari Eleazari et septem fratrum martyrum cum matre sua (2 Mach 7, 18 sqq). Nam ex circumstantiis narrationis apparet eorum verba referri, ut legentes cognoscant a Deo haec mala permissa esse non ad interitum sed ad correctionem populi, et martyrium illud potius magni beneficii divini indicium esse (cf. 6, 12 sqq). Sed licet hoc ita sit, quia tamen argumentum ex circumstantiis collectum non tam evidens esse solet, non potest ob hoc solum argumentum cuiquam obligatio imponi admittendi omnia, quae in eiusmodi circumstantiis dicta referuntur, ut auctoritate canonica pollentia. E. g. illa assertio matris Machabaeorum Deum omnia ex nihilo fecisse (7, 28), non est evidenter et directe argumentum biblicum pro creatione ex nihilo. Qua in re nihil mutatur, si quis censet dicta Machabaeorum non verbotenus allegari, sed solum secundum sensum. Nam sic quoque scriptor sacer modo narrandi non aliud directe significat nisi hunc fuisse sensum piorum Iudaeorum illius aetatis.

440. *A verbis historice relatis distinguenda sunt verba personarum idealium, quae ex intentione sacri scriptoris inducuntur ad repraesentandas certas quasdam doctrinas vel opiniones.* In libro Sapientiae describuntur epicurei dicentes: „Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae. . . . Venite ergo et fruamur bonis, quae sunt. . . . Opprimamus pauperem iustum . . .“ (Sap 2). Hi non sunt sermones, quos scriptor ut a determinatis personis habitos refert, sed ipse hagiographus hoc dramatico modo exponit doctrinam falsam moralem. Quare concludit: „Erraverunt.“ Ergo in talibus descriptionibus reapse non habentur nisi verba hagiographi, certo genere litterario utentis ad doctrinam abstractam vividius proponendam. Itaque cum impii in fine dicunt: „Nos insensati . . . ergo erravimus . . . quid nobis profuit superbia?“ . . . (Sap 5, 4), haec est doctrina, quam ipse scriptor inspiratus proponit de vanitate delectationum mundanarum.

441. Quid vero censendum est *de verbis, quae ut ab aliis dicta in Scriptura narrantur sine approbatione aut improbatione?* Principium generale et per se evidens est hoc: *Relatio biblica de verbis ab aliis dictis his verbis nullam confert dignitatem canonicam, sed relinquit iis eam dignitatem, quam per se habent independenter a scriptione inspirata.* Hoc principium est evidens, quia Spiritus Sanctus hac ratione solum testatur verba esse ab aliis dicta[1]; hoc autem verum manet, sive verba in se sunt vera, sive sunt falsa. Neque per se aliud re-

[1] Hoc manifeste de iis tantum locis valet, quibus verba vere historice (saltem secundum sensum) referuntur, non vero ubi sermones vel colloquia sunt dramaticus tantum narrandi modus.

sponsum necessarium est in tractatu de inspiratione, quia ulterior quaestio, quae auctoritas verbis horum vel illorum hominum tribuenda sit, non solvitur ex inspirationis dogmate, sed ex aliis principiis dogmaticis et hermeneuticis. Iuverit tamen istud principium aliquibus exemplis illustrare.

Libro secundo Machabaeorum praemittuntur duae epistulae Iudaeorum Ierosolymis et in Iudaea habitantium. In secunda epistula mors Antiochi narratur eo modo, qui cum narratione ipsius libri non convenit (2 Mach 1, 15 sq; 9, 1 sqq). De hac re *Cornely* ait: „Epistulae istius scriptores in hac referenda morte Antiochi Epiphanis eatenus errasse censemus, quatenus non veram mortis rationem, sed erroneum de ea rumorem rettulerunt. Scilicet una cum nuntio de infelici Antiochi expeditione contra templum allatus videtur Ierosolyma vagus quidam de morte eius paulo post secuta rumor. Sicut autem fieri solet in vagis rumoribus, qui ex remotissimis regionibus afferuntur, templi tentata direptio et mors coniungebantur, atque primos hos rumores eo tempore sparsos Iudaei palaestinenses cum aegyptiacis communicaverunt, veram autem mortis rationem, quae postea innotuit, auctor 2 Mach. fuse narravit. Contra authentiam igitur et historicam auctoritatem epistulae ex hac relatione nihil deducitur, siquidem velut fideles testes Iudaei ierosolymitani illa rettulerunt, quae eo tempore de hac re credebantur vera.“ [1] Similia documenta si inseruntur libris inspiratis (ut e. g. 1 Mach 8, 23 sqq; 12, 5 sqq), dicenda sunt vere scripta; sed num ea, quae scripta sunt, vera sint, aliunde dignoscendum est.

Ex evangelio Ioannis (9, 31) constat caecum a Christo sanatum dixisse: „Scimus autem, quia peccatores Deus non audit.“ Sed Augustino auctore hoc dictum falsum est: „Adhuc inunctus loquitur: nam et peccatores exaudit Deus.“ [2] Ea, quae Gamaliel dixit in synedrio (Act 5, 34 sqq), ab eo dicta esse certum est; etiam vera sunt, quae dicit, sed ea vera esse non potest credi fide divina, neque quia a Gamaliele dicta sunt, neque quia in Scriptura narrantur ab eo dicta.

442. Sed sunt etiam homines, qui vi muneris sui sunt infallibiles, ut apostoli post diem Pentecostes. Quidam apostoli inspirati scripserunt. De hac re non loquimur, sed de verbis eorum, quae ab aliis scriptoribus sacris referuntur. Statuenda igitur haec regula: *Quando verba apostolorum, apostolico munere fungentium, allegantur, eorum doctrina de rebus fidei et morum est credenda, non quia ab auctore inspirato scribitur, quid dixerint, sed quia in munere suo exercendo donum infallibilitatis a Christo acceperunt.* Ergo Lucas, qui multas

---

[1] *Cornely*, Introd. II 1, p. 469; cf. *H. Herkenne*, Die Briefe zu Beginn des zweiten Makkabäerbuches, Freiburg 1904.

[2] *August.* In Io. tr. 44, n. 13; *M* 35, 1718.

orationes apostolorum refert, testatur orationes (saltem secundum sensum) habitas esse ab apostolis. Hoc est credendum propter inspirationem libri Lucae. Veram esse doctrinam apostolorum est credendum propter eorum infallibilitatem. Cum vero infallibiles sint in tradenda doctrina Christi, non in quibuscumque rebus, attendendum est, quid dicant apostolico munere fungentes et doctrinam christianam proponentes, et quid secundum suum sensum dicant de rebus ad fidem et mores nullo modo pertinentibus.

S. Paulus ad „seniores", quos Miletum convocaverat, ait: „Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei" (Act 20, 25). Immediate ante dixerat se nescire, quid sibi futurum esset, nisi quod magnae tribulationes imminerent. Ergo illud: „Scio, quia amplius non videbitis faciem meam", significat opinionem et suspicionem discessus in perpetuum. Haec opinio eum fefellit; nam 2 Tim 4, 20 scribit: „Trophimum reliqui infirmum Mileti." Hoc factum est pluribus annis post illud primum iter a Mileto susceptum, in quo Trophimum secum duxerat Ierusalem (Act 21, 29)[1]. Consequenter in rebus humanis etiam apostoli errare poterant, etiam tum, cum de illis loquebantur in apostolicis sermonibus.

Quod valet de apostolis, valet de prophetis; immo quoad prophetas maior cautio necessaria est; nam munus propheticum non erat munus ordinarium et universale, sicut apostolatus, sed prophetae extraordinarie mittebantur et ad specialia quaedam annuntianda. Quae ut prophetae dicunt, sunt infallibiliter vera[2]. Sed cessante motione divina loquuntur ut homines fallibiles. Fortasse etiam tum putant se loqui ut prophetas, sed tunc a Deo corriguntur, ne homines in errorem inducantur.

Nathan erat propheta, cui dixit David: Volo Domino aedificare templum. Respondit Nathan: „Omne, quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est. Factum autem est in illa nocte, et ecce sermo Domini ad Nathan dicens: Vade et loquere ad servum meum David: Haec dicit Dominus: Numquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum?", i. e. non aedificabis (2 Rg 7, 1 sqq). Ergo prius illud responsum Nathan non erat propheticum.

Secundum apostolum (Rom 11, 2 sqq) Deus aliqua dicta Eliae prophetae non approbavit. David quoque erat propheta (Act 2, 29 sq); quot tamen verba eius referuntur, quae certe non dixit ut propheta.

Hanc rem *S. Thomas* ita exponit: „Lumen propheticum inest animae prophetae per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis. . . ." In intellectu prophetae, cessante actuali illustratione „remanet quaedam

---

[1] Cf. *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche von den ersten Jahrzehnten der apostolischen Wirksamkeit an bis zum Jahre 175 n. Chr., Mainz 1904, 200 sg.

[2] Cf. supra n. 378.

habilitas ad hoc, quod facilius iterato illustrentur. . . . *Gregorius* dicit super Ezech. Hom. 1, inter med. et fin.: ‚Sciendum est, quod aliquando prophetae sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt et se hoc ex prophetico spiritu dicere suspicantur. . . .' Ne tamen error ex hoc possit accidere, ‚per Spiritum Sanctum citius correcti ab eo, quae vera sunt, audiunt; et semet ipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt', ut ibidem Gregorius subdit." [1]

Si vero non ut prophetae loquuntur, sed secundum communem usum humanum, non necessario corriguntur, etsi falsi quid dicunt. Haec, ut patet, applicanda non sunt ad libros prophetarum, quos ut scriptores inspirati conscripserunt, sed ad ea tantum dicta et facta prophetarum, quae in aliis libris inspiratis referuntur. Nam si prophetae ex inspiratione scribunt, eo ipso infallibiles sunt. Quae vero locuti sunt, non ideo infallibilia sunt, quia ab aliis scriptoribus inspiratis narrantur, sed quia et quatenus prophetae ex spiritu prophetico locuti sunt.

443. Interdum in libris sacris referuntur dicta sanctorum angelorum. *Si angeli ut Dei nuntii mittuntur ad annuntianda aliqua hominibus, eorum verba fide divina credenda sunt;* nam per caelestes nuntios ipse Deus loquitur. Suo damno Zacharias expertus est, quam sit periculosum angelo loquenti fidem detrectare (Lc 1, 20). Sed hic quaedam notanda sunt. Angeli beati non possunt quidem errare, quia malum erroris excluditur a beatitudine secundum communem doctrinam theologorum [2]. At hoc non sufficit, ut dicta angelorum fide divina credi possint; nam sine revelatione divina fides theologica est impossibilis. Ergo angeli, ut possint pro suis dictis postulare fidem theologicam, debent loqui non suo nomine, sed nomine Dei mittentis ipsos. Ceterum in Vetere Testamento, de quo maxime agitur in hac quaestione, tota revelatio divina facta est per angelos. Lex mosaica immediate per angelos Moysi annuntiata est. „Accepistis legem in dispositione angelorum" (Act 7, 53, cf. 38 et Iud 2, 1 sqq). Lex „ordinata per angelos" (Gal 3, 19). „Si enim, qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus", quanto magis sermo Christi Filii Dei (Hebr 2, 2 sq). Secundum communem doctrinam Patrum et theologorum theophaniae omnes Veteris Testamenti immediate erant apparitiones angelorum [3]. Secundum *S. Thomam* omnis prophetica revelatio facta est per angelos [4]. His suppositis manifestum est temporibus Veteris Testamenti angelos maximam partem habuisse in Dei verbis cum hominibus communicandis, ut quodammodo speciale eorum munus esset nuntios Dei esse ad homines. Unde si admitteremus angelos

[1] *S. Thomas* 2, 2, q. 171, a. 2 5; cf. 3 Rg 19, 14 sqq. Jon 4.
[2] Cf. *S. Thomas* 1, q. 58, a. 5. *Suarez,* De angelis l. 2, c. 39, n. 4.
[3] Cf. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. II 474 sq; V 460 sqq.
[4] *S. Thomas* 2, 2, q. 172, a. 2.

potuisse pro arbitrio ad homines etiam ea loqui, quae divina fide credenda non essent, maxima confusio et dubitatio oriretur. Sunt igitur angeli, de quibus Scriptura loquitur, censendi nuntii Dei et nomine Dei loquentes. Consequenter eorum verba credenda sunt, non quia scripta sunt, sed quia a nuntiis Dei nomine Dei dicta sunt. Si forte exsistit liber inspiratus, in quo non verae sed fictae apparitiones angelorum narrantur (ut quidam sentiunt de libro Tobiae), tota quaestio est, quam doctrinam scriptor sacer ficta narratione proponere voluerit. Qua quaestione soluta, doctrina admittenda est, quia scripta est, non quia ab angelo dicta est. Haec sufficiant de personis, quae in Scriptura loquentes inducuntur [1]. De Deo et Christo loquentibus nihil utique dicendum est.

444. *Si hagiographus doctrinam proponit de rebus fidei et morum, Deus ipse hanc doctrinam proponit,* id quod evidens est ex iis, quae de inspiratione diximus; quare de hac re inter theologos catholicos convenit. Quantumvis igitur Paulus efferat: „Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit" (Gal 5, 2), tamen non principaliter Paulus haec dicit, sed Deus. „In me loquitur Christus" (2 Cor 13, 3). At ut sciatur, quid loquatur Deus, attendendum est, quid et quomodo loquatur hagiographus. Unde si quo in libro scriptor per modum investigationis et discussionis procedit ad aliquam doctrinam stabiliendam, ex conclusione ipsa iudicandum est de praecedentibus argumentationibus.

Sic in libro Iob conclusio est: Aerumnae huius vitae non necessario sunt poenae peccatorum praecedentium. Ergo quidquid in praecedentibus colloquiis cum hac doctrina non congruit, neque ab hagiographo neque a Deo affirmatum est. Idem dic de libro Ecclesiastae, cuius „finis loquendi" est: „Deum time et mandata eius observa; hoc enim est omnis homo" (Eccle 12, 13). Ergo non vult inculcare esse „bonum, ut comedat quis et bibat et fruatur laetitia ex labore suo" (5, 17), neque alia similia dicta; sed per considera tionem bonorum terrenorum paulatim adducit hominem ad veram sapientiam.

Intra limites eorum, quae secundum legem divinam licita et homini libera sunt, potest sacer scriptor dare consilium tam in temporalibus

[1] *Franc. Schmid* hos textus collegit et discussit: Gn 3, 1 sqq; 27, 19. Ios 9, 19. Idc 11, 29 sqq. 1 Rg 2, 25; 10, 2 sqq; 20, 28; 21, 2. 2 Rg 7. 3 Rg 17, 1; 22, 17 sqq. 4 Rg 10. Tob 5, 5 sqq. Idt 10 11. Totus liber Ib. Ps 13, 1. Bar 1, 14 ad 3, 8. Dn 9, 22 sqq; 10, 11 sqq. 1 Mach 14, 20 sqq; 15, 2 sqq. 2 Mach 1, 1 ad 2, 19. Mt 16, 16 sq 22 sq. Mc 2, 23 sqq. Lc 1, 26 sqq 46 sqq 68 sqq; 2, 14; 4, 33 sqq; 7, 43. Io 9, 31. Act 7. Apc 5, 2; 6, 9 sqq; 7, 10; 8, 13; 10, 6 sq; 19, 10. Ea, quae supra dicta sunt, videntur sufficere ad haec et alia similia rite exponenda. Quod Apocalypsim attinet, observandum est eam non esse narrationem historicam sed visionem propheticam. Ergo quae ibi dicuntur, explicanda sunt ut symbola veritatum rationalium, quae revelantur. Deus ipse sub figuris vel verbis sensibilibus Ioanni revelat mysteria. Ergo si constat, quae singulis signis significentur, constat, quid Deus revelaverit. Ceterum nostrum non est praecepta hermeneutica exponere.

quam in spiritualibus. Per inspirationem Deus testatur hoc consilium esse rationabile; secus non inspirasset. Unde quod Paulus scribit ad Timotheum (1, 5 23): „Modico vino utere propter stomachum tuum", proxime est consilium humanum, sed propter inspirationem non licet hoc consilium ut ineptum vituperare.

Interdum praecepta divina et monita apostolica ita simul proponuntur, ut attentione opus sit ad ea recte discernenda.

Paulus scribit (1 Cor 7, 10 sqq) de coniugibus fidelibus: „Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere." Ecce praeceptum divinum. Statim vero addit de iis fidelibus, qui vivunt cum coniuge infideli: „Nam ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. . . ." Hoc est monitum apostolicum. Sed si pars infidelis non vult manere, discedat; „non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi". Enuntiat, quod vocatur privilegium paulinum. Hoc autem privilegium secundum sententiam saltem multo probabiliorem est iuris divini[1]. Paucis post iterum ait: „De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do." Dedit quidem de hac re Christus idem consilium (Mt 19, 10 sqq). Ad hoc autem apostolus non provocat, sed ad auctoritatem, quam ipse ut apostolus habet, „tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis". Ergo independenter a verbis Christi habemus hic testimonium divinum de praestantia virginitatis prae matrimonio. Tam in hac doctrina quam in privilegio paulino scribendis Paulus fuit promulgator veritatis a Deo revelatae.

Praecepta vero, quae apostolus sua potestate dat, manent praecepta humana, quae, etsi ex inspiratione scripta sunt, possunt potestate humana abrogari vel mutari. Sic etsi apostoli ipsi in libro inspirato scripsissent praeceptum abstinendi a sanguine et suffocato (Act 15, 29), mansisset tamen praeceptum humanum, quod abrogari potuit, sicut reapse abrogatum est.

445. *In libris historicis scriptores sacri interdum referunt, quid ipsi olim dixerint. Vi inspirationis certum est scriptores haec olim dixisse; at verba olim dicta minime fiunt divina eo, quod ab ipso scriptore sacro narrantur,* e. g. a Moyse in c. 2. Exodi. Haec potius eodem modo aestimanda sunt atque ea, quae ab aliis hominibus dicta referuntur. Immo si forte hagiographus significat in aliqua re, quae non pertinet ad fidem vel mores, se habere nunc, quando scribit, hanc vel illam privatam sententiam, non ideo haec sententia censenda est a Deo confirmata. Unde si Paulus ea, quae Mileti dixit (supra n. 442), in epistula inspirata scripsisset, nihil mutaretur, quia Deus eum inspirasset ad scribendam opinionem, quae ex contextu apparet ut privata Pauli opinio. Quae distinctio sine dubio applicanda est ad dubitationes et similes actus vel status mentis hagiographorum, de quibus haec videntur ponenda:

[1] Cf. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. VII n. 786 sqq.

Si hagiographus indeterminate aut dubitanter loquitur, Deus quidem non dubitat neque ignorat, sed dubitationem vel fortasse ignorantiam hagiographi testatur. Certum est Paulum nescivisse, num praeter Crispum, Caium, Stephanae domum alium baptizavisset (1 Cor 1, 14 sqq). Lucas fortasse non determinate scivit, utrum Festus Ierosolymis fuisset octo an decem dies (Act 25, 6). „Fortasse", quia interdum homines indeterminate loquuntur, etsi rem magis determinare possunt, quia ex hac determinatione nihil pendet. Quid enim e. g. legentium Sacram Scripturam interest, utrum in Cana Galilaeae hydriae singulae ceperint binas an ternas metretas? (Io 2, 6). Breviter, loquendi formulis, quibus homines in cotidiana vita utuntur sine errore et falsitate, etiam hagiographus, et per hagiographum Deus, uti potest, quia, etsi scribit verba divina, scribit tamen modo humano. Unde etiam numeri possunt summatim indicari; neque e. g., si dicantur quinque milia virorum satiati (Mt 14, 21), putandum est fuisse accurate quinque milia, nullo plus, nullo minus.

446. *Saepe sacri scriptores affectus, quos inter scriptionem experiuntur, exprimunt.* Possunt quidem scribere etiam de affectibus, quos olim habuerunt. Sed quia de affectibus similiter iudicandum est atque de verbis, quae hagiographi dicunt se olim fecisse, hic ii tantum affectus considerandi sunt, quos verba hagiographi ut praesentes significant.

Paulus scribit: „Desidero videre vos" (Rom 1, 11). „Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto, quoniam tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo" de Iudaeis incredulis (9, 1 sqq). „Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est" (2 Cor 6, 11). „Miror, quod sic tam cito transferimini" (Gal 1, 6). „O insensati Galatae" (3, 1). „Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem autem esse apud vos modo et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis" (4, 19 sq). „Utinam et abscindantur, qui vos conturbant" (5, 12). Ecce, pauca exempla affectuum, quos Paulus in epistulis exprimit.

Suntne haec verba Dei? Utique, sed verba, quibus Deus non suos affectus exponit, sed quibus testatur, quos affectus Paulus, ex inspiratione scribens, habuerit.

Licet etiam aliud addere: *Hi affectus fuerunt moraliter boni,* et ideo quidem, quia scriptor sub influxu Dei inspirantis eos expressit. Nam expressio affectus est quoddam conaturale complementum eius; unde, si affectus inhonestus est, etiam expressio eius inhonesta est; differt igitur a mera narratione affectus habiti, quae potest esse bona, etsi affectus non erat bonus. Atqui Deus non potest charismatice inspirare rem moraliter malam. Ergo affectus, quos hagiographus vi inspirationis expressit, erant moraliter boni.

Plurimi psalmi, utpote carmina lyrica, sunt expressiones affectuum gaudii, paenitentiae, tristitiae, spei, caritatis, petitionis, qui omnes sunt affectus non divini, sed humani, boni, ex inspiratione Dei scripti et, ut videtur, etiam concepti. Potuit quidem carmen aut inter componendum scribi aut prius oretenus tradi et postea ex inspiratione Dei litteris consignari. Sed etiam si hoc alterum accidit, Deus certe non inspiravit hagiographum ad carmina inhonesta scripto promulganda. In libro historic inspirato possunt ut alia dicta mala, ita etiam carmina moraliter mala scribi, ut malitia hominum manifestetur et detestationi habeatur, quemadmodum in ipsis quoque psalmis non raro dicta malorum hominum recitantur (Ps 2, 3; 9 B, 6 11: 11, 5 etc.), et contra ea iudicium Dei invocatur. At manifeste aliud est carmina edere, quae produnt sensus inhonestos ipsius poetae. Haec igitur carmina scribenda Deus inspirare non potuit, quidquid est de possibili distinctione inter poetam et scriptorem inspiratum carminis, quia carmen lyricum ex natura sua est poetica expressio affectuum poetae. Si affectus sunt moraliter mali, eorum expressio est moraliter mala neque potest esse effectus inspirationis divinae. Ceterum psalmistae ratione eorum, quae in psalmis dicunt, inter prophetas recensentur (Lc 24, 44), etiam quantum ad brevissima verba, ut sunt illa: „Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum omnes populi“ (Ps 116, 1. Rom 15, 11). Inspiratio autem prophetica non est ad mala.

447. *Difficultas creatur ex imprecationibus, quae in psalmis leguntur,* ut in Ps 108: „Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris eius. Cum iudicatur, exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum.“ Haec et alia, quae sequuntur, videntur affectus iniqui odii. *At attendere oportet statum lyricum.* Poeta non considerat privatum aliquem inimicum, sed eos, qui despecta lege divina contra ipsum Dei dominium rebellant et indurati sunt in iniquitate sua. Deus pro fideli legis observantia multa bona promiserat, in pertinaces vero transgressores gravissimas poenas constituerat (Lv 26). Rogat igitur psalmista, ut Deus insurgat in peccatores et stet promissis suis. „Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum . . . Et sciant, quia manus tua haec, et tu, Domine, fecisti eam [hoc]“ (Ps 108, 21 27). Simul haec oratio est prophetica, indicans, quid Deus facturus sit. Itaque affectus psalmistae est petitio et praedictio humiliationis futurae inimicorum Dei. Conferri potest Ps 72, quo eadem res non per modum petitionis, sed per modum considerationis proponitur. „Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias . . . Verumtamen propter dolos posuisti iis, deiecisti eos, dum allevarentur“ (Ps 72, 12 18). Desiderare autem et praedicere humiliationem inimicorum Dei non est inhonestum. Locutiones, ad speciem durae, psalmi 118 non sunt aliae, nisi quibus Deus ipse in

sancienda lege saepius usus est[1]. Est autem praeterea notandum non omnia honesta esse aeque perfecta, et cum temporibus Veteris Testamenti cognitio religiosa et moralis creverit usque ad Novum Testamentum, posse in Vetere Testamento esse et revera esse, quae non conveniant excellentiori statui religioso et morali a Christo introducto. Ergo Deum potuisse imperfecta inspirare verum est; sed quidquam ex iis, quae inspiravit, esse inhonestum socundum sensum a sacro scriptore intentum plane negari debet.

448. *Interdum hagiographi non simpliciter doctrinam proponunt, sed eam etiam argumentis confirmant. Haec argumenta, quia a Deo sunt inspirata, non possunt esse falsa et inefficacia,* cum falsum argumentum sit error, error autem a Deo affirmari nequeat. Haec est differentia inter Scripturam et concilia; nam secundum communiorem sententiam theologorum in decretis conciliorum oecumenicorum argumentationes et alia praeter ipsas definitiones stricte dictas non sunt necessario infallibilia habenda[2]. In Scriptura autem ipsa quoque argumenta a Deo proferuntur. Sed sunt argumenta diversa, quae imprimis in duas classes dividi possunt: in argumenta, quae sunt universaliter vera et ab omni homine recte sentienti admitti debent, et in argumenta, quae pro quibusdam tantum hominibus et in certis condicionibus valent, et argumenta ad hominem dicuntur. Deum non solum posse per hagiographos auctoritative proponere res credendas et faciendas, sed etiam instruere homines de rerum rationibus per argumenta et solvere obstantes difficultates, eo magis videtur evidens, quia per homines vult tradere doctrinam revelatam aliis hominibus; hoc autem humano modo fit argumentando et etiam internas rationes manifestando, in quantum eae ab hominibus capi possunt, et removendo obiectiones. Unde et a Christo et ab apostolis saepe argumenta proferri videmus. Neque ulla ratio est excludendi ipsa argumenta ad hominem. Haec enim argumenta, etsi non sunt universaliter efficacia, tamen in certis condicionibus non minus, immo interdum magis efficacia sunt quam alia argumenta. Cur Deus non dicat hominibus: Vos ipsi haec et haec admittitis; ergo etiam illa et illa admittere oportet, quia inter se separari non possunt? Si alii homines illa priora non admittunt,

---

[1] *S. Thomas* ait: „Imprecationes, quae in Sacra Scriptura ponuntur, quadrupliciter possunt intelligi. Primo secundum quod prophetae solent in figura imprecantis futura praedicere. . . . Secundo prout quaedam temporalia mala quandoque a Deo in correctionem mittuntur. Tertio quia intelleguntur petere non contra ipsos homines, sed contra regnum peccati, ut scilicet correctione hominum peccata destruantur. Quarto conformant voluntatem suam divinae iustitiae circa damnationem perseverantium in peccato“ (2, 2, q. 83, a. 8 ad 1; cf. q. 25, a. 6 ad 3). Quae ex his expositionibus in singulos locos quadret, ex contextu et circumstantiis videndum est.

[2] Cf. supra n. 426 et *Wilmers,* De Christi ecclesia 394 sqq.

argumentum pro iis non valet. Neque tamen, quando valet, est argumentum ineptum. *Rem exemplo illustremus.*

Erant Corinthi quidam Christiani, qui negabant resurrectionem corporum vel de ea dubitabant, quia iis humana corpora mortalia, miseriis obnoxia, animam aggravantia, non videbantur apta regno caelorum. Paulus igitur necessarium duxit Corinthiis rursum explicare et inculcare veram de hac re sententiam. Proponit imprimis *argumentum absolutum:* Christus a mortuis resurrexit secundum Scripturas. Scripturae hoc praedixerant; ergo debuit praedictio impleri. Impletam esse praedictionem multorum testimonio constat; nam post resurrectionem Christus apparuit Petro, Iacobo, omnibus apostolis, Paulo, plus quam quingentis fratribus, ex quibus multi adhuc vivunt, alii vero iam mortui sunt. Sic igitur Paulus, sic alii praedicaverunt, sic Corinthii crediderunt. Hoc fundamento tota fides christiana nititur, eo destructo tota corruit. Ergo velle esse Christianum et simul negare resurrectionem mortuorum est summopere absurdum. Nisi Christus resurrexit, relinquenda est fides christiana ut vana et inanis. Contra vero si Christus resurrexit, etiam alii resurgent, quia Christus reparavit damnum ab Adamo illatum; in Adam enim omnes moriuntur, in Christo omnes vivificabuntur, qui in eum crediderunt. Christus totum inimicum regnum destruet, cuius potestas non minima est ipsa mors (1 Cor 15, 1—28). Itaque hic habetur *argumentum triplex:* ex prophetiis, ex testibus, ex essentia fidei christianae. Simul adest aliquod argumentum ad hominem: Vos vultis esse Christiani, et simul destruitis fundamentum religionis christianae, vel toleratis destruentes.

Sequuntur *duo alia argumenta ad hominem.* Alterum est eiusmodi: Vos Corinthii vobiscum ipsis pugnatis; nam in ecclesia vestra et auditur negatio resurrectionis et fit baptismus pro mortuis, ut, qui sine baptismo mortui sunt, hoc vicario baptismo beatae resurrectionis participes fiant. „Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid et baptizantur pro illis?“ (15, 29). Baptismus vicarius est impossibilis, et si qui ita pro mortuis baptizabantur, erat ritus superstitiosus. Hunc apostolus non approbat, sed ex eo argumentum petit ad Corinthios per Corinthios refutandos [1]. Alterum argumentum ad hominem est hoc: Corinthii norunt apostolum et eum magni faciunt. Quomodo ergo possunt supponere eum pro fallaci spe resurrectionis tot labores, tot aerumnas subire? „Ut quid et nos periclitamur omni hora. . . . Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur“ (15, 30 sqq). Pauli auctoritati fidere eiusque doctrinam admittere et simul eum pro homine tam stulto habere, haec est utique puerilis levitas et ignorantia. „Ad reveren-

[1] Ait *Tertullianus:* „Noli ergo apostolum novum statim auctorem et confirmatorem eius [institutionis superstitiosae] denotare, ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent“ (Adv. Marc. 5, 10; *M* 2, 495). Et alibi: „Si autem et baptizantur quidam pro mortuis, videbimus, an ratione; certe illa praesumptione hoc eos instituisse contendit, qua alii etiam [instituerunt illum ritum], carni ut vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis“ (De resurr. carnis 48; *M* 2, 864 sq). Similem ritum apud veteres haereticos in usu fuisse testatur *Epiphanius* (Haer. 28, 6; *M* 41, 384 sq). Sunt autem et aliae rationabiles expositiones verborum apostoli (cf. *Cornely,* Comm. in 1 Cor. 482 sqq).

tiam vobis loquor" (15, 34), i. e. ita argumentor, ut pudore vos afficiam vestrae inconsiderantiae. Hoc autem est argumentum ad hominem.

Procedit dein ad solvendas dubitantium obiectiones. Prima est: Quomodo potest, quod mortuum est, iterum vivere? Respondetur: Etsi hoc non intellegimus, non magis intellegimus, quomodo ex grano mortuo oriatur novum triticum, et tamen oritur. Similiter corpus mortuum potest rursum vivificari, granum quidem ex innata vi, corpus autem ex gratuita Dei dispositione. Altera obiectio est: Corpus nostrum non est aptum glorioso Dei regno. Respondetur: Non eaedem sunt qualitates omnium corporum. Alia caro hominum, alia caro variorum animalium, alia corpora terrestria, alia caelestia, et caelestia inter se differunt claritate (loquitur de rebus, prout apparent). Ergo corpus, quod moritur, potest accipere et accipiet alias qualitates atque eas, quas nunc habet. „Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. . . . Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit" (15, 42 sqq). Ergo corpus quidem resurget, sed in alio statu et aliis perfectionibus praeditum. In fine apostolus quaedam dicit de modo resurrectionis et exhortatur ad stabilitatem. Itaque in hoc uno capite epistulae ad Corinthios non solum videmus Deum posse per hagiographos argumentari, sed etiam habemus specimina variorum argumentandi modorum, de quibus omnibus valet eadem regula: Argumenta inspirata sunt vera et apta eo sensu, quo ab auctore proponuntur.

449. Huc pertinet, quod *scriptores Novi Testamenti saepe argumentantur ex verbis Veteris Testamenti non secundum textum originalem, sed secundum versionem Septuaginta.* Quae argumentatio, si textus originalis aliquo loco secundum sensum essentialiter differret, non esset argumentatio stricte biblica, sed argumentum ex textu recepto, sicut si nunc fieret argumentum ex verbis Vulgatae, quae in textu originali non leguntur. Est tamen haec differentia, quod verba eo ipso, quod ab hagiographo ad exprimendam aliquam veritatem adhibentur, fiunt verba Dei secundum sensum ab hagiographo intentum, etsi eo sensu non exstant in Vetere Testamento; id quod utique dici nequit de Vulgata [1].

---

[1] Num in Scriptura Novi Testamenti occurrant revera argumenta ex Vetere Testamento desumpta secundum sensum, quem verba in textu originali non habent, difficulter dicitur, quia de singulis disputari potest. Si verba Pauli (Hebr 1, 7): *Ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα* explicanda sunt, ut quidam Patres explicant: Qui efficit, ut angeli sint spiritus (quod diversimodi intellegunt), hic sensus a textu originali alienus est, sed simul a textu graeco. Nam in psalmo 103 (104), ex quo haec verba a Paulo allegantur, psalmista poetice describit eadem, quae Gn 1 leguntur: creationem lucis et firmamenti et collectionem aquarum super firmamentum; dein descendens ad regionem sublunarem ait: „Faciens nubes currum suum, faciens nuntios suos ventos et ministros suos ignem flammantem, fundans terram super stabilitatem suam. . . ." Manifeste igitur verba: *ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα* (ut ostendunt immediate praecedentia *ὁ τιθεὶς νέφη τὴν ἐπίβασιν αὐτοῦ*) intelleguntur de ventis, non de spiritibus caelestibus. Neque apud Paulum est alius sensus. Ait enim: Christum esse excellentiorem angelis patet ex nominibus; nam Christus vocatur Filius Dei, ergo coaequalis gloriae est cum Patre; caelestes vero

450. Ab argumentatione distinguenda est *accommodatio verborum Scripturae ad aliquid significandum, quod illis verbis apte exprimitur, etsi verba in contextu primitivo alium sensam habent.* Paulus de apostolorum praedicatione ait: „In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum“ (Rom 10, 18). Verba eadem leguntur Ps 18, 5, ubi significant caelos visibiles Dei gloriam manifestantes. Nulla hic fit argumentatio, immo proprie ne ulla quidem citatio, sed apostolus verbis sibi usitatis utitur, quia convenienter efferunt, quae ob oculos ponere vult. Interdum etiam plus quam mera aptitudo verborum ad rem aliquam significandam adest, si scilicet ea, quae de uno homine vel de quibusdam hominibus in certa condicione positis dicuntur, extenduntur ad alios homines in eadem vel simili condicione positos. Ex 16, 18 dicitur Deus effecisse, ut Iudaei omnes haberent manna in aequali mensura: „Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, repperit minus.“ Secundum apostolum Deus idem vult inter Christianos efficere per eleemosynas ex caritate datas, „ut fiat aequalitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit“ (2 Cor 8, 14 sq).

Sed etiam in his rebus oritur interdum dubitatio, utrum habeatur mera accommodatio, an impletio prophetiae sensu stricto. Ieremias describit Rachel lamentantem filios populi sui euntes in exsilium: „Vox in excelso [in Rama] audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos et nolentis consolari super eos, quia non sunt“ (Ir 31, 15). Matthaeus de infanticidio bethlehemitico ait: „Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus; Rachel plorans filios suos et noluit consolari, quia non sunt“ (Mt 2, 17 sq). In hunc locum *Maldonatus* scribit: „Quod ergo tunc propheta de captivitate dixit, Matthaeus ad caedem infantum accommodavit, indicans illam prophetiam, quamvis de infantibus dicta non fuerit, multo tamen aptius de illis quam de captivis Iudaeis dici potuisse.“ Idem censent alii boni exegetae. Contra *Cornely* ait: „Nisi verbis vim inferre velimus, illa quoque formula [Tunc adimpletum est] ita comparata dicenda est, ut accommodationem excludat.“ [1] *Knabenbauer* vero in eundem Matthaei locum notat: „Cum evangelista loquatur de impletione, necesse est in illo eventu typicam cerni rationem, et verba oraculi ita esse selecta, ut in sensu litterali exhibeant simul apte alterum even-

---

spiritus habent nomen nuntiorum et ministrorum, quod etiam de ventis et igne dicitur. Difficultas oritur ex verbis: *Καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει* (Hebr 1, 7), quae innuunt allocutionem ad angelos. At allocutio excluditur ipso contextu, quia verba sequentia non dicuntur ad angelos. Sensus est: Quod angelos (i. e. nomen angelorum) attinet, dicit: „Qui angelos (nuntios) suos facit ventos.“ Sic autem fit argumentatio ex sensu, quem verba tam in textu graeco quam in textu habraico habent.

[1] *Cornely,* Introd. I 567, n. 207.

tum eumque adumbrent", id quod copiosius ostendit. Vides igitur in solvenda quaestione, utrum adsit accommodatio an vera prophetia, dubitationis interdum posse esse causam.

Sed ut finiamus hanc inquisitionem, colligamus hoc principium: *Quaecumque ab hagiographis dicuntur, ea ratione sunt verba Dei, quod Deus testatur singula dicta esse vera et recta secundum sensum, quem hagiographi exprimere voluerunt*[1].

ART. III.

DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS AD VERBA MATERIALIA SCRIPTURAE.

§ 1. DE QUA RE QUAERATUR.

451. Ante omnia accurate statuendum est, de qua re in hac quaestione agatur, quia hic facile accidit, ut nimis indeterminata et generali loquendi ratione inutiles altercationes fiant. Itaque cum Deus sit

---

[1] Plane extra provinciam inspirationis sunt sententiae, quas hagiographus in mente habet, sed quas non vult verbis enuntiare. Potest etiam auctor inspiratus habere opiniones falsas; immo potest accidere, ut ex eius loquendi modo conici possit, quas opiniones veras vel falsas in mente habeat. Sed quamdiu ea, quae cogitat, verbis non affirmat, tamdiu sunt eius privati conceptus, nullo modo Dei dicta. Neque enim Deus affirmat ea, quae ex modo loquendi quacumque ratione concludi possunt, e. g. utrum hagiographus sit scriptor elegans an impolitus, homo nobilis an rusticus, aliaque similia. Unde neque conceptus, quos hagiographus antecedenter ad inspirationem formavit, sed quos in libro suo non proponit ut veros, ad inspirationem referendi neque secundum eam diiudicandi sunt. Ergo si apostoli, ut quibusdam placet, putaverunt secundum Christi adventum proxime instare, et si quaedam eorum loquendi formulae hanc opinionem innuere videntur, hoc non pertinet ad inspirationem, quia de hac re nihil affirmant nisi tempus secundi adventus non esse a Deo revelatum ideoque occultum. Potuerunt de hac re coniecturas facere, immo potuissent etiam ex inspiratione dicere se habere tales opiniones, si utile fuisset hoc manifestare; sed neque dixerunt neque potuerunt dicere has suas opiniones esse veras et omnibus admittendas. Uno verbo: Vi inspirationis nihil ut verum credendum proponitur, nisi quod Deus verbis hagiographi ut verum affirmare vult.

Alia quaestio est haec: Possuntne esse in Scriptura affirmationes, quae verae quidem sunt secundum sensum Dei, sed falsae secundum sensum hagiographi (supra n. 348 nota). Respondetur negative. Nam secundum constantem doctrinam sanctorum Patrum et Scholasticorum hagiographi sunt instrumenta Dei, quae non agunt nisi mota a Deo. Atqui si hagiographi praeter intentionem Dei vellent aliquid affirmare in Scriptura, non agerent ut instrumenta Dei, sed ut causae principales. Instrumenta possunt quidem esse deficientia, sed ut instrumenta non possunt esse rebellia. Esset autem hagiographus rebellis, si non Dei sed suum sensum vellet in Scriptura exprimere et ut verum affirmare. Quae a Patribus et Scholasticis docentur de relatione hagiographorum ad Deum, plane excludunt hanc opinionem potuisse hagiographos quidquam mentiendo vel errando secundum suum sensum in Scriptura affirmare. Itaque neque Deus neque hagiographus docent errorem. Vestitus autem litterarius non est affirmatio (infra n. 478).

auctor sacrorum librorum, libri autem non solis sententiis sed etiam verbis constent, *inspiratio necessario ad ipsa quoque verba aliquo modo extendenda est.* Nam si Deus indifferenter se haberet ad verba apta aut inepta, ad verba, quibus sensus recte exprimitur, aut ad verba, quibus sensus corrumpitur, ne ipsae quidem res, in quantum praecise his verbis exprimuntur, seu in quantum scriptae sunt et librum constituunt, ad Deum auctorem et fideiussorem reduci possent. Quare praeter eos, qui coartando inspirationem realem errarunt, nullus, ni fallor, exstitit theologus catholicus, qui inspirationem divinam ad ipsa etiam verba aliqua ratione extendendam esse negaverit. *Kleutgen* e. g. ut sententiam communem proponit: „Dici non potest, ut aliquid sit Scriptura Sacra, necessarium non esse, res et verba singula a Spiritu Sancto inspirata esse. . . . Hoc solum quaeritur, quid inspirationis nomine significetur; et siquidem inspiratio plura complectatur, num omnia in omni Scripturae parte admitti debeant.“ [1] *Franzelin* vero docet in inspiratione talem includi operationem divinam, ut homo infallibiliter eligat signa apta ad sententias inspiratas omnes vere et sincere exprimendas [2]. Restat igitur solum videndum, *quomodo inspiratio ad verba se extendat,* seu quo sensu verbalis inspiratio admittenda sit, quo sensu non sit.

Supra iam exposuimus ante librum scriptum exsistere librum idealem in mente scriptoris [3]. Liber iste idealis consistit ex serie iudiciorum seu verborum mentalium inter se certo ordine nexorum. His verbis mentalibus respondent in libro reali sententiae seu iudicia scripta, quae etiam verba vocantur. Hoc sensu iam saepius diximus: Verba Scripturae sunt verba Dei, fide divina credenda. Quia igitur haec verba a rebus seu veritatibus in Scriptura contentis non distinguuntur, de extensione inspirationis ad verba sic intellecta iam egimus. Haec verba a quibusdam dicuntur *verba formalia,* dum signa externa, quibus conceptus et iudicia exprimuntur, vocari solent *verba materialia.* Quem loquendi modum brevitatis causa retinere libet.

452. Homo, qui non solum intra se iudicia format, sed haec iudicia etiam communicare vult cum aliis ore vel scripto, praeter *verba mentis* etiam producit *verba imaginationis,* seu imagines vocabulorum et locutionum, quibus iudicia exprimuntur. Hae duae classes verborum internorum plane inter se distinguendae sunt et separari possunt. Potest enim aliquis e. g. iam perfecte scire, quid velit dicere, et interim anceps haerere, utrum latine, an graece, gallice, germanice loqui, an alia lingua uti velit. Immo accidit, ut quis, loquens lingua sua nativa, subito haereat neque vocabulum inveniat ad exprimendam rem, quam clarissime prae oculis mentis habet, cuius verbum mentis perfecte adest. Multi homines sunt, qui optime norunt, quae ad suam

[1] Supra n. 302. [2] Supra n. 301. [3] Supra n. 414.

artem vel ad sua negotia pertinent, neque tamen verbis ea aliis exponere possunt. Sunt quoque inter doctos, qui, quantum scientia praestant, tantum facundia carent. Ergo non pari passu semper currunt verbum mentis et verbum imaginationis, sed hoc interdum deficit, ubi illud abundat, et vice versa.

His suppositis *dicendum est quaestionem de inspiratione verbali versari circa influxum Dei in verba imaginationis.* Deus enim scripsit per homines humano modo scribentes. Cum vero homines scribunt, materialia verba, quibus conceptus exprimunt, prius vi imaginativa repraesentant, dein facultate exsecutiva in charta depingunt. Itaque si inspiratio extenditur ad verba, imprimis extendatur necesse est ad verbum imaginationis; nam hoc verbo formato constat ex usu, quibus characteribus scribendum sit, neque aliud requiritur, nisi ut in exsecutione omne erratum evitetur, de qua re iam diximus [1]. Quaestio igitur solvenda haec est: num et *quomodo verba imaginationis pendeant a charismatico Dei influxu;* nam concursum generalem requiri ad omnem locutionem et scriptionem, sive veram sive falsam, sive aptam sive ineptam, tam est per se evidens, quam est extra quaestionem, si agitur de explicando charismate inspirationis, quo Scriptura fit verbum Dei infallibile.

453. *Sunt autem de inspiratione verbali variae sententiae.* Non rabbini tantum iudaei multi, sed etiam veteres theologi protestantes tam lutherani quam calvinistae censebant Deum singula vocabula ita hagiographis suggessisse et quasi in calamum dictasse, ut his nihil deliberandum, nihil eligendum maneret, cum omnia et singula ab ipso Deo determinata essent. Immo non pauci hunc Dei influxum ad singulos characteres et apices extenderunt [2]. Eousque ex theologis catholicis nemo quidem processisse videtur. Olim tamen quidam materialem verborum dictationem admiserunt, non utique dictationem per voces externas (ut plurimum saltem), sed per influxum internum aequivalentem dictationi externae [3]. Haec igitur dictatio interna esset influxus charismaticus, quo Deus singulas imagines singulorum vocabulorum in sacro scriptore excitaret eumque moveret, ut his determinatis vocabulis et constructionibus a Deo electis neque ullis aliis uteretur. Non hoc peculiare est huic modo exponendi inspirationem, quod scriptor humanus dicatur se habere ad modum instrumenti mere passivi, ut non cognoscat, quae scribit, aut ut eius cognitio saltem mere concomitanter se habeat. Nam sic ne veteres quidem illi theologi protestantes rem intellexerunt. Sed *dicitur electio vocabulorum principaliter a Deo fieri, non a scriptore humano, ita ut totus modus loquendi seu totus stilus sit reducendus ad Spiritum Sanctum,* qui voluit, ut tali

---

[1] Supra n. 425. [2] Supra n. 23 219 226 sqq 229 sq 256 265.
[3] Supra n. 278 280 282.

modo et non alio, etsi aeque bono et forte meliore, veritates exprimerentur. Unde secundum hanc sententiam ad quaestionem: Cur in Scriptura occurrunt haec vocabula et hae constructiones? respondendum est: Quia Spiritus Sanctus ea elegit, hagiographo suggessit, eumque determinavit, ut hoc dicendi genere uteretur.

Hanc sententiam plurimi theologi reiecerunt, statuentes hoc quidem potuisse fieri et fortasse interdum factum esse, sed ad essentiam inspirationis minime requiri [1]. Saeculo decimo nono ab omnibus fere inspiratio verbalis negabatur.

454. *Recentissimis autem temporibus iterum plures theologi inspirationem verbalem propugnare coeperunt, sed eam aliter explicant.* Secundum eos inspiratio verbalis non est suppeditatio vel dictatio, qua Spiritus Sanctus de verbo ad verbum communicat cum hagiographo, quae scribenda sunt, sed est supernaturalis illustratio, cuius effectus est recta et adaequata expressio scripturalis rerum scribendarum [2].

Haec sententia orta est in schola neothomistica, sed mox etiam extra hanc scholam asseclas nacta est, et quidem, quod mirum videri potest, inter eos quoque, qui laxiores de inspiratione notiones habent, ut *A. Loisy* [3]. Nihilominus res non est adeo mira. Quidam sine dubio nostra aetate defenderunt inspirationem verbalem, quia censebant omni conatu resistendum esse relaxationi inspirationis. At alii bene viderunt non esse faciliorem viam ad relaxandum hunc conceptum quam defendendo ipsam inspirationem verbalem. Nam si verba non minus quam res dicenda sunt inspirata, quamvis tam evidenter indolem singulorum scriptorum prae se ferant, manifeste conceptum inspirationis valde latum esse necesse est.

---

[1] Supra n. 283 285 288 sq 290 295 297 301 302 306 308.

[2] Supra n. 281.

[3] Non inutile neque iniucundum fuerit haec notare: *P. Dausch* in libro „Die Schriftinspiration" (240 sq) scribit: „Die Scheidung von inspirierten und nicht inspirierten Bestandteilen der Schrift ist wie die Unterscheidung einer Verbal- und Realinspiration mehr oder minder eine Vivisektion lebendiger Geisteswirksamkeit." *Loisy* recensens illum librum ait: „Dire que Dieu est l'auteur des idées, que l'homme est l'auteur des mots; que Dieu est l'auteur du fond et l'homme est l'auteur de la forme; que Dieu est l'auteur des passages dogmatiques, et que l'homme est l'auteur des passages historiques ou simplement des obiter dicta: c'est, comme l'observe M. Dausch, pratiquer la vivisection" (Études bibliques 35). *Billot* loquens contra eos, qui reiciunt inspirationem verbalem, eadem utitur formula: „Non male in hac parte rationalista quidam observavit introduci ibi quoddam quasi vivisectionis genus, quod rei natura non patitur." Et in nota ponuntur verba Loisy: „Dire que Dieu . . ." omisso nomine Doctoris Dausch (De inspir. 56). *A. Merisi* discutiens theoriam Patris Billot et aliorum idem repetit: „E' un praticare parimenti la vivisezione il dire ‚poté esserci difetto della causa strumentale, in quanto operava secondo la propria virtù, con cui determinava l'ordine della narrazione et le espressioni' . . ." (Le fonti dei Libri sacri, Monza 1903, 12). Similiter alii. Probabiliter Dr Dausch, quando illa verba scripsit, non cogitavit se habiturum esse tot debitores pro facete dicto illo, quod iam videtur adeptum vim argumenti pro inspiratione verbali.

Lagrange loquens de facto, quod „certi defensores inspirationis verbalis inveniuntur inter criticos maxime liberales", ait: „Praecise ita, et hoc fit ad obtinendas motiones liberiores, monstrando exaggeratum esse pondus, quod ex inspiratione adscribatur sententiis, ut distinguuntur a verbis, quasi sententiae essent pure et simpliciter conceptus divini, sensa Dei, et sola verba effectus activitatis liberae auctoris. Si placuit nobis cum Patribus defendere inspirationem extendi ad omnia, ad ipsa quoque verba, hoc erat praecise ad statuendum terminum inspirationis non esse synonymum ‚dictationi' [1]. Temporibus Franzelin viderunt hoc concedi oportere quoad verba; at ipse non dixit nimis aperte idem concedendum esse quoad sententias. Distinctio tam fixa inter sententias et verba obstabat, quod obstaculum everti convenit, quia persaepe eaedem rationes valent de utrisque, ne nimis arte constringatur origo et auctoritas divina ad significandam affirmationem divinam. . . . Concedentes Deo partem suam quantum ad verba, voluimus reservare homini partem suam quoad sententias. . . . Voluimus nos exhibere non strictiores sed largiores quam Franzelin. Ipse renuntiavit affirmationi verba esse verba Dei, quia visum est ei difficile in iis recognoscere illam perfectionem rerum immediate divinarum. Nos eandem libertatem pro sententiis postulavimus, unde inconveniens est eas vocare sensa Dei, quippe quae expressio facile fieret exclusiva." [2]

455. Hinc colligitur *immerito quosdam asseclas huius novae theoriae inspirationis verbalis gloriari de „traditionali" sententia a se iterum suscitata.* Nam veteres defensores inspirationis verbalis nequaquam relaxare sed quam maxime artum reddere studebant conceptum inspirationis, et iudicia omnia Scripturae sensa Dei, verba vero omnia

---

[1] Apud SS. Patres haec duo: Scripturam esse a Deo inspiratam et esse a Deo dictatam, sunt omnino synonyma; sed quaestio est, quid intellegant dictationem (cf. supra n. 395).

[2] Revue Biblique 1904, 293 sq. Similiter abbas quidam O. S. B. *(Ford)* de hac re ait in „The Tablet" (21. Ian. 1905, 83 sq): Admissa inspiratione verbali patet cum inspiratione conciliari posse defectus litterarios, qui ratione stili saepe sunt manifesti. Si liber inspiratus potest esse imperfectus quoad stilum, cur non quoad res? Liber inspiratus „exhibet peculiare scriptoris ingenium cum omnibus ipsius virtutibus et defectibus, exhibet effectus educationis et condicionum, sub quibus scripsit, vim iudicii eius, festinationem animi eius, campum experientiae eius. . . . Quodsi inquisitio instituta in scriptum verbaliter inspiratum manifestat in eo hos humanos defectus . . . studiosus catholicus debet esse primus, qui his factis pondus attribuat in exegesi sua, cum haec theoria inspirationis nos ea doceat, quae plane consentiunt cum sano criticismo. . . . Videmus sacrum scriptorem scribentem secundum notitiam, apprehensionem, experientiam suam, ex intentione alicuius effectus immediate obtinendi; videmus narrationem eventuum non minus quam dicendi genus promanare ex eius speciali indole et animi dispositione, et sic percipimus aut defectus inquisitionis minus accuratae aut excellentiam inquisitionis plenioris. . . . Has peculiaritates documenti inspirati, quae manifestae sunt, maximi refert agnoscere, et clare perspicere eas non solum componi posse cum inspiratione, sed eas esse sub influxu inspirationis ipsasque inspiratas. Haec res obscurata est per theoriam illam, quae verba subtrahit influxui inspirationis. At nunc cum altior critica urgeat factum harum humanarum peculiaritatum, eae fiunt fons magnarum difficultatum pro iis, qui exegesim didicerunt in moderna theologiae schola".

dicta Dei sensu strictissimo esse volebant. Quia tamen videbant hanc rem ita intellectam neque a priori neque ex doctrina ecclesiae efficaciter probari posse, plerique concedebant etiam adversariorum sententiam esse probabilem, suam tamen probabiliorem esse volebant. Recentes autem defensores inspirationis verbalis sententiam tuentur, cuius contrarium irrationale, illogicum, improbabile sit. Ergo nequaquam sententiam „traditionalem" propugnant. Afferunt quidem nonnulla ex argumentis, quibus veteres quoque utebantur; sed si quid haec argumenta probarent, utique non novam sed veterem explicationem probarent, quia omnia eo tendunt, ut ostendant singula Scripturae vocabula esse sensu strictissimo Dei voces. Haec igitur testimonia imprimis inspicienda erunt, quia ex iis solis colligitur, quid secundum doctrinam traditam tenendum sit. Argumenta vero, quae a priori fiunt, non multum iuvant in re, quae ex sola revelatione cognoscitur. Neque enim a priori possumus Deo praescribere, quomodo ad sacros scriptores se habeat, ut scilicet eodem charismatico modo concurrat ad producenda verba imaginationis atque ad producenda verba mentis. Et si obiciunt hanc esse „vivisectionem", respondemus: Licet Deo facere „vivisectionem", si vult, et nobis „vivisectio" admittenda est, si veritas postulat; num vero postulet, videndum est.

§ 2. QUID EX SCRIPTURA DISCAMUS DE INSPIRATIONE VERBALI.

456. Scriptura ipsa de inspiratione verbali aut non verbali explicite nihil docet. *Patres et veteres theologi ad inspirationem biblicam non raro applicarunt verba: „Lingua mea calamus scribae velociter scribentis"* (Ps 44, 2), ex quibus quidam theologi ita argumentantur: Sacer auctor est calamus, Spiritus Sanctus scriba. Atqui non calamus sed scriba format verba. Ergo non hagiographi per se, sed Spiritus Sanctus formavit omnia Scripturae verba. Quod argumentum est inefficax, quia ibi sermo non est nisi de illo psalmo, non de tota Scriptura, et quia sacri scriptores non fuerunt eo sensu calami quo instrumenta scriptoria, quibus homo utitur, sed veri auctores, tandem quia ex contextu illa verba non habent hunc sensum: Ego tantopere a Spiritu Sancto inspiratus sum, ut etiam quoad ipsa verba non sim nisi calamus tantum; sed sensus est: Obiecto carminis adeo commotus sum, ut lingua quasi calamus scribae expediti velociter et pulchre sensus mentis meae exprimat[1]. Nihil de inspiratione verbali.

[1] *Calmet* de hoc psalmo ait: „Carmen nuptiale est, ferme uti quod cecinit Theocritus de nuptiis Helenae et Menelai (si sacra licet miscere profanis), ubi pronubae sponsi sponsaeque laudes canunt illisque felicitatem imprecantur. Hoc loco sponsus Salomon esse creditur, sponsa filia Pharaonis. Carmen hoc vel Salomon ipse vel coaevus aliquis propheta exaravit, pronubis tradendum, ut in sollemni conubii pompa caneretur, deinde filiis Core in templo recitandum, utpote carmen propheticum ac divinum." — Haec verba *Lagrange* approbans allegat et addit: „In hac re Con-

Alius textus, ad quem provocarunt veteres defensores inspirationis verbalis, est Ir 36, 18: „Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos." Atqui qui legit, inquiunt, non sententias tantum sed etiam vocabula ex libro vel scripto accipit. Ergo idem de hagiographis dicendum est. Quia de Ieremia, ergo de omnibus hagiographis? Id certe non sequitur. Ceterum de hoc textu iam diximus[1]. Item de verbis Mt 5, 18: „Iota unum aut unus apex non praeteribit."[2]

Alii argumentantur ex eo, quod sacri scriptores interdum iubentur „verba Dei" scribere[3]. Sed in hac argumentatione confunduntur verbum formale et verbum materiale. Prophetae scribunt verba Dei, quatenus scribunt revelationes a Deo acceptas, sive Deus vocabula ipsa revelavit, sive non revelavit. De verbo materiali raro sermo est in Scriptura, saepissime vero verbum idem est atque res vel sententiae. Unde sicut „loqui verba Dei" non significat repetere materiales sonos a Deo productos, ita „scribere verba Dei" non significat chartae commendare materialia signa a Deo electa et determinata. Illi, qui ex Scriptura inspirationem verbalem probare student, ita loquuntur, ut, si eorum argumentatio valeret, materialis dictatio verborum admittenda esset. Dicunt enim: Deus ad Moysen vel ad Ieremiam certa verba locutus est et iussit prophetas haec verba, etiam quantum ad ipsa vocabula a Deo dicta, litteris mandare. Atqui supponendum non est Deum alios hagiographos ita, alios aliter ad scribendum movisse. Ergo recte statuimus hoc eodem modo omnia verba Scripturae a Deo dicta esse[4]. At neque maior neque minor argumenti stant, et consequens ipsum a recentibus defensoribus inspirationis verbalis negatur, quia plerique negant hoc crasso modo inspirationem verbalem intellegendam esse. Unde communiter argumentum biblicum omittunt, quia perspiciunt in Scriptura sermonem non esse de quaestione illa psychologica, ad quam totam hanc disputationem reducunt.

457. Sed alio modo argumentari licet, non quidem ex testimoniis Scripturae, sed *ex quibusdam observationibus, quas circa Scripturam facere possumus.* Audiamus igitur argumenta ex utraque parte, prout praeteritis temporibus proponi solebant, ut postea consideremus novam expositionem nostrae aetatis.

---

cilium Vaticanum nihil mutavit; nam inspiratio antecedens non est in quaestione. Auctor inspiratus non necessario cognitionem habet sensuum spiritualium, qui a Deo intenduntur" (Revue Bibl. 1904, 256). — Si psalmista proxime noluit componere nisi carmen nuptiale, sane illis verbis non expressit ipsa vocabula sibi dictata esse a Spiritu Sancto. Ceterum, nisi fallor, omnes exegetae nunc concedunt non esse sermonem de dictatione verborum per Spiritum Sanctum.

[1] Supra n. 381. [2] Supra n. 383. [3] Supra n. 380.

[4] Cf. e. g. *Chauvin,* L'inspiration 172 sqq.

Primum argumentum hoc est: Unde evenit, ut unus idemque scriptor tam diverso dicendi genere utatur? E. g. Paulus in epistula ad Hebraeos et in epistulis ad Corinthios. Epistula ad Hebraeos a veterrimis scriptoribus ad Paulum refertur[1]. Etsi nonnulli dubitabant, id erat ob stili diversitatem. Hanc diversitatem variis modis explicarunt. Sed communissima explicatio apud veteres et recentes haec est, quod Paulus subministraverit materiam epistulae, alii vero debeatur „compositio et ornatus", ut ait *Estius*. Secundum *Bellarminum* haec solutio est „cum simplicior tum expeditior", scilicet „hanc epistulam graece primum esse scriptam, et quidem sententias Pauli esse, verba autem Lucae aut Clementis, quo tamquam interprete et scriba Paulus usus sit; et ideo hanc epistulam esse magis ornatam, quam ceterae sint, quia sermo huius epistulae non a Paulo, ut ceterarum, sed ab alio magis diserto compositus sit"[2]. Idem *Hieronymus* ad alia scripta extendit: Paulus, „cum haberet scientiam sanctarum Scripturarum et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret . . . divinorum sensuum maiestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum, cuius evangelium, Petro narrante et illo scribente, compositum est. Denique et duae epistulae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intellegimus pro necessitate rerum diversis eum usum esse interpretibus"[3]. Hac sententia admissa, quae saltem non est improbabilis, habemus illam „vivisectionem", contra quam nonnulli recentiores tanta emphasi declamant: Sententiae apostolorum, stilus interpretum.

Aliud notatu dignum: Hagiographi non raro allegant dicta Scripturae sensu tantum attento, vocabulis vero mutatis. Numquid hoc fecissent, si iis persuasum fuisset Spiritum Sanctum elegisse et determinasse singula vocabula? Exempla huius rei sunt permulta, cum in Novo Testamento dicta Veteris Testamenti raro ad verbum repetantur. Rom 9, 33 legimus: „Scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali; et omnis, qui credit in eum, non confundetur." Verba sumpta sunt ex Isaia, ubi 8, 14 de Deo dicitur: „Erit . . . in lapidem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel", et 28, 16: „Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem . . . Qui crediderit, non festinet [i. e. non fugiat]." Ex his duobus dictis apostolus citatum suum conflavit, quia, quae apud prophetam promittuntur, in Christo completa sunt. Sensus est idem, quatenus Christus Deus est lapis offensionis non credentibus et firmissimum fundamentum credentibus. Sed quam diversa sint vocabula, non indiget explicatione. Quanta differentia verbalis est inter 2 Rg 22 et Ps 17, et tamen est idem psalmus. Superfluum est plura exempla enumerare.

---

[1] Cf. *Eus.*, H. E. 3, 3 25; 6, 14; *M* 20, 217 268 549 552.
[2] Supra n. 288. [3] Supra n. 112.

458. *Dices:* Homines saepe ea, quae aliquo loco scripserunt, alio loco aliis verbis repetunt. Ergo potest etiam Spiritus Sanctus idem facere et ad easdem sententias exponendas inspirare homines, ut modo his, modo aliis verbis utantur.

Respondeo: Vis huius obiectionis nulla est. Imprimis enim non omnia, quae homines in hoc genere faciunt, etiam Spiritui Sancto adscribere licet. Homines emendant libros suos, quia vident res melius exprimi posse vel etiam debere, quam in prioribus editionibus factum sit. Spiritui autem Sancto non debemus adscribere editionem emendatam operum suorum, quoad ea saltem, quae ipse elegit et determinavit. Porro hagiographi allegantes secundum sensum tantum non suas sed aliorum sententias aliis verbis rettulerunt. Hoc autem tum tantum licet, cum supponitur totam vim esse in sensu, non in vocibus. Si quis vero diceret hagiographos sibi semper conscios fuisse se ex instinctu Spiritus Sancti mutare vocabula Scripturae, solo sensu contentos, gratis affirmaret, quod nullo modo probari potest. Multo probabilius affirmatur eos non censuisse vocabula ita a Spiritu Sancto ad unum determinata, ut necessario retinenda sint, sicut necessario retinenda est veritas a Spiritu Sancto affirmata. Plures veritates variis locis propositas in unam sententiam coniungere, ut Rom 9, 33, non est sensum mutare. Qui colligit in unum varias prophetias vel alia dicta Spiritus Sancti, mutat quidem sententias, si sententiae intelleguntur materiales constructiones verborum; non vero mutat sententias, in quantum sententiae intelleguntur veritates ut distinctae a vocabulis et constructionibus. Ergo si quis interrogat: Numquid dicta Scripturae aliis verbis relata vel ex variis locis in unum collecta non sunt sermones Spiritus Sancti? adversarii inspirationis verbalis respondent: Sunt sermones Spiritus Sancti secundum ea, quae dicuntur; non sunt sermones Spiritus Sancti eo sensu, quod singula vocabula et constructiones a Spiritu Sancto sint dictata. Quomodo igitur hagiographi infallibiliter, vere et sincere referunt aliorum dicta? Infallibiliter, quia sub assistentia Spiritus Sancti; vere et sincere, quia ad hoc, ut quis vere et sincere alterius dicta referat, non necessario requiritur, ut materialia vocabula alterius repetat (quod in communi vita humana, si agitur de sermone paulo longiore, vix fieri potest), sed ut sensum dictorum alterius fideliter exprimat. Potest interdum accidere, ut ex uno determinato vocabulo tota veritas relationis pendeat. Quod si fit, vocabulum retinendum est, ut sinceritas relationis servetur; at secundum communiter contingentia hoc non est necessarium ad veritatem et sinceritatem relationis servandam.

Dices: Sicut hagiographi interdum dicta Scripturae secundum sensum tantum reproducunt, vocabula autem mutant, ita interdum verba retinent, sed sensum mutant, ut fit in accommodationibus. Ergo si ex priore agendi modo concluditur solum sensum, non verba esse

inspirata, ex altero agendi modo colligitur sola verba, non sensum esse inspirata; aut si haec conclusio non valet, neque illa valet.

Respondeo: Nego paritatem. Nam accommodatio non est citatum neque argumentum ex verbis ut divinitus inspiratis, sed est simplex applicatio verborum usitatorum ad sententiam aliquam apte enuntiandum, quemadmodum iam dictum est [1]. In argumentatione vero nostra respicimus illos locos, quibus hagiographi citant verba Scripturae et ex iis arguunt ut ex verbis divinam auctoritatem habentibus, utpote divinitus inspiratis. Provocant igitur ad ipsum Spiritum Sanctum. Unde si solum sensum retinent, vocabula autem mutant, non materialibus vocabulis sed solis sententiis seu veritatibus divinam originem adscribere videntur. In accommodationibus autem puris neque sententiarum neque vocabulorum origo ullo modo consideratur, sed sola aptitudo dictorum notorum ad certas res significandas. Ergo ex eo, quod in iis sensus mutatur, ne unius quidem sententiae biblicae inspiratio in dubium vocatur.

459. *Tertio notandum est:* Dicendi genus apud hagiographos est valde diversum et singulis ita proprium, ut saepe ex dicendi modo cognosci possit, quis haec scripserit. Neque perfectiones tantum stilisticae, sed etiam imperfectiones in Scriptura inveniuntur, quae ostendunt scriptores laborasse in sententiis suis exprimendis neque semper finem intentum attigisse, sed obscuritatibus, soloecismis, variis peccatis contra grammaticam et dicendi artem obnoxios esse. Quidam eorum significant se huius defectus sibi conscios fuisse. Paulus de se ait: „Etsi imperitus sermone, sed non scientia“ (2 Cor 11, 6). Auctor secundi libri Machabaeorum in fine cap. 15 scribit: „Ipse hic finiam sermonem; et si quidem bene et ut historiae convenit, hoc et ipse volui; sin tenuiter et mediocriter, hoc est, quod assequi potui“ (sec. text. graec.) [2]. Atqui neque indoles stili singulorum hagiographorum, neque defectus litterarii apte ad inspirationem ita reducuntur, ut Spiritus Sanctus dicatur sua electione singulis determinasse hoc vel illud dicendi genus et ipsos etiam defectus litterarios. Multo minus quae a Spiritu Sancto dicta et quatenus ab eo dicta sunt, excusatione indigent, vel omnino decenter excusari possunt. Ergo vestitus litterarius non ex inspiratione Spiritus Sancti, sed ex ingenio scriptorum humanorum repetendus et explicandus est.

Obicies secundum opinionem veterum defensorum inspirationis verbalis: Spiritus Sanctus sese in omnibus accommodat ingenio hagiographorum iisque eas voces easque constructiones suggerit, quas ipsi eligerent, si suo marte scriberent. Placet ei easdem res alio et alio modo enuntiare et varietate locutionum legentes delectare.

---

[1] Supra 450. [2] Cf. supra n. 421.

Respondeo secundum mentem adversariorum huius opinionis: Entia non sunt multiplicanda sine ratione. Si sacri scriptores sibi ipsis relinquuntur in eligendis verbis et constructionibus, idem effectus obtinetur. Ergo gratis statuitur hunc effectum produci influxu Dei plane singulari et charismatico. Nulla prorsus sufficiens ratio indicari potest, cur Sanctus Spiritus ipse elegerit et praedeterminaverit defectus litterarios, maxime eos, quibus sensus obscurus fit et intellectus difficilis. Protestantes quidem saepe ex inspiratione verbali concluserunt omne dictum Scripturae maxima perspicuitate fulgere neque ulla expositione extranea indigere. Sed quia hoc consequens pugnat cum factis, principium, ex quo logice fluit, admitti nequit.

460. *Quarto notandum est:* Si de conceptu et essentia Scripturae inspiratae sunt vocabula a Deo suggesta, Scriptura magna ex parte periit, quia plurium librorum textus originalis non iam habetur, ut e. g. evangelii Matthaei. Sed etiam ii libri, quorum textus primigenius non interiit, tot locis, sive incuria sive malitia hominum, mutati sunt, ut, si de singulis vocibus agitur, saepissime aut dubium aut ignotum sit, quae vocabula sacer auctor scripserit. Praeterea versiones graecae, latinae aliaeque dici nequeunt Sacra Scriptura, quia aliquid Scripturae inspiratae essentiale iis deest, cum eorum vocabula non sint inspirata. Atqui ecclesia etiam versiones authenticas semper habuit Sacram Scripturam. Immo plurimi ex SS. Patribus, pontificibus, conciliis oecumenicis non respexerunt textum originalem hebraicum, quem plerique ne legere quidem poterant, et tamen censebant se habere Sacram Scripturam. Ergo vocabula a Spiritu Sancto suppeditata ad constituendam Sacram Scripturam non requiruntur. Vulgata e. g. est Scriptura inspirata, etsi nullum verbum materiale eius a Spiritu Sancto dictatum est, quia ad Scripturam requiruntur verba formalia Spiritus Sancti, non verba materialia.

Obicies pro inspiratione verbali: Versio fidelis non est quidem Scriptura Sacra eodem perfecto modo, quo scriptum originale hagiographi; attamen exhibet easdem veritates, et quia veritas communicanda est id, quod potissimum in omni locutione et scriptione intenditur, recte versio fidelis vocatur Scriptura inspirata.

Respondeo cum adversariis inspirationis verbalis: Si versio fidelis, cuius verba materialia a Spiritu Sancto non sunt inspirata, manet Scriptura inspirata, ergo ad hoc, ut Scriptura sit inspirata, non requiritur inspiratio verbalis.

Dices: Inspiratio verbalis requiritur ad hoc, ut Deus vere sit inspirator et scriptor seu auctor Sacrae Scripturae. Nam nemo est scriptor libri, nisi qui etiam verba materialia et constructiones sententiarum determinavit, et qui physica efficacia omnia usque ad ipsam materialem scriptionem effecit.

Respondeo: Hoc ultimum certe est falsum, quia multi scripserunt libros suos, non physice formando signa materialia sed moraliter per amanuenses [1]. Similiter potest aliquis ita scribere per alium, ut solas res scribendas indicet, modum vero expressionis alteri relinquat, id tantum invigilando cavens, ne alter quidquam scribat, quo mens sua non fideliter exprimatur, sicut non pauci censuerunt Paulum scripsisse epistulam ad Hebraeos. Neque ex conceptu inspiratoris aliud efficitur, tum quia conceptus inspiratoris minus determinatus est quam conceptus scriptoris vel auctoris libri [2], tum quia secus Vulgata vel alia versio fidelis non esset Scriptura inspirata.

461. *Dices:* Etiam illi, qui negant inspirationem verbalem, tamen admittunt quaedam verba materialia esse inspirata. Atqui in versione ne haec quidem verba inveniuntur. Ergo aut debent negare ullum omnino verbum materiale esse inspiratum, aut debent concedere ex eo, quod in versione verba primigenia non inveniuntur, nihil concludi contra inspirationem verbalem.

Respondeo: Illi, qui docent quaedam vocabula vel constructiones esse hagiographis a Deo suggesta, non ideo hoc docent, quia censent secus Deum non esse auctorem vel scriptorem Sacrae Scripturae, vel secus Sacram Scripturam non esse a Deo inspiratam et conscriptam, sed quia censent certas aliquas doctrinas non posse nisi certis quibusdam verbis plane accurate exprimi, vel quia censent hagiographos scripsisse ea, quae Deus per sensibiles sonos indicabat [3]. Sic igitur censent secundam personam sanctissimae Trinitatis ex inspiratione dictam esse *λόγον*, vel a Ioanne in Apocalypsi scripta esse verba, quae a Deo vel angelis et sanctis audierat. Sed si quis diligenter rem consideraverit, videbit in his casibus non agi proxime de *inspiratione,* sed de *revelatione* certis verbis alligata. Quia autem verba etiam in his specialibus condicionibus eatenus tantum electa sunt, quatenus ipsa et non alia rem convenientissime exprimunt, possunt verba etiam in versione fideliter retineri, cum in una lingua non minus quam in alia adsint verba ad aliquem conceptum exprimendum apta. Unde etsi ex revelatione constat secundam personam divinam esse *λόγον,* tota vis huius revelationis servatur, si latine dicitur Verbum. Neque enim tam crasse materialiter haec verbalis revelatio accipienda est, quasi una tantum lingua revelatio exprimi possit, omnibus vero aliis linguis essentialis mutatio fiat.

Haec sufficiant ad exponendum, quomodo veteres defensores et impugnatores inspirationis verbalis hanc quaestionem tractare consueverint [4];

---

[1] Cf. supra n. 424. [2] Supra n. 321 389.

[3] Cf. *Crets,* De inspir. 240 sq.

[4] Hunc statum quaestionis prae oculis habet e. g. Dr *J. Hejcl* in dissertatione: *Über die Wortinspiration der Heiligen Schrift;* Der Katholik 1900 I 115 sqq.

nam de nova methodo explicandi inspirationem verbalem paulo aliter dicendum. Sed prius audiamus doctrinam SS. Patrum, in quantum ad hanc rem refertur.

§ 3. SENTENTIAE SS. PATRUM ET THEOLOGORUM DE VERBIS MATERIALIBUS S. SCRIPTURAE.

462. SS. Patres numquam explicite hanc quaestionem posuerunt: Suntne vocabula et constructiones Sacrae Scripturae inspirata? sed occasione data plus minus distincte significarunt, quid de hac quaestione censerent. Ita factum est, ut et negantis et affirmantis sententiae defensores SS. Patres patronos invocarent. Ut igitur suum quisque sibi formare possit iudicium, breviter recapitulemus ea, quae ex SS. Patribus collegimus.

Veterrimi scriptores praeter inerrantiam Scripturae nihil fere de inspiratione docent nisi hagiographos fuisse instrumenta, quae non egerint nisi mota a Spiritu Sancto. Iam si quis ea, quae dicunt de lyra et plectro et similia, ultra modum urgere vult, habebit utique inspirationem verbalem, at simul habebit inspirationem mechanicam et manticam, quae ab omnibus reicitur. Praeterea non poterit explicare alia, quae iidem scriptores dicunt, e. g. quando auctor „Cohortationis ad Graecos" laudat scriptores sacros, quod non quaesierint artificiosas locutiones, sed contenti fuerint verbis simplicibus, quae sua sponte se offerebant [1]. Talis enim laus ei impertiri nequit, cui omnia verba ab alio dictantur. Ex quo patet in eiusmodi dictis attendendum esse tertium comparationis; nihil enim aliud volunt efferre nisi prophetas locutos esse non ex propria voluntate, sed ex motione Spiritus Sancti.

Quaestio, quousque se extenderit efficacia Spiritus Sancti in compositione sacrorum librorum, primum tangitur ab *Origene,* qui valde emphatice inculcat Spiritus operationem attigisse non voces tantum, verum etiam singulos characteres, iisque tantum sensus indidisse, quantum singuli capere possint [2]. Ex hac persuasione (ex Philone hausta) fluxerunt immodicae istae expositiones allegoricae, a SS. Patribus saepe graviter reprehensae [3]. Nihilominus ipse Origenes invenit in epistulis S. Pauli „elocutiones confusas et minus explicitas" et monet in legenda Scriptura non multum de nominibus et sermonibus curandum esse, quae per singulas gentes diversa sint, et magis attendendum, quid significetur, quam quibus verbis [4]. Eum stili diversitatem non ex Spiritus Sancti electione, sed ex hagiographorum indole derivare, efficitur ex iis, quae de epistula ad Hebraeos ait: „Stilum epistulae, quae inscribitur ad Hebraeos, carere illa sermonis rusticitate *(οὐκ ἔχει τὸ ἐν λόγῳ ἰδιωτικόν)*, quae propria est apostoli, quippe

[1] Supra n. 39. [2] Supra n. 63. [3] Supra n. 68 76 sqq.
[4] Supra n. 66.

qui rudem atque imperitum sese confitetur in sermone, i. e. in forma ac ratione dicendi. Verum epistula illa in verborum compositione maiorem praefert graeci sermonis elegantiam. . . . Ego vero ita censeo sententias quidem apostoli esse, dictionem autem et compositionem verborum esse alterius cuiusdam." [1]

Sicut inter Graecos Origenes, ita inter Latinos *Ambrosius* Philonis discipulum se fecit et ex quibusvis vocabulis altissima mysteria eruere conatur. Docet tamen: „In divinis Scripturis non verborum seriem, sed rerum pondus examinare debemus;" et scit in Scriptura, qua utitur, verba saepe esse mutata, quare potius quam verba „sensus nobis spectandus est semper" [2].

463. Nemo fortasse magis laudavit vim singulorum vocabulorum Scripturae quam *Ioan. Chrysostomus:* „Ne brevem dictionem neve syllabam unam ex iis, quae in divina Scriptura sunt, praetercurratis. Neque enim sunt verba simpliciter, sed Sancti Spiritus verba, et ideo magnum thesaurum invenire licet etiam in una syllaba. . . . Neque enim syllaba neque unus apex est in Scriptura, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus." Haec et similia [3] statim se produnt ut locutiones rhetoricae, quibus sanctus doctor magnam vim et dignitatem omnium verborum Sancti Spiritus effert. Numquid Chrysostomus revera censet apices esse a Spiritu Sancto formatos? Nemo id suspicabitur, sed si recte sentit, videbit in illis dictis fortiter expressam persuasionem omnimodae inspirationis realis totius Scripturae. Ipse Chrysostomus, qui omnia in Scriptura secundum sensum a Deo dicta esse docet, non tamen omnia, sed quaedam etiam *ῥητῶς*, i. e. secundum verba, a Deo dicta esse ait; et in Scriptura, quam prae manibus habeat, multa ratione versionis obscura et difficilia facta esse significat. Haec autem est eadem Scriptura, cuius syllabas et apices adeo praedicat [4].

Theodoretus Cyrensis: Potuit quidem Spiritus Sanctus reddere hagiographos facundos, at maluit linguam eorum inspiratione non mutare, sed per hos communes canales limpidissimas aquas doctrinae caelestis effundere. Non ideo Scriptura despicienda, sed potius admirandum, quod Spiritus Sanctus per homines facundorum verborum expertes tam efficaciter divina eloquia propagavit [5].

Secundum *Hieronymum* „singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus", quia omnia sunt divinae originis. Quare vult in versione potius ponere „indecoram in latino sermone sententiam" quam sensum verborum in periculum vocare. Neque se „adeo hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverit aut non divini-

---

[1] *Eus.*, H. E. 6, 25; *M* 20, 583 sq. [2] Supra n. 75.
[3] Supra n. 86. [4] Supra n. 87. [5] Supra n. 82.

tus inspiratum“ [1]. Sed idem de Hieronymo dicendum atque de Chrysostomo: Vult indicare sensui verborum Sacrae Scripturae quam artissime esse inhaerendum. Quid vero de materialibus verbis sentiat, clare manifestat. Pauli locutio est interdum „vitiosa“, habet „soloecismos“, „non potest hyperbaton reddere sententiamque concludere“. Isaias „in sermone suo disertus est, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae“. Ieremias „aliis prophetis videtur esse rusticior . . . simplicitas eloquii de loco ei, in quo natus est, accidit“. Amos habitans in locis desertis, ubi leonum vox auditur, „artis suae usus est sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam rugitum leonum et fremitum nominaret“ [2]. Similia repetit in prolegomenis ad alios prophetas. Ergo non ex influxu Spiritus Sancti, sed ex naturali indole hagiographorum verba et verborum constructiones repetit. Ideo, inquit, apostoli adhibebant interpretes, quia non poterant satis bene graeco sermone explicare „divinorum sensuum maiestatem“ [3].

Unde concludit: „Nec putemus in verbis Scripturarum esse evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.“ „Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quaere sententias.“ Videtur quidem Matthaeus interdum etiam ipsum sensum Scripturae mutare et in rebus errare; „sed absit hoc de pedissequo Christi dicere, cui curae fuit, non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere. . . . Concedant mihi in simplici epistula, quod in Scripturis sanctis, velint nolint, apostolis concessuri sunt. . . . Ex quibus perspicuum est apostolos et evangelistas in interpretatione veterum Scripturarum sensum quaesisse non verba, nec magnopere de ordine sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret“. „Hoc in omnibus paene testimoniis, quae de veteribus libris in Novo assumpta sunt Testamento, observare debemus, quod memoriae crediderint evangelistae vel apostoli et, tantum sensu explicato, saepe ordinem mutaverint, nonnumquam vel detraxerint verba vel addiderint.“ [4] Non difficile est multa alia dicta proferre, quibus Hieronymus non quidem explicite negat verba materialia a Spiritu Sancto esse determinata et suggesta, quibus tamen clare indicat haec verba, ut a sensu distinguuntur, non ex divina, sed ex humana origine esse repetenda et explicanda.

464. *Augustinus* plurimum tribuit influxui divino in hagiographos, et vult evangelistas e. g. putasse sibi omnia eo ordine scribenda esse, quo sibi in memoriam venirent, cum omnia sibi a Spiritu Sancto suggererentur [5]. Qua in re vix quisquam ex recentioribus defensoribus verbalis inspirationis Augustinum sequitur. Aliter autem loquitur Augustinus de verbis, ut a sententiis distinguuntur. Perceperat ab

[1] Supra n. 109. [2] Supra n. 111. [3] Supra n. 112. [4] Ib.
[5] Supra n. 120.

evangelistis non easdem tantum res, sed eadem quoque dicta aliorum non iisdem verbis referri. „Sed nullo modo hinc laborandum esse iudicat, qui prudenter intellegit ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae. . . . Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.“ Hac in re evangelistae egerunt, ut communiter homines agere solent, qui non habent mendacium eandem rem aliis et aliis verbis narrare, quamdiu sensus idem manet. „Quisquis autem dicit evangelistis certe per Spiritus Sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum nec in ordine nec in numero discreparent, non intellegit, quanto amplius evangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam ceterorum hominum vera loquentium securitatem, ut, pluribus eandem rem forte narrantibus, nullo modo quisquam eorum de mendacio recte arguatur, si ab altero ita discrepaverit, ut possit etiam evangelistarum exemplo praecedente defendi. . . . Simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intellegeremus, non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem.“ Ipsi fidei utile est, „ne putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba, quae propter illam sunt dicenda, commendet, cum potius ita res, quae dicenda est, sermonibus, per quos dicenda est, praeferatur, ut istos omnino quaerere non deberemus, si eam sine his nosse possemus“ [1]. Ergo in quantum verba indifferenter se habent ad sensum, Deus ea non intendit. Ex Augustino maxime Franzelin et alii theologi hauserunt doctrinam de distinctione facienda inter sententias et verba Sacrae Scripturae.

Mirum est, quod quidam pro inspiratione verbali provocant ad factum quoddam ecclesiae hipponensis, in qua restitui debuit vox „cucurbitae“ veteris versionis pro voce „hederae“, quam Hieronymus posuerat in nova versione Ionae prophetae (4, 6); quasi ibi non simpliciter ageretur de scandalo pusillorum, qui in Scriptura sua subito aliquid inveniebant, quod numquam ibi legerant. Scribit enim Augustinus ad Hieronymum: „Hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intellegant me nolle tuam ex hebraeo interpretationem in ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem, tamquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverant, quae etiam ab apostolis approbata est. Unde et illud apud Ionam virgultum, si in hebraeo nec hedera est nec cucurbita, sed nescio quid aliud, quod trunco suo nixum, nullis sustentandum adminiculis erigatur, mallem iam in omnibus latinis cucurbitam legi. Non enim frustra hoc puto Septuaginta posuisse, nisi quia et huic simile sciebant.“ [2] Qui haec verba proferunt ut argumentum pro inspiratione verbali, valde modeste sentiunt de iis, quae ad argumentum requirantur.

---

[1] Supra n. 121. [2] *August.*, Epist. 82, 35; *M* 33, 291.

465. Omissis aliis testimoniis haec conclusio videtur merito poni posse: *Non desunt quidem Patrum dicta, quibus, si nude secundum litteram sumuntur, exprimitur inspiratio et dictatio verbalis; si vero cum aliis eorum dictis comparantur, emphatice tantum efferunt omnium verborum formalium, i. e. rerum et sententiarum, inspirationem,* quia SS. Patres saepe verba materialia non ex electione Spiritus Sancti, sed ex electione et indole scriptorum humanorum explicant. Ita etiam *Beda Venerabilis,* secutus Patres, de Isaia et aliis prophetis ait: „In occulto visionum caelestium lucidissimo mentis intuitu cognoscebant arcana, quae foras suis auditoribus palam verbis, quibuscumque vellent, efferrent." Inter sacros scriptores Lucas e. g. in sermone comptior est et magis redolet graecam eloquentiam, quia erat „medicus peritissimus et magis graecas litteras scivit quam hebraeas" [1].

466. Formaliter quaestio de inspiratione verborum materialium primum mota est nono saeculo, quando *Fredegisus* abbas ita sentiebat „de prophetis et apostolis, ut non solum sensum praedicationis et modos vel argumenta dictionum Spiritus Sanctus iis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ore illorum formaverit". Hanc opinionem *Agobardus* reicit ut absurdam et provocat ad auctoritatem Hieronymi, qui contrarium docuerit. „Laus divinae sapientiae in sacris mysteriis et in doctrina Spiritus invenitur, non in adinventionibus verborum." Idem tamen Agobardus, qui tam indubitanter negat verbalem inspirationem, de hagiographis ait: „Nulli umquam homini licuit aut licet cogitare vel unam litteram aliter eos dicere debuisse, quam dixerunt." Unde rursum apparet immerito ex eiusmodi dictis colligi inspirationem verbalem [2].

467. Si iam transimus ad theologos, *veteres Scholastici hanc quaestionem vix leviter tetigerunt.* Ubi autem nihil fere dictum est, de consensu sermo esse nequit. *S. Thomas* neque affirmat neque negat inspirationem verbalem, sed stili diversitatem ex ingenio scriptorum humanorum derivat [3]. Neothomistae volunt quidem S. Thomam fuisse defensorem inspirationis verbalis, non quod eam diserte docuerit, sed quod ex variis eius principiis theologicis et philosophicis fluat. De qua re postea.

Maxime *Henricus Gandavensis* favet inspirationi verbali, cum dicat veritatem scientiae theologicae dependere in tantum „a divinae auctoritatis inspiratione, ut non solum homines conscribentes hanc scientiam per inspirationem conciperent sententias conscribendas sed etiam verborum qualitatem et formam . . . quia prophetia non est talibus verbis et tali modo locutionis scripta, quali utuntur homines

---

[1] Supra n. 145. [2] Supra n. 147. [3] Supra n. 175.

in locutione sua, et quali saeculares litterae sunt compositae. Et vere non erat locutio prophetarum secundum suam vel audientium sed secundum voluntatem Spiritus Sancti, qui loquebatur in illis. Sicut enim in prophetarum potestate non erat semper habere spiritum, semper futura praedicere, ita non erat potestatis eorum, ut, quaecumque vellent, docerent“ [1]. Hoc est, quantum scio, unicum exemplum in tota vetere theologia scholastica sententiae satis aperte docentis inspirationem verbalem. Apud plerosque altum silentium, ut ad summum coniecturis quibusdam locus sit. Loquuntur nonnulli recentes de unanimi consensu veteris Scholae. Sed bonum esset hunc consensum quibusdam exemplis ostendere. Quod quamdiu non fit, nuda assertio ponitur pro argumento, quae tam gratis negatur, quam gratis affirmatur.

Recentiores Scholastici, i. e. qui fuerunt post Concilium Tridentinum, explicite quidem de hac quaestione disseruerunt, sed de consensu eo minus potest esse sermo, quia statim ortae sunt diversae opiniones et disputationes. Postquam Bañez propugnavit inspirationem verbalem, hanc sententiam Thomistae ut probabiliorem defenderunt. Idem senserunt Baius et eius asseclae, idem theologi alii, ut Gregorius de Valentia. Sed sicut iam Bañez testatur adesse aliter sentientes, et eorum sententiam tolerari posse [2], ita numquam defuerunt theologi multi, qui negantem sententiam tuebantur. Quam quidem sententiam Baiani auctoritate ecclesiastica volebant damnari, at desideratum finem non obtinuerunt [3], sed exinde semper sententia negans inspirationem verbalem suos defensores habuit. Immo inter eos, qui docebant verba esse inspirata, quidam hoc ita explicabant, ut potius parti neganti annumerandi sint. Sufficit ad unum Suaresium provocare [4]. Hisce demonstratur defensores inspirationis verbalis non posse pro sua opinione „traditionalem doctrinam“ in auxilium vocare. Traditio nihil docet nisi rem fuisse inter Catholicos controversam. Inde a fine saeculi XVIII sententia negans inspirationem verbalem universaliter fere recepta est [5], usquedum circa finem saeculi XIX affirmans sententia a quibusdam resuscitata, sed plane alio modo explicata est [6].

§ 4. DE RECENTI QUADAM EXPLICATIONE INSPIRATIONIS VERBALIS.

468. *Praeteritis saeculis* qui inspirationem verbalem docebant, aut censebant Deum usum esse hagiographis ad modum instrumentorum mortuorum et usu rationis carentium, aut Deum dictasse per sonos

---

[1] Supra n. 182. [2] Supra n. 278.
[3] *Schneemann,* Controv. de grat. 180 sqq 359.
[4] Supra n. 290. [5] Cf. e. g. supra n. 297 301.
[6] Cf. e. g. supra n. 281.

sensibiles singula verba, quae hagiographi scriberent, aut praeternaturali modo imagines vocabulorum in eorum mente excitasse ita, ut haec tantum vocabula, exclusis aliis, scribere possent. Omnibus his modis haberetur materialis dictatio, i. e. electio, subministratio, determinatio vocabulorum, non per hagiographos facta, sed per Deum. Hagiographus non esset nisi amanuensis, etsi forte amanuensis, qui intellegit ea, quae ipsi dictantur.

Nostra vero aetate coeperunt inspirationem concipere et exponere modo minus mechanico et magis psychologico. Olim dicebant sic: Hic est liber a Deo conscriptus. Atqui liber constat non solis rebus seu veritatibus expressis, sed etiam expressione verbali. Ergo Deus, ut sit auctor libri, censendus est non res tantum scribendas sed etiam verba, quibus exprimerentur, in individuo determinasse. Nunc vero *solent ab inspiratione personali procedere* et dicere: Deus scripsit per homines, quos assumpsit et movit ad scribendum ut instrumenta rationalia et libera. Ut autem per eos scriberet, omnes eorum facultates, quae ad scribendum concurrunt, supernaturaliter elevavit et ad scribendum movit. Porro haec instrumenta a Deo assumpta habebant suam indolem, suas proprietates, suas perfectiones et imperfectiones. Sequitur ex una parte nihil ab inspiratione eximendum esse, quod ad conscriptionem libri pertineat. Sequitur ex altera parte perfectiones et imperfectiones instrumenti apparere in opere scripto. Nam *elevatio,* quae habetur in inspiratione, confert solum lumen ad recte iudicandum de scribendis[1]; et *motio* inspirativa eo tendit, ut recte iudicata apte scribantur. Ergo inspiratio non efficit, ut homo imperitus sermonis fiat peritus, ut homo a naturali severitate ad hilaritatem traducatur, ut homo siccus evadat poëta, brevi ut dispositiones intellectus, voluntatis, imaginationis in alias mutentur. Manent omnia, qualia sunt, sed ita subsunt actioni divinae, ut a Deo causa principali et ab homine causa instrumentali producatur scriptum, quod Deus vult et quale vult. Voluitne ergo Deus defectus litterarios? Distinguendum est. Eos certe non per se intendit, sed eligens instrumentum defectivum praevidit defectus futuros et permisit, seu, ut alii dicunt, per accidens eos voluit. Quia voluit Deus ad homines per homines humano modo loqui, ut sic condescenderet ad homines, voluit modum scribendi et scripta, quibuscum varii defectus litterarii naturaliter nectuntur. Hi igitur defectus reducendi sunt ad defectibilitatem causarum secundarum, quas Deus ad scribendum elegit et movit, non vero ad Deum, nisi ut ad causam per accidens, quatenus eos praevidit neque impedivit.

Itaque *secundum hanc sententiam Deus totum hominem, in quantum est instrumentum ad scribendum, ita supernaturaliter elevavit et movit, ut hic determinatus liber cum omnibus suis perfectionibus et imperfec-*

[1] Cf. supra n. 414 sqq.

tionibus oriretur; et quia in hac elevatione et motione consistit inspiratio, eodem modo omnia inspirata dicenda sunt, quo a scriptore supernaturaliter elevato et moto prodierunt. Neque igitur dicenda sunt dogmatica inspirata, historica non inspirata; sententiae inspiratae, verba non inspirata, vel alia huiusmodi, sed, quaecumque ab hagiographo scripta sunt, ab eo ut supernaturaliter elevato et moto scripta sunt; ergo inspirata sunt. Omnis mechanica divisio pugnat cum intima illa penetratione, quae est inter actionem instrumenti et causae principalis, inter hominem virtute supernaturali instructum et agentem et Deum elevantem et moventem. Totum opus est a Deo, totum est ab homine, neutro separatim operante, sed ambobus simul effectum producentibus. Sic sine materiali dictatione non res tantum sed etiam verba a Deo inspirata sunt et Deum auctorem habent.

469. Quid de hac doctrina sentiendum? Imprimis *inspiratio verbalis sic exposita non est confundenda cum illa materiali dictatione verborum, quae olim a multis statuebatur.* Consequenter neque defensores veteres inspirationis verbalis indiscriminatim ut patroni recentis huius expositionis invocandi, neque eorum adversarii ut desertores „doctrinae traditionalis" carpendi sunt. Inspiratio verbalis, quam Marchini, Franzelin, multi alii impugnarunt, numquam universaliter recepta fuit et iure reiecta est. Hoc quidam ex recentioribus defensoribus inspirationis verbalis ingenue agnoscunt; alii vero iis declamationibus utuntur, quae potius aut partium studium aut ignorantiam manifestant, quam vera argumenta et solidas refutationes exhibent. Nihil igitur detrahentes merito, quod priores theologi acquisiverunt, falsam inspirationem verbalem impugnantes, dicamus alio modo totam rem concipiendam et exponendam esse.

Porro *nova haec explicatio, ut ad „quaestionem biblicam" elucidandam omnino utilis esse possit, non est commiscenda cum aliis quaestionibus disputatis, quibus magis obscuratur quam declaratur.* Cum enim Catholici omnes concedant Deum posse movere homines non solum extrinsecus, sed etiam intrinsecus, non solum moraliter, sed etiam physice, non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter, supervacaneum, immo nocivum est in quaestionem biblicam ingerere theoriam quamcumque philosophicam, quae ab aliis Catholicis statuitur, ab aliis reicitur. Sic theoria praedeterminationis physicae, etsi aliis videtur maxime philosophica, aliis tamen, iisque multo pluribus, videtur plane aliena a sana philosophia. Unde si qui novam explicationem inspirationis verbalis statuunt ut inseparabiliter nexam cum praedeterminatione physica, plurimi statim concludent: Haec theoria admitti nequit, ergo neque illa. Ut igitur ad consensum veniri possit de illa quaestione biblica, omnes theoriae alicui scholae exclusive propriae non intrudendae, sed arcendae sunt. Sine dubio inter eos, qui inspirationem verbalem secundum novum modum admittunt, plures

sunt, qui non sunt huic vel illi scholae addicti; id quod signum est quaestionem hanc tractari posse independenter a certarum scholarum placitis[1].

470. Seposita igitur omni quaestione disputata huc non pertinente, pariter *omittenda sunt quaedam argumenta, quae valebant fortasse pro inspiratione verbali, prout olim intellegebatur, non vero valent pro recenti explicatione.* Olim Scriptura a multis habebatur strictissimo sensu verbum divinum scriptum, quasi in ea omnia et singula essent affirmationes Dei, ab ipso hominibus scripto propositae, ut ab iis sine ulteriore inquisitione fide divina admitterentur. In Scriptura secundum hanc sententiam habetur doctrina astronomica, botanica, zoologica non minus divina quam doctrina salutis. Singulae sententiae sunt totidem theses revelatae, singulae assumi possunt ut argumentum efficax ad probandum id, quod enuntiant et quomodo enuntiant. Divinitate Scripturae sic intellecta, facilis utique gressus erat ad inspirationem verbalem, quia, negata divinitate verborum, liber non iam eo rigore divinus est, quo illi censebant. Sed quia aliis hic rigor videbatur nimius, recesserunt a conceptu Scripturae tam severe divinae; et primum quidem quoad verba, dein etiam quod res ipsas humanis scriptoribus suas partes tribuerunt. Iamvero *etsi ex eo, quod liber aliquis sensu maxime presso habetur divinus, recte colligitur inspiratio verbalis, tamen, conceptu hoc relaxato, non iam simpliciter valet conclusio: liber hic est origine divinus, ergo etiam verba eius a Deo sunt determinata.* Nam divinus ratione originis liber dici potest multis modis. Deus potuit alicui prophetae revelare scribenda et eum efficaciter movere, ut res revelatas talibus verbis conscriberet. Potuit Ieremiam movere, ut revelationes olim factas scribendas dictaret Baruch. Potuit Paulum movere, ut alteri indicaret, quae scribenda essent ad Hebraeos, et ei relinqueret, quomodo has sententias graece exprimeret. Brevi, Deus decretum scripto consignandi, quae homines

[1] Multi Molinistae tenuerunt inspirationem verbalem (e. g. Gregorius de Valentia et Bellarminus), multi Thomistae concesserunt contrariam doctrinam esse probabilem. *Gotti* ait: „Secundo autem modo scribit Deus, suis amanuensibus sacris dictando vel verba vel saltem sensum. Hoc modo scripsit totam Scripturam veterem legis et prophetarum. . . . Ita in Novo Testamento per evangelistas scripsit evangelia, per apostolos canonicas epistulas“ (Theol. scholastico-dogmatica I, tract. 1, q. 3, dub. 2, § 1, n. 3). *De Groot* ait: „Inspirationem ad omnes et singulas res et sententias extendi pro certo affirmandum est.“ Inspirationem verbalem statuit pro quibusdam locis; num extendatur ad omnia et singula verba, aliorum iudicio relinquit (Summa apologet.[2], Ratisbonae 1892, 596 626 sq). Generatim veteres Thomistae inspirationem verbalem ut probabiliorem tantum defendebant. Sed recentes quidam omne malum hac in re ex Molinismo ortum esse volunt. Quae declamationes inanes et insignem ignorantiam veri sensus theoriae molinisticae produnt et cum historia pugnant. Satius est eiusmodi disputationes hic non movere, sed quaestionem subiectam sine ira et studio secundum propriam suam vim et dignitatem argumentando absolvere.

docere volebat, potuit exsequi modis valde diversis, de quibus ex notione libri sensu latiore, etsi vero, divini nihil concludi potest. Unde ex sola notione libri divini, seu ex notione Dei inspiratoris et scriptoris libri non iam valide infertur inspiratio verbalis, quam primum severa illa notio libri divini deseritur, et alia laxior substituitur. In hac re, nisi fallor, distinguendum est etiam nostra aetate inter varios defensores inspirationis verbalis, quia alii eam propugnant ad theoriam inspirationis constringendam, alii ad eam relaxandam. Hic valet illud: Si duo faciunt vel dicunt idem, non est idem. Unde aliis defensoribus inspirationis verbalis respondendum est: Nego suppositum, Scripturam esse eo modo librum divinum, quo vos putatis. Aliis vero dicendum est: Nego suppositum, ex notione libri latiore sensu divini derivari posse inspirationem verbalem.

471. *Neque ultra modum premendum est argumentum ex notione causae instrumentalis.* Sacros scriptores fuisse instrumenta Dei in conficienda Scriptura est doctrina traditionis [1]. Unde concludunt: Instrumentum nihil operatur nisi ex influxu causae principalis. Atqui hagiographi in scribendo fuerunt causae instrumentales. Ergo quidquid scripserunt, sive res sive verba, scripserunt ex influxu divino inspirativo. Attamen attendendum est, quae sit efficacia talis syllogismi. Certe non est vis eius, ut a priori Deo praescribi possit, quantum extendere debeat influxum suum, si omnino inspirare velit hominem ad scribendum librum; sed eatenus tantum valet illud ratiocinium, in quantum ex traditione, i. e. tandem aliquando ex revelatione divina, constat Deum voluisse facere sacros scriptores instrumenta sua non solum quoad veritates omnes communicandas, sed etiam quoad ipsa verba materialia. De hac autem re disputatur. Est enim homo, etsi realiter unus, tamen virtualiter multiplex; ergo qui eo utitur ut instrumento, potest eo uti secundum unam virtutem, et non secundum alteram. Ideo potest alter alterum inspirare et movere ad scribendum multipliciter. Idem valet de Deo, qui, si intellectum et voluntatem hominis movet, etiam physice, ad determinatas res scribendas, relinquens ei electionem verborum materialium, in quantum sunt indifferentia ad res apte exprimendas, vere est inspirator et principalis scriptor libri non minus, immo magis quam homo, qui eodem modo ageret, quia Deus intrinsecus movet intellectum et voluntatem scriptoris, cum homo solum possit extrinsecus in alterum agere. Si in intellectu et voluntate hominis totus motus ad has vel illas determinatas veritates litteris consignandas est a charismatico Dei influxu, negari nequit hominem esse instrumentum Dei, quamquam Deus non in individuo verba materialia determinat. Et si respondes: tunc homo saltem in eligendis verbis non est instrumen-

[1] Cf. supra n. 37 38 39 40 109 117 169 etc.

tum Dei, et fit vivisectio, respondetur: hoc est id ipsum, quod volunt adversarii inspirationis verbalis, verba materialia non esse a charismatico Dei influxu, sed ex ratione humana cum ordinario concursu et cum assistentia divina, qua caventur errata in expressione verbali; et si haec vocatur vivisectio, vocetur ita, dummodo haec appellatio ne proponatur ut argumentum, quo probetur inspiratio verbalis.

472. *Dices:* Deus non dat charismaticam illustrationem et motionem ad hoc, ut hagiographus in se recte concipiat certas veritates, sed ut eas scribat. Atqui veritates scribi nequeunt sine determinatis verbis. Ergo divina illustratio et motio respicit etiam determinata verba.

Respondetur: Charisma inspirationis datur ad hoc, ut scribantur determinatae veritates, *concedo;* datur ad hoc, ut scribantur determinata vocabula, *peto probationem.* Eaedem veritates aliis et aliis verbis exprimi possunt; si vero interdum certae veritates certis verbis sunt inseparabiliter annexae, hoc est per accidens, et tunc potest concedi aliquo modo etiam verba esse inspirata. Ergo illi, qui negant inspirationem verbalem, dicunt Deum contulisse hagiographis efficaciam supernaturalem, qua determinaretur actus scribendi tum quoad exercitium tum quoad specificationem rerum scribendarum, non vero in omnibus quoad specificationem verborum, sed quoad haec Deum assistentia sua id tantum cavisse, ne quid non apte exprimeretur. Sic manet Deus inspirator et auctor Sacrae Scripturae, hagiographi manent instrumenta, neque tamen habetur inspiratio verbalis, sed solae res et sententiae sunt immediatus effectus virtutis efficientis Dei. Neque igitur in hac sententia negatur inspirationem biblicam consistere in supernaturali efficacia a Deo hagiographis infusa, neque tamen conceditur omnia in opere ab hagiographis confecto necessario derivari ex hoc charismatico influxu divino, cum Deus potuerit extendere hunc influxum, quousque ei placebat. Deus, ut esset auctor Scripturae, non debuit extendere hunc influxum ad materialem scriptionem [1]; neque characteres plus vel minus belle formati ab hoc influxu derivandi sunt, et tamen manserunt scriptores instrumenta, etsi non in formandis characteribus. Similiter nullo principio philosophico cogitur Deus ad extendendum influxum charismaticum ad verba materialia, et tamen scriptores manent instrumenta Dei, etsi non quoad dictiones et constructiones. Quapropter non absurda est sententia, quae docet Deum in condenda Scriptura esse causam principalem, hagiographum vero causam instrumentalem, et tamen verba et stilum non processisse a Dei charismatico influxu, sed ab hagiographo cum ordinario concursu et speciali assistentia divina, quia neque probatum est neque probari potest Scripturam sic fieri non potuisse aut sic factam non esse. Neque igitur convenit sententiam eorum, qui negant inspira-

[1] Supra n. 424.

tionem verbalem (inter quos fuerunt magni theologi), absurditatis accusare et iniuriosis dictis traducere. Potius pacate, et ut theologum decet, quaestio haec, quam auctoritas ecclesiastica adhuc liberae disputationi reliquit, ita solvenda est, ut solutio non omnibus necessario amplectenda obtrudatur, sed cuivis aliter sentiendi venia concedatur.

§ 5. QUID SECUNDUM EXPLICATIONEM INSPIRATIONIS ANTEA DATAM DE INFLUXU DEI IN VERBA MATERIALIA SACRAE SCRIPTURAE CENSENDUM SIT.

473. Inspiratio secundum explicationem antea propositam consistit imprimis in lumine quodam charismatico, a Deo mentibus hagiographorum infuso, quo hi illuminantur circa res scribendas [1]. Sicut autem homo, qui modo plane naturali librum componit, cum primum ideam libri vel sententiae hic et nunc scribendae perfectam in mente habet, eo ipso aliqua ratione etiam determinatus est ad certa verba adhibenda, ita *idea in mente hagiographi supernaturaliter producta non potest esse sine ulla efficacia circa determinationem verborum materialium.* Nam res vel sententia in individuo determinata non potest quibuscumque verbis exprimi. Ergo natura rei dicendae intra certos limites includit delectum verborum. Qui vult de aqua et igni scribere, debet nominibus aquae et ignis uti, non vero nominibus arboris et lapidis. Artius etiam circumscribitur libertas eligendi verba, si res non quomodolibet, sed *apte* exprimenda est, quia, licet saepe synonyma et constructionum varietates praesto sint ad sententiam aliquam exprimendam, non tamen indiscriminatim omnia aequalem aptitudinem habent ad cogitationes certas repraesentandas. Alia vocabula et dicendi modi conveniunt historico, alia philosopho, alia poetae, alia oratori. Ergo Deus inspirans homines ad scribenda poemata sacra, historiam, orationes, epistulas, et ad hunc finem adiuvans homines lumine infuso, ut forment correspondentia iudicia, eo ipso etiam in determinationem verborum aliquam efficaciam exercet.

Sed *haec efficacia non est exaggeranda.* Quidam ita argumentantur: Quidquid aliquis clare concepit, hoc clare exprimit. Atqui Deus lumine supernaturali hagiographos iuvat ad clare concipienda ea, quae scribenda sunt. Ergo etiam iuvat ad ea clare scribenda. Quam ratiocinationem non semper cum factis convenire iam inde probatur, quod loci non pauci Sacrae Scripturae valde obscuri sunt. *S. Hieronymus* de verbis Col 2, 18 19 scribit:

„Illud, quod diximus: ‚Etsi imperitus sermone, non tamen scientia' (2 Cor 11, 6), nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiae veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos et reconditos sensus lingua non explicat. Et cum ipse sentiat, quid loquatur, in alienas aures puro non potest trans-

[1] Supra n. 417.

ferre sermone. Quem cum in vernacula lingua habeat disertissimum (quippe Hebraeus ex Hebraeis et eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctissimi), se ipsum interpretari cupiens, involvitur . . . Conabimur itaque παραφραστικῶς sensus evolvere [verborum Col 2, 18 19] et tricas implicati eloquii suo ordine reddere atque iuncturae, ut simplici stamine verborum fila decurrant, puroque sub tegmine apostolici sermonis textura succrescat." [1]

Sine dubio etiam viri habentes claros conceptus interdum in eloquendo laborant, idque tum praecipue, cum aliena lingua utendum est. Claritas conceptus praerequiritur quidem ad perspicuitatem sermonis et generatim in sermone manifestatur. Unde licet etiam lumini supernaturali aliquam efficaciam quoad ipsa verba adscribere; sed videndum est paulo magis in specie, quae sit haec efficacia.

474. *Lumine supernaturali, quo illustratur hagiographus de singulis rebus scribendis, non determinantur in individuo vocabula neque constructiones sententiarum.* Si e. g. hagiographus noverat plures linguas, lumen inspirativum non determinabat, qua lingua uteretur, sed hoc ab eius electione pendebat. Saepe fortasse scriptor unam tantum linguam noverat, vel ii, pro quibus scribebat, unam tantum linguam callebant. Sic determinata erat lingua, qua scriberetur liber, non tamen vi luminis supernaturalis, sed per circumstantias externas. Deus quidem eligens scriptorem in talibus condicionibus, volebat etiam illa determinata lingua librum esse scribendum, et dabat correspondentem concursum; neque tamen hoc pertinet ad essentiam inspirationis, non magis quam ipsa vita scriptoris et eius naturalis conservatio vel suppeditatio chartae et atramenti et aliorum, quae necessaria sunt ad scribendum. Multa enim in concreto requiruntur, ut liber quicumque et etiam liber inspiratus fiat, quae nequaquam ex inspiratione derivanda sunt, quamvis sine divino auxilio exsistere nequeant. Ea tantum pertinent ad inspirationem, quae postulant charismaticum Dei influxum. Ergo non electio linguae, qua liber scriptus est, quia haec electio non ex charismate provenit, sed aliunde. Olim quidem non deerant, qui linguam hebraeam ab ipso Deo formatam et ad sacros libros scribendos specialiter destinatam esse vellent; at de hac opinione nostra aetate disputare supervacaneum est.

Supponamus scriptorem, cuius lingua hoc vel illo modo determinata erat. Hunc Deus eligebat ad scribendum librum historicum, v. g. primum librum Paralipomenon. Deus volebat, ut in hoc libro describerentur genealogiae (c. 1 sqq). Instigabat igitur scriptorem, ut in veteribus documentis has genealogias perquireret et in librum suum referret. Eo ipso determinata erant vocabula scribenda, scilicet nomina, prout in documentis exstabant. Nihilominus haec determinatio nominum non est formaliter ad charisma inspirationis referenda, sed haec

[1] *Hieronymi* Ep. 121, c. 10; *M* 22, 1029 sq.

nomina erant obiective determinata et materiam tantum inspirationis in his concretis condicionibus constituebant. Simili modo *saepe Deus intendebat sine dubio determinata verba materialia, neque tamen ad hoc necesse erat ab ipso charismatice in hagiographis excitari imagines verborum, sed sufficiebat eos lumine supernaturali ita dirigere, ut certas res conscriberent.* Admittere licet e. g. multa dicta libri proverbiorum in populo iudaico pervulgata fuisse, et postea demum aliquem vel aliquos a Deo inspiratos esse ad ea in librum colligenda. In hoc casu non sola materia sed etiam forma iam aderat, et inspiratio eo tantum valebat, ut collectio fieret. Simile quid habemus, si ex intentione Dei dicta alicuius de verbo ad verbum libro sacro inserenda erant. Potest igitur in his casibus vero quodam sensu dici verba ipsa materialia esse inspirata, quatenus Deus voluit et effecit, ut scriberentur, non vero eo sensu, quasi verborum formatio ad supernaturalem Dei influxum reducenda esset, neque hoc sensu, quasi nullus liber posset esse inspiratus, cuius verba non essent tali ratione determinata. Consequenter neque in his casibus modus loquendi formaliter inspiratione determinatus est.

475. *Voluit etiam Deus, ut scriberentur libri prosaici, libri poetici, libri prophetici, dialogi, epistulae.* Numquid inspiratio contulit scriptoribus artem historicam, poeticam, epistularem, numquid prophetis contulit stilum vaticiniis convenientem? Sane Deus potest quemvis hominem ad quodvis opus litterarium eligere eumque ex inepto aptum reddere. Solet tamen communiter instrumentis rationalibus secundum eorum naturalem aptitudinem uti. Si voluit, ut ad praecepta artis poeticae elegans carmen componeretur, elegit virum ingenii poetici. Si voluit per prophetam annuntiare laeta, elegit virum hilaris indolis; contra austerum ad annuntianda tristia. Neque igitur ingenium poeticum Davidis neque differentia inter Isaiam et Ieremiam quoad concipiendi et eloquendi modum inde derivanda sunt, quod Deus inspiratione fecit David poetam, Isaiam alacrem, Ieremiam austerum prophetam; sed Deus hos viros elegit et eorum naturales proprietates inspiratione elevavit et movit, ut hac ratione fierent libri, quales voluit. Unde quia libri prodierunt ex eorum facultatibus elevatis, etiam ex inspiratione prodierunt. Sed sicut theologi docent, actus salutares procedere secundum vitalitatem ex facultatibus hominum, secundum supernaturalitatem ex gratiae adiutorio, ita actus et opera hagiographorum processisse dicenda sunt partim ex eorum ingenio, partim ex inspiratione, non partialitate effectus, sed partialitate causalitatis. Sicut autem recte dicitur vitalitas non esse a gratia neque supernaturalitas a facultatibus humanis, ita non minus recte negatur specialem modum concipiendi et eloquendi esse ex inspiratione, quam divinitatem et auctoritatem Scripturae esse ex humano ingenio auctorum. Etsi tota Scriptura est et a Deo et ab hagiographis, tamen secundum alium

respectum est liber inspiratus, secundum alium respectum ex ingenio et libera electione scriptorum humanorum processit.

476. Potest ita quoque distingui: *Omnia in Scriptura sunt specifice inspirata, i. e. omnia processerunt ex facultatibus elevatis scriptorum; sed non omnia sunt reduplicative inspirata, i. e. non omnia secundum suam formalem rationem ex inspiratione explicanda sunt.* Paulus non peccavit contra grammaticam, quia erat inspiratus; sed ea, quae non secundum grammaticam scripsit, inspirata sunt. Modus igitur concipiendi et exprimendi res humanus est, sed ea, quae humano modo expressa sunt, a Deo descenderunt et sunt sensa Dei cum hominibus communicata. Hoc est, quod theologi solebant significare illa distinctione: Sententiae sunt inspiratae, verba non sunt inspirata. Doctrina, quam hac distinctione proponebant, vera est, licet concedatur modum loquendi fortasse non esse optimum, cum urgeri possit hagiographos non scripsisse quidquam, neque sententias neque verba, nisi ut inspiratos et sub influxu inspirationis. Itaque dicantur *omnia inspirata,* si ita placet, sed addatur *non omnia eodem modo esse a Deo intenta, neque omnia vi inspirationis in individuo determinata.* Deus, quando illuminat et movet hagiographum ad scribendum, quasdam veritates seu quaedam iudicia divina cum hominibus communicare vult; nam ad iudicia communicanda omnis locutio instituitur. Hoc igitur omnis loquens per se vult. Si vero varii modi apti iudiciorum exprimendorum sunt, necessario quidem unus ex illis adhibendus est; sed prae principali intentione loquentis omnes modi apti indifferenter se habent, ideoque non per se intenduntur, sed per accidens. Similiter homo sub inspirationis influxu volens scripto loqui aliis, adhibet certum modum elocutionis, sed ad hunc modum elocutionis vi inspirationis et ex principali intentione Dei non est determinatus, si alii quoque modi apti praesto sunt. Potest quidem aliquis rem ita concipere, ut censeat Deum etiam determinare hominem ad verba materialia, et potest sequi systema philosophicum, quo talis determinatio postulatur, sed tunc fateri debet id non colligi ex inspirationis natura, sed ex suo peculiari modo eam concipiendi vel ex suo peculiari systemate philosophico. Hic autem quaeritur, quid inspirationis conceptus postulet.

477. Sit igitur haec conclusio: *Etsi psychologice fieri nequit, quin ipsum iudicium de rebus scribendis, a scriptore charismatice ad scribendum illuminato et moto formatum, in ipsam materialem elocutionem influat, nullo tamen solido argumento probari potest omnia et singula verba materialia Scripturae esse charismatice a Deo in individuo determinata; immo sunt rationes, quae suadeant hoc non ita esse factum.* Iamvero si individua verborum determinatio facta non est positivo et supernaturali Dei influxu, requiritur *assistentia divina,* qua cavetur, ne hagiographi verbis non aptis exprimant sententias scribendas. Verba

autem non apta intelleguntur ea, quibus sensus exprimendus revera non exprimitur. Quod si fieret, illud dictum non iam esset dictum Dei, ne secundum sensum quidem, quia verus sensus verbis ineptis non enuntiatur. Immo nisi quis statuit, quod probare nequit, scilicet influxu inspirativo adimi scriptori naturalem potentiam suo marte scribendi, debet concedere etiam ad ipsas res scribendas assistentiam divinam extendi debere. Nam si hagiographus quaedam scripsit ex inspiratione, non eo ipso impeditur, quominus aliqua addat de suis, cum inspiratio non sit motio diu noctuque non cessans nec sinens hominem nisi scribere, dum totus liber usque ad ultimam litteram sit finitus; sed inspiratio habet sua intervalla, abscedit, redit. Quibus in intervallis posset hagiographus aliqua scripto adiungere secundum suum sensum et suam voluntatem, maxime si conscientiam inspirationis non habet, quando adest[1]. Hoc igitur ne fiat, Deus assistentia sua impedire debet, non quia a priori statuere possumus Deum non posse umquam permittere, ut cum inspiratis dicta humana, praecipue vera, misceantur, sed quia ex revelatione constat totam Scripturam cum omnibus suis partibus esse verbum Dei scriptum, id quod verum non esset, si partim contineret verba Dei, partim verba hominum. Ergo etiam ob hanc rationem assistentia divina necessaria est ad conficiendam Scripturam[2]. Unde patet Deum ad Scripturam, prout nunc exstat, condendam multa contulisse: Illuminationem intellectus, motionem voluntatis, assistentiam, revelationem de facto inspirationis, actum, quo ecclesiae Scripturam ut fontem doctrinae et regulam fidei tradidit. Quae omnia si quis vult uno nomine inspirationem vocare, potest hanc appellationem defendere ut denominationem a potiori[3]. Sed si elementa varia inter se distinguenda sunt, inspiratio consistit in positivo Dei influxu, assistentia autem per se dicit aliquid negativum, i. e. exclusionem omnium eorum, quibus Scriptura saltem ex parte privaretur dignitate verbi divini seu libri inspirati. Inspiratio refertur ad ea, quae Deus per se intendit hominibus proponenda, assistentia refertur ad excludenda ea, quae cum primario intentis pugnant, ut sunt verba inepta ad sententias divinas recte exprimendas. Quodsi Deus vidit hagiographos sibi relictos recta verba non esse electuros, positivo influxu verba ipse determinavit. Sed hoc in omnibus et singulis factum esse et ad essentiam inspirationis pertinere negamus. Unde satis explicatum est, quo sensu recte dici possit verba materialia esse inspirata, et quo sensu recte dici possit res tantum esse inspiratas, verba materialia non semper in individuo esse inspirata, sed sub sola Dei assistentia scripta.

478. *Dices:* In Scriptura non solum multa verba non sunt per se a Deo intenta, sed etiam multae in ea sententiae inveniuntur, quae

[1] Cf. supra n. 420. [2] Cf. supra n. 425. [3] Cf. supra n. 302.

non per se intentae sunt, sed solum propter alia, neque proprie sunt sensa Dei, ut e. g. similitudines et comparationes, quae ex scientia naturali transumptae falsis notionibus physicis nituntur. Unde si verba dicenda sunt non inspirata, quatenus indifferenter se habent ad ea, quae per se intenta sunt, ob eandem rationem multae sententiae dicendae sunt non inspiratae, quia aliae similitudines vel comparationes aeque bonae vel fortasse meliores fuissent ad exponenda ea, quae per se intenta sunt.

Respondeo: Etsi theologi distinguunt inter res vel sententias et verba, hi termini, quibus brevitatis gratia utuntur, non tam crasse et materialiter accipiendi sunt, quam in obiectione supponitur. Sensus huius distinctionis potius est: quaedam in Scriptura esse, quae per se respondeant illi fini, ob quem Deus Scripturam condidit, i. e. veritates cum hominibus communicandas; quaedam vero pertinere ad vestitum litterarium, qui saepe alius et alius esse potest, intacta manente veritate, quae proponenda est. Itaque distinctio inter res vel sententias et verba est eadem atque distinctio inter sensa, quae auctor cum aliis communicare vult, et vestitum litterarium, quatenus indifferenter se habet ad haec sensa. Applicatio autem huius distinctionis est valde diversa, prout refertur ad poemata, historiam, instructiones morales, vaticinia, epistulas. Unde generali regula definiri nequit hoc accensendum esse verbis, illud vero rebus et sententiis, sed secundum finem et indolem singulorum librorum vel scriptorum hoc diiudicandum erit. Nam si e. g. Deus vult conscribi carmen liturgicum, ipsa forma poetica est a Deo per se intenta, sed ea individua vocabula et constructiones, quae aequaliter apta sunt ad tale carmen, non sunt per se intenta, ideoque non necessario a Deo supernaturali influxu determinanda. Res gestae narrari possunt variis modis, ut in evangeliis eadem dicta et facta Christi non iisdem verbis narrantur[1]. Ergo totus modus narrandi, quatenus eo res narrandae non mutantur, accensendus est verbis materialibus. Ceterum hic tangitur una ex gravissimis et difficillimis quaestionibus biblicis, quae nostra aetate agitantur, quo sensu singula, quae in Scriptura leguntur, a Deo affirmata esse dicenda sint, de qua quaestione in sequenti capite agemus.

479. ***Schol.*** **Sententia S. Augustini de speciali maiestate eloquentiae biblicae.**

S. Augustinus, quamquam monet in Scriptura verba non esse magni facienda, si comparentur cum rebus[2], invenit tamen in Scriptura eloquentiam quandam singularem praeter eam, quam sacri scriptores cum aliis communem habent.

---

[1] Cf. supra n. 121. [2] Ib.

„Hic aliquis forsitan quaerit, utrum auctores nostri, quorum scripta divinitus inspirata canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, sapientes tantummodo an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quae quidem quaestio apud me ipsum et apud eos, qui mecum quod dico sentiunt, facillime solvitur. Nam ubi eos intellego, non solum nihil iis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere omnes, qui recte intellegunt, quod illi loquuntur, simul intellegere non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quaedam eloquentia, quae magis aetatem iuvenilem decet, est, quae senilem, nec iam dicenda est eloquentia, si personae non congruat eloquentis, ita est quaedam, quae viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia nec alios ipsa; ipsis enim congruit, alios autem, quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate sed soliditate transcendit. Ubi vero eos non intellego, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est, ubi intellego. Ipsa quoque obscuritas divinorum salubriumque dictorum tali eloquentiae miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus non solum inventione verum etiam exercitatione deberet."

Postquam dein variis exemplis ostendit ne saecularem quidem eloquentiam deesse in sacris litteris, ita pergit: „Neque enim haec humana industria composita, sed divina mente sunt fusa et sapienter et eloquenter, non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia. Si enim, sicut quidam disertissimi atque acutissimi viri videre ac dicere potuerunt, ea, quae velut oratoria arte discuntur, non observarentur et notarentur et in hanc doctrinam non redigerentur, nisi prius in oratorum invenirentur ingeniis, quid mirum, si et in istis inveniuntur, quos ille misit, qui facit ingenia? Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes, canonicos nostros auctores doctoresque fateamur, tali eloquentia, qualis personis eiusmodi congruebat." [1] Alibi haec addit: Scriptura „sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat" [2].

Haec Augustini sententia de speciali eloquentia Sacrae Scripturae recepta est a quibusdam theologis scholasticis; maxime vero veteres theologi protestantes ea usi sunt ad probandam divinam Scripturae originem, cum talis stilus non possit venire nisi a Spiritu Sancto [3]. Hoc argumentum nostra aetate vix quisquam repetet, quia *nihil in Scriptura ostendi potest, quod ratione elocutionis tam divinum sit, ut nullus homo suis naturalibus viribus relictus tantam eloquentiam habere possit.* Neque haec est S. Augustini mens, qui supposita Scripturae inspiratione id solum effert modum loquendi biblicum esse eum, qui deceat scriptores inspiratos. Neque quisquam, qui diligenter legerit Scripturam, negabit multis eius partibus singularem inesse vim et pulchritudinem poeticam, rhetoricam, stilisticam; id quod saepius viri litterati, ceteroqui non nimis faventes religioni revelatae, agnoverunt.

[1] *August.*, De doctr. christ. l. 4, c. 6, n. 9; c. 7, n. 21; *M* 34, 92 sqq.
[2] De Gen. ad lit. l. 5, c. 3, n. 6; *M* 34, 323.
[3] Cf. supra n. 227 sqq 265 etc.

Licet igitur, cui ita placet, hanc specialem eloquentiam ex inspiratione (sive ad scribendum, sive ex alia praevia) derivare, modo ne statuat hoc esse elementum essentiale inspirationis biblicae. Nam sunt etiam in Scriptura partes, in quibus nulla singularis eloquentia apparet, ut multae partes librorum historicorum, immo nonnulli psalmi. Dein maiestas Scripturae persaepe descendit non tam ex elocutione quam ex rebus ipsis, de quibus sermo est, quarum rerum altitudo eo magis elucescit, quod omnis verborum ornatus deest. Ita oratio dominica excellit singulari pulchritudine, etsi in ea nulla inest eloquentia, qualem communiter intellegimus, et qualis apparet in multis psalmis et prophetarum orationibus. Alia explicantur ex naturali ingenio et religiosa commotione scriptorum inter se tam diversorum. Neque haec religiosa commotio necessario charismatica est, sed ex communibus gratiis externis et internis sufficienter explicatur; unde Deus, etsi voluit varietatem loquendi in Scriptura exsistere, qua libri sacri usibus maxime variis servire possent, potuit finem attingere eligendo tales homines in talibus circumstantiis, non vero opus fuit semper via charismatica variam Scripturae eloquentiam producere. Sed quia in concreto plerumque impossibile est discernere, quid in verbis materialibus Scripturae charismati, quid aliis causis debeatur, liberum cuivis est plus dare causae increatae aut plus causis creatis, ita tamen ut divinam stili biblici rationem non eo modo exaggeret, ut irridendi Scripturam occasionem praebeat, quemadmodum nonnulli theologi protestantes praeteritis saeculis fecerunt. Neque eximia eloquentia tribuenda est omnibus et singulis Scripturae locis, sed potius toti Scripturae, quae ita comparata est, ut et simplicibus et ingeniosis convenientia alimenta spiritualia praebeat. Praeterea conandum est, ut modus loquendi singulis scriptoribus sacris proprius ex circumstantiis personae, temporis, aliis, ad quas iuxta regulas hermeneuticas attendendum est, explicetur, non vero ex speciali influxu divino, nisi sit necessarium; charismati vero inspirationis praecipue tribuenda est perfecta illa ab errore immunitas et absoluta in docendo auctoritas, quam Scripturae convenire iam ostendere propositum est.

CAPUT IV.

DE INERRANTIA SACRAE SCRIPTURAE.

ART. I.

SACRA SCRIPTURA IMMUNIS EST AB ERRORIBUS.

480. *Inerrantia sacrorum librorum intellegitur ea proprietas, qua fit, ut, quaecumque in Scriptura docentur, ob hoc ipsum vera sint et errorem omnem prorsus excludant.* Possunt etiam libri pure naturaliter conscripti de facto esse sine errore; sed libri sacri immunes sunt ab

errore vi originis suae, ut valeat argumentum: in libris sacris haec docentur; ergo vera sunt. Est igitur inerrantia infallibilitatis, quae nititur hoc principio, quod dicta Scripturae sunt dicta Dei: Deus ita dixit; ergo ita est, quia Deum in dicendo falli aut fallere ex natura rei repugnat.

De Scriptura praeter ipsum factum inspirationis ecclesia nihil tam constanter et tam universaliter docuit quam immunitatem ab errore. Qui dicit in Scriptura doceri errores in rebus fidei et morum, est haereticus; qui errores Scripturae restringit ad alias res praeter fidem et mores, saltem non multum abest ab haeresi. Haec quidem valent per se de primigeniis libris sacris, prout prodierunt e manibus hagiographorum, de apographis autem et versionibus, in quantum sunt conformia primigeniis exemplaribus; sed vulgatam latinam versionem esse sine erroribus in fide et moribus et esse substantialiter authenticam ob definitionem ecclesiae tenendum est[1]. Etiam independenter ab hac definitione certum est ecclesiam non perdidisse Sacram Scripturam, sed possidere eam substantialiter incorruptam.

Inter Protestantes plurimi theologi saec. XVII et XVIII inerrantiam Scripturae summis laudibus celebrabant, quia hoc principio formali Protestantismum firmissime fundari et ecclesiam catholicam efficacissime impugnari sibi persuaserant. Sed inde a fine saec. XVIII coeperunt magis magisque hanc doctrinam relinquere, ut nunc iam pauci sint, qui non fateantur in Scriptura inveniri errores non quoad res naturales tantum sed etiam quoad res religiosas[2]. Qui inter eos inerrantiam Scripturae defendere conantur, ab aliis, iisque longe pluribus, vero Protestantismi spiritu carere et loco Papae vivi Papam chartaceum venerari dicuntur.

Non defuerunt *inter Catholicos* quoque, qui in rebus „profanis" errores in Scriptura admitterent[3]. Ecclesiastica vero auctoritas huic opinioni non solum nullum umquam favorem praestitit, sed e. g. libros doctorum Bartolo, Lenormant, Loisy in Indice notavit, sententiam vero a doctore d'Hulst explicatam ut falsam reiecit. Unde inter Catholicos convenit fere Scripturae dicta omnia esse vera, sed sat acris adhuc disputatio viget, quomodo singulorum dictorum veritas sit intellegenda et tenenda. Ut autem secure procedamus, ante omnia ostendere oportet doctrinam de inerrantia Scripturae pertinere ad depositum fidei catholicae.

481. *Testimonio Christi et apostolorum* efficitur omnia, quae „scripta sunt", ideo, quia scripta sint, esse vera. „Non potest solvi Scriptura" (Io 10, 35). „Oportet impleri Scripturam" (Act 1, 16). „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt" (Lc 24, 44). „Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege" (Mt 5, 18). Cum illud „scriptum

[1] Cf. supra n. 272. [2] Supra n. 231 sqq. [3] Supra n. 333 sqq.

est" significet: a Deo, infallibiliter vero, dictum est[1], valet tam de parvis quam de magnis, quia non minus repugnat Deum in parvis a veritate deficere quam in magnis. Quamquam Christus et apostoli. cum illud „scriptum est" urgent, plerumque respiciunt vaticinia Veteris Testamenti, tamen hoc non semper fit, neque ratio, cur ea, quae scripta sunt, necessario inplenda sint, aliunde repetitur, sed ex eo, quod Deus dixit, quae scripta sunt. Haec autem ratio efficax est pro omnibus dictis Veteris Testamenti. De Novo autem Testamento non habemus argumentum biblicum aeque evidens.

482. Quod *SS. Patres* attinet, eorum testimonia de inerrantia Scripturae sunt tam absoluta, ut iis vim argumenti patristici prorsus certi nemo rationabiliter denegare possit.

S. Basilius ait: „Quodsi fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, fidelia etiam omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi, facta in veritate et aequitate, est manifesta defectio a fide et crimen superbiae, si quis aut quidquam eorum, quae scripta sunt, reprobet, aut quidquam eorum, quae scripta non sunt, introducat." [2] His Basilii verbis fideliter exprimitur persuasio omnium sanctorum Patrum, sive ante eum sive post eum scripserunt. Quibusdam exemplis rem illustremus.

S. Iustinus protestatur se velle potius ignorantiam suam fateri quam concedere ullum Scripturae textum alteri posse esse contrarium, cum scriptores sacri fuerint Spiritu Sancto pleni et gratia efflorescentes[3]. Similiter *S. Irenaeus* dicit nos mirari non debere, si quaedam in Scriptura non capiamus, cum in ipsis rebus naturalibus multa nobis sint mysteriosa, non tamen ideo licere Scripturam contradictionis arguere, „quia Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae", nos autem infirmi intellectu sumus[4]. *S. Hippolytus:* „Discamus in nulla re Scripturam fallere nos." „Nihil enim omnino mentitur Scriptura, neque Spiritus Sanctus decipit servos suos prophetas, per quos placuit voluntatem Dei annuntiare hominibus." [5] *Origenes:* „Operam suam conferente Spiritu Sancto accurate conscripta esse evangelia credimus, et in iis commemorandis rebus lapsi non sunt eorum scriptores." [6] *Eusebius Caesar.:* „Facinus audax et temerarium esse censeo, si quis audet affirmare divinam Scripturam decipi." [7] *S. Ambrosius:* „Ab hoc, qui evangelista esse meruit, vel neglegentiae vel mendacii suspicionem aequum est propulsari." Nam „non est credibile adversantia sibi sanctos viros potuisse dicere", quia Scripturae sunt „quaedam intellectus indumenta divini" [8]. *S. Methodius:* „Nihil in Scripturis Sacris contrarium est et absurdum." [9] *Theodoretus Cyr.:*

---

[1] Supra n. 383. [2] De fide n. 1; *M* 31, 679. [3] Supra n. 38.
[4] Supra n. 42. [5] Supra n. 44. [6] Supra n. 66. [7] Supra n. 73.
[8] Supra n. 75. [9] Supra n. 77 nota.

„Divinae Scripturae documenta praestantiora sunt quam humanae ratiocinationes", quia „nihil temere dicitur a divino Spiritu"[1]. *S. Ioan. Chrysostomus:* Iudaei et haeretici „reprehendunt evangelistas tamquam inter se pugnantes et dissonantes. Atqui non ita res se habet, absit! sed, etsi diversae personae sunt, una tamen Spiritus gratia est". „Nemo dicat: Mentitur Scripturarum historia."[2] *S. Ioan. Damascenus:* „Laudabilis est Scripturarum perscrutatio. Sed hic diligenter animum attendite. Impossibile est, dilectissimi, mentiri Deum. Unus porro Deus est, unus Veteris et Novi Testamenti legislator."[3] *S. Hieronymus* docet: „Omnem Sanctam Scripturam non posse esse sibi contrariam". Scripturam mentiri dicere nefas est." „Sequenda est auctoritas Scripturarum et Dei docentis imperium."[4] *S. Augustinus:* „Solis iis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in iis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam." „Mihi videtur exitiosissime credi aliquod in Scripturis Sanctis haberi mendacium." „Omnem falsitatem abesse ab evangeliis decet, non solum eam, quae mentiendo ponitur, sed etiam eam, quae obliviscendo." „Scripturam esse fidelem nemo dubitat nisi infidelis et impius." „Maior est quippe huius Scripturae auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas."[5] *S. Salvianus:* „Alia omnia, i. e. humana dicta, argumentis ac testibus egent, Dei autem sermo ipse sibi testis est, quia necesse est, quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis ... Ipsum quodammodo Scripturae oraculum Dei mens est."[6] *S. Leo*: „Indubitabilem obtinet auctoritatem sacra narratio."[7] Haec breviora dicta ex operibus SS. Patrum collegisse sufficiat; omnia enim colligere esset iustae molis opus conscribere. Saepe SS. Patres integris dissertationibus perfectam Sacrae Scripturae veritatem contra infideles et haereticos viriliter defenderunt[8].

483. Consentiunt omnes *theologi scholastici* sine ulla exceptione cum SS. Patribus. *S. Bonaventura:* In Scriptura „nihil contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro eo quod Spiritus Sanctus, eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum"[9]. *S. Thomas* suum facit Augustini dictum firmissime credendum nullum scriptorem canonicum quidquam in scribendo errasse[10]. Et saepius repetit: „Scripturae divinae, a Spiritu Sancto traditae, non

[1] Supra n. 83. [2] Supra n. 89. [3] Supra n. 96. [4] Supra n. 110.
[5] Supra n. 119 120 124. [6] Supra n. 130. [7] Supra n. 131.
[8] Cf. etiam supra n. 37 39 40 66 70 75 77 nota 434.
[9] Supra n. 159. [10] Supra n. 169.

potest subesse falsum.[1]" *Aegidius Romanus:* „Vult Augustinus, quod maior sit huius Scripturae auctoritas, quam totius humani ingenii perspicuitas, quia firmior veritas est, quae innititur iudicio divino, cui non potest subesse falsitas, quam quae innititur humano, cui falsitas subesse potest."[2] *Ioan. Gersonius:* Contra Scripturam rectè intellectam nulla auctoritas, nulla ratio admittenda est. „Si propositio aliqua, posita assertive per auctorem suum, qui est Spiritus Sanctus, esset falsa, tota Sacrae Scripturae, sicut dicit Augustinus, vacillaret auctoritas."[3] *Dionysius Carthus.:* Scripturae „sapientia ceteris rite praefertur certitudine et auctoritate, utpote cui nec falsitas nec ambiguitas potest subesse, cum increatae veritati ac supernaturali indeviabili lumini innitatur"[4].

Audiamus etiam paucos ex posterioribus Scholasticis. *Canus:* „Solis apostolis, prophetis et evangelistis hunc honorem referre catholica fide docente didicimus, ut nullum eorum vel memoria lapsum esse credamus, nullum nec in magnis nec in parvis errasse ... Scriptorum ergo sacrorum hoc privilegium est, ut nullus eorum in scribendo erret."[5] *Bellarminus:* „In Sacra Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide, sive de moribus, et sive affirmetur aliquid gernerale et toti ecclesiae commune, sive aliquid particulare et ad unum tantum hominem pertinens."[6] *Suarez:* „Sicut impossibile est mentiri Deum, ita impossibile est mendacium in Scriptura reperiri ... propter quod non minorem certitudinem habet in minimis quam in maximis."[7] Alios non cito, quia omnes eodem modo loquuntur, etiam illi, qui non omnino rectas de Scriptura habuerunt opiniones[8]. Solis fere nostris temporibus hoc reservatum erat, ut pauci Catholici auderent in Scriptura primigenia errores admittere.

484. Iam olim quidem nonnulli *summi pontifices* clare significaverant illicitum esse Catholicis Scripturae errores adscribere; ita Ioannes XXII et Benedictus XII[9]. Maxime vero nostra aetate *Leo XIII* idem declaravit:

„Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem.... Etenim libri omnes et integri, quos ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto dictante conscripti sunt. Tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.... Quare nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse

---

[1] Supra n. 177. [2] Supra n. 189. [3] Supra n. 197.
[4] Supra n. 204. [5] Supra n. 277. [6] Supra n. 289.
[7] Supra n. 291. [8] Cf. supra n. 316 319 320. [9] Supra n. 210.

virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere SS. Patres. . . . Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem." [1]

Hic igitur etiam interna ratio huius rei indicatur. Nam qui negat integram Scripturam cum omnibus suis partibus esse verbum Dei scriptum, offendit contra catholicam Scripturae notionem; qui vero affirmat Deum falsa dicere posse, offendit contra infinitam veritatem. Itaque Catholicis omnibus necessario tenendum est omnia dicta Scripturae, ideo quia sunt dicta Scripturae, esse ab errore immunia et infallibilia.

ART. II.

NUM ARGUMENTUM PATRISTICUM PRO INERRANTIA SACRAE SCRIPTURAE INFIRMETUR EXPOSITIONIBUS ALLEGORICIS SS. PATRUM.

485. Testimonium unanime SS. Patrum de doctrina aliqua, ut omnibus Catholicis necessario admittenda, est firmum argumentum dogmaticum, cui contradicere non licet. Tale autem est eorum testimonium de Scripturae inerrantia; nam eam omnes ita docent, ut contrariam opinionem dicant impiam, infidelem, haereticam, vel aliis nominibus eam notent ut plane respuendam.

Studuerunt tamen nonnulli infirmare hoc argumentum, dicentes SS. Patres ita locutos esse, quod difficultates obstantes non satis perspexerint, aut, si perspexerint, facile superaverint vel potius evaserint interpretationibus allegoricis. Multae, inquiunt, difficultates nostris tantum temporibus innotuerunt, de quibus SS. Patres non cogitaverunt; si vero eas novissent, non tam confidenter locuti essent. Alias difficultates quidem ipsi viderunt; sed si solutionem non inveniebant secundum sensum litteralem, fugiebant ad sensum spiritualem, quem pro suo quisque ingenio alium et alium textibus subiciebant. Nunc vero omnes concedunt non paucos Patres excessisse in allegoricis expositionibus neque eorum exemplum sequendum nobis esse. Sic autem illud argumentum patristicum amittit multum efficaciae: nam non omnes textus biblicos esse veros secundum sensum historicum seu litteralem ipsi Patres vel theoretice vel saltem practice admittunt; allegoricas autem eorum expositiones saepe non posse teneri constat. Ergo ab eorum dictis de perfecta inerrantia Scripturae nonnihil recedendum erit.

---

[1] Supra n. 343.

486. Sed *haec obiectio multipliciter vacillat.* Nam *imprimis* SS. Patres errores a Scriptura non ideo excluserunt, quia post diligens eius studium invenerunt nullos in ea errores inesse, sed quia sciebant secundum catholicam doctrinam Deum esse auctorem totius Scripturae et Deum nihil falsi dicere posse. *Statuebant igitur doctrinam suam ex principio dogmatico,* quod sine ullo respectu ad facilitatem aut difficultatem exponendi et defendendi Scripturam a priori ab ea omnem suspicionem erroris removet.

Secundo, non ii tantum Patres, qui adamabant frequentem usum allegoricarum expositionum, omnimodam inerrantiam Scripturae docuerunt, sed ii quoque, qui litterali sensui artissime inhaerebant, ut Theodoretus, Chrysostomus, alii asseclae Scholae Antiochenae. Ergo certe *generaliter verum non est SS. Patres tam audacter Scripturae inerrantiam adscripsisse, quod in allegoriis semper viderint viam apertam ad evadendas difficultates.* Immo de nullis SS. Patribus hoc verum est, excepto Origene, qui proprie inter SS. Patres non recensetur, eiusque in multis sectatore Gregorio Nysseno.

487. Sunt quidem aliqui Patres, qui dicunt *interdum sensum litteralem relinquendum et solum spiritualem sensum statuendum esse.* Quibus verbis nunc vix quisquam utetur, attamen res, quam illi enuntiant, verissima est et ab omnibus admittitur. *Nihil enim aliud dicunt nisi in Scriptura esse metaphoras, quae exponendae non sint ad modum locutionum propriarum.* Itaque illi Patres a recentibus theologis eo differunt, quod omnem tropum vel locutionem impropriam appellant allegoriam vel sensum spiritualem. Ostendamus hoc uno alterove exemplo. *S. Hilarius* explicans, cur confidentes in Domino dicantur esse ut mons Sion, qui non commovebitur in aeternum, ait: „Nomen montis Sion et habitatio Ierusalem et montes circum eam, si nullam interioris intellegentiae habent causam, inanis est psalmus et mendax propheta, in quo Spiritus Sanctus locutus esse credatur . . . Qui ergo confidit in Domino, quem profectum habebit, ut sit sicut mons Sion? Ex rationabili homine fieri saxum?“ [1] *Theodoretus Cyrensis:* Oportet „considerare hunc esse etiam in Vetere Testamento divinae Scripturae morem, ut multa figurate dicat et sub aliis vocabulis alia significet. Nam cum de Babyloniae rege loqueretur, ‚aquila, inquit, grandis magnarum alarum, longa extensione, unguium plena . . .‘ Nec quisquam tamen umquam per aquilam aquilam, neque per Libanum Libanum, neque per cedrum cedrum intellexit; sed pro aquila, quae est regium animal, regem ipsum, pro alis autem magnis amplitudinem regni, pro unguium vero multitudine copias militum“ [2]. *S. Hieronymus:* „Alioqui si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere, ut asseramus in ecclesiam non recipiendos, qui

[1] Supra n. 51. [2] Supra n. 82.

calceati sint et duas tunicas habeant," quod Mt 10, 10 apostolis interdicitur[1]. *S. Augustinus* monet: „In principio cavendum est, ne figuratam locutionem ad litteram accipias. Et ad hoc enim pertinet, quod ait apostolus: ‚Littera occidit, spiritus autem vivificat' (2 Cor 3, 6). Cum enim figurate dictum sic accipitur, tamque proprie dictum sit, carnaliter sapitur."[2] Talibus argumentis SS. Patres saepe defendunt necessitatem sensus spiritualis vel allegorici vel anagogici. Nam his nominibus non raro promiscue utuntur[3], et iisdem nominibus non raro significant tum allegorias proprie dictas tum metaphoras tum typos tum morales applicationes, quas ex littera textus in utilitatem legentium vel audientium deducunt.

Idem modus loquendi ad posteriores quoque scriptores transiit. Ita *S. Bruno Astensis* necessitatem allegoricae expositionis ostendit inde, quod Scriptura loquitur de incircumcisis auribus et cordibus: „Sola ista sufficiunt contra eos, qui omnia ad litteram intellegere volunt; aut si non sufficiunt, abscindant aures et secent corda, quod a nemine usque hodie factum audivimus."[4] Secundum hanc expositionem utique multa in Scriptura sunt, quae non habent sensum litteralem. Nos quidem solemus in metaphoris ipsum sensum translatum appellare litteralem. Est igitur differentia in modo loquendi tantum.

Verum quoque est multis dictis *Scripturae praeter sensum litteralem et historicum convenire sensum typicum;* verum est Sacram Scripturam a Deo nobis esse datam, ut eam per applicationes morales in usum nostrum spiritualem convertamus. Unde si haec omnia nomine allegoriarum comprehenduntur, quemadmodum factum est a quibusdam Patribus (secundum Gal 4, 24)[5], sensum allegoricum Scripturae omnes admittimus. Haec autem non pertinent ad quaestionem, de qua agimus. Neque quaeritur, num forte quidam Patres nimis indulserint allegoriis et interdum sensu proprio minus facile relicto sine ratione sufficienti improprias significationes statuerint; nam etiam nostra aetate aliquoties disputatio oritur, utrum quaedam verba sint sensu proprio an improprio accipienda. Unica quaestio est, sumpserintne SS. Patres per modum principii sibi licentiam deserendi sensum litteralem et historicum (de historia praecipue agitur) et statuendi sensum allegoricum, ut hac ratione e difficultatibus exegeticis se extricarent. Hoc est, quod negamus.

488. *Tertio, SS. Patres diserte et unanimiter docent sensum spiritualem vel allegoricum, prout opponitur sensui litterali et historico, non posse per se solum stare, sed necessario praesupponere ut fundamentum sensum litteralem et historicum.* Id probare de Schola Antiochena.

---

[1] Advers. Lucifer. 28; *M* 23, 182. [2] De doctr. christ. l. 3, c. 5; *M* 34, 68 sq.
[3] Cf. supra n. 90. [4] Supra n. 156.
[5] Cf. quae de hac re *Beda* dicit (supra n. 144).

quae dicitur, superfluum videtur, quia omnes huius Scholae sectatores ideo maxime Origenem carpunt, quod contrariam theoriam et praxim secutus sit [1]. Itaque alios tantum audiamus, qui huic Scholae non accensentur.

S. Basilius Origenis, cuius ceteroqui amicus erat, allegorismum severe reprehendit: „Tales sermones [allegorias] veluti somniorum interpretationes et aniles fabulas reicientes, aquam [in Hexaëmero] aquam intellegamus. . . . Quas Scripturarum communes notiones qui non suscipiunt, aquam non aquam dicunt, sed aliam quandam naturam. . . . Quin etiam reptilium et pecorum generationem ad suas allegorias detortam perinde exponunt, ut quidam rerum sese imaginationi per somnium obicientium interpretes, qui suas interpretationes ad proprium scopum accommodant. Ego vero cum faenum audio, faenum intellego, et plantam et piscem et bestiam et pecus, omnia, ut dicta sunt, sic accipio. Non enim erubesco evangelium." Allegoristas dicit facere se ipsos prudentiores Spiritu Sancto [2]. *S. Cyrillus Alexandrinus:* „Qui in Scripturis divinitus inspiratis historiam ut inane quid repudiant, videntur nolle ea, quae scripta sunt, eo quo decet modo intellegere. Speculatio enim spiritualis pulchra quidem est et utilis et oculos intellegentiae maxime collustrans cordatissimos efficit. Quando vero aliquid historice gestum per sacras litteras nobis affertur, tunc ex historia utilitatem capere decet, ut undique nos Scriptura divinitus inspirata salvans et iuvans appareat." [3] *S. Ephraem:* „Nemo in opificio sex dierum allegoricas interpretationes quaerendas esse contendat. Sed neque fas est . . . existimare ea nomina esse sine rebus, aut non ipsas res, quas illa proprie significant, designare, sed alias. Immo vero sicut caelum et terram in principio creata fuisse legentes intellegimus eadem fuisse verum caelum et veram terram, neque aliud quidpiam his vocabulis significari, ita reliquas etiam rerum ordinationes et operā, quae secuta sunt, adeo vanas appellationes non esse credamus oportet, ut rerum naturas nominum proprietati planissime consentire fateamur." [4] *S. Hieronymus,* qui non mediocriter amat expositiones allegoricas, monet tamen: „Post historiae veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia" [5], et cum S. Epiphanio Origeni obicit: „Quod sic paradisum allegorizet, ut historiae auferat veritatem, pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes caelestes intellegens; totamque paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertat." [6] „Spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiae." [7] *S. Augustinus*

---

[1] Supra n. 77 sqq. [2] Supra n. 68. [3] Supra n. 72.

[4] Supra n. 103. [5] Supra n. 115.

[6] Contra Ioan. Hieros. n. 7; *M* 23, 360; cf. in Mal 1, 10: in Ir 27, 3 9; 29, 14; *M* 25, 1551; 24, 849 851 862.

[7] In Is 13, 19; *M* 24, 158. Cum S. Hieronymus toties repetat sensum spiritualem debere inniti sensu litterali, et cum in commentariis soleat praemittere expositionem litteralem et dein facere applicationes spirituales, mirum est, cur velint

docet prius attendendum esse „ad litteram rerum gestarum, antequam tractetur latebra sacramenti . . . ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis quae gesta sunt, prius illud, quod lectum est, credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestae, quasi in aëre quaeratis aedificare". „Nonnulli totum ipsum paradisum, ubi primi homines, parentes generis humani, Sanctae Scripturae veritate fuisse narrantur, ad intellegibilia referunt . . . tamquam illa visibilia et corporalia non fuerint, sed intellegibilium significandorum causa eo modo dicta vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intellegi. . . . Nemo itaque prohibet intellegere paradisum vitam beatorum, quattuor eius flumina quattuor virtutes. . . . Haec et si quae alia commodius dici possunt de intellegendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen et illius historiae veritas, fidelissima rerum gestarum narratione commendata, credatur." [1] *S. Gregorius M.:* „In verbis sacri eloquii prius servanda est veritas historiae et postmodum requirenda spiritalis intellegentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur." [2] Saepe quidem Gregorius sensum historicum neglegit et statim ad spiritualem transit, sed hoc, ut ipse testatur, facit, quando aperta sunt historiae verba, aut quando nullum fructum spiritualem praebent; non vero facit, quia negandum censet sensum litteralem [3].

---

eum quidam facere asseclam exegesis origenisticae. Ratio videtur esse, quod Hieronymus interdum cernat locutiones metaphoricas, ubi nos videmus locutiones proprias. Recte quidem metaphora statuitur, ubi sensus proprius admitti nequit, ut si Christus iubet erui oculos vel abscindi manus et pedes propter scandalum (Mc 9, 42 sqq), omnes dicunt verba esse spiritualiter intellegenda. Similiter Hieronymus interdum supponit aliqua verba spiritualiter esse sumenda, cum sensus proprius repugnet. E. g. apostolus ait: „Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium" (1 Cor 7, 18). Hieronymus errando putat impossibile esse adducere praeputium; ergo, inquit, est metaphorica locutio. Unde ubicumque haec eadem res recurrit, admittit spiritualem sensum, ut e. g. Ios 5, 2, ubi supponit, iterum errando, praecipi secundam circumcisionem eorum, qui antea iam circumcisi erant; quod cum fieri non possit, statuit sensum spiritualem (Contra Iovin. 1, 11 21; *M* 23, 225 239). Et recte quidem, si suppositiones illae essent verae. His igitur nihil aliud ostenditur nisi posse interdum dubitationem oriri, utrum aliqua locutio sit propria an metaphorica. Non ideo in periculum vocatur principium, secundum quod narrationes historicae historice sunt accipiendae.

[1] Supra n. 127. [2] Supra n. 133.

[3] Ita 1 Rg 6, 5 narratur Philistiim ad expiandum peccatum misisse similitudines anorum et murium ut dona Deo Israel. Non negat Gregorius hoc vere factum esse, sed vult Spiritum Sanctum non narrasse hoc nisi ob spiritualem instructionem. „Haec profecto, si more iudaico secundum litterae vilitatem pensantur, non solum despicienda sunt, sed nec auditu digna. Quae profecto digne accipit, qui, quo viliora per litterae sonum audit, eo ea per spiritalem significationem utiliora esse intellegit. Nam Sanctus Spiritus, quo inspirante tota haec sacra historia scribitur, numquam tam vilia promeret, si in huius vilitatis arcano magna quaedam et pretiosa valde mysteria non signaret" (In 1 Reg. l. 3, n. 5; *M* 79, 184). In prooemio huius

Sequuntur in hac re posteriores doctores doctrinam SS. Patrum. *S. Isidorus Hispalensis:* „Necesse est, ut praecedente historiae fundamento allegoricus sensus sequatur." [1] *Hugo a S. Victore:* „Cum mystica intellegentia ex iis, quae primo loco littera proponit, colligatur, miror, qua fronte quidam allegoriarum se doctores iactitant, qui ipsam adhuc primam litterae significationem ignorant. . . . Noli itaque de intellegentia Scripturarum gloriari, quamdiu litteram ignoras." [2] *S. Bonaventura:* „Qui litteram Sacrae Scripturae spernit, ad spirituales eius intellegentias numquam assurget." [3] *S. Thomas:* „Sensus spiritualis semper fundatur super litteralem et procedit ex eo." [4] Itaque etiam hi doctores, quorum numerus facile augeri potest, testantur secundum SS. Patrum doctrinam primum litteralem sensum esse exponendum eumque esse necessarium fundamentum sensuum spiritualium.

489. *Verum est interdum SS. Patres dedisse expositiones allegoricas, quia sensum litteralem non perspiciebant.* Huc pertinet e. g. *S. Augustini* „De Genesi contra Manichaeos", in quo opere multae allegoriae inveniuntur, quas nunc nemo recipiet. Sed quid *Augustinus* ipse de hac expositione ait? „Cum de Genesi duos libros contra Manichaeos condidissem, quoniam secundum allegoricam significationem Scripturae verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est, quemadmodum possent secundum historiam, quae ibi dicta sunt, accipi, volui [postea in libro imperfecto de Genesi] experiri in hoc quoque negotiosissimo ac difficillimo opere, quid valerem; sed in Scripturis exponendis tirocinium meum sub tanta sarcinae mole succubuit. Et nondum perfecto uno libro, ab eo, quem sustinere non poteram, labore conquievi." [5] Itaque Augustinus non scripsit allegoricam expositionem quasi negans sensum litteralem; sed, quia nondum satis perspexerat sensum litteralem, volebat interim contra Manichaeos ostendere, quomodo etiam ratione sensus spiritualis liber Genesis nullo modo esset inutilis. Ergo non dixit: Liber Genesis in quibusdam non habet sensum litteralem, sed solum

---

libri effert tanto magis in libris Regum quaerendum esse spiritualem intellectum, quanto sensus historicus sit planior et simplicior.

Generatim notandum est SS. Patres, maxime ubi sensus historicus nullam offert difficultatem, omnem vim intendere ad inveniendum aliquem sensum spiritualem. Sufficit recordari S. Ambrosii, qui de theoreticis difficultatibus sacri textus vix quidquam curat (excipe Commentarios in Hexaemeron, in quibus sensui litterali inhaeret), sed totus in eo est, ut per allegoricam explicationem ad practicas applicationes perveniat. Sane non ideo potest inter eos recenseri, qui difficultatibus theoreticis pressus a sensu historico doceat ad sensum spiritualem esse recurrendum.

[1] Supra n. 143. [2] Supra n. 155. [3] Supra n. 160.

[4] Quodl. 7, q. 6, a. 14 ad 1; cf. supra n. 176.

[5] *August.*, Retract. l. 1, c. 18; *M* 32, 613.

spiritualem. Potius in ipso illo commentario saepius inculcat litteralem sensum omnino retinendum esse [1]. Fatetur tantum sibi hunc sensum non esse in omnibus perspectum. Similiter *S. Hilarius* explicans illud Psalmi 134, 7: „Educens nubes ab extremo terrae . . .“ videtur quidem reicere sensum litteralem, cum in producendis nubibus et ventis non adeo appareat omnipotentia Dei. Nihilominus statim addit: „Sed haec a me, volenti virtutem et rationem dictorum ostendere, ita commemorata sint, ut nihilominus invisibilis et omnipotentis virtutis esse intellegatur, a mari, quod est ab extremo terrae, nubes educi et inter pluvias fulgura coruscare et ventos ex occultis spirituum suorum sedibus flare.“ [2] Magis tamen ostendi omnipotentiam Dei in effectibus spiritualibus, et ideo se velle statim ad mysticum sensum transire. Item patet poeticas locutiones non esse secundum litteram premendas. Unde si Ps 113, 4 legimus: „Montes exsultaverunt sicut arietes, et colles sicut agni ovium“, *S. Prosper* recte monet hoc non esse ad litteram factum [3]; quod dictum non est contra litteralem sensum narrationum historicarum, ut patet, etsi quis Prosperi expositionem allegoricam non admittit.

Ergo verum non est allegoricis expositionibus SS. Patrum infirmari eorum consensum de omnimoda inerrantia Sacrae Scripturae. Neque verum est SS. Patres censuisse in Sacra Scriptura ideo tantum nullum esse errorem, quod ea, quae litteraliter falsa essent, saltem rectum sensum spiritualem haberent. Hanc Origenis doctrinam unanimiter

---

[1] E. g. De Gen. contra Manich. l. 2, c. 12; *M* 34, 205 sq. In eodem quidem libro caput 2 inscribitur: „Genesis ad litteram ubique non potest exponi.“ Haec inscriptio non ab Augustino posita est, sed ab editoribus, neque perfecte congruit cum iis, quae ibi ab Augustino dicuntur. Sermo est de capitibus secundo et tertio Genesis, in quibus quaedam occurrunt, de quibus usque ad nostra tempora dissentiunt, utrum proprie an figurate intellegenda sint. Manichaei omnia sensu crasse materiali intellegebant et sic in blasphemias inciderant. Monet igitur Augustinus: „Hic totus sermo primo secundum historiam discutiendus est, deinde secundum prophetiam. Secundum historiam facta narrantur, secundum prophetiam futura praenuntiantur. Sane quisquis voluerit omnia, quae dicta sunt, secundum litteram accipere, i. e. non aliter intellegere, quam littera sonat, et potuerit evitare blasphemias et omnia congruentia fidei catholicae praedicare, non solum non est ei invidendum, sed praecipuus multumque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut pie et digne Deo, quae scripta sunt, intellegantur, nisi figurate atque in aenigmatibus proposita ista credamus . . . modum, quem intendimus, teneamus“, i. e. figurate explicemus (*M* 34, 197). Sine dubio in ista narratione Genesis nonnulla sunt figurate dicta, seu sunt ibi metaphorae et anthropomorphismi, quae non possunt rationabiliter secundum litteram accipi. Hoc sensu et SS. Patres et omnes exegetae concedunt saepe Scripturam non posse litteraliter exponi. Sed neque S. Augustinus neque alii SS. Patres usquam docent Scripturam non habere nisi allegoricum sensum, in quantum sensus allegoricus opponitur sensui litterali tum proprio tum translato.

[2] *Hilar.*, In Ps. 134, n. 12 sq; *M* 9, 758.

[3] Prosper in Ps. 113; *M* 51, 326.

reiecerunt. Quando autem dicunt quaedam in Scriptura non posse recte accipi secundum sensum litteralem, loquuntur de figuratis locutionibus et de iis solis, et id solum docent locutiones figuratas intellegandas esse secundum sensum translatum, id quod nemo negabit.

ART. III.

NON EADEM VERITAS OMNIBUS SCRIPTURAE PARTIBUS CONVENIT.

490. Inerrantia Scripturae in eo consistit, quod omnia eius dicta vera sunt vi originis divinae. Hinc tamen non colligitur omnia eius dicta eodem modo esse vera. Nam *veritas multipliciter dicitur:*

SS. Patres interdum inerrantiam Scripturae ita enuntiant: Impossibile est Scripturam mentiri. His verbis, si littera premitur, exprimitur *veritas moralis* seu *veracitas;* et idem est, ac si dicatur: Sacri scriptores noluerunt legentes decipere. Erant aliquando, maxime rationalistae saeculi XVIII et XIX, qui parati essent ex levissimis rationibus ad maculam mendacii hagiographis inurendam, et fortasse adhuc tales calumniatores exsistunt, sed certe inter cordatos viros nulli aut paucissimi sunt, cum plerique, etiam infideles, ultro fateantur sacros scriptores bona fide scripsisse et vera habuisse, quae vera esse affirment. Sunt quidem maxime inter acatholicos critici, qui velint in ipsa Scriptura multos libros iis auctoribus vel temporibus adscribi, quibus obiective adscribendi non sint. Ita dicunt libros, qui Moysi adscribuntur, multis saeculis post Moysen esse scriptos, item librum Danielis non esse a Daniele propheta compositum, aliaque similia. Concedunt tamen hunc usum pseudonymorum non ex spiritu mendaci processisse, sed ex consuetudine litteraria illorum temporum, sicut neque hodie mendaces habentur, qui pseudonymis utuntur.

491. Duplex est hic quaestio distinguenda: *num usus pseudonymorum conciliari possit cum inspiratione,* et num revera libri pseudonymi in Scriptura habeantur. Haec altera quaestio non est huius loci, sed est unum ex obiectis propriis Introductionis in Sacram Scripturam. Ad priorem vero quaestionem affirmative respondendum est iis theologis, qui dicunt librum Sapientiae ab auctore suo tribui Salomoni, cum scriptus sit saeculo secundo ante Christum. Reapse tamen nusquam dicitur Salomon totum hunc librum scripsisse, sed in libro aliquoties loquens inducitur (Sap 7, 1 sqq). Quid igitur, si auctor hausit quaedam ex scriptis (nunc perditis) Salomonis? Nonne tunc recte verba illa in ore Salomonis ponit? Sunt qui ita factum esse censeant[1].

---

[1] E. g. *Cornely,* Introd. II 2, n. 228.

Alii id omnino negant[1]. Hi igitur concedunt librum esse pseudonymum. *S. Hieronymus* in praefatione in libros Salomonis vocat eum „pseudepigraphum" et negat esse Salomonis[2]. Similiter alii doctores. Ergo propter sententiarum diversitatem ex hoc libro nihil certi concludere possumus. Pauci Catholici admittunt etiam Danielis librum esse pseudonymum; plurimi autem hanc opinionem refutant. Quidam censent Ecclesiasten dependere ab Ecclesiastico, alii hoc negant[3]; non esse librum Salomonis plures admittunt. Neque igitur a posteriori ex exsistentia libri pseudonymi sacri certo argumentari possumus, sed quaestio a priori diiudicanda est. Sic autem quaestio ad hanc alteram redit, num legentes in errorem inducantur, si liber sub alieno nomine edatur. Nostra quidem aetate qui alienis nominibus utuntur, plerumque nihil volunt nisi ob aliquam rationem occulere nomen proprium, ad quem finem sufficit assumere nomen quodcumque indifferens, ut legentes fateri debeant sibi auctorem esse ignotum. Olim vero solebant libros inscribere nomine alicuius viri noti et famosi, ut hac ratione libro maiorem dignitatem crearent, sicut si in textu graeco illa inscriptio „Sapientia Salomonis" apposita est ad designandum auctorem libri, quemadmodum quidam putant. *Hic usus pseudonymorum tum tantum cum inspiratione conciliari potest, si illi, ad quos primum liber destinabatur, poterant sine nimia difficultate videre agi de nomine assumpto.* Id autem ex circumstantiis pendebat. Nam si consuetudo ita agendi nota erat, si liber indole sua prodebat aetatem posteriorem, si nihil umquam auditum erat de tali opere illius auctoris, sane prudentes omnes intellegebant offerri sibi fictionem litterariam. Etsi postea alii, quibus illae condiciones ignotae erant, in errorem incidebant, hic error cum opere per accidens tantum cohaeret, cum eius causa non sit opus ipsum per se, sed ignorantia historica eorum, qui auctorem fictum pro vero habebant. Hoc autem potest Deus etiam quoad librum inspiratum permittere, cuius auctoritas dogmatica et moralis non derivatur a secundario auctore, sed a principali. Ecclesia toleravit sententiam eorum, qui librum Sapientiae habebant pseudonymum, non obstante contraria sententia multorum Patrum. Si vero liber pseudonymus non pugnat cum inspiratione, ex dogmate inspirationis probari nequit librum aliquem sacrum esse eius auctoris, cui in ipso libro adscribitur; sed haec quaestio secundum alia criteria solvenda est. Absurdum tamen esset concludere nomina auctorum indicata in ipsis libris sacris neglegi posse; nam ideo, quod aliquid non est principium dogmaticum, non statim amittit omne pondus historicum. Si quis negat librum esse eius, cui adscribitur, rationibus ei hoc est probandum, quas si validas afferre nequit, assertio eius est inanis et arbitraria. Sed sive in Scriptura

[1] E. g. *Kaulen,* Einl. n. 327. [2] *M* 28, 1242.
[3] Cf. Biblische Zeitschrift 1903, 47 sqq et Revue Biblique 1905, 67 sqq.

exsistit liber pseudonymus, sive non exsistit, certum est nullum scriptorem sacrum umquam mendacii convictum esse, neque umquam convinci posse, cum mendacium manifeste pugnet cum absoluta Dei veritate. SS. Patres, cum negant Scripturam mentiri posse, maxime respiciunt Spiritum Sanctum, primarium Scripturae auctorem, qui mentiretur, quotiescumque falsum verum esse affirmaret, cum ipsi omne verum sit notum.

492. Itaque *quaestio de inerrantia Scripturae est quaestio de veritate logica seu de conformitate eorum, quae hagiographi senserunt et scripserunt, cum veritate obiectiva.* Veritas autem logica non eodem modo convenit omnibus libris. Alia e. g. est veritas parabolae, alia veritas narrationis historicae. Narratio historica vera est, si historicus narrat, quae facta sunt, et quomodo facta sunt. In parabola tota narratio potest esse ficta et hoc sensu non vera, et nihilominus parabolae sua veritas manet; nam tota eius veritas consistit in aptitudine ad illustrandas doctrinas veras, ad quas illustrandas proponitur. Notissimae sunt parabolae Christi Domini, quae, utpote a Christo dictae, sine dubio verae sunt. Nemo tamen res, quas Christus in parabolis narrat, ut vera facta historica admittere ex obligatione debet. Fortasse quaedam ex iis revera facta sunt, sed ad veritatem parabolarum id non est necessarium. Unde si cui id probabilius videtur, potest tuto negare Samaritanum quendam curasse vulneratum, prout in evangelio narratur (Lc 10, 30 sqq), vel Lazarum mendicum et epulonem reapse exstitisse (16, 19 sqq).

493. Quia parabola potest esse historia ficta, patet *etiam fictas narrationes posse inspirari.* Si hoc valet de brevioribus narrationibus, potest etiam valere de longioribus. Supposito narrationem de Lazaro et epulone non esse veram historiam sed meram parabolam, cur non potuit narratio extendi in libellum? Cur talis libellus non potuit inspirari? Brevitas vel longitudo non videtur ratione inspirationis constituere essentialem differentiam, modo res ne ita proponatur, ut homines in errorem necessario inducantur, putantes se teneri obligatione habendi pro historicis, quae historica non sunt. Tota veritas talis libri consisteret in declaratione veritatis religiosae, cui singulae partes et ornatus narrationis ut media fini subordinarentur et servirent. Possibilitate talium narrationum inspiratarum concessa, ex ipso conceptu inspirationis discerni nequit, utrum in Scriptura sint libri, qui sub specie historica sint narrationes fictae, necne. Recentes quidam Catholici volunt tales esse e. g. libros Iudith et Tobiae, qui non referant res historice gestas, sed sint sub externa forma historica libri prophetici et didactici. Ex inspirationis dogmate haec opinio refutari nequit, sed quaeritur, quomodo se habeat ad testimonia Scripturae et traditionis. Nam si aut Scriptura ipsa aut traditio unanimis huic

opinioni obstant, aut magisterium ecclesiasticum contrarium definit, opinio illa relinquenda est, ut per se patet [1].

494. Porro evidens est *non eandem esse veritatem carminis et historiae.* Poetae multa licent, quae non licent historiographo. Differentia autem inter varia genera litteraria non tolitur inspiratione. Descriptiones variorum animalium in libro Iob (39 40) nemo prudens assimilabit descriptionibus, quae traduntur in historia naturali. Neque quisquam, qui recte sapit, psalmos falsitatis arguet, si res gestae populi israelitici in iis poetice exornantur, neque ex locutionibus poeticis argumentabitur quasi ex dictis stricte historicis. *Simile quid dicendum est de prophetis futura praedicentibus.* Nam in vaticiniis suis non solum poetica dictione utuntur, immo interdum iusta carmina conscribunt, sed etiam ob ipsam rationem propheticae cognitionis peculiare dicendi genus habent. Plerumque enim *visionibus* futura conspiciunt, quare solent „videntes" appellari. Cum vero visione rem ut praesentem vident quasi in tabula depictam, disparet coram iis successio temporum, et ea, quae longis intervallis separantur, oculo mentis eorum simul obversantur. Quae autem simul vident, saepe simul enuntiant, vel futura ut praesentia aut praeterita. Ioel 2, 28 sqq cum primo adventu Messiae statim coniungit ultimum iudicium [2].

---

[1] De hac re e „Commissione biblica" hoc responsum provenit:

„De narrationibus specietenus tantum historicis in S. Scripturae libris, qui pro historicis habentur.

„Proposito sequenti dubio Concilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit, prout sequitur:

Dubium.

„‚Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia, quae tenet Sacrae Scripturae libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?'

Responsum.

„‚Negative, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, ecclesiae sensu non refragante, eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.'

„Die autem 23 Iunii a. c. in audientia ambobus R^mis Consultoribus ab Actis benigne concessa Sanctissimus praedictum ‚Responsum' ratum habuit ac publici iuris fieri mandavit."

Fr. David Fleming O. M., Consultor ab Actis.

(Revue Biblique, Juillet 1905, 321 sq.)

[2] Huc pertinet, quod Christus ipse cum praedictione iudicii de urbe Ierusalem coniungit praedictionem iudicii ultimi (Mt 24, 4 sqq. Mc 13, 5 sqq. Lc 21, 5 sqq), quia iudicium divinum super urbem Ierusalem est typus iudicii, quod fiet in fine mundi. Destructio urbis Ierusalem erat unis temporis praeteriti, quo Messias exspectabatur; ultimum iudicium erit finis eius temporis, quo regnum messianicum in hac terra exaedificatur. Generatio Iudaeorum vidit primum iudicium et initium

Isaias 60, 1 exclamat: „Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est"; 9, 6: „Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis." Haec utique historice eo tempore, quo propheta loquebatur, non erant vera, sed prophetice erant vera pro tempore, de quo loquebatur. Ergo modus loquendi propheticus distinguendus est a modo loquendi historico, aliter est intellegendus, aliter exponendus, ne ea, quae vera sunt, falsa appareant. Praeterea prophetae neque omnia, quae futura erant, cognoverunt, neque ea, quae cognoverunt, omnia simul eodem tempore iis revelata sunt, sed per partes modo haec, modo illa viderunt et per partes descripserunt. Sic Isaias modo loquitur de Messia glorioso (9, 6 sq), modo de Messia patiente (53, 2 sqq). Haec igitur disiecta membra in unum colligenda sunt, ut tota veritas, prophetae revelata, habeatur.

495. Ceterum haec disquisitio de locutione prophetica pertinet vel ad Hermeneuticam sacram vel ad Introductionem in Sacram Scripturam [1]. Hic solum monendum erat aliam veritatem convenire vaticinio, aliam historiae. In specie notandum est *vaticinia promissoria vel comminatoria*, i. e. ea, quibus bene agentibus praemia, male agentibus poenae praedicuntur, saepe esse condicionata, quatenus praemium vel poena continget hominibus perseverantibus in bono vel in malo. Ergo si boni pervertuntur et mali convertuntur, mutata condicione, mutabitur eventus futurus. De qua re ait *S. Thomas:* „Quandoque prophetica revelatio est impressa similitudo divinae praescientiae, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus; et tunc quandoque aliter evenit, quam prophetetur, nec tamen prophetiae subest falsum; nam sensus prophetiae est, quod inferiorum causarum dispositio, sive naturalium sive humanorum actuum, hoc habet, ut talis effectus eveniat. Et secundum hoc intellegitur verbum Isaiae 38, 1, dicentis: ‚Morieris, et non vives', i. e. dispositio corporis tui ad mortem ordinatur; et quod dicitur Ionae 3, 4: ‚Ad-

---

regni messianici, et generatio Iudaeorum videbit ultimum iudicium et consummationem regni messianici. Christus, quando dixit discipulis suis: „Cum autem persequentur vos in una civitate, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis [peragrabitis] civitates Israel, donec veniat Filius hominis" (Mt 10, 23), censendus non est exclusive locutus de urbibus palaestinensibus, quia noluit, ut usque ad secundum suum adventum apostoli manerent in terra Iudaeorum, sed voluit, ut praedicaretur „hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio" (24, 14). Ergo „civitates Israel", ad quas fugientes discipuli possunt se recipere, intellegendae sunt aliae civitates extra Palaestinam, ubi vel Iudaei habitant, vel sunt Israelitae secundum spiritum. Itaque absurde agunt, qui ex prophetico loquendi modo, quo utitur Christus, ei errorem affingunt, quasi putaverit se citius venturum esse ad iudicium, quam possint apostoli peragrare parvam terram palaestinensem. Ceterum de his videantur commentatores catholici, ut *Knabenbauer*, Comment. in Matth. I² 410 sqq; II 80 sqq 312 sqq.

[1] Cf. *Cornely*, Introd. II 2, n. 247 sqq.

huc quadraginta dies, et Ninive subvertetur', i. e. hoc merita eius exigunt, ut subvertatur." [1] Ipse Ionas non satis intellexerat veritatem condicionatam prophetiae. Nam cum Deus pepercisset Ninivitis propter paenitentiam, tristatus est Ionas, quod factum non esset, sicut iussus fuerat praedicere; sed Deus dedocuit eum errorem (Ion 4, 1 10 11).

496. Quod *prophetae utuntur rebus populo notis ad describendas res futuras ignotas,* sine difficultate saepe animadvertitur neque a veritate alienum neque omnino mirum est, ut si in futuro regno messianico exhibent populos omnes confluentes ad urbem Ierusalem ibique festa celebrantes (e. g. Is 60). Haec non esse crasse materialiter accipienda, tum per se patet, tum eo significatur, quod praedicitur novum foedus Dei cum hominibus, idque spirituale: „Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam" (Ir 31, 33). Vetus regnum theocraticum erat typus regni messianici, in quo altiore modo implenda erant, quae in illo figuris corporalibus praesignificabantur. Cum vero inter typum et antitypum non sit aequalitas sed similitudo, inepte agunt ii, qui veritatem vaticiniorum impugnant, quod in regno messianico quaedam non sint impleta ad litteram, quae in vaticiniis praedicta erant. Non debent in regno messianico omnes homines convenire ad aedificandam materialem urbem Ierusalem et materiale templum, sicut non debent leones cum agnis simul cubare et paleas comedere, neque debuit Messias de torrente in via bibere, et alia similia [2].

---

[1] *S. Thomas* 2, 2, q. 171, a. 6 ad 2.

[2] Inter prophetam (stricte dictum) et historiographum non ea tantum est differentia, quod iste futura praedicit, hic praeterita describit, sed alia quoque, quae ex ista descendit. Historiographus enim narrat res secundum temporalem succesionem, quam habent in ordine actuali; propheta autem ex communicatione luminis divini videt res, prout immobiliter stant sub intuitu Dei. Unde si historiographus attribueret ordini actuali eum modum, a temporali successione exemptum, quo res coram Dei et prophetae oculis se habent in ordine ideali, in errorem legentes induceret. Propheta simul praedicens res, quae idealiter unum quid constituunt (ut futura Dei iudicia de factis hominum), vera dicit. Historiographus autem, qui res ex temporibus, quibus factae sunt, ad alia tempora transferret, falsa diceret. Praeterea si agitur de prophetia reali seu de typis, propheta videns unitatem signi et signati, quae est in mente divina, de typo et de antitypo loquitur uno tenore orationis et perfectam impletionem promissionum divinarum, quae soli antitypo convenit, ipsi typo assignat, quatenus ex intentione Dei haec duo unum idemque providentiae consilium constituunt. Historiographus autem, qui de typo secundum actualem suam exsistentiam loquitur, non potest veraciter typo attribuere ea, quae futura sunt in solo antitypo, quia historice alia res est typus, alia antitypus. Unde deficiente paritate inter prophetam et historiographum, male quis concluderet: Prophetae licet praedicere res alio ordine atque eo, quo futurae sunt; ergo licet etiam historiographo narrare res eo ordine, quo factae non sunt, et ea, quae postea contigerunt, prioribus temporibus attribuere, et similia. Verum quidem est neque prophetam neque hagiographum omnia accuratissime scire et exponere debere, sed utrumque posse plus

497. *Ergo omnia quidem Scripturae dicta vera sunt, sed ea veritate, quae secundum suum genus singulis libris historicis, propheticis, poeticis, didacticis convenit.* Hac in re non soli infideles, sed etiam quidam critici catholici iniuriam committunt, sic loquentes, quasi illi, qui „traditionalem" sententiam de veritate sacrorum librorum sequuntur, omnibus libris sacris eandem omnino absolutam veritatem in summo gradu tribuant, et singula Scripturae verba perfectam expressionem scientiae divinae esse velint. Hac ratione parant sibi adversarios, quos vincere non est difficile, quibus devictis concludunt: Ergo traditionalis sententia est falsa, et principia critica nostrae aetatis (a criticis infidelibus statuta) sunt amplectenda. Exponunt e. g., quid requiratur ad librum vere historicum, et haec postulata ita exaggerant, ut, si rationabilia essent, nullus umquam liber vere historicus exstitisset. Solus enim homo, qui haberet omniscientiam divinam, talem librum scribere posset. Atqui omniscientiam hagiographi non habuerunt; ergo tales libros non confecerunt. Non tamen inde iure colligitur: Ergo libri sacri historici eandem tantum fidem merentur quam alii libri historici, immo minorem quam multi libri recentes, quia illa aetate principia historiographiae erant mediocriter nota. Haec conclusio aliquid forsitan valeret, nisi tota suppositio argumentationis esset falsa. Neque enim liber historicus, eo quod est inspiratus, ea perfectione eminere debet, qua maior concipi nequit in eo genere. Cavet quidem Deus, ne in libro inspirato ut verum affirmetur, quod falsum est, at non efficit, ut omne verum dicatur, quod materialiter ad obiectum libri pertinet, neque efficit, ut perfectissimo modo dicatur. Secundum sententiam „traditionalem" liber inspiratus non est eiusdem perfectionis atque scientia divina, ex qua manat, quia charisma inspirationis est imperfecta participatio luminis divini. In libris inspiratis Deus non per se ipsum more divino, sed per homines more humano ad homines loquitur[1]. Habent igitur libri inspirati suas humanas imperfectiones, exclusa sola falsitate. Unde veritas librorum sacrorum neque est absoluta veritas divina neque est defectibilis veritas hominis suis viribus relicti, sed est veritas hominum speciali Dei adiutorio ab errore immunium in scribendo.

498. *Cum hac quaestione de veritate narrationis non est confundenda quaestio de arte critica historiographi.* Potest enim aliquis, qui principia critica numquam didicit, solo sano sensu ductus, vera narrare, homo vero principiis criticis imbutus veritatem fortasse pervertere. Ad vera cognoscenda et referenda non necessario praerequiritur institutio artis criticae. Male providisset Deus generi humano, si theoria

---

minusve indeterminate vel summatim loqui; attamen verum quoque est aliam esse veritatem historicae narrationis, aliam veritatem propheticae visionis.

[1] Cf. supra n. 121 170.

critica esset condicio necessaria ad vera cognoscenda et dicenda. Non ita est. Quae requiruntur ad veritatem logicam et moralem, Deus naturae indidit, ut, modo quis sit rationis capax eaque utatur, ab errore se tueri et veritatis particeps fieri possit in iis, quae eum scire oportet. Hinc narratio hominis solo sano sensu utentis verior esse potest quam narratio hominis in principiis criticis bene versati. Ergo etsi historiographi sacri eruditi non erant in arte critica, non sequitur eos ideo minus esse fide dignos. Neque ad hoc, ut vera narrarent, necesse erat eos a Deo supernaturaliter infusam accipere scientiam criticam, sicut neque ad hoc, ut quidam ex hagiographis essent poetae vel oratores, necesse erat iis revelari praecepta artis poeticae vel rhetoricae. Deus potest etiam homines, solis facultatibus innatis cognoscendi et dicendi verum utentes, ita iuvare, ut vera sine admistione errorum referant. Itaque qui differentiam inter historiam criticam et historiam non criticam (sensu technico) sic effert, quasi historia non critica sit semper minus vera, quam historia critica, ipse principiis criticis non recte utitur [1]. Sensus sanus cum adiutorio divino est securius pignus veritatis quam principia critica hominis suis naturalibus viribus relicti. Neque tamen ea de causa neglegenda est differentia inter historiographum criticum et narratorem principiis criticis non imbutum; nam modus dicendi, eligendi, disponendi res erit diversus. Consequenter non raro narratio aliter et aliter erit intellegenda et interpretanda. Interim tamen hoc firmiter tenendum est: historiographos sacros, non obstante defectu theoriae criticae, fuisse moraliter et logice veridicos. Fuerunt veridici, non tamen omniscii.

Propterea possunt hagiographi suas dubitationes exprimere, indeterminate loqui, ignorantiam fateri, possunt omittere non ea tantum, quae ignorant, sed quaedam etiam ex iis, quae sciunt. Ob eandem rationem, quia agitur de scriptis vere humanis, communes leges interpretationis iis applicandae sunt, etsi hae solae non sufficiunt. Itaque quae metaphorice dicta sunt, non sunt sensu proprio accipienda; quae condicionate dicta sunt, non sunt absolute sumenda; quae cum certis limitationibus vel determinationibus affirmantur, non sunt interpretanda ut affirmationes categoricae et universales. Si sacer scriptor et per

[1] De exaggerata a quibusdam differentia inter historiam criticam et historiam antiquam vide *Razón y Fe* X, Madrid 1904, 454 sqq, seu, quod idem est, *L. Murillo*, „Critica y Exegesis", Madrid 1905, 17 sqq. Ad ea, quae ibi dicuntur, etiam haec addere licet: Theologi liberaliores ex una parte dicunt historiographos sacros caruisse principiis criticis; ex altera parte dicunt eosdem historiographos saepe significare se solum collegisse veteres traditiones orales vel vetera documenta scripta; immo interdum documenta contradictoria iuxta posuisse, nullo facto conatu ea conciliandi, ut sic attentos nos redderent se esse compilatores tantum neque ullo modo velle respondere de veritate rerum citatarum, sed de sola veritate citationum. Talis autem agendi ratio quid est nisi critica? Ergo quia critici non fuerunt, errores populares sine scrupulo receperunt; et tamen magna cum religione servarunt principia critica. Nonne hae duae assertiones etiam aliqua crisi indigent?

eum Deus testatur haec et haec a quibusdam narrari, non testatur eo ipso has narrationes esse veras. Quare iam supra [1] monuimus attendendum esse, quis et quomodo in Sacra Scriptura loquatur.

499. Sed ex iis, quae hucusque exposuimus, nova quaestio oritur. Cum in Sacra Scriptura loquatur Deus per hagiographos, et cum scientia divina scientiam hagiographorum superet, per se fieri potest, ut Deus verbis, quae homo scribit, plus velit significare, quam hagiographus ipse concipiat. Quis igitur est verus sensus Scripturae, ille solus, quem hagiographus intendit, an fortasse etiam altior quis, quem Deus intendit, seu *potestne verbis Scripturae convenire plus veritatis, quam ipsi hagiographi intellexerunt et intenderunt?* Quaestio haec non est nova, sed e. g. iam a Richardo Armachano tractatur [2], immo iam a SS. Patribus tangitur. Omittamus sensum typicum, quia is non tam est sensus verborum quam significatio quaedam rerum verbis expressarum [3]. Respiciamus solam significationem verborum.

Plures recentes theologi statuunt hanc regulam ut omnino certam: Sententia divina, quae in Sacra Scriptura proponitur, eadem est, quam Deus produxit in mente scriptoris sacri. Consequenter eodem sensu intellegenda est, quo sacer scriptor eam intellexit et nobiscum communicare voluit. *Quidquid scriptor dicere noluit, neque Deus dicere voluit.* Hinc unica norma sanae exegesis est quaerere, quid hagiographus dicere voluerit. Dictis eius subicere ampliorem sensum, quam quem ipse intendit, nihil aliud est nisi suis inventis amplificare velle sensa Spiritus Sancti. Omnia quidem, quae in Scriptura docentur, Deus ipse docet; sed ipse non docet quidquam, quod hagiographus non docet; nec hagiographus quidquam docet, quod non vult docere. Inspiratio non mutat neque sensum terminorum neque proprietates propositionum neque genus litterarium librorum. Haec igitur considerandа sunt, ut inveniatur, quid hagiographus affirmare velit. Affirmationibus autem eius categoricis, cum certitudine inventis, absolute assentiendum est. Via inveniendi indicatur communibus hermeneuticae praeceptis, quia propositio inspirata eodem sensu et sub iisdem condicionibus est categorica atque quaevis propositio non inspirata.

500. Haec expositio sine dubio vera est, quatenus asserit Deum velle per Scripturam ea dicere, quae hagiographus dicere vult, nec quidquam, quod in verbis hagiographi nullo modo continetur, cum Deus per hagiographum loquatur ut per instrumentum rationis compos [4]. Ergo si invenimus sensum hagiographi, invenimus sensum Dei. Sed *numquid absolute affirmandum est hagiographos omnia perfecte*

---

[1] Supra n. 436 sqq. [2] Supra n. 191. [3] Supra n. 387.
[4] Supra n. 379 413.

intellexisse, quae Deus eorum verbis exprimere voluit, etiam omisso sensu typico? Ad hanc quaestionem *negative respondendum est,* si credimus quibusdam doctoribus, quorum auctoritas omni exceptione maior est. *S. Augustinus* ait: „Forsitan nec ipse Ioannes [de Verbo] dixit, ut est, sed et ipse, ut potuit, quia de Deo homo dixit, et quidem inspiratus a Deo, sed tamen homo. . . . Quia vero homo inspiratus non totum, quod est, dixit, sed, quod potuit homo, dixit." [1] *S. Hieronymus* ad verba Pauli (Eph 3, 5) dicentis mysterium incarnationis praeteritis generationibus fuisse ignotum, obicit sibi, quomodo potuerit prophetis esse ignotum, qui id praedixerint, et respondet: „Sic, quomodo nunc revelatum est sanctis eius et apostolis, nescisse patriarchas veteres et prophetas; aliud est enim in spiritu ventura cognoscere, aliud ea cernere opere completa." [2] *S. Thomas:* „Sciendum, quod, quia mens prophetae est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut factis Spiritus Sanctus intendit." [3] *Suarez:* „Advertendum fieri posse, ut verba prophetae aut visio illi demonstrata plura mysteria contineat, quam ipse intellegentia percipiat, quia, cum prophetae lingua et mens sint Spiritus Sancti instrumenta, quae non adaequant virtutem principalis agentis, non est necesse omnia intellegi a prophetis, quae Spiritus Sanctus intendit." [4] *Leo XIII,* postquam dixit in Scripturae expositione diligenter servanda esse „probata communiter interpretandi praescripta", praeterea monet: „Animadvertisse oportet ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris intellegendis fere occurrunt, proprias aliquas in libris sacris accedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiciuntur, quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria, et quae cum illis continentur, alia multa; idque nonnumquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videntur; alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda, vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros libros involvi, ut ad eos nisi aliquo viae duce nemo ingredi possit, Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio SS. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent, intellegerentque praecipue Scripturas Deum tradidisse ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissime uterentur." [5]

501. Hae igitur auctoritates docent *subesse saepe verbis Scripturae altiorem sensum, quam qui communibus interpretandi praeceptis in-*

---

[1] Supra n. 121. [2] Supra n. 111. [3] Supra n. 172.
[4] Supra n. 292. [5] Encycl. „Providentissimus Deus", Ed. Herder, 35 sq.

veniri possit, et ipsos hagiographos non semper totam amplitudinem sensus verborum inspiratorum comprehendisse. Cuius rei *rationes* sunt plures. *Imprimis* saepe verbis Scripturae enuntiantur altissima mysteria, in quorum intellectu ecclesia, adiuvante Spiritu Sancto, paulatim crescit. *Secundo,* in Vetere Testamento non solus intellectus revelationis, sed ipsa quoque revelatio paulatim aucta est. Unde primi hagiographi non cum eadem claritate perspexerunt, quae annuntiabant, qua posteriores hagiographi, ut e. g. futuram redemptionem generis humani. *Tertio,* si agitur de vaticiniis, melior eorum commentarius non habetur quam impletio; quare ii, qui impletionem viderunt, possunt verba prophetae perfectius intellegere quam propheta ipse, et fortasse in verbis eius sensum detegere, quem ipse propheta suspicatus non erat. Isaias, etsi dicitur scripsisse evangelium ante Christum, censendus non est tam completam notitiam eventuum, de quibus vaticinatus est, habuisse atque evangelistae, qui res factas narrarunt. Ergo bene fieri potuit, ut Deus per verba Scripturae aliquid significare vellet, quod ipsi hagiographi non perspexerunt. Ideo ad Scripturam rite exponendam sola praecepta hermeneutica non sufficiunt, sed recurrendum etiam est ad traditionem ecclesiae, cui Deus cum Scriptura dedit charisma rectae expositionis.

Haec, quae de modo veritatis biblicae diximus, simul cum iis, quae antea discussimus de variis personis, quae in Scriptura loquuntur [1], si diligenter servantur, serviunt ad removendas plurimas difficultates, contra inerrantiam Sacrae Scripturae obiectas. Quia vero ex parte disciplinarum physicarum et ex parte historiae speciales obiectiones fiunt, hae duae classes difficultatum in specie considerandae sunt.

ART. IV.

QUOMODO VERITAS SCRIPTURAE SE HABEAT AD DISCIPLINAS PHYSICAS.

502. *Deus Sacram Scripturam dedit hominibus ad eos promovendos in via salutis, non ad dandas institutiones pure saeculares.* „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus“ (2 Tim 3, 16, 17). Valet de hagiographis, quod *S. Augustinus* ait de apostolis: „Non legitur in evangelio Dominum dixisse: Mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos.“ Ideo idem doctor quoad quaestionem de forma et figura caeli visibilis monet „Spiritum Dei, qui per ipsos [hagiographos] loquebatur, noluisse ista docere homines, nulli saluti profutura“ [2]. Negari tamen nequit in Scriptura multa dici de sideribus, plantis, animalibus, aliis

[1] Supra n. 436 sqq. [2] Supra n. 124.

rebus naturalibus seu physicis, sicut etiam multa historice narrantur, quae ex se ad salutis ordinem non spectant, ut de genealogiis, bellis, privatis hominum negotiis.

503. Quae cum ita sint, solent theologi distinguere inter ea, quae sunt *revelata per se,* et ea, quae sunt *revelata per accidens,* in qua distinctione illud „per se" et „per accidens" non refertur ad Deum revelantem, sed ad rem revelatam, quatenus ea aut talis est, ut ad eius cognitionem revelatio supernaturalis absolute necessaria sit, aut talis, ut absolute etiam solis viribus naturalibus cognosci possit. Per se revelata sunt mysteria SS. Trinitatis, incarnationis, totus ordo supernaturalis. Per accidens revelata sunt, quae solum revelata sunt propter nexum historicum vel logicum, quem habent cum veritatibus per se revelatis. Cum enim Deus revelationem non dederit per modum alicuius Catechismi vel Compendii theologici continentis abstractas propositiones, sed educando via historica humanum genus ad faciendos progressus in religione et moribus, non potuit fieri, quin libri, quibus revelatio divina consignata est, revelationem historice factam historice quoque referrent; idque Deus intendit, ut hoc modo magis elucescant insignia providentiae divinae opera, quibus homines ad salutem ducuntur. Hinc rationi consentaneum est, quod maxima pars Scripturae sunt libri historici, ad quos accedunt libri prophetici, quibus futura, praedicuntur, ut, cum facta fuerint, eo manifestius appareant opera divina; libri poetici, quibus magnalia Dei glorificantur; libri didactici, quibus veritates revelatae theoretice exponuntur. Iamvero ex hac indole sacrorum librorum intellegitur, cur multa in iis conscripta sint, quae ex interna natura sua ordinem naturalem non transcendunt. Haec enim pertinent ad illum ordinem historicum, in quo revelatio facta est; qui nexus cum his rebus sit per se extraneus, talia dicuntur per accidens pertinere ad ordinem supernaturalem et per accidens esse revelata. Quae per accidens revelata sunt, saepe non aliter revelata sunt nisi per ipsam inspirationem, quatenus scilicet in libris historicis Scripturae referuntur.

504. *Quaecumque autem revelata sunt, et quomodocumque revelata sunt, Dei verba sunt, quibus fidem denegare non licet.* Ergo sive ex se ad ordinem naturalem, sive ad ordinem supernaturalem pertinent, vera sunt propter auctoritatem Dei ea affirmantis. Quidquid cum indubio sensu Scripturae pugnat, error est, quia contraria eorum, quae Deus dixit, vera esse nequeunt. Nihilominus *distinctio inter revelata per se et revelata per accidens est magni momenti, si agitur de conservatione et expositione sacrorum librorum.* Nam Deus, etsi non potuit aliquid falsi inspirando dicere, potuit tamen permittere, ut ea, quae ipse recte dixerat, incuria et malitia hominum corrumperentur in iis solis, quae neque ad salutem hominum necessaria sunt

neque ad historiam oeconomiae salutis essentialiter pertinent, ut sunt e. g. numeri militum alicuius exercitus vel annorum alicuius regni. De qua re *S. Hieronymus* ait: „Relege omnes et Veteris et Novi Testamenti libros, et tantam annorum reperies dissonantiam et numerum inter Iudam et Israel, i. e. inter regnum utrumque confusum, ut huiusmodi haerere quaestionibus non tam studiosi quam otiosi hominis esse videatur.“ [1] Quod vero interpretationem attinet, saepe ea, quae per accidens revelata sunt, diversas expositiones admittunt, et quia eaedem res etiam sunt obiecta cognitionum naturalium, non raro disciplinae naturales possunt in auxilium vocari ad rectam expositionem inveniendam vel saltem ad falsam expositionem cavendam, quia in his rebus nulla expositio Scripturae potest esse vera, quae pugnat cum cognitionibus naturaliter certis. Nam, ut ait *Vaticanum*, „nulla umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere“ [2]. Ea vero, quae per se revelata sunt, rationi humanae sibi relictae inaccessa sunt.

505. Cum eaedem res et fide et ratione naturali attinguntur, ex natura rei quidem fides et ratio sibi mutuo auxilium ferunt, sed propter infirmitatem aut malam voluntatem hominum, donis Dei non recte utentium, loco mutui auxilii saepe dissidia et bella orta sunt, quatenus disciplinarum naturalium studiosi, praetendentes principia scientiae, dogmata revelata impugnaverunt; aut theologi iis, quae revelata censebant, innixi, scientiae postulata reiecerunt. Talis pugnae campus fuit iam prima pagina Scripturae, in qua multi rerum physicarum periti tot fere viderunt errores, quot sunt sententiae, dum theologi non pauci propter Hexaëmeron systema geologiae reiciendum esse putabant. Hoc autem bellum ortum non esset, si utrique et theologi et physici semper secuti essent principia illa, quae sana ratio dictat, et quae inde a primis saeculis ecclesiae agnita et inculcata sunt. Audiamus quaedam testimonia.

S. Augustinus tria monet: a) Neque a theologis neque a physicis quidquam, quod incognitum sit, pro cognito temere asserendum esse. b) Scripturam immunem esse ab omni errore, idque firmissime credendum esse, etiamsi obiectiones solvere non possimus. c) Scripturam de rebus naturalibus loqui non ad amussim scientiae, sed se accommodare conceptibus popularibus.

„In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae possint salva fide, qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita proiciamus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, cor-

[1] Supra n. 114. [2] *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 4; *Denzinger,* Enchir. n. 1645.

ruamus; non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quae nostra est, cum potius eam, quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus." Secus ipsius Scripturae auctoritatem in periculum adducimus, quia de terra, sideribus, plantis, animalibus etiam illi, qui Scripturae non credunt, aliquid „certissima ratione vel experientia tenent". Unde si audiunt Christianos, ad Scripturam provocantes, his contradicere, irrident „auctores nostros", eosque tamquam indoctos reprehendunt atque respuunt. Ideo ipse, inquit, „librum Genesis multipliciter enucleavi . . . non aliquid unum temere affirmans cum praeiudicio alterius expositionis, fortasse melioris, ut pro suo modulo eligat quisque, quod capere possit; ubi autem intellegere non potest, Scripturae Dei det honorem, sibi timorem". Contra vero, si physici manifeste contra Scripturam loquuntur, non veras doctrinas sed falsas opiniones tenent. „Didici non haerere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus, qui calumniari libris nostrae salutis affectant, ut, quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, i. e. catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum." Haec S. Augustinus copiosius exponit in libro primo de Genesi ad litteram c. 18 sqq, et in libro secundo c. 9 addit Spiritum Sanctum internas rerum naturas noluisse revelare, cum haec notitia ad salutem nihil onferat [1].

506. Medio aevo *S. Thomas* eadem principia inculcat.

„Quaedam sunt per se substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum, et huiusmodi, in quibus nulli licet aliter opinari. . . . Quaedam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse, . . . et in his etiam sancti [Patres] diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est, quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incepisse creatum, et hoc omnes sancti concorditer dicunt. Quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cuius veritatem diversa expositione sancti salvantes diversa tradiderunt." [2] „In huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda: primo quidem, ut veritas Scripturae inconcusse teneatur; secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne iis via credendi praecludatur." [3] Praeterea Scriptura non loquitur, ut docti loqui solent, sed „Moyses rudi populo condescendens, secutus est, quae sensibiliter apparent." [4]

507. Haec Augustini et Thomae principia nostris temporibus sua auctoritate approbavit *Leo XIII.*

Monet theologos „congrediendum cum iis, qui sua physicorum scientia abusi sacros libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam

[1] Cf. supra n. 122 124. [2] In 2 Sent. dist. 12, a. 2.
[3] Sum. 1, q. 68, a. 1. [4] Ib. q. 70, a. 1 ad 3.

rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. . . . Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant". Si tamen dissenserint et physici refutandi fuerint, in consideratione sit primum sacros scriptores noluisse intimam adspectabilium rerum constitutionem homines docere, „quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in cotidiana vita ipsos inter homines scientissimos". Sic igitur sacer scriptor seu Deus ipse tales res communi more humano ad captum hominum significat. Dein vero in defensione Scripturae „non omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres, aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint, qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem, aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu" in his, quae sunt de necessitate fidei; nam in reliquis licuit illis et licet nobis diversimode opinari. Ex altera vero parte „quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata" [1].

508. His suppositis patet *non posse e. g. esse ullam contradictionem inter primum caput Genesis et scientiam physicam.* Nam primo capite Genesis hoc unum per se revelatum docetur totum mundum a Deo ex nihilo creatum esse, et quidquid materiae, virium, legum in se habet, a Deo accepisse. Quod si physici negant, utique contra revelationem pugnant, pugnant autem non innixi postulatis scientiae, sed opinione a sana philosophia prorsus aliena. Si vero creatione admissa de modo et ordine, quo formatio mundi processerit, certa quaedam physici probare possunt, nihil obstat, quominus secundum has probationes Hexaëmeron exponatur; immo secundum probabiles physicorum hypotheses probabilis expositio fieri potest, quae quidem, quia probabilis tantum est, postea fortasse relinquenda erit. Neve dicas: Sic primum caput Genesis fit quoddam quasi caleidoscopum, quod ad omnem conversionem novas imagines exhibet. Nam illud caput semper manet, quod est: popularis expositio formationis mundi ad nutum et arbitrium Dei factae. Quod autem mutatur et novas formas induit, est solutio quaestionis, quid illi populari expositioni in rerum natura respondeat. Aliud est enim significatio verborum, quae in primo capite Genesis non magnam difficultatem annexam habet, aliud quaestio, pro quibus rebus haec verba supponant, seu quid illis verbis obiective respondeat. Solutio huius quaestionis non est ullius momenti ad servandam illam veritatem dogmaticam, quam sacer auctor inculcare

[1] Encycl. „Providentissimus Deus", Ed. Herder, 53 sqq.

voluit, scilicet omnia, quae in hoc adspectabili mundo apparent, ad unum Deum ut causam primam reducenda esse. Sed est alicuius momenti quoad scientificam exegesim Hexaëmeri.

Estne illa divisio operum Dei pure logica, an indicat successionem temporalem? Quo sensu dicuntur sex dies? Cur prima die fit lux, et quarta die sol et alia sidera? Responsum varium erit pro variis hypothesibus vel fortasse etiam thesibus, a quibus interpres procedit. Ante saeculum XIX plerique exegetae dicebant non esse recedendum ab obvio sensu verborum, sed admittendum Deum opus formationis mundi perfecisse sexies vicenis quaternis horis. Non dicebant hoc esse de fide, quia Athanasius, Augustinus, alii docuerant Deum omnia simul tempore fecisse; sed quia geologia, palaeontologia, astronomia recens tunc ignotae erant, non videbant rationem relinquendi sensum litteralem obvium. Vere prudenter agebant, quamdiu suam sententiam hac sola negativa ratione fulciebant neque putabant eam positive ut unice possibilem et certam probari posse. Postea inventae sunt rationes, quibus sufficienter ostenditur mundum non tam brevi spatio esse formatum. Tunc quaestio exsurgebat: quid ergo volunt sibi sex isti dies mosaici? Eos coincidere cum periodis geologicis multorum opinio erat saeculo XIX, quae nunc ob difficultates obstantes relicta est. Recurrerunt alii ad „theoriam idealem", secundum quam Moyses divisit opera divina ita, ut haberetur praeformatio quaedam hebdomadae israeliticae; alii ad sex visiones, quibus Deus opus formationis mundi revelaverit ad instar sex dierum operationis divinae. Hae et aliae theoriae tolerantur ab ecclesia, et cuivis liberum est eam amplecti, quae ei verisimilior videtur. Quamdiu vero nulla earum ita stabilita est, ut omnibus arrideat, expositio Hexaëmeri mutationibus erit obnoxia; sed independenter ab omnibus theoriis stat textus Scripturae, quo Deus dicitur creasse regnum lucis, regnum aëris et aquae, terram firmam, et in regno lucis sidera, in regno aëris et aquae volucres et aquatilia, in terra animalia terrestria et hominem produxisse. Cur Moyses ita tria regna distinxerit, et cur sexies de vespere et mane et diebus locutus sit, partim Scriptura indicat, partim ingenio hominum investigandum relinquit. Divisio triplicis illius regni, ut divisio siderum in maiora et minora, et divisio animalium est secundum apparentiam. Dies sex esse exemplar dierum operationis humanae et septimum diem exemplar sabbati Scriptura ipsa docet (Gn 2, 3. Ex 20, 11; 23, 12). Operatio autem humana finitur vespere, et proximo mane incipit nova operatio; ergo secundum humanum concipiendi modum finis operis divini recte vocatur vespera, et incohatio novi operis mane. Consequenter quoad ea, quae Scriptura docere voluit, textus neque indiget theoria conformismi, neque theoria ideali, neque theoria visionum, neque theoria traditionis gentilis vel familiaris, neque ulla alia theoria, sed stat sibi solus.

Alia omnia utilia esse possunt ad scientiam excolendam, sed sunt extra ambitum eorum, quae scriptor sacer intendit. Ideo sermo esse nequit de pugna inter scientiam naturalem et Hexaëmeron; numquam enim ostendi potest verba primi capitis Genesis necessario eam postulare expositionem, quae cum postulatis scientiae conciliari nequeat, cum textus sacer ad geologiam, palaeontologiam, astronomiam plane indifferenter se habeat. Quare viri docti in studiis saecularibus neque auxilium a Scriptura exspectare neque obstacula timere debent.

509. *Cum Scriptura de rebus physicis populari modo loquatur, non magis rationabile est ei hoc ut peccatum contra veritatem obicere, quam si quis vituperaret homines nostrorum temporum, quod in communi vita eodem modo loquuntur.* Omnes loquimur de solis ortu et occasu, de caeli convexis, unde pluvia veniat, de terra firmiter stante, omnes pro usu communi eligimus geocentricum situm. Nemo nos ideo mendacii aut simulationis accusat. Cur Scripturae non liceat, quod nobis licet? Si illi quoque viri nostrae aetatis, qui meliorem rerum naturalium notitiam habent, in familiari vita communibus formulis utuntur, ut ab hominibus statim intellegantur, potuit etiam Deus loquens ad homines eorum captui et moribus se accommodare, immo non potuit ita loqui, ut ab iis, quibus libri sacri primum destinabantur, verba sua omnino intellegi non possent. Neque voluit Deus sive illis Iudaeis sive posterioribus hominibus institutiones geologicas, astronomicas, zoologicas, botanicas tradere. Atqui si homines in Scriptura non quaerunt doctrinam, quam proponere noluit, si neque theologi neque physici ut certa exhibent, quae probare nequeunt, hoc genus difficultatum, quod ex disciplinis naturalibus contra Scripturam olim a multis urgebatur, magis magisque evanescet.

510. *Manebit tamen fortasse quibusdam hic scrupulus, quod magna est differentia inter scriptores sacros et recentes homines loquentes secundum apparentiam sensuum.* Nos enim scimus res aliter se habere, atque communis lingua indicare videatur; hagiographi autem putabant se verbis suis res significare, prout revera essent; et sic ipsi errabant, nos vero non erramus. *At tota haec difficultas nititur supposito manifeste falso.* Nam si loquimur de solis ortu et occasu et similibus, non cogitamus in secreta mente: Noli tamen me tam stultum habere, quasi nesciam, quomodo res obiective se habeant! Sed simpliciter abstrahimus ab intima rerum natura et significamus verbis ea, quae sensus referunt. Unde tales locutiones non minus verae sunt in ore idiotarum quam in ore doctorum, cum neuter velit iis scientiam suam expromere. Sic etiam plane extra statum quaestionis est, quas ideas de rerum adspectabilium naturis hagiographi in mente repositas habuerint, cum solum id agatur, quid verbis dixerint. Sine dubio de rebus physicis multos conceptus non rectos habuerunt. Sed quia noluerunt esse doctores rerum physicarum, sed secundum communem hominum consuetudinem loqui, nullum errorem docuerunt. Scientia vel ignorantia eorum, qui volunt solum verbis efferre, quod sensibus apparet, pure concomitanter se habet ad ea, quae dicuntur, neque ullo modo influit in veritatem vel falsitatem dictorum. Ergone, quando sacer scriptor loquitur de caelo caeruleo ut de firmamento, possumus distinguere inter eius subiectivam opinionem et obiectivam verborum significationem? Non solum possumus, sed etiam debemus, nisi ei iniuriam inferre et nobis ipsis notam inscitiae inurere volumus.

Iniuria est eum, qui non vult scientifice loqui (sive hoc potest, sive non potest), sed usitato hominum more, accusare peccati commissi contra scientiam et veritatem. Inscitia est ignorare iis, quae concomitanter tantum in scriptore sunt, non esse tribuendam ullam rationem causalitatis relate ad eius dicta.

Dices: Unde igitur scimus hagiographos habuisse falsos conceptus de rebus physicis, nisi hoc verbis expresserunt? *Respondeo:* Certo non ex populari eorum loquendi modo hoc scimus; sed quia scimus, quibus temporibus vera rerum physicarum notitia in libris scientificis paulatim apparere coeperit, eo ipso scimus homines ante ea tempora talem notitiam non habuisse. Potuit quidem Deus in hagiographis scientia infusa anticipare cursum naturalium disciplinarum; sed quia nullam habemus rationem admittendi eiusmodi influxum praeternaturalem, recte supponimus hagiographos de rebus physicis non plus scivisse quam reliquos homines illorum temporum.

511. *Numquid concludendum est: hagiographi, quia scientifice locuti non sunt, nihil de rebus physicis dixerunt?* Utique non dant institutiones physicas; sed quando in communi vita de ortu et occasu solis, de caelo adspectabili aliisque similibus loquimur, numquid nihil dicimus? Nihil dicere est sane otiose loqui. Ergo populari modo loqui estne otiosa verba proferre? Minime vero, cum ad usum vitae non solum licitum, sed etiam necessarium sit ita loqui. Probabiliter usque ad finem mundi homines de motu solis loquentur, et secundum eius apparentem motum negotia sua distribuent et disponent. Carere scientificis expositionibus potuerunt homines per multa saecula, et plurimi etiam nunc carere possunt; sed carere lingua secundum sensibilem apparentiam formata nemo potest. Haec lingua non minus significat veras realitates quam lingua ad scientiae amussim formata. Unde si scriptor sacer ait: Hoc firmamentum, quod oculis videmus, Deus fecit et sideribus implevit; ipse sua omnipotentia divisit aquas, ut pars earum suspenderetur in firmamento, pars vero flueret in terra; ipse separavit maria ab arida; ipse produxit plantas et animalia et tandem hominem; si, inquam, singula, quae homines antiquos etiam magis quam nos admiratione afficiebant, enumerantur et ad divinam omnipotentiam referuntur, non est haec vacua locutio, sed sensus plena, qua efficacissime effertur: Haec omnia non sunt dii, quos colere debetis, sed opera unius Dei omnipotentis, cui soli pro his omnibus debetur gloria et gratiarum actio. Non intima rerum natura erat, qua ad idololatriam seducebantur illi homines, sed magnifica apparentia externa. Ergo de hac ipsa externa apparentia erudiendi erant et docendi, non „militiam caeli“, non virtutes elementorum adorari oportere, sed Dominum virtutum, qui solus est rex gloriae.

Idololatrae „aut ignem aut spiritum aut citatum aërem aut gyrum stellarum aut nimiam aquam aut solem et lunam, rectores orbis ter-

rarum, deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit" (Sap 13, 2 3). De specie agebatur, non de intima rerum natura; et quia singulae species singulos deos habebant, singulae species recensendae et ad Deum Creatorem et Dominum earum referendae erant. Multo plus praestitit Spiritus Sanctus abducendo homines a cultu creatae speciei, quam si tradidisset compendium disciplinarum naturalium, quas homines suis viribus per decursum temporum inventuri erant, quas antiqui populi intellegere non poterant, quas omnes homines sine detrimento salutis aeternae ignorant. Addere licet etiam multis viris doctis nostrae aetatis multo utilius fore, si carerent scientia intima rerum, qua gloriantur, et ex iis, quae sensibus apparent, ad cognitionem et agnitionem Dei ascenderent. Scientia bona est et utilis, cognitio Dei optima et necessaria. Melior igitur est popularis notitia ad Deum adducens scientia inflante.

ART. V.

DE DIFFERENTIA QUADAM INTER RES PHYSICAS ET RES HISTORICAS.

512. Cum homines de rebus physicis loquuntur, in quantum hae sensibus percipiuntur, huic loquendi modo obiective non respondet nihil, sed res et eventus omnibus nota. *Si vero aliquid ut factum narratur, quod revera factum non est, obiective nihil respondet, sed totum est aut error aut mendacium.* Hoc valet, si is, qui narrat, verum factum historicum se narrare affirmat. Nihilominus potest fieri, ut quis sine errore et mendacio sub specie historicae narrationis ea referat, quae vere facta non sunt, idque dupliciter: primo si explicite vel implicite significat se proponere narrationem, non ut agat historicum, sed solum ad hoc, ut sub forma historica doctrinam aliquam veram et utilem vividius efferat, vel ut audientes et legentes delectet tantum; secundo, si dicit se velle referre, quae ab aliis relata audierit, neque se vadem veritatis dictorum exhibet. Fabulae, parabolae, libri romanenses qui dicuntur, non sunt ex genere suo mendacia neque errores, quia quivis prudens scit iis non referri res vere gestas, sed aut solam delectationem aut instructionem moralem vel aliam qualemcumque intendi. Tales igitur libri fiunt fallaces et mali tum solum, cum falsam doctrinam disseminant vel ad vitia legentes provocant. De fictis narrationibus, quae traduntur ut fictae vel saltem ut abstrahentes a veritate historica, hic non agimus, quia, in quantum talia occurrunt in Sacra Scriptura, sufficiunt ea, quae iam dicta sunt[1]. Hic sermo est de solis libris historicis, qui sunt Pentateuchus, Iosue, Iudicum, Regum,

[1] Supra n. 399 492.

Paralipomenon, Esdrae, Nehemiae, Machabaeorum, Evangelia, Actus apostolorum, et secundum communem sententiam libri Ruth, Tobiae, Iudith, Esther, item quaedam partes aliorum librorum, ut Is 38 et 39, Dan 1 sqq 13 14. In his libris saepe allegantur aliorum dicta vel scripta. Quando Scriptura solum testatur ea esse ab aliis dicta, haec dicta possunt esse falsa, quemadmodum e. g. falsa sunt, quae in cap. 13 Danielis senes iudaei contra Susannam narrant (13, 36 sqq). Neque de his „citationibus" hic agimus, sed postea de iis sermo erit.

513. Quaestio igitur unica hic est: *Licetne in libris historicis Sacrae Scripturae eadem vel simili ratione admittere locutionem secundum apparentiam et veritatem relativam atque in iis partibus Scripturae, in quibus sermo est de phaenomenis physicis?* Solutio inde pendet, utrum in narrationibus historicis possit esse veritas omnibus cognoscibilis, si res populari modo enuntiantur, i. e. non sicut interna factorum veritas postulat, sed sicut vulgus res narrare solet, an hic nihil medium sit inter veritatem stricte historicam et errorem. Quid igitur est, quo efficitur, ut modo loquendi secundum apparentias in rebus physicis sua veritas conveniat? Est notitia communis, quam omnes homines usu rationis praediti de hoc loquendi modo habent. Nemo est, qui nesciat, quid sibi velit is, qui loquitur de motu solis, de firmamento, de pluvia cadente de caelo. Quia omnes utuntur expressionibus, quarum sensus apud omnes est determinatus et minime ambiguus, omnes ab omnibus intelleguntur, nemo decipit, nemo decipitur. Plane autem aliter res se habet in historia. Hic enim non agitur de phaenomenis toti generi humano manifestis, sed de singulis factis et serie factorum, quae diu praeterierunt, quorum pauci ex toto genere humano testes fuerunt. Iam si alter alteri singulare factum narrat, alter plerumque nihil de hoc facto scit nisi ex ipsa narratione, neque facultatem habet de hoc facto iudicandi, nisi in quantum notitiam ex testimoniis haurit, et leges verisimilitudinis fortasse applicare potest. Ad hoc fit narratio historica, ut rerum praeteritarum notitiam accipiant ii quoque, qui rebus ipsis non interfuerunt. Atqui nisi narratio conformis est rebus, nulla notitia traditur, sed error spargitur. Hic non potest esse sermo de loquendi formulis, quas omnes homines ideo intellegunt, quia res, de quibus loquuntur, independenter ab illis formulis norunt. Quid sit solem oriri et occidere et similia, omnes homines sciunt; sed quomodo possunt scire, quid Abraham, David, Elias fecerint vel dixerint, nisi ex narrationibus historicis?[1] Ergo si hae narrationes referunt

[1] *Res geographicae* respectu narrationis sunt mediae inter res physicas et res historicas. Sicut facta historica, ita res geographicas plurimas discimus ex aliorum testimonio. Unde si quis de geographia falsos rumores spargit, in errorem inducit non minus quam is, qui proponit falsas narrationes ut facta historica. Ex altera

ut facta, quae facta non sunt, non iam ulla veritas manet, sed legentes in errorem ducuntur.

514. Est igitur haec *prima differentia inter narrationes historicas et popularem modum loquendi de phaenomenis physicis,* quod hic modus loquendi non adhibetur ad docendos alios res, quas ceteroqui nesciunt, sed potius refertur ad res omnibus hominibus notas ideoque neminem fallit; historica autem narratio praecipue instituitur ad docendos homines res, quas aliter nesciunt, ideoque, si a factis difformis est, fit ex natura sua fons errorum.

Alia differentia petitur ex historia sacra ut sacra. Cum enim interna natura rerum physicarum ad ordinem salutis non pertineat, oeconomia salutis in factis historicis saltem magna ex parte consistit. Utrum sol circa terram an terra circa solem volvatur, nullius ponderis religiosi est; utrum autem vera an falsa sint, quae de peccato protoparentum in Scriptura narrantur, est quaestio dogmatica fundamentalis. Si vera non sunt, quae in evangeliis de Christo narrantur, ruit religio christiana. Tota nostra fides supernaturalis innititur fundamento historico, non pendet a geologia, astronomia, physica, zoologia. Haec sunt tam evidentia, ut ulteriore explicatione non indigeant. Est igitur haec secunda differentia inter scientiam rerum physicarum et historiam sacram, quod haec intime cum salute hominum nectitur, illa plane extranea est a fine supernaturali.

Unde oritur *tertium discrimen.* Deus enim, qui scientiam naturalem tradere noluit, multa facta historica revelavit et hominibus credenda proposuit. Unde in ipso symbolo apostolico quorundam factorum professio fit: „Credo in Iesum Christum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelum". Haec sane comparari nequeunt cum phaenomenis physicis, sed neque multa alia, quae ad historiam

---

vero parte homines partim ex sua, partim ex multorum testium experientia multas notiones geographicas habent, quae constituunt simul cum aliis rebus scientiam physicam, quae omnibus plus minus communis est, et de qua populari modo loqui solent. Ita si quis in regiones valde longinquas profectus est, dicunt eum profectum esse usque ad terminos orbis terrarum. Montes altissimi dicuntur caelos tangere. In certas urbes dicuntur homines omnium nationum convenire. Sunt hi modi loquendi figurati, qui rationabiliter intellegendi, non ad litteram urgendi neque falsitatis accusandi sunt. Idem observandum est, cum in Scriptura legimus: „Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi, ex omni natione, quae sub caelo est" (Act 2, 5). „Fides vestra annuntiatur in universo mundo" (Rom 1, 8). Haec et alia non solum sunt superlationes, sed etiam supponunt mundum tunc notum; unde nullam relationem habent ad regiones illa aetate plane ignotas. Neque tamen ideo falsa sunt, sed ut alia humana dicta humano modo intellegenda. Unde nihil obstat, quominus hagiographus utatur notionibus geographicis tunc sparsis, etsi forte minus correctis; at ea, quae in his notionibus falsa sunt, non potest ipse ut vera affirmare.

sacram pertinent. Dicunt quidem Protestantes liberales fidem historicam et dogmaticam esse alienam a Protestantismo[1]. Quod si verum est, Protestantismus non est christiana religio, quippe quae sit religio positiva et historica. Quare alii Protestantes dicunt solam historiam Iesu Christi esse fundamentum religionis christianae, non vero historiam Veteris Testamenti, hanc igitur relinquendam esse inquisitionibus criticis. At Novum Testamentum ita cum Vetere cohaeret, ut hoc ruente etiam illud ruat. Ceterum non quid Protestantes sentiant, sed quae sit doctrina catholica, in quaestione est. Ecclesia autem non minus suscipit et veneratur ut divinos libros Veteris Testamenti quam Novi.

515. *Sunt tamen nonnulli theologi catholici, qui censent in narrationibus historicis Scripturae non minus inveniri popularem loquendi modum secundum apparentias, quam in sermone de rebus physicis.* Apparentia historica intellegitur traditio vulgaris de rebus gestis, quae cum scientia historica non concordat. *Hanc suam opinionem fulcire student auctoritate Leonis XIII,* qui post verba supra excerpta[2] ita pergit: „Haec ipsa deinde ad cognatas diciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri." His paucis verbis quidam utuntur ad varia artificia logica et rhetorica, quorum unum est, quod haec verba iungunt immediate cum illa sententia, sat longo intervallo separata: „Scriptor sacer ea secutus est, quae sensibiliter apparent, seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit more humano"[3]; unde concludunt: ergo secundum sententiam Leonis XIII etiam historiographi sacri ea secuti sunt, quae sensibiliter apparebant, et Deus locutus est de his more humano et ad captum hominum. At non oportet hunc artificiosum nexum construere, cum summus pontifex ipse mentem suam clare explicet. Postquam enim dixit factum quandoque esse, ut certa quaedam a speculatoribus naturae tradita, postea in dubitationem adducta et repudiata sint, et ut physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi in provincias philosophorum opinionum perversitate invaserint, statim ita pergit:

„Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum *enim* multos esse, qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla iis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae Sacrae ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus

[1] Supra n. 251. [2] Supra n. 507.
[3] Encycl. „Providentissimus Deus", Ed. Herder, 55 sq.

recte exciderint; quod considerate iudicandum est nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum. Fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps, cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae; at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem" et cetera, quae supra exscripsimus [1].

Itaque ex contextu Leo XIII ait: Sicut refutandi sunt naturae indagatores, si terminos disciplinae suae transgressi falsa statuunt pro veris, ita deinde haec eadem, quae de falsa scientia naturali diximus, transferri iuvabit ad historiam (et alias disciplinas); dolendum enim est, quod etiam historici interdum ex levitate vel malitia asserta historica minime probata contra Scripturam vertant. His autem non est respondendum illas partes Scripturae, quas aggrediuntur, aut non esse inspiratas aut earum scriptoribus humanis errores aliquos elapsos esse, sed ostendendum aut, si quis ostendere nequit, saltem firmiter tenendum est illas obiectiones esse inanes.

Hic est contextus, non artificiose efformatus, sed qualis in litteris summi pontificis sine ulla extranea interpretatione se offert, in quo contextu *non fit ullo verbulo mentio narrationis historicae secundum apparentiam tantum*[2]. Illi autem theologi, liberalioribus opinionibus biblicis faventes, hunc nexum construunt: Cum homines de rebus physicis saepe secundum apparentiam loquantur, idem transferri iuvabit ad historiam, in qua etiam secundum apparentiam loquuntur. Dolendum est enim, quod historici quidam infesto animo neque aequo iudicio Scripturam prosequantur, quibus concedendum nullo modo est errores in Scriptura inveniri, sed omni vi refutandi sunt. At hic contextus, quantum capio, nullus est, sed videtur potius logice excludi, idque eo magis, quod nulla paritas est inter fabulosam narrationem historicam et modum loquendi de ortu et occasu solis et similibus. Hic est verus, illa est falsa[3].

---

[1] Supra n. 343.

[2] Neque apparentiae historicae mentionem facit pontifex in posteriore parte epistulae, ubi indicat, quomodo difficultates historicae solvendae sint. Verba supra n. 344 dedimus.

[3] Si praeterea illud „iuvabit transferri" applicatur ad alias cognatas disciplinas, gravissimae erunt consequentiae. E. g. quidquid dicunt apostoli vel Christus ipse de scriptoribus sacris Veteris Testamenti, „secundum apparentiam", i. e. secundum popularem traditionem, loquuntur, eorum testimonia de veritate rei nihil dicunt. Idem valet de principiis philosophiae et ethicae naturalis, quae magna pars sunt librorum sapientialium. „Secundum apparentiam" dicta sunt, obiectivum valorem fortasse nullum habent. Periculum igitur est, ne immodica applicatione illius „iuvabit transferri" auctoritas Sacrae Scripturae valde diminuatur, eiusque libri fiant collectio dictorum secundum apparentiam, quae vix ad aliud utilia sunt nisi ad describendum statum mentis hominum tunc viventium. Quantum vero talis applicatio aberret ab intentione Leonis XIII, ostenditur litteris eius ad Ministrum generalem O. M. et ad episcopos Galliae datis, quarum verba supra (n. 345) rettulimus. Revocanda etiam in memoriam regula Indicis (Tit 1, c. 5): „Eidem reprobationis iudicio

516. Quamquam autem Leo XIII nihil dixit de historiographis sacris secutis ea, quae sensibiliter apparent, potest tamen quaestio poni, num in historia sacra admitti possit aliquid, quod respondeat modo dicendi secundum apparentiam. Iam antea animadvertimus *veritatem sacrorum librorum non esse veritatem omniscientiae divinae,* sed veritatem communicatam, neque in sacris scriptoribus modum concipiendi et loquendi fuisse divinum sed humanum [1]. Quare quidam dicunt libris sacris non convenire veritatem absolutam sed relativam. Haec tamen locutio est ambigua.

Veritas absoluta sensu plenissimo non est nisi Deus ipse eiusque cognitio; sed recte etiam illa cognitio vel affirmatio humana dicitur *absolute vera,* in qua nulla positiva difformitas est a vero obiectivo. Ita absolute verum est bis bina esse quattuor, totum esse maius sua parte; ita omnes propositiones metaphysicae sunt absolute verae. Sed etiam cognitiones, quae versantur circa ordinem physicum, recte dicuntur absolute verae, quoties constat condicionem, quam includunt, esse verificatam. Absolute verum est exsistere solem et esse nobis fontem lucis diurnae, etsi sol absolute potuit non exsistere. Eodem modo se habent enuntiationes de ordine historico. E. g. Paulus apostolus potuit absolute non exsistere, sed tamen absolute verum est eum exstitisse. Itaque cavenda est cavillatio in voce absoluti. Quotiescumque enim creato vero tribuimus praedicatum absoluti, id non intellegimus eo sensu, quo soli Deo convenit; nam, si cum Deo comparantur, omnia alia sunt participative et relative vera; sed intellegimus eam conformitatem verborum cum ordine ontologico, ut nihil de re affirmetur, quod non inest, nihil negetur, quod inest.

Similiter *relative verum* non intellegimus communiter verum creatum, ut opponitur vero increato, sed intellegimus sermonem, qui aut partim sit verus, partim sit falsus, aut approximative sit verus, aut solum secundum certum respectum sit verus. Ita relative vera est narratio facti, in qua quaedam circumstantiae nullius momenti non recte narrantur, qualem narrationem solemus vocare substantialiter veram, quae dici potest absolute vera, si narrans effert se non posse aut nolle de circumstantiis respondere, sed de substantia tantum facti. Relative vera est narratio, qua non narratur res integra, sed ex parte. Relative verum est, quod non affirmatur plane determinate, sed ut res fere vel circiter se habet, sicut in communi vita dicimus: hoc factum est ante mensem vel ante annum, etsi non accurate mensis vel annus fuit. Tandem relative verum est, quod non est verum nisi cum addito, sive hoc additum exprimitur, sive subintellegitur. Huc pertinent, quae secundum apparentiam dicuntur, ut de ortu et occasu

subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius inspiratio nimis coartatur." Cf. *L. Fonck,* Der Kampf um die Wahrheit der Heiligen Schrift seit 25 Jahren, Innsbruck 1905, 175 sqq.

[1] Supra n. 497.

solis, huc pertinent narrationes fictae, huc propositiones, quae in logica statuuntur ad ostendendas varias species propositionum, huc plurima alia similia.

Iam nonnulli exegetae, faventes liberaliori conceptui inerrantiae biblicae, ad defendendam sententiam suam interdum dicunt theologos catholicos sibi adversarios ita loqui, quasi tribuant Scripturae absolutam veritatem, i. e. omnem possibilem veritatem in omni ordine[1]. At haec assertio ne relative quidem vera est, sed absolute falsa, cum nullus theologus catholicus putaverit Scripturam esse Deum. Ea tantum ratione theologi catholici Scripturae adscribunt absolutam veritatem, ut dicant Scripturam authenticam numquam esse positive diffórmem a vero seu nullum continere formalem errorem; materiales enim errores continet, quoties e. g. mendacia hominum narrantur. Cum veritate absoluta sic intellecta conciliari potest veritas relativa sub alio respectu. *Scriptura enim non continet omnem veritatem revelatam, multo minus omnem veritatem naturalem.* Id theologi catholici omnes dicunt, cum ipsa ecclesia doceat praeter Scripturam esse etiam traditionem non scriptam, omnibus admittendam. Ergo Scriptura relative vera est, quatenus non complectitur totam summam veritatum. Ceterum omittamus alia et loquamur de solis partibus Scripturae historicis.

517. *Historiam sacram esse relative tantum veram, quatenus non omnia referat, quae hominibus et ipsis quoque hagiographis nota erant,* Scriptura ipsa testatur. In libris Regum et in Paralipomenis frequenter repetitur formula: Res gestae huius regis nonne scriptae sunt in annalibus regum vel in libris prophetarum? Ioannes evangelista diserte monet multa a Iesu Christo esse facta, quae scripta non sint (Io 21, 25). Itaque hagiographi sacri non omnia scripserunt, quae sciverunt, sed elegerunt ea, quae ad finem iis propositum videbantur utilia. Finis autem erat religiosus; historiam scripserunt, ut homines erudirent in rebus fidei et morum[2]. SS. Patres ad hoc nos attendere iubent, ne scandalizemur, si sacri scriptores non semper accurate omnia narrent, prout facta sunt[3]. Alius evangelista narrat, quae alius omittit, quia non scribebant „biographiam" Christi, sed modo historico breviter proponebant ea, quae de salute messianica scitu necessaria erant; alia autem necessaria erant pro Iudaeis, alia pro gentilibus. Idem mutatis mutandis dicendum est de omnibus libris sacris historicis: Relationem, quae intercedat inter homines et maxime inter populum electum et Deum, historice ostendere volunt, non vero referre facta humana propter se ipsa. *Historia igitur sacra est historia religiosa,* non saecularis, non completa, non „pragmatica", non

---

[1] Cf. *Loisy,* Études bibl. 50 sqq.
[2] Cf. supra n. 8 sq 34.
[3] Cf. e. g. supra n. 71 121.

„critica", non comparanda cum historia „moderna", sed hac magna praerogativa ornata, quod nihil affirmat ut verum, quod est falsum, nihil respuit ut falsum, quod est verum.

518. *Historia sacra eatenus quoque saepe relative tantum vera est, quatenus adhibentur locutiones indeterminatae vel summariae.* „In diebus illis", „in illo tempore", „tunc" factum esse hoc vel illud non raro ab evangelistis audimus. Similia leguntur in Actibus apostolorum: „Facto aliquanto tempore", „post aliquot dies", „dies octo aut decem". Hic est modus loquendi in communi vita usitatus, quo hagiographis non minus uti licuit quam aliis hominibus. Idem valet de numeris summatim indicatis. „Circiter tria milia" vel simpliciter „quinque milia". Hagiographi fortasse magis accuratam notitiam non habuerunt; Deus habuit, sed non revelavit, cum numerus paulo maior vel minor nihil ad finem libri conferat [1].

519. *Historia sacra tandem relative vera est, quatenus hagiographi saepe proxime nihil aliud intendunt nisi referre ea, quae in certis fontibus invenerunt.* Scriptor secundi libri Machabaeorum excerptum fecit ex opere Iasonis [2], in libris Regum et Paralipomenon saepe delegamur ad alios fontes [3]. Fortasse alia documenta vel monumenta exsistebant, ex quibus potuit accuratior notitia hauriri. Iis usi non sunt sacri scriptores, vel quia non poterant, vel quia nolebant historiam ob historiam secundum artis criticae praecepta conscribere. Hic enim conceptus historiae recentibus tantum temporibus excultus est. Inspiratio autem non id efficiebat, ut disciplinae et artes, quae lento progressu aliquando futurae erant, subito anticiparentur, sed solum, ut sacri scriptores adiumentis suae aetatis debito modo uterentur. Debitus autem usus non fuisset ex documentis mentientibus et fallentibus errores excerpere et hos proponere tamquam veram historiam populi electi, neque ad talem historiam falsam conscribendam Deus potuit scriptores inspirare. Nam etsi verbis hagiographorum hunc sensum subicimus: „secundum fontes meos haec et haec facta sunt", nulla tamen ratio perspicitur, ob quam Deus impulerit ad historiam fide non dignam ex fontibus colligendam, et ita periculum creandum, ne homines sibi praeceptum imponi censerent, illa, quae revera falsa sunt, propter auctoritatem divinam pro veris habendi. Historiam populi israelitici, qualis in sacris libris legitur, omnes omnino Patres,

---

[1] Cf. supra n. 445. [2] Supra n. 421.

[3] Citantur 3 Rg 11, 41: „Liber verborum dierum Salomonis"; 3 Rg 14, 19 29; 15, 31 etc.: „Liber verborum dierum regum Iuda, regum Israel"; 1 Par 29, 29: „Liber Samuelis videntis, liber Nathan prophetae, volumen Gad videntis"; 2 Par 9, 29: „Verba Nathan prophetae, libri Ahiae Silonitis, visio Addo videntis"; 2 Par 12, 15: „Liber Semeiae prophetae"; 2 Par 20, 34: „Verba Iehu, filii Hanani"; 2 Par 26, 22: „Scriptum Isaiae prophetae" de rebus gestis Oziae; 2 Par 33, 19: „Sermones Hozai".

etiam Scholae Antiochenae, veram et divinitus testificatam historiam habuerunt, quemadmodum ex eorum commentariis et aliis scriptis manifestum est. Immo per tot saecula ecclesia moraliter tota idem sensit et pluries sententias paucorum illorum Catholicorum, qui de veritate historiae sacrae dubitabant, reprobavit. Ergo si historiae sacrae non alia veritas conveniret nisi conformitatis cum fontibus fortasse falsis, tota ecclesia decepta esset. Consequenter *historia sacra est historia vera.*

520. Aliud autem est dicere totam historiam sacram vel librum historicum sacrum posse esse falsum, aliud est dicere *ipsam substantiam rerum esse veram, sed modum describendi res historicas esse eum, qui veteribus usitatus erat, non qui apud recentes in more positus est.* Veteres, quando e. g. exprimebant, quid aliquis sentiret vel intenderet, non raro faciebant eum habentem orationes, quas numquam habuit. Exempla nota sunt ex Caesare, Livio, Sallustio. Quia hic mos litterarius notus erat, nemo cordatus fallebatur. Semitae, cum oratione indirecta carerent fere, necessitate quadam adigebantur ad talem eloquendi modum. Quare non licet supponere omnes orationes, quae in Scriptura referuntur, de verbo ad verbum ita habitas esse. Interdum etiam dubitari potest, utrum agatur de verbis externis an de internis tantum; quare fieri potest, ut, ubi legimus: iste dixit haec et haec, intellegendum sit: iste cogitavit haec et haec. „Dicere in corde" apud Hebraeos idem est ac cogitare. Quando in Scriptura legimus Deum dixisse „Fiat lux" etc., non est supponendum sensibiles sonos a Deo productos esse, cum nemo esset, qui eos audiret, sed illis verbis exprimitur internum mandatum divinum (cf. infra n. 541). Praeterea sacris scriptoribus persaepe curae non fuit ipsa verba reproducere, dummodo sensus retineretur, sicut e. g. iidem sermones Christi ab aliis evangelistis aliis verbis referuntur. Ne verba quidem institutionis Eucharistiae neque titulus crucis materialiter eadem sunt apud omnes evangelistas. Unde in historia sacra distinguere possumus ea, quae historiographi per se intendebant, seu substantiam factorum, et verba materialia seu modum proponendi res, qui non per se intendebatur. Sed, ut iam dictum est[1], quaestio, quid pertineat ad substantiam narrationis per se intentam, et quid ad vestitum litterarium non per se intentum, non simpliciter secundum artem grammaticam et stilisticam, sed etiam secundum mores litterarios variorum temporum diiudicanda est. Distinctio saepe erit difficilis; sed cum generatim ex ipsis libris sacris satis pateat, quo intentio scriptoris dirigatur, ea accenseri possunt modo dicendi non essentiali, quae ad scopum libri indifferenter se habent. Neque tamen pro cuiusvis arbitrio ea, quae difficultatem aliquam parant, statim vestitus accidentalis

[1] Supra n. 478.

declarari debent, sed rationes reddendae sunt, cur haec vel illa considerandа non sint ut ad substantiam narrationis pertinentia. Si vero solide probari potest quaedam ab hagiographo non poni ut res, quas affirmare velit, sed ut ornatum quendam ex fontibus transsumptum vel ab ipso additum secundum morem gentis et aetatis suae, habemus aliquid, quod comparari possit cum populari loquendi modo de rebus physicis, quia utrobique locutio fit secundum modum usitatum. Est tamen differentia, quia phaenomena physica sunt aliquid obiectivum, sed mores litterarii sunt aliquid subiectivum, quod potius ad veracitatem pertinet, quatenus non decipit, qui ita loquitur, ut a prudentibus recte intellegatur, etsi modus loquendi perfecte conformis non sit cum modo rei.

Et haec quidem in genere dicta de veritate historiae sacrae sufficiant; iam ad specialia quaedam veniendum est, ut tota quaestio in clariore luce ponatur.

ART. VI.

SINTNE IN LIBRIS HISTORICIS SACRAE SCRIPTURAE MYTHI VEL LEGENDAE.

521. Inter populares narrationes resensentur mythi et legendae. *Mythus* est ficta narratio, populari traditione orta et propagata, qua eventus, quorum causa ignota est, per interventum superiorum agentium explicantur. *Legenda* est ficta narratio, qua vita hominum, fama clarorum, factis non veris exornatur. Interdum haec nomina permiscentur et inter se et cum aliis ad significandam omnem historiam fabularem; saepe vero mythi pressius dicuntur narrationes specietenus historicae de origine alicuius urbis vel gentis vel totius mundi vel falsorum deorum. Legendae solent frequenter vocari vitae Sanctorum, quia populo ad legendum conscriptae erant. Sed cum per decursum temporum saepe veris factis Sanctorum alia non vera addita sint, legendae nomen extenditur ad similia ficta ornamenta historica. Patet de solis nominibus hic non esse nobis curandum; neque si mythos vel legendas in Scriptura esse negamus, ita negamus, quia nomen displicet, sed quia displicet res nomine significata. Itaque sive mythum dixeris, sive legendam, sive fabulam, *intellegimus narrationem, quae sub specie historiae narrat ea, quae substantialiter falsa sunt,* i. e. in qua non solus modus narrandi est popularis, sed qua exhibentur ut facta, quae facta non sunt. Plerumque nectimus cum voce mythorum conceptum historiae fictae falsorum deorum; immo nomine mythologiae semper fere tales narrationes designamus. Manifestum autem est hoc sensu mythos non esse in Sacra Scriptura, quippe quae prae ceteris doctrinis proponat, repetat, inculcet doctrinam de uno solo Deo vero. Unde illi quoque, qui loquuntur de mythis biblicis, monent hos quidem mythos similes esse mythis aliorum populorum, remoto tamen

omni vestigio idololatriae. Remanet igitur, ut mythi biblici sint mythi, quatenus narrationibus fictis primordia rerum explicentur. Si nullus fuit paradisus, nulla tentatio, nullum peccatum originale, nulla confusio linguarum occasione turris babylonicae aedificandae, nullum diluvium, nulla subversio Sodomae et Gomorrhae; sed si haec et alia ficta sunt ad exprimendas quasdam ideas abstractas, mythi sunt in Scriptura. Potest forsitan subesse aliquod elementum historicum, quia hoc non pugnat cum ratione mythi, sed facta et ficta ita permixta sunt, ut vera a falsis distingui non iam possint. Res non mutatur, si quis pro mythis legendas dixerit; nam id tantum in quaestione est, num Scriptura interdum ut facta affirmet, quae facta non sunt.

522. Cum concedere in Scriptura esse mythos videatur pugnare cum traditione catholica de inerrantia sacrorum librorum, student se ii, qui mythos admittunt, defendere dicentes sanctos quidem Patres non locutos esse de mythis biblicis, nihilominus eos, ponentes allegorias in libris historicis Scripturae, admisisse narrationes fictas intime nexas cum narrationibus historicis; hoc ipsum autem, nihil aliud, statui ab iis, qui mythos in Scriptura esse velint. Nulla enim, inquiunt, sub hoc respectu differentia est inter mythum et allegoriam. Ad hanc defensionem duo respondenda sunt: primum, SS. Patres allegoricis expositionibus factorum in Scriptura relatorum noluisse negare vel removere sensum historicum; id iam ostendimus [1]; secundum, *essentialem differentiam esse inter mythum et allegoriam historicam.* Conveniunt, quatenus exhibent fictarum personarum ficta dicta et facta. Sed in allegoria abstractae ideae repraesentantur ut personae loquentes et agentes; e. g. virtutes et vitia inter se de suis perfectionibus disputant et certant homines ad se pertrahere. Allegoria igitur, quia est producta quaedam metaphora, vera est, si vero conceptui repraesentando bene accommodatur. Nemo per eam decipitur, cum pateat, quid ut verum affirmetur, quid contra pertineat ad vestitum litterarium. In mythis autem et legendis aut omnia, quae affirmantur, sunt falsa, aut vera et falsa intime et inseparabiliter permixta sunt. Ergo qui admittit a Deo inspirari posse allegoriam historicam, i. e. imaginariam repraesentationem veritatis spiritualis, is nequaquam eo ipso admittit a Deo inspirari posse mythum vel legendam, i. e. narrationem simpliciter falsam, aut farraginem verorum et falsorum per modum historiae verae narratorum. Quod allegoriam attinet, sufficit nosse genus litterarium ad veritatem intellegendam. At in mythicis narrationibus, etiamsi constat eas esse tales, nemo potest cum certitudine invenire historicam veritatem, si quae omnino inest. Ceterum *allegoriae purae non inveniuntur in relationibus historicis*

[1] Supra n. 485 sqq.

Scripturae; sed SS. Patres ea, quae vere facta sunt, dicunt ex intentione Dei simul habere sensum spiritualem; unde a fortiori eorum doctrina adhiberi nequit ad defendendos mythos biblicos, cum mythi non sint vera facta, sed fictiones, quae pro historia haberi velint.

523. *Quid SS. Patres de mythis biblicis senserint,* ex eorum verbis explicitis discere licet. Cum enim apologetae christiani gentilibus obicerent absurdos eorum mythos, gentiles argumentum retorquebant, dicentes etiam in libris sacris Christianorum mythos esse. Hoc non dicebant, quasi etiam in his libris fabulae polytheisticae narrarentur, cum pro polytheismo contra monotheismum Christianorum pugnarent, sed volebant multas narrationes biblicas, praecipue eas, quibus primordia rerum explicarentur, non minus esse foetus imaginationis quam similes narrationes gentilium. Ita e. g. Iulianus apostata dicebat prima capita Genesis nihil differre a similibus mythis Graecorum. Respondet *Cyrillus Alexandrinus:* „Nos, o bone, nequaquam istud de sancta et divinitus inspirata Scriptura dicimus. Fabulosum namque in ea prorsus nihil, veritatis plena sunt omnia." [1] Iam multo ante scripserat *Iustinus M.* Christianos „non vanis credidisse fabulis, sed Spiritu Sancto plenis ac virtute scatentibus et gratia efflorescentibus" [2]. *Gregorius Naz.,* loquens de libris historicis Veteris Testamenti, ait: „Neque putemus haec temere conscripta esse, neque aliud esse nisi turbam verborum et factorum ad oblectandos animos audientium compositam, ac velut aurium illecebram ad voluptatem factam. Haec ludant fabulae et gentiles . . . At nos, qui diligentiam Spiritus usque ad apicem et litteram extendimus, numquam admittemus; nefas est enim, vel minima facta temere a scriptoribus enarrari et memoriae usque nunc tradi, verum ut nos admonitiones et documenta in promptu habeamus . . . priora exempla ut quosdam canones et regulas sequentes." [3] *Eustathius Antiochenus* Origeni obicit: „Non horret fabulas appellare, quae Deus [in libro Genesis] creata perfecisse traditur, fidissimusque eius servus Moyses scriptis consignavit . . . Divinis oraculis a Moyse traditis fabularum nomine insignitis sensum evertit neque vult, ut quis traditioni litterae animum intendat." [4] *Theodoretus Cyrensis:* „Comparate igitur, viri carissimi, nugacitati philosophorum simplicem piscatorum doctrinam et perpendite discrimen, et, multa milia vestrorum [Graecorum] librorum recensentes, infirmitatem dictorum discite. Neque enim quisquam poeticos mythos neque philosophorum placita secutus est. Divinorum autem verborum et brevitatem admiramini et vim laudate, et divinorum dogmatum veritatem discite." [5] Ergo apostoli, facta in Genesi narrata referentes, non sequuntur mythos.

[1] Supra n. 72. [2] Supra n. 38. [3] Supra n. 70. [4] Supra n. 77.
[5] Supra n. 83.

524. Possunt quidem multa alia in eundem sensum colligi, cum saepe SS. Patres cum nugacibus Graecorum mythis comparent simplicem Scripturae veritatem; sed sufficit legere Basilii, Chrysostomi, Theodoreti, aliorum commentarios in Genesim, ut statim pateat, quantopere eorum mentibus insederit persuasio non agi de mythis, sed de vera historia omnibus indubitanter admittenda. Quae cum ita sint, unus adhuc *Hieronymus* audiatur, qui sine ullis ambagibus declarat neminem posse credere in Deum, qui non credat ea, quae Moyses narravit:

„Una atque eadem credulitas in Moysen refertur et in Deum. . . . Quod autem dico, tale est: Credidit quispiam in conditorem Deum; non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis eius vera esse, quae scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe servatum; quod primus Abraham, de terra sua et cognatione sua iussus exire, circumcisionem, quam in signum futurae prolis acceperat, posteris dereliquit; quod Isaac oblatus victima sit, et pro illo aries immolatus coronatusque sentibus passionem Domini deformarit; quod Moyses et Aaron decem plagis Aegyptum afflixerint; quod ad vocem Iesu, filii Nave, precesque steterit sol in Gabaon et luna in valle Ailon. Longum est universa Iudicum gesta percurrere et totam Samson fabulam ad veri solis (hoc quippe nomen eius sonat) trahere sacramentum. Ad regum libros veniam, quando in tempore messis, obsecrante Samuele, pluviae de caelo et flumina repente manarunt, et David unctus in regem est, et Nathan et Gad prophetaverunt mysteria; cum Elias raptus est curru, et Elisaeus spiritu duplici mortuus mortuum suscitavit. Haec et cetera, quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit nec adduci ad fidem Veteris Testamenti, nisi, quaecumque de patriarchis et prophetis et aliis insignibus viris narrat historia, comprobarit, ut ex fide legis ad fidem veniat evangelii, et iustitia Dei in eo reveletur ex fide in fidem.“ [1]

Fortioribus verbis exprimi vix potest persuasio historicae veritatis eorum, quae in libris Moysis narrantur; haec autem eadem sunt, quae recentioribus quibusdam inter mythos vel legendas referre placet. Dices fortasse: Nonne ipse Hieronymus hic loquitur de Samsonis fabula? Respondeo: Nisi tibi contextus sufficit ad verum sensum huius vocis perspiciendum, evolve lexica latina, videbis fabulam nequaquam semper esse fictam narrationem [2].

Sed quia mythorum biblicorum patroni pro sua opinione ipsi quoque Patrum quorundam, et imprimis Hieronymi, dicta allegant, iuvabit haec dicta inspicere.

---

[1] *Hier.* In Philem. 4 sqq; *M* 26, 609.

[2] *Forcellini:* „Fabula, ae, f. *λόγος, μῦθος*, quod in ore omnium versatur, sermo pervulgatus, res passim divulgata, sive sit vera, sive falsa: a fari.“ Idem valet de verbo *μύθου*. Ut iam dictum est, de vocabulis non agitur, sed de sensu vocabulorum. Illi exegetae, qui loquuntur de mythis biblicis, id nituntur, ut se liberent ab onere defendendi narrationes Genesis ut historicas.

ART. VII.

NUM PATRES QUIDAM DOCUERINT NARRATIONES HISTORICAS SCRIPTURAE NON SEMPER ESSE VERE HISTORICAS[1].

525. *Verbum Hieronymi,* ad quod praecipue provocant, est hoc: „Quasi non multa in Scripturis Sanctis dicantur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat.“ [2] Nonne his verbis evidenter docetur narrationes historicas Scripturae saepe non esse obiective veras, sed traditiones falsas? Videamus contextum. Apud Ieremiam in capite XXVIII sermo est de falso propheta, Hanania nomine, ad quem mittitur Ieremias, ut ei dicat: „Audi, Hanania, non misit te Dominus“ (28, 15). Hic Hananias in illo capite sexies vocatur propheta. Septuaginta autem pro propheta in versione posuerant vocem pseudoprophetae. Hoc videtur Hieronymo non necessarium, cum ex una parte Hananias a vulgo decepto habitus sit verus propheta, et ex altera parte Ieremias expresse dixerit eum non esse prophetam. Itaque quod Hananias propheta dicitur, est secundum vulgi opinionem; hanc vero opinionem esse falsam Ieremiae verbis patet.

In versiculos 10 et 11 Hieronymus haec annotat: „Septuaginta prophetam non dixere Hananiam, ne scilicet viderentur dicere, qui non erat, quasi non multa in Scripturis Sanctis dicantur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat. Denique et Ioseph in evangelio pater Domini vocatur, et ipsa Maria, quae sciebat se de Spiritu Sancto concepisse, et responderat angelo: ‚Quomodo erit istud, quoniam virum non cognosco?‘ loquitur ad Filium: ‚Fili, quid fecisti nobis sic? ecce, ego et pater tuus dolentes quaerebamus te‘.“ Iterum ad versiculos 15 et 16 haec ait: „Et hic in Septuaginta Hananias propheta non dicitur, cum secundum Hebraicum Scriptura Sancta prophetam vocet, licet in eo, quod arguit eum Ieremias, dicens: ‚Audi, Hanania, non misit te Dominus‘, prophetam tacuerit. Quomodo enim prophetam poterat appellare, quem missum a Domino denegabat? Sed historiae veritas et ordo servatur, sicut praediximus, non iuxta id quod erat, sed iuxta id quod illo tempore putabatur.“

Itaque Hieronymus neque dicit Ieremiam habuisse verum prophetam eum, qui falsus propheta erat; neque dicit Ieremiam in suo libro vulgi errorem sine correctione scripsisse. Hoc autem est, quod volunt mythorum vel legendarum defensores: in Scriptura saepe narrari populares errores, ita ut non significetur esse errores. Ad hanc opinionem firmandam Hieronymi testimonium nihil valet, id quod etiam efficitur illo exemplo, quod ex Luca affert; nam neque Lucas fuit in errore neque tacuit veritatem de putativa tantum paternitate Ioseph. Aliis

---

[1] Hanc rem solide pertractavit *A. J. Delattre,* Autour de la Question Biblique, Liège 1904.

[2] *Hier.* In Ier. 28, 10; *M* 24, 855; cf. *Cornely,* Introd. I² 604 sqq.

verbis: *Scriptura in rebus historicis utitur populari loquendi modo, si ex contextu aut aliunde constat, quis sit verus sensus.* Quo principio posito sane non sequitur Scripturam ubique esse perspicuam, cum obscuritas ex multis aliis fontibus oriatur. Ceterum Hieronymus idem principium saepe repetit et semper eodem sensu. Ir 27, 14 15 legimus: „Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis; quia mendacium ipsi loquuntur, quia non misi eos, ait Dominus, et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter." Iterum annotat Hieronymus: „Observandum autem in Scriptura Sancta, quod pro pseudoprophetis appellet prophetas, qui vaticinentur in nomine Domini mendaciter." [1] Similiter in omnibus aliis exemplis sermo quidem popularis invenitur, sed simul addita determinatione, qua error excludatur [2]. Haec est utique, ut Hieronymus alio loco ait, „lex historiae", ut historici vulgarem opinionem exprimant [3], quamdiu hoc loquendi modo nemo in errorem inducitur, nisi forte per accidens. Scriptura loquitur de „diis" gentium, et nos eodem modo loquimur, quia quivis intellegit de iis sermonem esse, quos gentes deos habeant, non qui vere dii sint. Historici christiani scribentes vitam Mohammedis hunc vocant simpliciter prophetam, quia supponunt omnes intellegere eum non dici prophetam vere sed secundum opinionem Mohammedanorum. Similia frequenter fiunt, ita ut haec possit quidem dici norma universalis in narrationibus historicis, sed intra suos dumtaxat limites, sicut alia quoque loquendi praecepta. Sed quid haec commune habent cum mythis biblicis?

526. *Aliud dictum Hieronymi,* ad quod provocant, respicit Gn 46, 26 27: „Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum et egressae sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum eius, sexaginta sex. Filii autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti, animae duae. Omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta." In versione LXX pro „animae duae" habetur „animae novem" et pro „septuaginta" habetur „septuaginta quinque". S. Stephanus protomartyr in oratione sua etiam loquitur de „septuaginta quinque" (Act 7, 14). S. Hieronymus in epistula ad Pammachium difficultatem proponit et addit: „Differo solutionem, ut obtrectatores mei quaerant, et intellegant non verba in Scripturis consideranda sed sensus." [4] Alibi vero de diversitate textus hebraici et graeci ait utrumque esse verum, sed in textu graeco per anticipationem additos esse filios Ephraim et Manasse, ceterum in ipsa versione Septuaginta alio loco (Dt 10, 22) poni numerum „septuaginta", Lucam vero in Actibus scripsisse „septuaginta quinque", quia Christiani gentiles ita legebant in Genesi secundum textum graecum, qui iis solus notus erat.

---

[1] *M* 24, 852. [2] Cf. *Delattre* l. c. 69 sqq.
[3] Contra Helvid. n. 4; *M* 23, 187. [4] Epist. 57, n. 10; *M* 22, 577.

Haec sunt Hieronymi verba: „Quod excepto Ioseph et filiis eius, sexaginta sex animae, quae egressae sunt de femoribus Iacob, introierunt in Aegyptum, nulla dubitatio est. Ita enim et paulatim per singulos supputatus numerus approbat et in hebraeis voluminibus invenitur. Hoc autem, quod in Septuaginta legimus: ‚Filii autem Ioseph, qui nati sunt ei in Aegypto, animae novem', sciamus in hebraeo pro ‚novem' esse ‚duas'. Ephraim quippe et Manasse, antequam Iacob intraret Aegyptum et famis tempus ingrueret, nati sunt de Aseneth, Putipharis filia, in Aegypto. Sed et illud, quod supra legimus [de filiis Manasse et Ephraim], additum est [in Septuaginta], siquidem id, quod postea legimus, per anticipationem factum esse describitur. Neque enim illo tempore, quo ingressus est Iacob Aegyptum, eius aetatis erant Ephraim et Manasse, ut filios generare potuerint. Ex quo manifestum est omnes animas, quae ingressae sunt Aegyptum de femoribus Iacob, fuisse septuaginta, dum sexaginta sex postea ingressae sunt et reppererunt in Aegypto tres animas, Ioseph scilicet cum duobus filiis eius, septuagesimus autem fuerit ipse Iacob. Hanc rem, ne cui videamur adversus Scripturae auctoritatem loqui, etiam Septuaginta interpretes in Deuteronomio transtulerunt, quod in septuaginta animabus ingressus sit Iacob in Aegyptum. Si quis igitur nostrae sententiae refragatur, Scripturam inter se contrariam faciet.... Quodsi e contrario nobis illud opponitur, quomodo in Actibus apostolorum, in contione Stephani dicatur ad populum: septuaginta quinque animas ingressas esse Aegyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas, qui ipsius historiae scriptor est, in gentes Actuum apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quae iam fuerat gentibus divulgata. Et utique maioris opinionis illo dumtaxat tempore Septuaginta interpretum habebatur auctoritas, quam Lucae, qui ignotus et vilis et non magnae fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod, ubicumque sancti apostoli aut apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur [abuti = uti], quae iam fuerant in gentibus divulgata; licet plerique tradant Lucam evangelistam, ut proselytum, hebraeas litteras ignorasse." [1]

Itaque dicit Hieronymus numeros in LXX esse veros, etsi differant a numeris hebraicis, etiam veris; non dicit propter diversos numeros Scripturam esse sibi contrariam, sed dicit Scripturam fieri sibi contrariam, nisi quis admittat explicationem, secundum quam uterque numerus sit verus; rationem vero, cur scriptores Novi Testamenti ad versionem LXX provocent, hanc esse, quod Christianis gentilibus haec versio unice nota fuerit, et idem fortasse valere de ipso Luca evangelista. Defensores quidam mythorum vel legendarum in his verbis inveniunt confirmationem opinionis suae sacros scriptores se vulgi erroribus accommodasse. De qua expositione quidquam dicere videtur satis superfluum.

527. *Aliud exemplum* proferri potest dictum Hieronymi de verbis Matthaei (27, 9): „Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam

[1] *Hier.*, Quaestiones hebraicae; *M* 23, 1001 sq.

prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos. . . .“ Ait Hieronymus: „Hoc in Ieremia penitus non invenitur, sed in Zacharia, aliis multo verbis, ac toto ordine discrepante. . . . Quantum distet ab evangelistae testimonio LXX translatio, perspicuum est. Sed et in Hebraeo, cum sensus idem sit, verba praepostera sunt et paene diversa. . . . Accusent apostolum falsitatis, quod nec cum Hebraico nec cum LXX congruat translatoribus; et quod his maius est, erret in nomine, pro Zacharia quippe Ieremiam posuit. Sed absit hoc de pedissequo Christi dicere, cui curae fuit, non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere.“ [1] Unde concludunt potuisse secundum Hieronymum errare evangelistam; et cum diserte dicat: „absit hoc de pedissequo Christi dicere“, referunt hoc ad solos errores circa res, et volunt concedi errorem quoad nomina. At neque hoc Hieronymus concedit, sed solum hoc loco non amplius inquirit, quomodo difficultas sit solvenda.

Alio vero loco docet errrorem in nomine non esse commissum a Matthaeo, sed ab aliquo scriba seu librario. Nam Mt 13, 35 legebatur in quibusdam codicibus: „Ut impleretur, quod dictum erat per Isaiam prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum.“ Annotat Hieronymus: „Quod quia minime inveniebatur in Isaia, arbitror postea a prudentibus viris esse sublatum. Sed mihi videtur in principio [i. e. ab ipso Matthaeo] ita editum: ‚Quod scriptum est per Asaph prophetam dicentem.‘ Septuagesimus enim septimus psalmus, de quo hoc sumptum est testimonium, Asaph prophetae titulo inscribitur. Et primum scriptorem non intellexisse Asaph et putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen Isaiae, cuius vocabulum manifestius erat.“ [2]

Alio vero loco addit: „Hoc Isaias non loquitur, sed Asaph. Denique et impius ille Porphyrius proponit adversum nos hoc ipsum et dicit: ‚Evangelista vester Matthaeus tam imperitus fuit, ut diceret, quod scriptum est in Isaia propheta: Aperiam in parabola os meum, eloquar propositiones ab initio.“ Respondet Hieronymus tales errores a scriptoribus (librariis) saepius in Scriptura commissos esse, ut in historia passionis, ubi in evangelio Marci (15. 25) posita sit hora tertia pro sexta. „Sicut enim ibi error fuit scriptorum, sic et hic error fuit scriptorum, ut pro Asaph Isaiam scriberent. Nescientes enim, quia prima ecclesia de imperitis congregata fuit gentibus, ergo cum legerent in evangelio: ‚Ut impleretur, quod scriptum est in Asaph propheta‘, ille, qui primus scribebat evangelium, coepit dicere: Quis est iste Asaph propheta? Non erat notus in populo. Et quid fecit? Ut dum errorem emendaret, fecit errorem. Dicamus aliquid simile et in alio loco in evangelio secundum Matthaeum, quando Iudas rettulit triginta argenteos. . . . Ut compleretur, inquit, quod scriptum est in Ieremia propheta. . . . Hoc in Matthaeo scriptum est. Requisivimus in Ieremia, hoc penitus invenire non potuimus; sed invenimus illud in Zacharia. Videtis ergo, quia et hic error fuit, sicut ibi.“ [3] Itaque Hieronymus non concedit ipsum Matthaeum in nomine errasse, sed „scriptorem“.

---

[1] Epist. 57, n. 7; *M* 22, 573. [2] In Matth. 13, 35; *M* 26, 92.
[3] Tract. de Ps. 77; Anecdota Maredsolana III 2, Maredsoli 1897, 60 sq.

528. *Alio loco,* ubi se excusat, quod in versionibus sensum secutus sit, non verba, dicit idem factum esse ab evangelistis: „Haec replico, non ut evangelistas arguam falsitatis (hoc quippe impiorum est, Celsi, Porphyrii, Iuliani), sed ut reprehensores meos arguam imperitiae et impetrem ab iis veniam, ut concedant mihi in simplici epistula, quod in Scripturis Sanctis, velint nolint, apostolis concessuri sunt. Marcus, discipulus Petri, ita suum orditur evangelium: ‚Principium evangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce, ego mittam angelum meum . . .', quod non scribitur in Isaia, ut diximus, sed in Malachia, novissimo duodecim prophetarum. Solvat hanc quaestiunculam imperita praesumptio, et ego erroris veniam deprecabor." [1] Solutio est, quod Marcus componit Malachiae et Isaiae verba in unum testimonium, quia evangelistae non sunt „curantes de syllabis punctisque verborum, dummodo sententiarum veritas transferatur. Quod quidem et in pluribus locis eos fecisse docuimus et maxime in eo libro, qui a nobis inscriptus est ‚De optimo genere interpretandi', multis simul testimoniis approbatum est." [2] Itaque Hieronymus, ubicumque mentem suam de inerrantia Scripturae manifestat, omnem errorem ab hagiographis excludit.

S. Doctor tam saepe et tam distincte loquitur de historica veritate factorum, quae in Genesi et sequentibus libris narrantur [3], ut defensores mythorum biblicorum non possint nisi nocere doctrinae suae, conantes Hieronymum vi quadam ad eam pertrahere. Quae vero ex aliis Patribus collegerunt, non magis iis favent.

529. *Ioannes Chrysostomus* docet „Paulum multa ex communi audientium sensu proferre neque ubique philosophari". Si Paulus, cur non alii hagiographi se audientium sensui accommodare possunt? Possunt utique eodem modo quo Paulus, qui ex una parte censet melius esse mori et esse cum Christo, ex altera parte loquitur de hac vita ut bono aliquo, quia revera est bonum, et quia plerique homines vitam

[1] Epist. 57, n. 9; *M* 22, 575. [2] In Mal. 3, 1; *M* 25, 1564.

[3] Cf. supra n. 110 524. *Van Kasteren* in periodico „Studien" XXXVII, Utrecht 1905, 288 sq, ait: „Quod S. Hieronymum attinet . . . invenimus apud hunc Patrem ecclesiae raras sententias, quibus indicari videtur sacros scriptores interdum quaedam narrasse iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat, sed tam e contextu horum locorum quam ex aliis dictis eiusdem Patris colligi censemus illa Hieronymi verba non habere amplam illam significationem, quam Sanders et Poels iis subiciunt. . . . Narrationibus historicis Scripturae convenire veritatem historicam Hieronymus ut universale principium praedicat et in expositione Scripturae generatim sequitur. Alia quaestio est, num forte paucis quibusdam locis multorum operum suorum, hoc principium oblitus, ob peculiarem quandam rationem alicui narrationi historicae ullum sensum historicum inesse neget et Origenis exemplo eam allegorice interpretetur. . . . Hieronymum aliquando cursum doctorum Poels et Sanders tenuisse necesse non est negare." Hieronymum prius fuisse Origenis fautorem, postea vero acerrimum impugnatorem docet historia.

valde amant et mortem timent. Num Chrysostomus haec docendo vult dicere Scripturam saepe loqui secundum vulgi sensum, quatenus mythos historicos profert? Mira sane conclusio.

Paulus ad Philippenses scripserat de Epaphrodito: „Nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est eius, non solum autem eius, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim" (Phil 2, 27 28). In quae verba ita disserit Chrysostomus: Christianus „hic fortasse haesitabit ac dicet: Quid, si dissolvi et esse cum Christo multo praestabilius, cur inquit eum misericordiam esse consecutum? Ego vero dicam: Quid est, quod ipse inquit magis necessarium esse manere propter vos? Nam quemadmodum Paulo hoc necessarium erat, ita et Epaphrodito, quippe qui amplioribus cum divitiis maioreque fidentia ac securitate ad Deum abiturus esset. Etenim illud quidem, etiamsi paululum differretur, futurum tamen omnino erat, lucrari vero animas, postquam illuc abiisset, non poterat. Huc accedit Paulum multa ex communi audientium sensu proferre neque ubique philosophari; ad mundanos enim homines sermo ipsi erat institutus, mortem adhuc timentes. Praeterea ostendit, quanti Epaphroditum faceret, hincque illi reverentiam quandam conciliat, utpote cuius salutem adeo sibi utilem testetur, ut secum quoque ex illius incolumitate misericorditer actum putet. Praeterea vero, ut hoc mittamus, aliam quoque ob causam bona est praesens vita." [1]

Itaque quia Chrysostomus dicit Paulum se interdum accommodare morali infirmitati hominum nec semper postulare, ut omnia ex altissimis principiis diiudicent, quidam concludunt: Ergo sacri scriptores se populo accommodant, mythos eius vel legendas sine correctione recipientes. Cuius conclusionis consequentia manifeste est nulla.

530. Secundum *Gregorium Nyssenum* in libris sacris historia non ratione sui narratur, sed ad aedificationem spiritualem, ut supra (n. 71) iam vidimus. Alio loco ait: „Non enim *ob id solum* Scriptura divina historiarum narratione utitur, ut rerum gestarum cognitionem nobis comparemus et, quae fecerunt et pertulerunt veteres, cognoscamus, sed ut nobis disciplinam ad vitam ex virtutis praescripto instituendam tradat, et proinde historiae commemoratio ad altiorem quandam considerationem referatur." [2] Sed haec altior consideratio a Gregorio interdum ita instituitur, ut sensus historicus perimatur; qua in re sequitur Origenem, quem ceteri Patres impugnant. Sicut hic, ita ipse censet a Moyse saepe sub forma historica proponi veritates speculativas. Moyses docet hominem creatum esse secundum similitudinem Dei. „In similitudine secundum imaginem habetur omnimode dinumeratio eorum, quae characteres sunt divinitatis, et quaecumque de his Moyses magis historice *(ἱστορικώτερον)* recenset, ad eandem doctrinam per-

[1] *Chrysost.* In Phil. hom. 9, n. 2; *M* 62, 248; cf. supra n. 89.
[2] *Gregor. Nyss.* In Ps. tr. 2, c. 2; *M* 44, 490.

tinent." Ita paradisus et quae de eo dicuntur, significant, quod „initio natura nostra bona fuerit et in bonis". Post peccatum vero homines dicuntur vestiri tunicis pelliceis, i. e. fiunt mortales, ut post resurrectionem in pristinam figuram reformentur. „Hoc autem dogma Moyses magis historice *(ἱστορικώτερον)* et per aenigmata nobis exponit. Ceterum etiam haec aenigmata manifestam doctrinam continent", scilicet hominem esse secundum carnem factum mortalem [1]. Neque igitur secundum Gregorium Moyses recepit mythos in libros suos, sed doctrinam revelatam sub forma allegoriae historicae proponit; quae duo nequaquam confundenda sunt.

Haec exempla ostendunt, quam irrito conatu laboret, quicumque studet verba Patrum torquere ad reddendum testimonium pro mythis biblicis. Testimonia contraria, quae in praecedenti articulo vidimus, sunt explorata et minime ambigua.

531. Sicut SS. Patres, ita summi pontifices pluries declararunt mythos non esse in Sacra Scriptura. *Pius IX* hanc thesim damnavit: „Prophetiae et miracula in sacris litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio." [2]

Leo XIII ait pugnandum esse contra rationalistas:

„Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam Sacram omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant nisi hominum artificia et commenta; illas nimirum non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventum praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam; evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda. Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum librorum veritatem putant convelli, tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam scientiae liberae obtrudunt; quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut iisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Cum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis, qui theologi et christiani et evangelici haberi velint et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem." [3]

Itaque cum summi pontifices inter portenta errorum et impias sententias recenseant fabulas vel mythos in Scriptura admittere, haec una sufficiens iam ratio debet esse theologo catholico non sequendi hac in re rationalistarum placitum, sed cum omnibus retro theologis et cum SS. Patribus firmiter tenendi in libris historicis Sacrae Scripturae veram historiam narrari.

---

[1] *Orat. catech.* c. 5 8; *M* 45, 24 33.

[2] Syllabus § 1, n. 7; *Denzinger* n. 1554.

[3] Encycl. „Providentissimus Deus", Ed. Herder, 27 sq.

ART. VIII.

DE „CITATIONIBUS IMPLICITIS“ SACRORUM SCRIPTORUM.

532. Cum, exclusis mythis vel legendis, libri historici Sacrae Scripturae contineant historiam veram et proprie dictam, non tamen sequitur omnia, quae in his libris narrantur, esse simpliciter vera; nam non raro inducuntur homines non inspirati loquentes, ex quibus alii vera dicunt, alii mendacia vel errores proferunt. Haec aliorum dicta, et praecipue documenta scripta, in sacris libris allegata, solent breviter vocari „citata“, vel „citationes“; et quia Scriptura referens citata non semper testatur ea, quae in citationibus dicuntur, esse vera, solent distinguere „veritatem citationis“ et „veritatem rei citatae“. Ubicumque in sacris libris aliquid citatur, semper adest veritas citationis, non semper adest veritas rei citatae. Videamus igitur nonnullas citationes.

Neh 7, 4 sqq legimus haec: „Civitas autem [Ierusalem] erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio eius, et non erant domus aedificatae. Deus autem dedit in corde meo, et congregavi optimates et magistratus et vulgus, ut recenserem eos; et inveni librum census eorum, qui ascenderant primum [e captivitate] et inventum est scriptum in eo: Isti filii, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor, rex Babylonis, et reversi sunt in Ierusalem et in Iudaeam, unusquisque in civitatem suam. Qui venerunt cum Zorobabel: Iosue, Nehemias, Azarias . . .“ et ita porro usque ad vers. 69. In libro Esdrae c. 4 et 5 leguntur epistulae scriptae ad reges Persarum eorumque responsa. His igitur locis simpliciter citantur aliorum dicta.

Exemplum rei citatae cum reprobatione vidimus in praecedenti articulo. Nam Ier 28, 2 sqq refertur integra prophetia Hananiae prophetae; sed mittitur ad eum Ieremias, ut dicat ei: „Audi, Hanania, non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco haec dicit Dominus: Ecce, ego mittam te a facie terrae; hoc anno morieris, adversum enim Dominum locutus es“ (Ier 28, 15 16).

Notissimum *exemplum rei citatae cum approbatione* habetur in illis verbis Pauli: „Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Testimonium hoc verum est“ (Tit 1, 12 13).

Sunt igitur in Scriptura citationes manifestae, sed sunt etiam *citationes tacitae,* seu ut aliis placet, citationes *implicitae;* i. e. sacri auctores interdum allegant verba documentorum, ex quibus hauserunt, non explicite dicentes se aliorum verba proponere. E. g. libri Paralipomenon scripti sunt post tempus exsilii, quando templum et arca foederis diu destructa erant. Nihilominus ubi sermo est de finita aedificatione templi sub Salomone rege, narratur, quomodo sacerdotes intulerint arcam foederis in Sanctuarium, et additur: „Fuit itaque

arca ibi usque in praesentem diem" (2 Par 5, 9). Illi, qui primi legebant libros Paralipomenon, bene intellegebant haec verba non valere de suo tempore, sed referri ex documento, quod ante destructionem templi scriptum erat. Neque nunc difficile est ei, qui considerate Scripturam legit, hoc perspicere. Idem valet de 2 Par 8, 8, ubi dicitur Salomon subiugasse Hethaeos et alios populos „usque in diem hanc".

533. Quapropter constat, et quid sit „citatio implicita", et cur aliquando admittenda sit in Sacra Scriptura. *Sunt autem quidam theologi catholici, qui censent recurrendo ad citationes implicitas se posse solvere multas et graves difficultates biblicas,* idque hoc modo: Historiographi sacri Veteris Testamenti plurima, quae scripserunt, ex priscis documentis hauserunt. Eatenus igitur magna vel fortasse maxima pars librorum Veteris Testamenti consistit ex citatis, partim explicitis, partim implicitis. Scriptori autem, qui aliorum dicta citat, neque necessitas semper incumbit neque voluntas semper inest affirmandi vera esse ea, quae citat. Saepe contentus erit *veritate citationis,* iudicium de *veritate rei citatae* legentibus relinquens. Quare sicubi difficultas oritur in libris historicis Veteris Testamenti, quae alia via convenienter solvi nequit, licebit admittere agi ibi de citatione implicita, cuius veritas non requirit, ut res citata sit vera; unde veritas rei citatae erit obiectum liberae inquisitionis et disputationis.

Exemplum proponunt hoc: 2 Reg 24, 9 de censu populi facto sub Davide legimus: „Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi; et inventa sunt de Israel octingenta milia virorum fortium, qui educerent gladium, et de Iuda quingenta milia pugnatorum." Sed 1 Par 21, 5 legimus: „Deditque [Ioab] Davidi numerum eorum, quos circuierat; et inventus est omnis numerus Israel mille milia et centum milia virorum educentium gladium; de Iuda autem quadringenta septuaginta milia bellatorum." Atqui octingenta milia non est idem atque mille milia et centum milia; neque quingenta milia idem atque quadringenta septuaginta milia. Quomodo solvitur difficultas? Dicendo esse citata implicita hausta ex diversis documentis.

Aliud exemplum: Gn 46, 21: „Filii Beniamin: Bela et Bechor et Asbel et Gera et Naaman et Echi et Ros et Mophim et Ophim et Ared": ergo decem filii. 1 Par 7, 6: „Filii Beniamin: Bela et Bechor et Iahiel, tres."[1] 1 Par 8, 1: „Beniamin autem genuit Bale primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium, Nohaa quartum et Rapha quintum." Cum idem auctor in eodem libro et in duobus continuis capitibus et in re tam simplici et manifesta censendus non sit sibi ipsi contradixisse, quid dicendum erit nisi ex variis docu-

[1] Cf. Nm 26, 38 sqq.

mentis varias genealogias exscriptas esse? Idem dic de 1 Par 2, 3 sqq et 4, 1 sqq; de 1 Par 8, 29 sqq et 9, 35 sqq; de Esr 2 et Nm 7; de 1 Mach 3, 39 et 2 Mach 8, 9 etc.

His locis difficultas creatur ex differentia nominum et numerorum, ad quam solvendam illa citata implicita videntur aptum remedium. Sacri historiographi dant nomina et numeros, quae invenerunt in fontibus, neque fidem veritatis eorum in se suscipiunt, neque eos critice inter se comparant, neque conciliare nituntur, sed simpliciter testantur sic res esse scriptas.

534. Verumtamen notandum est *plerumque non deesse alias solutiones talium difficultatum;* nam sancti Patres iam queruntur de corruptione numerorum et nominum propriorum per librarios vel amanuenses facta. Multis locis textus hebraeus a versione LXX, et haec ab aliis versionibus differt, ut saepe impossibile sit veros numeros et vera nomina cum certitudine invenire[1]. Unde fortasse textus authenticus, si praesto esset, non crearet illas difficultates, quae nunc in apographis et versionibus insunt. Maxime in libris Paralipomenon multa menda inveniri, et SS. Patres iam adnotarunt et recentes exegetae agnoscunt[2]. Dicunt quidem defensores citationum implicitarum istum recursum ad errorem vel neglegentiam librariorum esse nimis facile effugium. Sed numquid difficilius est dicere: „Est citatio implicita“, quam: „Est librariorum error“? Neutrum sine ratione affirmandum est, sed saepe utraque solutio est aeque probabilis.

Ceterum non raro ipsa consideratio singulorum locorum ostendet alias solutiones. E. g. si Gn 46, 21 numerantur decem filii Beniamin, 1 Par 8, 2 3 plura nomina recurrunt ut nomina nepotum Beniamin; ergo supponere licet priore illo loco etiam nepotes postea natos inter filios Beniamin numerari, praesertim cum hic tum esset iunior, quam ut iam decem filios habere posset.

Ceterum LXX Gn 46, 21 ita habet: „Filii autem Beniamin: Bala et Bochor et Asbel. Nati autem sunt filii Bala: Gera et Noeman et Anchis et Ros et Mamphim. Gera autem genuit Arad.“ Ergo secundum hanc versionem tres tantum sunt filii Beniamin, Gera autem et Naaman et Echi (Anchis) et Ros et Mophim (Mamphim) sunt nepotes, Arad autem pronepos; Ophim in quibusdam codicibus omittitur. Est igitur quaestio, quis textus sit praeferendus; nam non simpliciter hebraeus dicendus est praeferendus, cum is, quem nunc habemus, ad aetatem versionis LXX non ascendat.

Fr. de Hummelauer ait: „Nulla habetur contradictio in eo, Gn 46 et Nm 26 aliquos accenseri *filiis* Beniamin, qui hoc loco [1 Par 8, 1 sqq] scribantur *nepotes* vel *pronepotes;* sunt enim nepotes etiam et pronepotes filii latiore sensu seu mediate geniti; neque in eo, Nm 26, 40 duos scribi Ben-

[1] Cf. e. g. *Vigouroux* in introductione operis „Les Livres Saints et la Critique rationaliste“.

[2] Cf. *Cornely,* Introd. II 1, n. 114 sqq, qui e. g. illos numeros 1 Par 21, 5 inter „errores librariorum“ recenset.

iamini *nepotes*, qui hoc loco demonstrantur fuisse *pronepotes;* sunt enim pronepotes latiore sensu nepotes; immo neque in eo, Nm 26, 40 duos scribi *nepotes*, qui vere nepotes fuerint, at simul v. 39 duos scribi filios (Sepham et Hapham), qui reapse fuerint pronepotes. Etenim Nm 26 non traditur proprie genealogia, sed *elenchus cognationum*. Aliud ibi non edicitur, nisi cognationes illas, a pronepotibus prognatas, ante factas esse sui iuris et cognationum v. 38 aequales, quam cognationes a nepotibus Addar et Naaman procreatas" (Comment. in Paralip., Parisiis 1905, 165).

Qui plura de genealogiis discere cupit, ea erudite exposita inveniet l. c. et in eiusdem auctoris Comment. in Num., Parisiis 1899, 173 sqq.

Quae exempli causa sint dicta, ut pateat tales difficultates non posse uno simplici principio omnes solvi, sed in singulas diligenter inquirendum esse. Citationes implicitae nihil minus sunt quam universale remedium, etsi haec solutio reicenda non est, ubi sufficienter probatur[1]. Ceterum quidquid dixeris, saepe certum responsum non erit possibile, in numeris etiam minus quam in nominibus propriis; quare otiosi potius quam studiosi hominis esse in his quaestionibus se multum occupare iam supra (n. 114) Hieronymum dicentem audivimus.

535. Itaque *de citationibus implicitis in Vetere Testamento haec dicenda videntur:* a) Paucis locis quaedam ex aliis scriptis tacite allegantur, quae recte explicari nequeunt nisi ut citationes implicitae, retinentes eum sensum, quem habebant in documentis, unde sumptae sunt. Ergo eiusmodi citationes non pugnant cum inspiratione divina. b) Neque tamen pro arbitrio citationes implicitae statuendae sunt ad removendas difficultates, quia solutiones arbitrariae non sunt solutiones verae; sed singulis locis ostendi oportet hanc solutionem esse saltem aeque probabilem atque alias, quae dari possunt. c) Minime vero rem ita concipere licet, quasi historia Veteris Testamenti sit congeries cita-

[1] De duplicatis genealogiis in libris Paralipomenon *Mühling* ait: „Man wende nicht mit Eichhorn ein . . . der Chronist habe dies von neuem geschrieben, bloss um sich genau an seine Quellen zu halten (dies ist auch die Grundanschauung von Movers), ein Streben, das durch Vergleichung der Parallelstellen da, wo sie uns vergönnt ist, geradezu widerlegt wird. — Wir werden noch öfters dieser äusserlichen und unwahren Auffassung begegnen, welche alles auf die Beschaffenheit der Quellen zurückzuführen und dazu noch zu Hypothesen betreffs derselben zu fliehen genötigt ist, da sie den Schlüssel zu dem allein richtigen und angemessenen Verständnis, den *Zweck* des Chronisten, entweder im voraus durch althergebrachte Vorurteile über ‚den Kompilator' aus der Hand gegeben oder ihn wenigstens nicht zu suchen bemüht war" (Neue Untersuchungen über die Genealogien der Chronik I 1—9 und deren Verhältnis zum Zweck dieses Buches, Theol. Quartalschr., Tübingen 1884, 403 sqq). — Quia simili modo de aliis locis parallelis disputant, nolo plura exempla proponere; nam ubi alii vident documenta duplicata (ut Gn 1 et 2 de creatione hominis, Gn 6, 19 sq et 7, 2 sq de animalibus in arcam introductis etc.), alii omnia explicant aut ex diverso fine scriptoris aut ex diverso sensu verborum. Quidam videntur speciale ingenii exercitium reponere in conquisitione relationum parallelarum; unde fit, ut eas inveniant, ubi legentes sine tali mentis praeoccupatione nullum earum vestigium vel rationem conspiciunt.

tionum sive explicitarum sive implicitarum, ex quibus quidem opiniones hominum, sed non veritas rerum disci possit. Nam teste Scriptura et traditione ipsa historia oeconomiae salutis, inde ab initio mundi usque ad Christum Dominum, est pars depositi fidei. Cessaret autem maxima pars Scripturae Veteris Testamenti pertinere ad depositum fidei, si esset collectio citationum, quae non essent verba Dei, sed verba hominum tantum. Tales partes non essent eiusdem auctoritatis ac ceteri libri sacri, neque ecclesia posset eas cum pari pietatis affectu suscipere et venerari. Neque ulla ratio perspicitur, cur Deus tales libros inspiraverit, ut iam supra dictum est[1]. Immo ne prudens quidem homo componeret integram gentis historiam ex documentis vel citatis, de quorum veritate aut falsitate nullum iudicium ferret. Unde talem historiam (si hoc nomen meretur) ab hagiographis conscriptam esse non poterant primi legentes suspicari. Si praeterea iis perspicuum non erat res sumptas esse ex aliis fontibus sine iudicio de earum veritate, si vel exsistentia fontium iis ignota erat, necessario ducebantur in errorem. Hoc autem admitti nequit. Sit igitur haec conclusio: Citationes admitti debent, si aut sunt manifestae aut unicam vel optimam explicationem alicuius textus praebent; sed nequaquam servire possunt ut universale principium ad diiudicandam indolem historicam Veteris Testamenti vel ad removendas omnes historicas difficultates[2].

536. *Gravior etiam est quaestio de iis, quae in Novo Testamento ex Vetere secundum versionem LXX citantur.* Notum enim est ab evangelistis et apostolis saepe poni verba Veteris Testamenti non secundum textum hebraicum, sed secundum versionem graecam. Quo facto utuntur exegetae ad stabiliendam authentiam canonis Alexandrini[3].

---

[1] Supra n. 519; cf. 515 nota et *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit der Heiligen Schrift 191 sqq.

[2] Haec iam pridem scripseram, cum de eadem re (in *Revue Biblique*, Avril 1905, 161) editum est responsum *Commissionis Biblicae:*

„Cum ad normam directivam habendam pro studiosis Sacrae Scripturae proposita fuerit Commissioni Pontificiae de re biblica sequens quaestio, videlicet:

‚Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis Sacrae Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?'

Praedicta Commissio respondendum censuit:

‚Negative, excepto casu, in quo, salvis sensu ac iudicio ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1° hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.'

Die autem 13ª Februarii anni 1905 Sanctissimus, referente me infrascripto Consultore ab Actis, praedictum responsum approbavit atque publici iuris fieri mandavit."

Fr. David Fleming O. F. M., Consultor ab Actis.

[3] Cf. *Cornely*, Introd. I² 67 sqq, qui inter alia ait: „Postquam ab ineunte saeculo XVI in hanc quaestionem accuratius inquisitum est, dubitari iam amplius non

Iamvero etsi ex ipso usu ecclesiastico constat in versione LXX non magis posse esse errores dogmaticos quam in Vulgata latina, et utramque versionem esse authenticam, negandum tamen non est posse esse in LXX dissonantias a textu primigenio et errores, qui non tangant fidem et mores. Quod si ita est, haec dubitatio exsurgit: Numquid scriptor inspiratus, allegans verba versionis LXX ut dicta Scripturae Sacrae, eo ipso testatur verba inveniri in textu originali? Numquid testatur ea esse vera?

Multi quidem Patres censent LXX esse versionem inspiratam; qua in suppositione tota difficultas cessat [1]. Sed haec opinio nostra aetate non recipitur et iam inter Patres habuit adversarios, maxime Hieronymum [2]. Ipse vero *Hieronymus, postquam suam versionem fecit, constanter docet in Novo Testamento non allegari versionem LXX, nisi ubi secundum sensum cum textu hebraeo conveniat.* „Dicimus . . . ubicumque Septuaginta ab Hebraeo non discordant, ibi apostolos de interpretatione eorum exempla sumpsisse; ubi vero discrepant, id posuisse in Graeco, quod apud Hebraeos didicerant.“ [3] E contra quidam recentes theologi putant in Novo Testamento saepius ita allegari verba LXX ad aliquid probandum, ut non sit verum argumentum biblicum, sed solum argumentum ad hominem, valens pro iis tantum, quibus singula verba LXX fuerint authentica Scripturae dicta. Cum de hac quaestione iam antea quaedam exposuerimus [4], id unum dicere sufficit *non posse cum certitudine ullam talem citationem in Novo Testamento ostendi, quae non sit nisi argumentum ad hominem, saltem ubi agitur de probanda doctrina fidei vel morum.* Verba materialia non raro differunt a textu originali, sed ubicumque ex iis fit argumentatio ut ex verbis Scripturae, non erit difficile ostendere verbum formale seu sensum esse eundem.

Sumatur e. g. textus Hebr 10, 4 sqq, quo apostolus ostendit abrogatis omnibus aliis sacrificiis unum verum sacrificium esse Christum: „Impossibile est enim sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.“ Respicit apostolus ad Ps 39, 7 sqq: „Hostiam et oblationem *(sebach* et *mincha)* non

potest, quin evangelistae et apostoli in veteribus Scripturis allegandis *plerumque* graecam versionem sint secuti, idque illis quoque in locis, in quibus hebraica lectio argumentationi apostolicae minus videtur congruere. Inter trecentos quinquaginta circiter Veteris Testamenti textus in Novo relatos vel adhibitos plus trecenti cum Alexandrina versione ita consonant, ut ad illam scriptores respexisse appareat. S. Petrus, Iacobus, Marcus, Lucas et scriptor epistulae ad Hebraeos *semper,* S. Paulus *fere semper,* SS. Ioannes et Matthaeus *plerumque* lectionem graecam sequuntur“ (l. c. 69).

[1] Cf. supra n. 39 43 47 61 93 128. [2] Supra n. 113.

[3] Contra Ruf. 2, 34; *M* 23, 456; cf. Epist. 57, 11; Epist. 121, 2; *M* 22, 577 1010.

[4] Supra n. 449.

desideras; aures autem fodisti mihi; holocautoma et piaculum non postulas. Tunc dixi: Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus." Apostolus hunc psalmum accipit ut (typice) messianicum. Maxime diversa sunt illa verba: „Corpus autem aptasti mihi" et „Aures autem fodisti mihi". Nihilominus in quantum applicantur ad subiectam materiam, sensus non differt; nam utraque locutione effertur Deo non placere per se oblationes rerum irrationalium, sed solam liberam subiectionem et oboedientiam. Haec autem oboedientia Messiae praestanda erat per sacrificium corporis sui. Ergo „corpus aptare" significat obiectum oboedientiae eius, quae significatur perforatione aurium. Psalmista et apostolus idem dicunt: non res externas sed oboedientiam a Deo postulari.

Quamdiu autem sensus idem manet, hagiographi Novi Testamenti de verbali conformitate non multum curant, quare saepe neque secundum textum hebraicum neque secundum LXX allegant, sed suis verbis sensum exprimunt. „Ubicumque de Vetere Instrumento evangelistae et apostoli testimonia posuerunt, observandum est non eos verba secutos esse, sed sensum; et ubi Septuaginta ab Hebraico discrepant, hebraeum sensum suis expressisse sermonibus." [1] Quare S. Hieronymus negat S. Paulum umquam ut verba Scripturae proponere, quae secundum sensum non sint in Scriptura [2]. Id verum est de argumentationibus, aliud autem dicendum est de puris accommodationibus [3]. Neque igitur admittenda sunt in Novo Testamento *argumenta* specietenus biblica, quae revera non habent vim nisi forte argumenti ad hominem. Non dedecet quidem Spiritum Sanctum uti argumentis ad hominem, qualia revera in Novo Testamento adhibentur ad refutandos adversarios, sed dedecere videtur Christianos ex inspiratione Spiritus Sancti instrui argumentis quasi biblicis, quae non sunt vere verba Scripturae.

537. Sed *numquid a scriptore inspirato simpliciter allegari non possunt ex versione LXX verba, quae in textu hebraico non leguntur,* ne secundum sensum quidem? Numquid ne in re quidem per se indifferenti hoc fieri potest? Sane nulla esset difficultas, si scriptor indicaret se simpliciter verba huius versionis afferre. Sed eiusmodi citatum non invenitur. Tota quaestio potius ponitur propter Lc 3, 36, ubi, nulla Scripturae mentione facta, *in genealogia Christi ponitur Cainan inter Sale et Arphaxad.* Itaque secundum hunc textum Arphaxad genuisse videtur Cainan, Cainan vero Sale. Secundum Gn 11, 12 Arphaxad non genuit Cainan, sed Sale; nullius ibi Cainan mentio fit nisi filii Enos (Gn 5, 9), quem etiam Lucas (3, 37) commemorat. Ergo Lucas habuit duos Cainan, Genesis vero unum; similiter 1 Par 1, 2 18. Lucas igitur videtur hausisse ex versione LXX, quae etiam duos Cainan habet.

---

[1] *S. Hier.,* Epist. 121, 2; *M* 22, 1011. Notum est illud dictum de evangelistis hebraeum sensum sequentibus esse exaggeratum.

[2] Epist. 48, 13; *M* 22, 502. [3] Supra n. 450.

Quaestio haec multis modis solvi probabiliter potest; sed quae solutio sit vera, plane dici nequit, quia argumenta efficacia desunt. Secundum LXX Gn 11, 12 sqq Arphaxad genuit Cainan. „Et vixit Cainan centum triginta annos, et genuit Sale. Et vixit Cainan, postquam genuit Sale, trecentos triginta annos, et genuit filios et filias, et mortuus est. Et vixit Sale centum triginta annos, et genuit Heber. Et vixit Sale, postquam genuit Heber, trecentos triginta annos, et genuit filios et filias, et mortuus est.“ Itaque hic (ut et 1 Par 1, 18) Cainan legitur, eique attribuuntur totidem anni, quot filio eius Sale. Hoc ipsum multis argumentum est Cainan per errorem alicuius librarii irrepsisse. Non tamen desunt, qui censeant Cainan olim fuisse in textu originali et postea per errorem omissum esse. Revera de hac re tot sunt sententiae, quot omnino fingi possunt. Secundum *Canum* (De loc. theol. 2, 18; supra n. 277) Spiritus Sanctus movit Moysen ad omittendum Cainan, Lucam vero ad eum ponendum. *Hoberg* censet Lucam non scripsisse Cainan, sed hoc nomen primis iam temporibus aerae christianae in Lucae evangelium, et ex Lucae evangelio in LXX esse errando illatum (Die Genesis 120). *Th. I. Lamy* probabilius habet intrusisse librarium quendam nomen Cainan ex quarto loco genealogiae patriarcharum ante diluvium in quartum locum genealogiae postdiluvianae et ei tribuisse numeros illius, qui quarto loco occurrebat. Dein addit: „Difficultas tamen gravis habetur ex evangelio Lucae, quam alii aliter solvunt. Sunt qui Cainan Lucae habent non ut patrem naturalem Sale, sed ut fratrem vel patrem legalem; alii putant nomen Cainan intrusum fuisse in evangelium Lucae statim ab initio ab aliquo scriba, qui hoc nomen invenerit in suo codice versionis LXX, et idcirco putaverit in Luca addendum; exinde nomen Cainan in ceteros Lucae codices, excepto D, irrepserit; coniecturam firmant eo, quod adiectio Cainan in versione LXX videatur Iosepho et Philone recentior, siquidem isti illud additamentum ignorant. *Calmetus* putat Cainan ab ipso Luca appositum ex versione LXX, quam constanter exscribit, Spiritum autem Sanctum, qui Lucam agebat non peculiarem ei tribuisse revelationem, ut menda versionis LXX corrigeret, quia non agebatur de veritate aliqua supernaturali, sed de chronologia. At ista ratio non convincit, quare anceps haereo, quid in hac intricata quaestione sit statuendum.“ [1]

Nihilominus multis nostra aetate placet haec solutio, Lucam exscripsisse genealogiam secundum versionem LXX cum illo mendo; immo, inquiunt, aliud non potuit convenienter facere, cum Christiani, ad quos scribebat evangelium, non haberent Scripturam nisi hanc versionem, unde eos perturbasset, si nomen Cainan omisisset. Quae ratio non urget; nam Matthaeus quoque plura nomina omisit, quae Christiani in genealogiis Veteris Testamenti legebant. Lucas, si scripsit Cainan, ideo scripsit, quia sibi persuasum habebat Cainan esse vere filium Arphaxad. Ergo nisi ita est, Lucas ex inspiratione scripsit errorem. Nam qui scribit: „Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat“, et postea eodem modo pergit: „Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad“, non minus asserit Cainan secundum obiectivam verita-

[1] Comment. in libr. Genes. I, Mechliniae 1883, 389 sq.

tem esse filium Arphaxad et patrem Sale, quam Heli esse filium Mathat et patrem Ioseph. Sed si in ista genealogia potuit unum errorem scribere, potuit etiam plures scribere, et sic periret illa inerrantia Scripturae, quam supra [1] stabilivimus. Neque paritas est [2] cum citationibus implicitis, quas antea vidimus; nam in illis manifestus est sensus; hic vero minime. Quae cum ita sint, mihi potius videtur alterutrum dicendum: aut Lucam non scripsisse, aut, si scripserit, vere inserendum esse Cainan. Neque tamen vitupero sententiam eorum, qui censent Lucam proposuisse genealogiam, quam Christiani gentiles in LXX legebant, neque auxisse neque minuisse fidem eorum, quae ibi dicuntur. Habet enim haec sententia ex pluribus saeculis defensores, etsi paucos, optimae notae exegetas et theologos, qui tamen omnes inculcant nullum in hac „citatione" a Luca commissum esse errorem formalem. Horum igitur auctoritate se defendere possunt propugnatores „citationum implicitarum" [3]. Hic enim revera habetur aliqua ratio admittendi talem citationem.

ART. IX.

DE TRADITIONIBUS POPULARIBUS.

538. Solent exegetae catholici (e. g. Cornelius a Lapide et Lamy) ad quintum caput Genesis annotare unam ex causis longaevitatis priscorum hominum fuisse specialem providentiam, qua Deus voluerit efficere, ut revelatio primitiva posteris conservaretur. In qua sententia supponitur *primitivam revelationem non scripto sed ore fuisse traditam.* Quod si ita est, et ita esse inde a temporibus SS. Patrum communiter docuerunt, dicere licet ab Adamo ad Noe, et rursum a Noe ad eius posteros per multa saecula obiecta fidei divinae simul cum aliis notitiis populari traditione conservata et propagata esse. Vocatur autem haec traditio *popularis,* quia organum eius non erat auctoritativum magisterium, ut in ecclesia Christi, sed familia familiarumque inter se cognatarum coetus. Eiusmodi traditiones religiosae apud omnes antiquos populos inveniuntur, quae postea procedentibus temporibus consignatae sunt litteris. Coeperunt autem apud varias gentes illae traditiones paulatim deformari additis narrationibus fictis et doctrinis falsis, ut loco revelationis divinae obtinerent mythi et errores polytheistici. Testes sunt Babylonii, Aegyptii aliique populi antiquissimi, quorum scripta ad nos pervenerunt. Deus autem, qui noluit revelationem suam plane perire inter homines, eduxit Abrahamum e Mesopotamia et novis revelationibus veterem revelationem confirmavit et auxit. Temporibus Abrahami artem scribendi notam fuisse certum est; sed num haec

[1] Supra n. 480 sqq. [2] Supra n. 532.

[3] Optime hanc rem exponit *Cornel. a Lapide* in Luc. 3, 36, cui „liberius et audacius" videtur admittere mendum a Luca ex LXX exscriptum.

ars viguerit in familia Abrahami, nescimus. Cum in Sacra Scriptura nulla huius rei mentio fiat, probabile est revelationis doctrinam a patriarchis fuisse verbis tantum traditam. Ceterum Deo, qui voluit, ut haec doctrina postea suo nomine scriberetur, difficile non erat efficere, ut ea, quae scribenda erant, ad hagiographos pervenirent et ab iis sine errore scriberentur.

539. *Neque igitur quidquam obstat, quominus inter fontes, ex quibus sacri auctores Veteris Testamenti hauserunt, traditiones quoque populares fuisse dicamus.* Immo in quantum etiam in traditionibus aliorum populorum, qui non erant posteri Abrahami, vera conservabantur, potuerunt etiam his traditionibus hagiographi ad suum finem uti. Inspiratione enim non excluditur usus ullorum fontium, ex quibus vera accipi possunt. De hac re non est inter exegetas vel theologos catholicos dissensio, etsi alii aliter concipiunt modum, quo in concreto res facta sit. Audiamus illustrationis gratia unum exemplum. *Lamy*[1] haec ait:

Quae in Genesi describuntur, „iis Moyses nec agens nec testis interfuit; ea tamen certissime scire potuit. Quae quidem creationem hominis praecesserunt, ea nonnisi ex revelatione divina, facta Adamo aut patriarchis aut ipsi Moysi, qui tam saepe Dei alloquio dignatus fuit, innotuerunt. Quae vero creationem hominis subsecuta sunt, ea Moyses depromere potuit ex antiqua et in patriarcharum familiis conservata traditione. Haec autem traditio eo fidelius conservabatur, quod divinas revelationes divinasque promissiones generi humano lapso et familiae Abrahae factas complectebatur. Potuit etiam uti traditionibus et genealogiis apud Chaldaeos et Aegyptios sive memoria sive scripto servatis. Quodsi quae fabulae illis traditionibus immixtae erant, praesto ipsi erant patriarcharum traditiones et divina illuminatio, qua illustratus erat, ut absque errandi periculo ea seligeret, quae vera erant, et falsa repudiaret. Etenim admitti nequit auctorem a Spiritu veritatis edoctum vera a falsis non discrevisse. Moysi non erat admodum difficile illibatam omnique fictione puram praecedentium temporum historiam colligere. Quo enim tempore ipse natus est, vix ab initio mundi effluxerant duo milia et quadringenti anni[2]. Talis autem fuit patriarcharum longaevitas, ut paucae generationes hoc temporis spatium implerent. Etenim Moyses a patre suo Amram facile didicit totam Iosephi, Iacobi, Isaaci, Abrahae historiam. Nam Amram, qui 137 annis vixit, potuit per plures annos conversari cum ipso Iosepho, a quo, sicut ab avo suo Levi aliisque Iacobi filiis, facile acceperit, quae Iosepho, Iacobo aliisque patriarchis contigerant. Levi autem, filius Iacobi et avus Amrami, iam quadraginta annis natus erat, quando avus eius Isaacus mortuus est. Adhuc autem Sem, filius Noe, in vivis erat, quando natus est Isaacus. Isaacus potuit eo familiariter uti per annos quadraginta tres; ab ipso potuit accipere historiam diluvii, turris babelicae et dispersionis populorum, siquidem eventus tam stupendi non ita

[1] Comment in Gen. 49.

[2] Addit auctor in nota se sequi textum hebraicum, manere autem vim argumenti, si retineatur chronologia LXX.

facile e memoria hominum delentur. Porro Sem centum annis natus ante diluvium initia fere rerum attigit; quo enim tempore natus est, adhuc in vivis erat Mathusala, qui cum Adamo diu fuerat. Sex igitur generationes Moysen usque ad initia temporum perducebant. Nec dubium est alia ipsi praesto fuisse ad narrationem instruendam subsidia: turris babelicae vestigia, quae adhuc exstabant, quando Nabuchodonosor hanc turrim reaedificari iussit, monumenta et altaria in memoriam manifestationum Dei a patriarchis erecta atque inscriptionibus exornata, fortasse etiam genealogiae, narrationes, carmina litteris exarata."

Hac expositione manifestum est a scriptoribus catholicis, qui a liberalismi suspicione longe absunt, inter fontes antiquae historiae sacrae recenseri traditiones populares. Neque hoc cuiquam dubium aut mirum videbitur, qui consideraverit inspiratione divina caveri quidem errores, minime vero tolli laborem inquirendi in fontes, quemadmodum ex libris Regum, Paralipomenon, Lucae aliisque patet. Potuit quidem Deus totam illam historiam sacro scriptori revelare; at ita egisse censendus non est, quando aliae viae inveniendi veri apertae erant.

540. Iamvero *in traditione populari veritas alio modo conservatur et propagatur atque in scriptis secundum artis praecepta confectis.* Traditio enim popularis a) non utitur formulis abstractis, sed magis in concreto res denominat, prout sensibus apparent. Hinc b) modus loquendi est magis poeticus et vividus; pro internis cogitationibus ponuntur externi sermones et colloquia. c) Frequens est usus locutionum proverbialium et metaphoricarum; numeri, mensurae aliaque similia magis summatim indicantur. d) Res explicantur et appellantur non secundum intimam earum naturam, sed secundum phaenomena sensibilia et opiniones vulgatas. Tandem e) paulatim veris multa falsa admisceri solent. Possumus haec omnia reducere ad duas differentias, quibus populares et orales traditiones a scriptis libris distinguuntur, quia *quoad res,* quas narrant, facilius exponuntur erroribus, *quoad modum loquendi* magis accommodantur ingenio populi.

Quid igitur potuit scriptor inspiratus ex traditionibus popularibus in librum suum transferre, quid non potuit? *Non potuit falsa recipere eaque ut vera affirmare;* nam hoc modo Deus, cuius instrumentum est auctor inspiratus, homines ad falsa admittenda auctoritate sua induceret, quod est impossibile. Sed *potuit scriptor inspiratus ex traditione cum rebus veris simul sumere peculiarem narrandi modum;* nam cum Deus ad homines loquatur more humano, potuit etiam loqui more illis hominibus maxime congruo, etsi hic modus forte hominibus aliorum temporum aliarumve regionum minus arridet iisque intellectum libri difficiliorem reddit. Nam liber omnibus hominibus aeque accommodatus, si talis liber omnino possibilis est, esset liber sine colore, sine vigore, nullis hominibus valde utilis. Itaque cum singuli libri

sacri non immediate toti generi humano sed certis quibusdam hominibus destinati fuerint, ita scripti sunt, ut illis hominibus conveniebat. Illi igitur posteri patriarcharum, qui iam diu orali traditione possederant, quae postea in Genesi scripta sunt, in libris inspiratis eodem modo doctrinas acceperunt, quo has doctrinas sine scriptis noverant, non vero eo modo, quo has doctrinas vix intellexissent, i. e. non eo modo, quo postea philosophi vel theologi de iisdem rebus locuti sunt.

541. Quicumque incipit Genesim attente legere, statim percipit modum loquendi a philosophia alienum, sed communi populo maxime adaptatum. Philosophi vel theologi dicunt: Deus totum mundum omnipotenti actu voluntatis suae e nihilo produxit. Secundum Sacram Scripturam Deus dixit: „Fiat lux". Nemo propterea rationabiliter supponet Deum sonos sensibiles effecisse, cum non adesset, ad quem hae voces dirigerentur; sed de Deo sermo est ut de homine, qui aliis explicat, quid operaturus sit vel fieri velit.

Similiter Deus „appellavit lucem diem et tenebras noctem". Non ipse Deus prima die haec nomina rebus imposuit, sed „hoc totum ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua vocavit Deus diem lucem et tenebras noctem? Utrum hebraea, an graeca, an latina, an alia aliqua? et sic omnia, quae vocavit, quaeri potest, qua lingua vocaverit. Sed apud Deum purus intellectus est sine strepitu et diversitate linguarum. Vocavit autem dictum est: vocari fecit, quia sic distinxit omnia et ordinavit, ut et discerni possent et nomina accipere" [1]. Quando Deus exhibetur dicens: Faciam hoc et hoc, vel: Fiat hoc et hoc, „nobis hoc indicatur nostro modo; Dei quippe sublimior ante suum factum locutio ipsius sui facti est immutabilis ratio, quae non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed vim sempiterne manentem et temporaliter operantem" [2].

Si Moyses locutus esset, quomodo his locis Augustinus, illi, pro quibus scribebat, probabiliter eum non intellexissent; scripsit igitur, quomodo oportuit, ut populus israeliticus veritates sibi traditas recognosceret et, quantum satis erat, caperet. Homines autem magis eruditi, qui posterioribus aetatibus venturi erant, habebant, quo ingenium suum salubriter exercerent, ut Scriptura ipsa obscuritate sua eos ad quaerendum alliceret. Sacri scriptores ex inspiratione divina „ad exercendas et elimandas quodammodo mentes legentium et ad rumpenda fastidia atque acuenda studia discere volentium, celandos quoque, sive ut ad pietatem convertantur, sive ut a mysteriis secludantur, animos impiorum utili ac salubri obscuritate dixerunt" [3].

Illum igitur popularem loquendi modum, qui in toto libro Genesis observatur, Moysen ex traditione accepisse probabile est, ut e. g. in

[1] *S. August.*, De Genesi contra Manich. 1, 9; *M* 34, 180.
[2] Ib., De civ. Dei 16, 6; *M* 41, 484.
[3] Ib., De doctr. christ. 4, 7, 21; *M* 34, 98; cf. supra n. 148 157 158.

c. 11, ubi sermo est de turre babelica. „Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam; et dixit: Ecce, unus est populus et unum labium omnibus, coeperuntque hoc facere nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt aedificare civitatem. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae".

Sine dubio Deus non sensu proprio descendit, ut videret turrim, neque sensibiliter illas voces protulit, sed immutabilis eius cognitio et aeternum eius decretum hoc populari modo explicantur. Et si quis vult admittere etymologiam illam urbis Babel esse popularem et ex populari traditione haustam, non ideo offendit contra veritatem Scripturae. Nam licet nomen ab initio fuerit Bab-Ilu, ut quibusdam videtur, et significaverit „portam Dei", potuit tamen post confusionem significatio haec apud populum in aliam mutari, sicut non raro nominibus propriis alia significatio et etymologia attribuitur atque ea, quam ab initio habuerunt. Etiam sic verum manet urbem vocatam esse Babel, eo quod ibi confusio linguarum facta sit. Ceterum disputant docti, quae etymologia primitivae significationi nominis Babel conveniat. De qua re hic non inquirimus, sed id unum statuimus tales populares conceptiones non excludi vi inspirationis a Scriptura Sacra.

Deum descendisse ad videndam turrim, Deum haec et haec locutum esse, urbem vocatam esse Babel propter confusionem linguarum, haec et similia potuerunt ex traditione populari transire in libros inspiratos. At vero si reapse nulla umquam turris aedificata, si nulla confusio linguarum facta esset, sed totum esset fictio quaedam poetica, non potuit haec fictio in librum historicum inspiratum recipi et ut factum historicum inter alia facta historica narrari. Res non factas narrare ut factas est simpliciter error; sed modus rem veram narrandi potest esse varius sine ullo errore, quia modus loquendi non est id, quod de re affirmatur, sed est medium exprimendi conceptus, quod medium, dummodo sit aptum, per res et per conceptus mentis non est ita determinatum ad unum, ut non possit salva veritate esse aliud et aliud.

542. *Sed si quis ultra progreditur et censet scriptorem inspiratum etiam traditiones secundum rem falsas potuisse historicae narrationi inserere, nullo signo falsitatis addito, is manifeste recedit a sensu catholico in fontibus theologicis manifestato.* Neque sufficit dicere tales res falsas potuisse ex inspiratione scribi, in quantum finem Scripturae tradendi doctrinam salutis non afficiant. Nam hoc id ipsum est, quod *Leo XIII* tolerandum esse negat: „Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei et morum, nihil praeterea,

pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam dixerit"; sed contra omnino statuendum „Deum ipsum per sacros auctores elocutum, nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse."[1] Itaque sive mythos sive legendas sive traditiones populares, sive historiam veterem sive historiam orientalem, sive aliud quid simile dixeris, si his nominibus tegere studes opinionem, qua Deus dicitur potuisse inspirare errores, saltem in rebus accidentalibus et nullius ad salutem momenti, a traditione catholica constanti et communi recedis, quae docet non res principales tantum et substantiam narrationis debere esse veram, sed omnia et singula, quae affirmentur. Non requiri, ut narratio omni ex parte sit completa et perfecta, sed posse esse omissiones, summarias narrationes, indefinitas locutiones aliaque id genus iam saepe monuimus. Id solum firmum esse principium oportet: Scriptores inspiratos nihil affirmasse ut verum, quod falsum sit; nihil negasse ut falsum, quod verum sit. Cum hoc principio non pugnat, quod non semper constat, quid scriptor voluerit affirmare, et quod interdum dubium est, ubi sint fines inter res affirmatas et formas locutionum. Obscuritas conciliari potest cum inspiratione divina, error non potest. Et his quidem de narrationibus historicis Sacrae Scripturae dictis, quaestio de inerrantia ex inspiratione fluente videtur soluta, in quantum ad tractatum dogmaticum pertinet; singulorum enim textuum expositio exegetis relinquenda est.

CAPUT V.

DE SENSU SACRAE SCRIPTURAE.

ART. I.

DE SENSU LITTERALI.

543. Saepe et SS. Patres et veteres theologi docent Sacrae Scripturae ratione originis divinae multiplicem sensum convenire. „In Scripturis Sacris nihil scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias; quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt, ideo, utpote a Spiritu scriptae ingentem in se continent thesaurum." Ita *S. Ioannes Chrysostomus*[2], quocum alii omnes consentiunt.

Ut igitur tota vis inspirationis explicetur, etiam de sensu Scripturae dicendum est. *Sensus libri sunt illi mentis conceptus, quos auctor verbis exprimere voluit et expressit.* Quodsi forte verbis per se consideratis subici potest significatio, quam auctor non intendit, hic non est sensus libri, cum ad verum sensum libri duo necessaria sint: a) ut verba determinatam significationem habere possint; b) ut auctor

[1] Supra n. 343. [2] Supra n. 86; cf. 74 90 105 116 152 sqq 391.

hanc significationem intenderit. Nam scribere librum est species aliqua locutionis; loqui autem est velle alteri mentem suam manifestare et uti iis signis, quibus alter recte mentem loquentis assequi potest. Unde *sensus Sacrae Scripturae sunt conceptus, quos Spiritus Sanctus verbis scriptis exprimere voluit.*

Sensus ille, quem verba, ut haec *verba* sunt, ex intentione auctoris prae se ferunt, vocatur sensus litteralis, i. e. sensus, quam littera exprimit, in oppositione ad sensum typicum, qui potest inesse *rebus* littera significatis, ut postea videbimus. Sensus litteralis non necessario idem est ac sensus proprius verborum, cum in locutionibus metaphoricis scriptor immediate exprimere velit aliud atque id, quod voces ex nativa vi significant. Verum quidem est quosdam Patres sensum litteralem artius sumpsisse et ab eo sensum figuratum ut sensum spiritualem distinxisse [1]; sed hic modus loquendi non iam est in usu et, ne confusio oriatur, melius relinquitur. Itaque in locutione metaphorica intellegimus sensum translatum sensum litteralem; consequenter in allegoria, quae est producta metaphora, sensus allegoricus est sensus litteralis, ut, quando Christus dicit apostolis: „Vos estis sal terrae, vos estis lux mundi" (Mt 5, 13 sqq), et quae sequuntur, haec intelleguntur de sale et luce spirituali, i. e. de exemplo et doctrina, non de sale et luce materiali. Item in parabola sensus parabolicus, i. e. doctrina, quae parabola illustratur, est sensus litteralis. De qua re ait *S. Thomas:* „Per litteralem sensum potest aliquid significari dupliciter, scilicet secundum proprietatem locutionis, sicut cum dico: homo ridet; vel secundum similitudinem, sicut cum dico: pratum ridet. Utroque modo utimur in Scriptura, sicut cum dicimus quantum ad primum, quod Iesus ascendit; et cum dicimus, quod sedet a dextris Dei, quantum ad secundum. Et ideo sub sensu litterali includitur parabolicus vel metaphoricus." [2] SS. Patres interdum sensum litteralem appellant historicum, non solum quando de narrationibus historicis sermo est, sed generatim ad significandum eum sensum, qui immediate verbis exprimitur in oppositione ad speculationem *(θεωρίαν)*, quam de verbis Scripturae instituere possumus (cf. e. g. supra n. 127).

544. His de notione sensus litteralis praemissis, imprimis statuendum est *omnibus et singulis dictis Sacrae Scripturae subesse sensum litteralem,* sive hic sensus est proprius sive translatus. Nunc quidem haec thesis non habet adversarios, olim tamen *Origeni* contrarium visum est. Hic enim non solum docuit in Scriptura legi quasdam allegorias, quarum litteralis sensus sit allegoricus, sed potius voluit in relationibus historicis et legibus Sacrae Scripturae multa inveniri, quae non habeant eum sensum, quem verba prae se ferant, sed alium

[1] Supra n. 487. [2] In Gal. 4, lect. 7; cf. supra n. 178

omnino sensum, a nativa significatione tam alienum, ut simpliciter dicenda sint non habere sensum litteralem. Dixerunt alii quoque Patres non omnibus Scripturae locis convenire sensum litteralem, sed nolebant aliud dicere nisi multos locos non esse sensu proprio sed metaphorico accipiendos[1]. Eadem ratione etiam Origenes loquitur[2]. Attamen *non raro, negato omni sensu litterali, etiam ubi non sunt metaphorae, solum spiritualem sensum statuit*[3]. Quomodo hanc doctrinam intellexerit, clare efficitur ex modo, quo multas leges mosaicas explicat. E. g. in illud Ex 23, 14 sqq: „Tribus temporibus anni festum agetis mihi. Sollemnitatem azymorum custodite. Septem diebus edetis azyma, sicut praecepi tibi, tempore mensis novorum. In ipso enim egressus es de Aegypto. Non apparebis in conspectu meo vacuus, et sollemnitatem messis primarum frugum facies operum tuorum", inter alia haec exsequitur:

„Quodsi eiusmodi aliquando contingat annus, ut nullos terra fructus ferat, num possumus in mense novorum diem festum agere, sicut praecepit Deus? ... Quid vero, si agrum non habeo, quomodo festum hoc agere potero? ... Non seminavi, architectus sum. Non seminavi, textor sum. Agrum non habeo, quomodo possum alterum festum agere? ... Quid sibi vult Scriptura, cum celebrare nos iubet festum azymorum in mense novorum? Depone veterem hominem cum actibus suis; et ut in mense novorum sollemnitatem celebres, tu quoque novus efficere, ut mensis celebritatis novorum tuus mensis fiat.... Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo. Dicam, quid sibi locus iste velit. Quod agimus, aut femina aut mas est. Si femineum est, quod agimus, aut corporeum est aut carnale. Seminantes enim in carne, non marem sed feminam edimus animae foetum, nempe enervem mollemque ac materia crassum. Si vero aeterna spectantes et ad meliora attentum habentes animum fructus spiritus edimus, omnes foetus nostri mares sunt. Quae igitur offeruntur in conspectu Dei, quaeque creatoris oculis apparent, haec mascula, non feminea sint. Neque enim feminea aut corporea dignatur Deus respicere." [4]

Si Origenes ex litterali legum mosaicarum sensu solum deduceret morales applicationes, nihil esset vituperandum. Sed *negat omnes leges secundum sensum litteralem esse rationabiles, ideoque allegorico tantum sensu implendas esse vult.* Ita leges sacrificales de animalibus mundis et immundis, quae leguntur in Levitico, censet prorsus indignas Deo, si secundum litteram accipiantur.

„Agnoscite, quia figurae sunt, quae in divinis voluminibus scripta sunt.... Potest enim quis innocens et rectus corde mundum animal ovis videri.... Si secundum hanc intellegentiam dicamus Deum summum leges hominibus promulgasse, puto, quod digna videbitur divina maiestate legislatio. Si vero assideamus litterae et secundum hoc, vel quod Iudaeis, vel id quod vulgo videtur, accipiamus, quae in lege scripta sunt, erubesco dicere et confiteri,

---

[1] Supra n. 487. [2] Cf. e. g. In Gen. 1, 25; *M* 12, 94 sq.
[3] Cf. supra n. 62 sqq. [4] Selecta in Ex.; *M* 12, 294 sqq.

quia tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes et rationabiles hominum leges, v. g. vel Romanorum vel Atheniensium vel Lacedaemoniorum. Si vero secundum hanc intellegentiam, quam docet ecclesia, accipiatur Dei lex, tunc plane omnes humanas supereminet leges et vere Dei lex esse credetur." [1]

Itaque manifestum est Origenem quarundam legum litteras plane pessumdare; nam ista legum praecepta neque ex natura rei neque ex usu populi iudaici erant locutiones metaphoricae, sed omnino propriae. Origenes autem vult has leges a Iudaeis male esse intellectas, et subicit iis significationes plane arbitrarias.

Eodem modo *multas narrationes historicas tractat, quasi non vera facta exhibeant sed solas morales doctrinas.* Sic quae narrantur de Pharaone et Abimelech, volentibus auferre Saram, uxorem Abrahae (Gn 12, 10 sqq; 20, 1 sqq), sic explicantur, ut Abraham sit homo iustus, Sara autem virtus.

„Pharao, qui est homo immundus et exterminator, Saram, i. e. virtutem, accipere omnino non poterat. Porro Abimelech, i. e. qui munde et philosophice vivebat, poterat quidem accipere, quia in corde mundo quaerebat, sed nondum tempus advenerat. Manet ergo apud Abraham virtus, manet in circumcisione, donec tempus veniat, ut in Christo Iesu Domino nostro . . . integra et perfecta virtus ad ecclesiam gentium transeat. Tunc ergo et domus Abimelech et ancillae eius, quas sanavit Dominus, parient ecclesiae filios.... Ecclesia igitur Dei sic intellegat partus, sic generationes accipiat, sic patrum gesta decora et honesta interpretatione sustollat, sic verba Spiritus Sancti non ineptis et iudaicis fabulis decoloret, sed plena honestatis et plena virtutis atque utilitatis assignet. Alioqui quae nobis aedificatio erit legentibus Abraham, tantum patriarcham, non solum mentitum esse Abimelech regi, sed et pudicitiam coniugis prodidisse? Quid nos aedificat tanti patriarchae uxor, si putetur contaminationibus exposita per conventiam maritalem? Haec Iudaei putent, et si qui cum iis sunt litterae amici, non spiritus." [2]

Saepe quidem dubium est, utrum Origenes in verbis Scripturae etiam sensum litteralem admittat, an solum allegoricum, cum ipse dicat plerumque adesse utrumque sensum. At eo ipso concedit relationibus historicis et legibus aliquando nullum sensum litteralem subesse, sed tropice per fictam historiam, quae tamen corporaliter non contigit, quaedam indicari mysteria [3].

545. Hoc ipso efficitur *Origenis doctrinam esse falsam.* Nam a) si tam arbitrarie licet simplices narrationes et legum dicta in allegorias convertere, potest tota historia salutis ab iis, quibus non placet, in allegorias dissolvi; saltem nulli textus ab hoc periculo tuti sunt. Neque adeo gloriari debet Origenes, quod allegoriis suis a Iudaeis

---

[1] In Levit. hom. 7, n. 5; *M* 12, 487 sqq.
[2] In Gen. hom. 6, n. 3; *M* 12, 197 sq.
[3] De principiis l. 4, n 15; *M* 11, 375; cf. supra n. 62.

recedat, cum in ipsius commentariis saepissime Philonis vox audiatur[1]. b) SS. Patres unanimiter fere hanc interpretandi rationem ut absurdam et intolerabilem reiecerunt. *S. Basilius* vocat tales interpretationes „aniles fabulas“[2]. Secundum *S. Eustathium* Origenes „multa aniliter consumpsit“, quae „multiplici scatent futilitate“[3]. *S. Ephraem* contra Origenistas monet nefas esse in Hexaëmero „existimare esse nomina sine rebus, aut non illas, quas illa proprie significant, designare, sed alias“[4]. *S. Epiphanius* gravissime vituperat Origenem propter reiectum sensum litteralem, cui consentit *S. Hieronymus*[5]. Similiter alii Patres. c) Deus in Scriptura hominibus loquitur, ergo ita, ut ab hominibus intellegi possit. Iamvero patitur quidem humana loquela metaphoras, sed tum tantum, cum vel ex communi usu vel ex circumstantiis sermonis patet esse metaphoras. At in mediis narrationibus historicis aut in legibus proponendis subito recedere a significatione, quam vocabula et ex usu et ex circumstantiis habent, iisque subicere significationem numquam inter homines auditam, hoc non est humano modo loqui neque velle intellegi. Reapse secundum Origenem neque Iudaei neque plurimi Christiani illos locos, quos praeter morem allegorice explicat, umquam recte intellexerunt. Qui vero post Origenem venerunt, doctores maximi, eius allegoricas interpretationes reiecerunt. Ergo revera si Origenes recte sensisset, Deus ita locutus esset, ut homines verba eius intellegere non possent. Hoc autem admitti nequit. Ergo falsa est doctrina Origenis; et ut indubia doctrina tenenda est: Omnibus Scripturae locis convenire sensum litteralem.

546. Ex altera parte *singulorum locorum Sacrae Scripturae non est nisi unus sensus litteralis,* in quantum litteralis distinguitur a typico. Quae quidem res per se videtur tam simplex et evidens, ut specialis expositio et probatio necessaria non sit. Attamen *obstat contraria opinio multorum theologorum,* maxime inde a saeculo XVI, qui saltem certis quibusdam Scripturae dictis[6] plures litterales sensus asserunt. Ita e. g. *Bonfrerius* ad quaestionem, „utrum eiusdem loci sint aliquando plures sensus litterales“, ita respondet: „Fatentur omnes et fateri debent id passim in Scriptura locum non habere. Rursum dicò non temere asseri debere sententiam aliquam plures habere sensus litterales, nisi qua iusta ratio ad id asserendum impellat. . . . Quaestio autem est in genere, an aliquando plures istiusmodi sensus admittendi sint. Ad quam respondeo esse admittendos.“ Allegantur ab eo pro hac sententia Hieronymus, Chrysostomus (hi duo immerito), Augustinus, Thomas, Driedo, Canus, Alphonsus a Castro, Catharinus, Bellarminus, Serarius, Salmeron, Molina, Valentia, Vasquez[7].

[1] Cf. supra n. 15. [2] Supra n. 68. [3] Supra n. 77. [4] Supra n. 103.
[5] Supra n. 488. [6] Communiter enumerant sex vel septem.
[7] *Bonfrerius,* Praeloq. in Script. c. 20, sect. 5. *Philippus a SS. Trinitate* in disput. de S. Scriptura dub. 5 exaggerando asserit iuxta communem Patrum et

Hi et alii theologi sensum litteralem multiplicem ideo praecipue defendunt, quia S. Augustinus eum admittendum esse censuit. Augustinus autem hanc sententiam neque in Scriptura neque in traditione invenit, sed ipse pacis studio eam formavit, ut lites Catholicorum de expositione ambiguorum textuum eo facilius componi possent. Neque hanc sententiam ut certam et indubitatam proponit, sed sibi magis placere significat[1]. In commentariis vero ipse, ut ceteri Patres, vix non semper unum esse sensum litteralem textuum supponit, semper vero, quando ex textibus argumenta construit ad aliquid probandum. Et quia multiplicem sensum in solis ambiguis textibus concedit, pro argumentatione postulat alia Scripturae dicta minime ambigua. Nam si obscura Scripturae dicta scrutari volumus, „aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam; aut, si habet, ex eadem Scriptura ubicumque inventis atque adhibitis testibus terminetur.“[2]. Quod si ita est, ille multiplex sensus non est magnae utilitatis nisi ad pacificandos animos interpretum diversimode sentientium. At neque huic fini multum servit, quia plerique interpretes non admittunt multiplicem sensum litteralem.

547. *Praeter Augustinum nullus S. Pater multiplicem sensum litteralem vel theoretice statuit vel practice in exponenda Scriptura adhibuit.* Etsi multi loquuntur de inexhaustis divitiis sensuum Scripturae, id intellegunt de mysticis expositionibus et moralibus applicationibus.

Unus *Gregorius Magnus* simile quid innuere videtur aliquo loco, quo explicat verba Ez 3, 13: „Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.“ Ait enim: „Est in his verbis magna dubitatio, quia non aperte per prophetam dicitur, utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat, an certe haec eadem sancta animalia alis suis se vicissim feriant, ut ala huius alterum, et ala alterius istud animal tangat. Sed quia *plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur,* nos caritati vestrae utraque exponere largiente Domino debemus. Saepe iam alas animalium virtutes diximus esse sanctorum. Quomodo ergo unumquodque animal alas suas excutiens alteram ad alteram percutit, nisi quod aperte datur intellegi, quia, si sancta animalia efficimur, virtus in nobis virtutem excitat, dum una alteram ad perfectionem pulsat.... Sin vero, ut praefati sumus, vicissim se alis suis animalia feriunt, et altera ad alteram ala percutitur singulorum, huius quoque descriptionis largiente

---

theologorum sententiam plurimis locis Sacrae Scripturae subesse multiplicem sensum litteralem, „quod pertineat ad excellentiam Sacrae Scripturae eiusque auctoris Dei.... Et ita ampliant hanc sensuum litteralium sub una littera pluralitatem, ut dicant eiusdem litterae omnes illos sensus esse litterales, qui ex illa potuerint educi conformiter ad seriem contextus, in ordine ad ecclesiae aedificationem, vel dogmatum fidei confirmationem, aut animarum utilitatem“ (Disput. theol. tom. I, disp. 2, dub. 5). Hanc esse communem sententiam Patrum et theologorum est nimis manifeste falsum, quam ut refutatione opus sit.

[1] Supra n. 125. [2] De doctr. christ. l. 3, c. 28; *M* 34, 80.

Domino sensus patet. Quid est ergo, quod haec pennata animalia vicissim alas alteram ad alteram feriunt, nisi quod omnes sancti se invicem suis virtutibus tangunt et sese ad provectum excitant ex consideratione virtutis alienae?" [1] Itaque secundum S. Gregorium „plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut multipliciter exponatur". Expositionem, ut ex contextu elucet, intellegit moralem applicationem. Ut in his applicationibus non restringamur ad unum, sed multipliciter nos exercere possimus, Spiritum Sanctum saepe obscure locutum esse vult. Num hoc principium verum sit, est alia quaestio; id unum manifestum esse videtur obscuram locutionem non idem esse ac multiplicem sensum litteralem. S. Gregorius non dicit illa verba prophetae habere duplicem sensum, sed ait: Si priorem sensum habent, colligitur haec applicatio moralis; sin alterum sensum habent, colligitur alia applicatio moralis. Tali disiunctione sensus multiplex litteralis non statuitur, sed potius negatur. Ait praeterea de aliis Patribus: „Saepe, Patres venerabiles, si seriatim cuncta exponerent, quae ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere visi sunt, observare nequaquam potuissent-" [2] Hoc etiam supponit unum sensum litteralem, quia, si textibus omnis catholicus sensus conveniret, qui iis adaptari potest, illi alii Patres etiam suam „seriem locutionis observare potuissent".

Remanet igitur patronus sensus multiplicis litteralis ex numero SS. Patrum unus Augustinus, qui, cum perciperet praecedentium Patrum praxim contrariam fuisse, potius tentando quam firmiter affirmando novam opinionem introducere studuit. Quapropter si argumentum petitur ex auctoritate SS. Patrum, sententia, quae negat multiplicem sensum, est saltem multo probabilior.

548. Si iam ad *theologos* venimus, facile est longam seriem maximorum theologorum vel exegetarum texere, qui unum tantum sensum litteralem singulorum dictorum Sacrae Scripturae esse docuerunt. *Alexander Halensis:* Sensus Scripturae est „unus litteralis, triplex spiritualis. . . . Accipitur autem numerus horum intellectuum hoc modo: quia aut est litteralis exterior, aut spiritualis interior; primo modo non multiplicatur, secundo modo spiritualis variatur" [3]. *S. Bonaventura:* „Una Scriptura multis modis potest exponi; unus tamen est principalis et litteralis intellectus, plures tamen esse possunt per adaptationem." [4] *Henricus Gandavensis:* Multiplex expositio Scripturae non est sophistica, quia tum solum, cum „sub eadem voce, sive complexa sive incomplexa, significantur plura vel consignificantur, sermo est sophisticus. Sed talis diversitas expositionum non est illa, quae competit huic scientiae, sed quae fit secundum aliam et aliam rationem, quia videlicet expositio historica fit secundum significationem vocum, expositiones vero mysticae secundum significationes rerum" [5]. Idem

[1] In Ezech. l. 1, hom. 10, n. 30 sqq; *M* 76, 898 sq.
[2] Supra n. 133. [3] Supra n. 157.
[4] In 4 Sent. dist. 21, p. 1, dub. 1; cf. supra n. 159 sq.
[5] Supra n. 186.

docet *Richardus Armachanus*[1]. Ex veteribus Scholasticis defensores multiplicis sensus nullum habent ad quem provocent nisi S. Thomam.

Nolo nomina augere[2], quia ex auctoritate quaestio decidi nequit; inde a saeculo XVI multo plures favebant sententiae affirmanti, nunc iam diu multo plures favent sententiae neganti multiplicem sensum litteralem; nam „communis hodie omnium fere interpretum et theologorum sententia est libros sacros, quod ad litteralem sensum attinet, a libris profanis non differre eosque unum solum litteralem sensum admittere". Ita *Cornely*[3], quocum consentit *Franc. Schmid:* „Nostra aetate haec sententia [statuens multiplicem sensum litteralem] penitus obsoleta esse videtur."[4]

Sed sunt qui opponant auctoritatem *S. Thomae,* ut qui manifeste doceat multiplicem sensum litteralem. Dicta eius iam consideravimus[5] et vidimus eum favere quidem huic sententiae in quaestione quarta de Potentia, sed in Summa potius contrariam amplecti. Loquitur etiam in Summa de duplici sensu litterali, sed hoc explicat, quia sensus quoque mysticus, in quantum a Spiritu Sancto intentus sit, possit vocari litteralis; sensum autem, qui immediate verbis significetur, concedit non posse multiplicari, quin confusio et deceptio oriatur, et tollatur arguendi firmitas. Ergo saltem non potest pro multiplici sensu litterali ex auctoritate S. Thomae firmum argumentum peti.

549. Quod *rationis argumenta* attinet, ita praeponderant in partem negantem, ut parti affirmanti vix tenuis probabilitas maneat. De qua re ait *Franc. Schmid:* „Perpensis in quaestione de multiplici sensu litterali hinc inde rationibus, neutra ex duabus sententiis contrariis omnino certa videtur; nobis ex auctoritate affirmativa, ex rationibus vero internis negativa probabilior apparet."[6]

Argumentum primum ex ratione: Deus in Sacra Scriptura utitur lingua, qualis apud homines in usu est. Atqui inter homines, qui subicit verbis suis duplicem sensum, aut iocatur, aut decipere vult, et parit confusionem, et verba sua inepta reddit, quae rite intellegantur, et ex quibus cum certitudine arguatur. Deus autem neque iocatur neque decipit neque verba sua inepta reddit ad fines humani sermonis. Ergo non subiecit verbis suis multiplicem sensum litteralem.

Si e. g. alicui ostendo vaccam et (neglegens quantitatem syllabarum) dico ei: Haec vacca est mala, audiens secundum obvium sensum verborum iudicat me vaccae aliquem defectum attribuere, et fortasse quaerit, quo defectu laboret. Si ei respondero: Recte me intellexisti; vacca enim laborat pernicioso vulnere; sed simul aliud volui dicere: haec vacca edit poma, alter ridebit et perspiciet

---

[1] Supra n. 191 sq.
[2] Si tamen plura desideras, lege *Patrizi,* De intrepret. Script. Sacr. I, n. 64 sqq.
[3] Indroduct. I[2] 544. [4] De inspirat. 235.
[5] Supra n. 176 sqq. [6] De inspirat. 248.

me iocum facere. Talem autem modum loquendi Deo non debemus adscribere. Si quis inter homines vellet uti talibus dictis ambiguis, quando serio loquendum est, ineptus nugator haberetur, ut si quis in unc eodemque sermonis contextu uteretur voce gallorum ad significandos simul et gallos gallinaceos et habitatores Galliae; vel si quis serio diceret: Spiritus dividuntur in incorporeos et corporeos; incorporei sunt angeli, corporei sunt aut aërii, ut ventus, aut fluidi, ut spiritus alcoholicus. Haec et similia sunt nugae, nihil aliud.

Propterea adversarii interdum dicunt se non intellegere sensus plane disparatos sed sensus aliquo modo cohaerentes, seu quorum alter ex altero fluat[1]. Sed hoc ipso destruitur multiplex sensus litteralis, prout de eo nunc disputamus. Nam nemo loquitur de multiplici sensu, quando verba habent amplam significationem, secundum quam ad multa subiecta referuntur seu pro multis subiectis supponunt, ut si dico: Deus omnia creavit, quaecumque praeter ipsum exsistunt. Vocabulum „omnia" complectitur singulas quasque res in caelo et in terra; sed cum has complectatur, non ut inter se distinguuntur, sed ut sub uno universali vel generali conceptu subsumuntur, non est multiplex sensus literalis, sed unus, qui est extensive maximus, intensive minimus. Interdum verba significant directe aliquam rem, quae cum aliis rebus nexum internum habet, et consequenter hae aliae res verbis indirecte consignificantur. Sic verba sacramentalia directe significant gratiam, indirecte varias causas gratiae. Haec et similia non constituunt multiplicem sensum litteralem, quia in his semper unum aliquid (sive individuum sive collectio) directe significatur, ex quo multa aut per simplicem explicationem conceptus aut per argumentationem evolvuntur. Tunc solum adest multiplex sensus litteralis, cum ex intentione loquentis verba adhibentur ad directe significandas plures res disparatas, i. e. quae non ratione interni nexus inseparabiles sunt, ut patet in exemplis propositis. Sic autem oritur sermo ambiguus et fallax; et si quis diserte moneret se velle verbis suis omnem possibilem sensum subicere, homines recte concluderent eum non serio loqui sed nugari.

Hinc efficitur nihil ad rem esse inquisitionem, num omnino possibilis sit sensus multiplex litteralis in humano sermone. Neque enim quisquam negavit rem esse possibilem, sed simul apparet eam esse ludicram, si indefinite admittatur. Propterea plerique defensores multiplicis sensus dixerunt eum nequaquam ad totam Scripturam extendendum sed ad paucos locos restringendum esse, et in his ob speciales omnino

[1] Secundum *S. Thomam* significationes disparatae eiusdem signi reddunt signum ambiguum et fallax. „Tunc est signum ambiguum, praebens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud; sed quando significat multa, secundum quod ex iis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum sed certum, sicut hoc nomen homo significat animam et corpus, prout ex iis constituitur humana natura" (Summa 3, q. 60, a. 3 ad 1).

rationes admittendum. Eo ipso autem ostenditur argumenta a priori facta ad multiplicem sensum stabiliendum nullius esse efficaciae.

550. *Argumentum secundum ex ratione.* Cum adversarii nostri concedant multiplicem sensum esse aliquid, quod ex speciali Dei intentione solis libris inspiratis insit, ostendere debent, ubi Deus hanc suam intentionem revelaverit. Atqui id neque ex Scriptura neque ex traditione ostendere possunt. Ergo res tam singularis non est statuenda. Et in Scriptura quidem nusquam Deus explicite testatur se voluisse quibusdam verbis suis multiplicem sensum indere. Quod vero putant reapse in Scriptura quosdam textus explicari secundum multiplicem sensum litteralem, non recte sentiunt, ut statim videbimus. In traditione autem ante Augustinum haec opinio ignota fuit, et ab Augustino formata diu sepulta iacuit, postea ab aliis resuscitata, ab aliis impugnata est. Atqui ad rem tam insolitam statuendam talis origo et processus non sufficiunt. Ergo multiplex sensus litteralis non est admittendus; nam si quis statuere conatur aliquid plane insolitum, argumentum peremptorium contra eum est, quod non habet rationes sufficientes ad probandam sententiam suam.

551. *Argumentum tertium ex ratione.* Omnibus hominibus hoc insitum est, ut, quamdiu verba plures disparatos sensus admittunt, quaerant, quem ex sensibus loquens exprimere voluerit, et hoc sensu invento quiescant neque umquam putent sibi praeterea alios sensus investigandos esse. Sin autem sensum determinatum certo invenire nequeunt, non dicunt: Ista verba habent multiplicem sensum litteralem; sed dicunt: Nescimus, quid loquens dicere voluerit. Verba ambigua nondum sunt perfecta locutio, quippe quam determinatam esse oporteat. Ideo traduntur praecepta hermeneutica ad ambiguitates removendas et determinatum sensum eruendum. Quamdiu praeter unum sensum alii possibiles sensus remanent, sensus non est multiplex, sed ambiguus et incertus. Contra hanc communem hominum persuasionem pugnant defensores multiplicis sensus; vel potius quia eam impugnare non audent, dicunt hoc generatim verum esse, red raras exceptiones nihilominus posse admitti. Hoc effugium rararum exceptionum ostendit, quam bene adversarii sentiant se tribuere Deo rationem loquendi praeter omnem consuetudinem humanam, qua ratione universaliter admissa, ad nihilum redigeretur tota ars hermeneutica.

Dicunt quidem adversarii hanc esse specialem dignitatem Dei et Scripturae, quod habeant rationem loquendi, quae in homine, qui simile quid attentaret, ludicra esset. *At non attendunt* Deo quidem dignum esse ad homines loqui cum ea auctoritate et maiestate, quae solum supremum omnium Dominum deceat; at minime eximiam divinitatis perfectionem in eo cerni, quod Deus utatur lingua humana praeter eius indolem et ita, ut per multa saecula homines tale quid ne suspicati quidem sint, et postquam suspicio a quibusdam mota est,

plurimi eam nullo solido fundamento niti censuerint et censeant. Sunt utique in Scriptura non pauca dicta obscura et difficilia; at hi sunt plerumque defectus ex humanis auctoribus aut aliis humanis fontibus manantes, quos Deus non intendit, sed pro sua sapientia ad bonos fines permisit, sicut alia mala. Multiplicem autem sensum secundum adversarios Deus intendit, ut verbo suo specialem dignitatem conciliaret; monent tamen hanc dignitatem non nimium amplificandam sed ad paucos textus coartandam esse, quia vident, quam facile talis apparens dignitas in contrarium vertatur. Atqui si ad hoc reducitur multiplex sensus, quod sex vel septem textus a quibusdam sic explicantur, a plurimis vero unum tantum litteralem sensum habere dicuntur, disparet tota haec, quam asserunt, specialis Scripturae dignitas. Quidam quidem commendant multiplicem sensum, quasi eo assumpto tota Scriptura singulari quadam multiformis veritatis luce splendeat; verum illi doctores, ad quos provocant, non sic intellexerunt doctrinam, sed artis limitibus eam circumscripserunt[1]. Ubi ergo manet illa exuberans Scripturae veritas in sensu multiplici fundata?

552. In recentissima quadam hermeneutica biblica conceditur Deum secundum potentiam absolutam posse iisdem verbis multiplicem sensum litteralem subicere, non vero secundum potentiam ordinatam, cum per multiplicem sensum verba fiant ambigua et inepta ad docendum et manifestandum. Dein inter alia haec adduntur:

„Dicunt ad perfectionem sermonis divini et ad dignitatem Scripturae pertinere, ut paucis atque iisdem verbis multos exprimat sensus. Respondemus: Nihil ad perfectionem sermonis divini pertinere potest, quod impossibile est. Et maxima cuiusvis sermonis perfectio ac summa eius dignitas est, ut sensum perspicuum ac certum habeat et intellegatur; hac ergo perfectione verbum Dei perfectissimi carere non potest. Careret autem, si sensus litteralis in Scriptura multiplex esset; talis enim sensus, nisi alio loco explicetur, obscurus et incertus est. Deinde vocabulorum ac locutionum natura in Sacra Scriptura alia non est quam in quibusvis libris; ergo neque natura sensus litteralis. Profecto si Spiritus Sanctus hominibus per homines sermone humano loqui dignatus est, nulla fuit ratio sermonem humanum natura sua privare et exuere. Accedit, ut hypothesis sensus litteralis multiplicis sensum Sacrae Scripturae pro opinionum varietate mutabilem reddat, omnem certitudinem hermeneuticam convellat, sententias subiectivas et skepsim in exegesim introducat et denique omnem Sacrae Scripturae auctoritatem evertat.“ [2]

Quibus verbis ostenditur nequaquam omnibus catholicis theologis sensum multiplicem litteralem videri singulare Scripturae ornamentum, sed potius contrarium. Ergo argumentum ex pulchritudine et decentia sensus multiplicis deductum non est valde efficax.

[1] *Patrizi* dicit se de hac quaestione saltem 150 auctores consuluisse et apud omnes hanc limitationem invenisse (De interpret. Script. Sacr. I, n. 56).

[2] *Steph. Székely*, Hermeneutica biblica, Friburgi 1902, 242 sq 248 sq.

553. Si iam *exempla duplicis vel multiplicis sensus litteralis,* quae proponere solent, inspexerimus, videbimus iis non confici intentum. *Unicus textus est, in quo eadem verba vere duplicem disparatum sensum habent.* Io 11, 50 Caiphas ait: „Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat." Quid Caiphas voluerit dicere, patet. Evangelista vero addit: „Hoc autem a semetipso non dixit, sed, cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum." Duplex igitur sensus eorundem verborum est; at ideo duplex, quia *duo sunt loquentes* secundum sensum suum; nam, ut in proverbio est, si duo dicunt idem, non est idem. Caiphas secundum suum sensum dicebat Iesum esse occidendum, ne populus commoveretur et a Romanis perderetur. Spiritus Sanctus secundum suum sensum dicebat: Iesum morte sua redempturum esse omnes homines. Hic igitur non est duplex sensus verborum eiusdem loquentis, sed est duplex sensus duorum iisdem verbis loquentium. Nulla oriretur difficultas, si Spiritus Sanctus per alium, et non per Caipham eadem verba in suo sensu protulisset. Sed nihil eo mutatur, quod unus idemque Caiphas uno eodemque tempore et eodem modo suum sensum manifestavit, quo per eum Spiritus Sanctus prophetice locutus est. Tunc solum esset multiplex ille sensus litteralis, de quo hic quaerimus, si aut Spiritus Sanctus aut etiam Caiphas utrumque sensum exprimere voluisset. At neque Spiritus Sanctus dixit illa verba secundum sensum Caiphae, neque Caiphas secundum sensum Spiritus Sancti; immo Caiphas hunc sensum ignoravit neque erat propheta perfectus, sed solum, quatenus ex instinctu Spiritus Sancti ea verba protulit, quae et obiective et secundum intentionem Spiritus Sancti (non vero secundum intentionem Caiphae) erant vera prophetia. Neque ex verbis Caiphae per se sumptis deducimus altiorem sensum, sed ex speciali revelatione Spiritus Sancti.

554. *Alius textus* sunt verba Ps 2, 7: „Filius meus es tu, ego hodie genui te." Ex quo textu Hebr 1, 5 probatur divinitas Christi et excellentia prae angelis. Act 13, 33 Paulus docet Deum resuscitasse Christum a mortuis, „sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te"[1]. Hebr 5, 5 sic legitur: „Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te." En, iisdem verbis exprimitur aeterna Christi generatio, resuscitatio eius a mortuis, sacerdotium Christo collatum; ergo manifeste triplex sensus litteralis. Respondeo: Triplex sensus, *concedo;* triplex sensus litteralis, *peto probationem.* Haec verba „filium gignere" non significant litteraliter

[1] Alii tamen Act 13, 33 non intellegunt de resuscitatione a mortuis, sed de missione Filii Dei.

„aliquem a mortuis resuscitare", neque „aliquem sacerdotem constituere". Cur autem apostolus tum pro resurrectione tum pro sacerdotio Christi ad illa verba psalmi provocet, non est difficile intellectu. Christus enim dixerat: Ego sum Filius Dei, et probatio huius meae assertionis erit resurrectio a mortuis. Ergo si erat verus Filius Dei, consequens erat, ut resuscitaretur a mortuis; et sic applicatio illorum verborum ad resurrectionem fit secundum *sensum consequentem,* non secundum litteralem sensum verborum. Idem valet de applicatione ad sacerdotium Christi. Deus promiserat sacerdotem secundum ordinem Melchisedech (Ps 109, 4), i. e. qui esset „sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens" (Hebr 7, 3)[1]. Atqui talis erat solus Filius Dei; ergo hic debuit constitui sacerdos novae legis.

555. *Alius textus:* Is 53, 4 ait de futuro Messia: „Vere languores nostras ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit." Sensum litteralem horum verborum propheta statim explicat: „Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra." Sed Christus, quia perfecte satisfecit pro peccatis nostris, consequenter potestatem habet auferendi poenas peccatorum nostrorum. Hunc sensum consequentem indicat Matthaeus (8, 16 sq): „Vespere autem facto obtulerunt ei multos daemonia habentes, et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit." „Evangelista igitur reddit rationem intimam, cur Christus mala illa, ex peccato orta, auferre et sanare possit, quia scilicet ille est, qui ipsa peccata, fontes malorum, sua expiatione et satisfactione aufert."[2] Unde in hoc exemplo nihil plane est, quo duplex sensus litteralis suadeatur. Sensus consequens non multiplicat sensum litteralem, cum secus totus fere sermo humanus habeat multiplicem sensum litteralem, quia ex plurimis dictis logice quaedam consectaria evolvi possunt.

Multo minus huc pertinet, quod quidam textus biblici aliter ab aliis exponuntur; nam variae expositiones non arguunt multiplicem sensum, sed defectum certitudinis ex parte interpretum, aut forsan etiam obscuritatem verborum. Verba Is 53, 8: „Generationem eius quis enarrabit", ab aliis exponuntur de aeterna Verbi generatione, ab aliis de temporali Iesu nativitate, ab aliis de generatione Iudaeorum Christi aequalium. Iamvero auctoritas Patrum et theologorum tum tantum est regula hermeneutica certa, cum adest consensus. Ergo hic, ubi alii ab aliis dissentiunt neque ullo modo unanimiter statuunt varios illos sensus simul convenire verbis, non solum non multiplex sensus, sed ne ullus quidem sensus ex auctoritate certus

[1] Cf. supra n. 387. [2] *Knabenbauer,* In Matth. 8, 17.

est. Idem valet, quotiescumque de expositione non convenit inter Patres; tunc enim habetur multiplex expositio, sed non multiplex sensus Scripturae[1].

Quibus consideratis negandum videtur opinionem de sensu litterali multiplici esse vere probabilem; et optandum est, ut post tot disputationes tandem in pace sepeliatur.

ART. II.

DE SENSU TYPICO.

556. In Sacra Scriptura non solum verbis significantur res, sed interdum etiam res, verbis significatae, ex intentione Dei significant alias res. Neque igitur est fortuita quaedam similitudo inter duas res, sed est verus sensus, quem Deus, auctor principalis Scripturae, exprimere vult. Hic sensus vocatur sensus typicus secundum verba apostoli vocantis primum Adamum typum (*τύπον*, figuram) futuri Adami, i. e. Christi (Rom 5, 14). *Definitur sensus typicus:* sensus, quo res, verbis Scripturae significatae, ex intentione Dei significant alias res. Res per typum significata vocatur a S. Petro *ἀντίτυπος* (1 Petr 3, 21). Quos duos terminos typi et antitypi theologi retinuerunt[2]. Patres graeci saepe sensum typicum dicunt esse „secundum theoriam", ut eum distinguant a sensu litterali, qui est „secundum historiam". Sed saepe etiam loquuntur de theoria, quando sermo est de locutionibus metaphoricis et de moralibus applicationibus. Typus in Scriptura semper fere est *typus propheticus,* i. e. factum, quo futurum factum regni messianici praefiguratur. Typus tropologicus dicitur, quo mores instruuntur (cf. Sap 16, 25 sqq), et typus anagogicus, quo caelestia indicatur (Apc 21, 2). Est autem notandum personas et res Veteris Testamenti esse typos futurorum secundum determinatam rationem; unde sub aliis respectibus non sunt typi, neque ratio typica pro arbitrio extendenda est ad minutissima quaeque, sed sistendum in ea ratione, secundum quam res vel personae sunt typi. Quia autem typus est species quaedam prophetiae, quae a libertate Dei pendet, revelatione opus erat ad typos manifestandos. Nam etsi quis naturaliter inveniret similitudinem seu analogiam inter quaedam facta Veteris Testamenti et quaedam facta Novi Testamenti, nondum constaret ex intentione divinae providentiae illa esse facta et scripta ad haec praefiguranda. Hoc autem est de conceptu typorum.

Typi igitur sunt facta historica, quae perfectam exsistendi rationem haberent, etsi typi non essent. Unde non sunt idem atque actiones

---

[1] De accommodationibus verborum Scripturae iam supra diximus (n. 450 458).

[2] In Epist. ad Hebr. 9, 24 ipsae res significantes appellantur antitypae, quae aliis locis dicuntur exemplaria, umbrae, allegoriae, parabolae futurorum: Hebr 8, 5; 9, 9. Gal 4, 24.

symbolicae, quae unice fiunt ad aliquid significandum. Ita Ezechiel iubetur facere varia, quibus significetur obsidio urbis Ierusalem (4, 1 sqq). Haec sunt symbola, unice facta ad aliquid significandum. In symbolis actiones externae adduntur verbis, ut signum vividius efferatur et altius menti imprimatur, quemadmodum in sacramentis novae legis praeter verba etiam res adhibentur ad significandum effectum sacramenti. Sic infusio aquae simul cum verbis „Ego te baptizo" significat emundationem a peccato, et haec significatio ita est finis infusionis aquae, ut talis infusio non fieret, si iste finis non adesset. Ideo infusio aquae in baptismo est symbolum, non est typus. Symbolum est signum significans, non significatum; typus vero est res verbis significata, quae simul aliam rem significat.

Etsi typi interdum a SS. Patribus allegoriae nominantur, est tamen a typis distinguenda moralis illa Scripturae expositio, quae nunc communiter allegorica vocari solet. In hac enim expositione non tam agitur de sensu Scripturae, quam de consectariis quibusdam ex sensu litterali deducendis. Sensus autem typicus est sensus a Deo intentus et expressus.

557. *Ipsa Scriptura testatur veterem legem fuisse typum novae legis.* Quae Iudaeis acciderunt, „in figura facta sunt nostri. . . . Omnia in figura contingebant illis, scripta autem sunt ad correptionem nostram" (1 Cor 10, 6 11). Templum vetus cum suis institutis „parabola est temporis instantis" (Hebr 9, 9). Erat „umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum" (10, 1). Praecepta legalia de cibis et festis erant „umbra futurorum, corpus autem [cuius sunt umbra] Christi" (Col 2, 17).

Multi typi in specie explicantur in Novo Testamento. Adam ut caput et initiator generis humani est figura Christi novi capitis et consummatoris generis humani (Rom 5, 12 sqq); quare Christus vocatur novus Adam (1 Cor 15, 45). Paradisus cum arbore vitae est typus caeli et visionis beatificae (Apc 2, 7; 22, 2). Arca Noe, portata per aquam, typus est baptismi (1 Petr 3, 20 sq). Melchisedech est typus Christi sacerdotis [1]. Hagar et Sara sunt figurae Veteris et Novi Testamenti (Gal 4, 22 sqq). Populus rediens ex Aegypto fuit typus Christi ex Aegypto redeuntis (Mt 2, 15) [2]. Agnus paschalis erat typus Christi in cruce morientis (Io 19, 36) [3]. Manna est typus eucharistiae (Io 6, 48 sqq). Varia sacrificia veteris legis erant parabolae unius sacrificii Christi (Hebr 9, 9 sqq). Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita Christus exaltatus est in cruce, ut credentes in eum non perirent, sed haberent vitam (Io 3, 14 sq). Ionas est typus Christi resurgentis (Mt 12, 39 sq). David rex est typus Christi regis [4], item Salomon (Hebr 1, 5). Haec et alia, quae

[1] Cf. supra n. 387. [2] Cf. supra n. 450. [3] Cf. supra n. 387.
[4] Cf. supra n. 387.

in Scriptura leguntur, ostendunt res quasdam in Vetere Testamento, Deo providente, ita fuisse dispositas, ut non solum in se historice fierent, sed etiam futura praefigurarent. Quare sacri scriptores saepius, ubi de typis et antitypis loquuntur, efferunt: „Hoc factum est, ut Scriptura adimpleretur" (e. g. Mt 2, 15. Io 19, 36). Ergo indicant typos non esse fortuitas similitudines, sed prophetias reales.

558. *SS. Patres* inde a Patribus apostolicis omnes agnoscunt typos et proponunt. Exempla afferre superfluum videtur. Inter Patres graecos maxime *S. Chrysostomus* rationem typi explicat. Secundum ipsum tria circa typos sunt statuenda: a) typus debet esse imago futurae veritatis: b) ut sit imago, neque debet plane alienus esse a veritate, neque debet veritati adaequari; c) non nos pro arbitrio debemus typos excogitare, sed ex Scriptura discere, qui sint typi et qua ratione. Illustrat rem exemplo transitus per mare rubrum, qui fuit typus baptismi (1 Cor 10, 1 sqq). Ibi aqua, hic aqua; ibi mare ingrediuntur, hic fontem baptismi; ibi liberantur a servitute aegyptiaca, hic a servitute diaboli, et ita porro[1]. *Isidorus Pelusiota* monet: „Rationabiliter et secundum historiam dicta intellegamus, et secundum contemplationem [typice] prophetata accipiamus. . . . Si talis prophetia inveniatur, quae et historiam sine inconvenientia et theoriam sine vi servet, utenda est ipsa secundum utrumque modum."[2] Etsi quidam Patres contra Theodorum Mopsuestenum urgent spiritualem Scripturae sensum, nihilominus ne ipse quidem *Theodorus Mopsuestenus* censendus est omnes typos reiecisse. Commentario in Ionam prophetam praemittit tractatum de typis, qui perfecte catholicus est. Inter alia haec scribit:

„Unus idemque Veteris ac Novi Testamenti Deus, dominus et creator omnium, uno scopo sibi proposito, illius pariter atque huius temporis curam gessit. . . . Propterea etiam Dei providentia circa populum multa fuit, quoniam omnes promissionum dictarum memores Christi Domini praestolabantur adventum. Atque haec causa fuit, cur plurima in Vetere Testamento secundum eiusmodi administraverit rationem, ita ut gesta illa tum eius temporis hominibus maximam praeberent utilitatem, tum etiam significationem haberent gerendarum postea rerum, praeterquam quod excellentia simul quam plurima Novi prae Vetere Testamento apparitura erat. Compertum est igitur hoc modo vetera esse typum quendam posteriorum, non sine aliqua eorum imitatione et cum idoneo suis temporibus usu, sed tamen re ipsa demonstrantia, quantopere illa praesentibus minora fuerint." Exponit dein typos transitus per mare rubrum, sacrificiorum veterum, serpentis in eremo exaltati, Ionae prophetae. In fine ait: „Plane igitur constat libitum fuisse Deo tam insolitis tamque miris casibus Ionam exercere, quo typum eum exhiberet gerendarum in Christo Domino rerum, ita ut hanc ob causam, per tam incredibilem novitatem deductus, dignus fide evaderet, propterea quod tanti operis figuram

[1] Vide supra n. 90. [2] Supra n. 92.

in semetipso gerebat." Immo Ionae tribuit cognitionem indolis typicae suarum actionum. „Haec intellegebat fieri ob ea significanda, quae circa Christi Domini adventum futura erant." [1]

Hac Theodori expositione palam fit, quam alte omnium mentibus inhaeserit persuasio typos esse in Vetere Testamento. Inter Patres latinos frequentissime de typis loquitur *S. Augustinus,* maxime contra Manichaeos, qui ex eo, quod caerimoniae veteres in Novo Testamento non iam observantur, concludebant eas fuisse malas. Respondet Augustinus Fausto Manichaeo:

„Ea Christiani ex lege et prophetis non faciunt, quibus significata sunt ista, quae faciunt. Illae quippe erant figurae futurorum, quas, rebus ipsis per Christum revelatis et praesentatis, auferre oportebat, ut eo quoque ipso, quod haec ablata sunt, lex et prophetae implerentur. . . . Populus enim ille pro suo corde lapideo multa praecepta magis sibi congrua quam bona acceperat, quibus tamen figurarentur et prophetarentur futura. Sed tunc a non intellegentibus celebrabantur. Cum autem venerunt et patefacta sunt, quae illis significabantur, non iam illa iubentur facienda, sed leguntur intellegenda." [2]

559. Eadem est doctrina theologorum, e. g. *S. Thomae,* cuius expositionem iam audivimus [3]. Eandem doctrinam suam fecit summus pontifex *Eugenius IV* in decreto pro Iacobitis: Sacrosancta romana ecclesia „firmiter credit, profitetur et docet legalia Veteris Testamenti seu mosaicae legis, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse" [4].

Haec ad nostrum finem sufficiant, quia non regulas hermeneuticas explicare, sed id tantum ostendere propositum erat, Sacrae Scripturae, utpote a Deo conscriptae, hanc esse specialem dignitatem, quod praeter sensum litteralem in quibusdam [5] etiam habeat sensum typicum, quemadmodum ait *S. Thomas:* „Auctor Sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res, significatae per voces, etiam significant aliquid." [6] Cum vero de hac re tantus sit consensus inter Scripturam, Patres, theologos, nulli sane Catholico fas est hanc doctrinam in dubium vocare. Recte censent theologi *exsistentiam typorum in Vetere Testamento esse de fide* [7]. Aliud est, si de singulis typis quaeritur; nam

---

[1] In Ionam praef.; *M* 66, 318 sqq.

[2] Contra Faustum l. 18, c. 4; *M* 42, 345. Similes explicationes vide supra n. 104 108 127 143 144 155.

[3] Supra n. 176; cf. 167 186. [4] *Denzinger,* Enchir. n. 603.

[5] Cf. supra n. 127. [6] S. theol. 1, q. 1, a. 10.

[7] Vide e. g. *Cornely,* Introd. I, n. 201. *Székely,* Hermeneut. § 90.

praeter illa, quae in Novo Testamento de hac re statuuntur, non adsunt multa, de quibus inter omnes convenit.

Quae sit relatio sensus typici ad inspirationem librorum sacrorum, supra iam exposuimus [1]. Ibi ostendimus non posse ex sensu typico per se probari inspirationem, sed simul respiciendum esse modum, quo Sacra Scriptura de typis loquatur ut de prophetiis, quae implendae sint, „sicut scriptum est", „ut impleatur, quod scriptum est".

560. Solet hic quaeri, *num in Novo quoque Testamento typi inveniantur.* Ad quod breviter respondendum est non inveniri tales, quales sunt plerique typi Veteris Testamenti. Hi enim futuram salutem messianicam promittebant, quae salus, cum iam advenerit, non potest ut futura praefigurari. At hoc non impedit, quominus alii typi succesSerint. Post miraculosam piscationem Iesus dixit Petro: „Ex hoc iam homines eris capiens" (Lc 5, 10). Quibus verbis aperte videtur significare capturam praeternaturalem piscium esse figuram supernaturalis conversionis hominum praedicatione Petri futurae. Similiter alia facta in evangeliis narrata SS. Patres typos esse docent. Eadem est sententia theologorum [2]. Sunt quidem, qui id negant, ut e. g. *Patrizi,* qui tamen monet „ab hac quaestione evangelia esse seponenda, utpote quibus ea contineantur, quae maxima ex parte gesta fuerunt Vetere adhuc obtinente Testamento" [3]. Censet igitur nullos fuisse typos post adventum Spiritus Sancti. Alii tamen contradicunt. Sed cum res nullius sit momenti quoad inspirationem, in disputationem non intramus.

561. Quaestionem, *num ex typis efficax argumentum theologicum fieri possit,* iam breviter tetigimus [4]. Respondetur: Quoties Spiritus Sanctus revelavit rem aliquam esse typum, et quidem sub hac vel illa determinata ratione, sine dubio ex hac ratione typica argumentari licet. Sed in quantum solummodo coniecturando assequi possumus, quid et quomodo sit typus, nihil certi ex tali coniectura concludi posse evidens est. Ideo theologi solent hoc per modum principii statuere: Omnis sensus, qui in una parte Scripturae non est litteralis, in alia parte est litteralis [5]; seu, ut *S. Augustinus* ait: „Magnifice igitur et salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur." [6] „Quis autem nisi impudentissime nitatur aliquid

---

[1] Supra n. 387.

[2] E. g. *S. Thom.,* Summa 1, q. 1, a. 10. *Franc. Schmid,* De inspirat. n. 196 sqq. *Cornely,* Introd. I, n. 204.

[3] De interpret. n. 377. [4] Supra n. 176 nota.

[5] Cf. e. g. supra n. 161 176.

[6] De doctr. christ. l. 2, c. 6, n. 8; *M* 34, 39.

in allegoria positum pro se [i. e. ad suam sententiam defendendam] interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?“ [1] Quod si ita est, patet sensum typicum non tam valere ad probandum quam ad illustranda ea, quae aliunde iam probata sunt; et sic intellegenda sunt verba theologorum, qui dicunt ex solo sensu typico non posse trahi argumentum. Nam eo ipso, quod Spiritus Sanctus revelavit antitypum, iam constat de re, ad quam significandam typus ordinatus est. Typi vero consideratione eadem res magis illustratur et altius menti imprimitur. Lege exempli gratia homiliam S. Ioannis Chrysostomi, quae habetur in festo pretiosissimi sanguinis (dominica prima Iulii) de sanguine agni paschalis ut typo sanguinis Christi; facile perspicies, quomodo typi expositioni doctrinae et aedificationi morum servire possint.

562. *Schol.* Sintne praeter sensum litteralem et sensum typicum alii sensus Scripturae statuendi.

In parte historica saepius audivimus discussiones de multis Scripturae sensibus [2]. Ut autem omittamus ea, quae magis ludicra quam seria videri possunt, imprimis notandum est divisiones sensuum Scripturae saepe fieri non secundum formalem rationem significandi, sed secundum materias, de quibus Scriptura loquitur. *S. Ambrosius* in Scriptura triplicem doctrinam invenit, naturalem in Genesi, mysticam in Levitico, moralem in Deuteronomio; in aliis vero libris modo hanc modo illam praevalere ait [3]. *S. Augustinus* sensus Scripturae distinguit secundum ea, „quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrentur, quae futura praenuntientur, quae agenda praecipiantur vel moneantur“.

Et iterum Scripturam exponi vult „secundum historiam, secundum aetiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam“ [4]. Tria priora, ut ait *S. Thomas,* scilicet „historia, aetiologia, analogia, ad unum litteralem sensum pertinent. Nam historia est, ut ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid proponitur; aetiologia vero, cum causa dicti assignatur, sicut cum Dominus assignavit causam, quare Moyses permisit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum (Mt 19). Analogia vero est, cum veritas unius Scripturae ostenditur veritati alterius non repugnare [analogia fidei]. Sola autem allegoria inter illa quattuor pro tribus spiritualibus sensibus ponitur“ [5]. Ceterum ipsi tres spirituales sensus non distinguuntur secundum formalem rationem significandi, sed secundum varias res, quae significantur: si praefigurantur Messias et regnum eius in hac terra, est sensus allegoricus; si morum praecepta insinuantur, est sensus tropologicus (τρόπος = mos); si futura vita praenuntiatur, est sensus anagogicus.

---

[1] Epist. 93 (al. 48), c. 8, n. 24; *M* 33, 334.
[2] E. g. supra n. 153 sqq. [3] Supra n. 75. [4] Supra n. 127.
[5] S. theol. 1, q. 1, a. 10 ad 2.

Ad sensum litteralem pertinet sensus proprius, tropicus, symbolicus, parabolicus, quatenus res significantur aut verbis secundum nativum sensum sumptis, aut figuratis locutionibus, aut symbolis, aut parabolis. In his igitur est diversus modus significandi; at hi omnes modi possunt inveniri etiam in libris profanis. E contra vero divisio in sensum litteralem et typicum est solis libris inspiratis propria.

563. Monet *Leo XIII* interpretem Scripturae: „Caveat idem, ne illa neglegat, quae ab iisdem Patribus ad *allegoricam similemve sententiam translata* sunt, maxime cum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab apostolis ecclesia accepit suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti“ [1]. Diserte igitur dicit summus pontifex se non loqui de expositione, qua dogmata probentur, sed de ea expositione, qua pietas alatur. Hanc autem allegoricam expositionem tum maxime vult adhiberi, cum ex litterali sensu descendat. Unde manifestum est eum loqui de moralibus applicationibus, praesertim si hae sua sponte e litterali sensu fluant, ergo *de aliquo sensu consequenti*, quem vocant.

Hanc interpretandi rationem ecclesia ab apostolis accepit; nam propositis exemplis Veteris Testamenti solent apostoli ostendere, quid nos Christiani agere debeamus. In epistula ad Hebraeos integro fere capite (11) multa ex historia populi israelitici in memoriam revocantur, ut tandem haec conclusio fiat: „Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen“ (Hebr 12, 1). Et res quidem valde simplex est, si agitur de bonis exemplis, quae veteres nobis dederunt; immo exhortatio ad virtutem colendam, exemplis propositis facta, vix dici potest expositio spiritualis, minus etiam allegorica. At apostolus docet non bona tantum exempla, sed alia etiam omnia scripta esse ad finem spiritualis aedificationis. „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus“ (2 Tim 3, 16 sq). Nam „quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus“ (Rom 15, 4). Atqui non omnia, quae in Scriptura leguntur, sunt exempla virtutum, sed plurima secundum nudum sensum litteralem tantum accepta aut nullum praebent pietati alimentum aut etiam mala exempla exhibent. In ecclesia autem inde a primis temporibus tota Scriptura vel maxima eius pars legebatur et populo exponebatur. Ergo Deus, qui omnia ad nostram utilitatem scribi voluit, etiam

[1] Encycl. „Providentissimus Deus“, ed. Herder 43.

voluisse censendus est, ut ex libris sacris hauriatur aqua salutaris doctrinae alio modo, atque ex nuda littera fieri potest. Plerumque quidem non est difficultas de factis malis hominum, quae narrantur, quia ad deterrendum a vitiis facile adhiberi possunt. Sed quid de multis aliis rebus, quae nobis immediate usui esse non possunt? Legimus de manna: „Nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, repperit minus“ (Ex 16, 18). Quae spiritualis utilitas nobis ex hoc facto accrescit? Ostendit apostolus, applicans illud ad eleemosynas, per quas etiam aliquo modo efficitur, ut, qui plus habet, non inutiliter abundet, et, qui minus habet, non indigeat (2 Cor 8, 14 sq). In Deuteronomio (25, 4) praescribitur: „Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.“ Quae lex non valet pro Christianis. Nihilominus ex ea apostolus sic arguit: Si Deus de bobus, de quibus non est ei cura sicut de hominibus, talem legem dedit, quanto magis censendum est eum velle, ut omnis operarius, etiam spiritualis, ex laboribus suis fructum sustentationis percipiat (1 Cor 9, 9 sqq). Quod Deus esum animalium immundorum interdixit, merito transferri potest ad abstinentiam eorum, quibus anima inquinatur. Et sic de aliis multis, ut videre est in homiliis SS. Patrum.

Haec igitur omnia sunt consectaria quaedam derivata ex iis verbis Scripturae, quibus directe nihil tale significatur. Sed hic oritur quaestio: *Estne hic sensus consequens verus Scripturae sensus?* Respondeo distinguendum esse inter ea, quae ex sensu litterali logice fluunt, et ea, quae propter qualemcumque similitudinem cum sensu litterali per hominum considerationem nectuntur. Si adest necessarius nexus logicus, sensus consequens non immerito dicitur sensus Scripturae; nam etsi non quivis homo censetur ea omnia velle verbis suis exprimere, quae usque ad ultimas conclusiones rite ex iis colligi possunt, cum fortasse harum conclusionum ne suspicionem quidem habeat, tamen Spiritus Sanctus, qui optime scit, quid verbis suis contineatur, et quid homines legitime ex iis deducturi sint, recte dicitur haec omnia exprimere voluisse. Unde tali procedendi modo etiam efficax argumentum theologicum formari potest. Neque tamen hinc concludi debet ipsos quoque humanos auctores sacrorum librorum has omnes conclusiones praevidisse et intendisse, cum hoc ad conceptum inspirationis non requiratur.

564. Si autem expositio spiritualis nihil est nisi *applicatio verborum Scripturae ad similes casus,* minus recte loquuntur de *sensu Scripturae.* Verum quidem est etiam has applicationes a Spiritu Sancto esse praevisas, et in quantum solidum pietati alimentum praebent, etiam intentas. Nihilominus cum Scripturae verba nullo modo has applicationes significent, sola illa praevisione et intentione auctoris principalis sensum novum non accipiunt. Huius applicationis exempla multa habes in liturgia, ut in capitulis officii confessoris pontificis:

„Ecce, sacerdos magnus . . . Non est inventus similis ei . . . Fungi sacerdotio . . .“ Haec et alia sumpta sunt ex Ecclesiastici capitibus 44 et 45 de laudibus patrum Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moysis, Aaronis. Quae de his dicuntur, valent etiam de sanctis, quos ecclesia colit, ideoque sine vi et artificio de iis dicuntur, quae sacer auctor de aliis dixit. Alius generis exempla exstant in homiliis Breviarii, quando v. g. *S. Gregorius* illa verba „Misit illos binos ante faciem suam“ ita exponit: „Ecce binos ad praedicandum discipulos Dominus mittit, quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia, qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet.“ In narratione S. Lucae nullum exprimitur praeceptum morale, sed simpliciter refertur factum historicum. Licet tamen sine dubio quaerere, cur Christus miserit binos discipulos, neque longe petitum est responsum, hoc factum esse, ut sibi mutuum praestarent caritatis officium. Quo supposito aperta est via ad S. Gregorii conclusionem.

Docet praeterea *Leo XIII* tum maxime attendendas esse allegoricas expositiones, cum multorum auctoritate fulciantur. Quae verba ad eam exponendi rationem videntur praecipue referenda, quae communiter vocari solet allegorica, quaque rebus et factis sensibilibus subicitur sensus spiritualis. Talia multa leguntur in homiliis S. Gregorii magni, e. g. in iis, quae habentur in dominica et infra octavam paschatis: Aromata mulierum ad sepulcrum euntium significant virtutum opera; angelus sedet a dextris, quia per dextram designatur vita perpetua; Ioannes et Petrus currentes ad sepulcrum significant synagogam et ecclesiam, et ita porro. De hac interpretandi ratione supra[1] diximus, et monuimus eam esse satis incertam et caute tractandam. Ideo repetenda non sunt, quae unus alterve fortasse in hunc modum ingeniosius quam verius protulit; sed quae multorum auctoritate fulciuntur, ea retinere fas erit, quia, etsi non proprie sensus Scripturae est, est tamen solida doctrina, Patrum vel theologorum auctoritate firmata. Et sic patet sensum librorum inspiratorum non esse nisi aut litteralem aut typicum aut aliquo modo sensum consequentem.

CAPUT VI.

DE PERSPICUITATE ET SUFFICIENTIA SACRAE SCRIPTURAE.

ART. I.

DE PERSPICUITATE SACRAE SCRIPTURAE.

565. Haeresiarchae saeculi XVI unicum „principium formale“ Protestantismi Sacram Scripturam constituebant. Obicientibus vero Ca-

[1] Supra n. 156, ubi etiam alia exempla habentur; cf. n. 144.

tholicis Scripturam saepe esse obscuram et variis expositionibus obnoxiam, ut ad lites dirimendas alius iudex opus esset, id negabant et Scripturae tantam perspicuitatem adscribebant, ut quivis cum bona voluntate ad eam legendam accedens rectam expositionem per se invenire posset. Summam igitur perspicuitatem specialem esse praerogativam librorum inspiratorum dicebant. *Lutherus* ait: „Oportet enim Scriptura iudice hic sententiam ferre, quod fieri non potest, nisi Scripturae dederimus principem locum in omnibus, quae tribuuntur Patribus, hoc est, ut sit ipsa per sese certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, iudicans et illuminans . . . Hoc sane verum est superbis et impiis Scripturam Sanctam semper esse maioris caecitatis occasionem, sed quae hominum scripta superbis etiam non sunt occasio maiorum tenebrarum? Aut quae res, quamlibet optima, superbis et immundis non cooperatur in malum? Hos fieri in Scriptura haereticos nihil mirum, verum eosdem in humanis scriptis plus etiam quam bestias fieri nihil novum . . . Sint ergo Christianorum principia nonnisi verba divina, omnium autem hominum verba conclusiones hinc eductae et rursus illuc reducendae et probandae.“ [1] Quomodo autem Lutherus egerit, si alii in „Scriptura apertissima“ alia inveniebant atque ipse, vidimus [2]. *Zwinglius* integrum tractatum edidit de perspicuitate verbi divini [3]. Inter ipsum tamen et Lutherum de sensu verborum Christi „Hoc est corpus meum“, non obstante perspicuitate, orta est acerrima disputatio, qua alter alterum hominem blasphemum et haereticum declaravit. Ob eandem rationem Carlstadius a Luthero dictus est „totus obsessus uno daemone“ [4]. Anno 1577 prodiit libellus, in quo ducentae numerabantur expositiones verborum: „Hoc est corpus meum.“ [5] *Calvinus* ad hoc, ut Scriptura clara sit legenti, postulat fidem et lumen Spiritus Sancti [6], quae alii haeretici ab eo dissentientes non minus sibi attribuebant. *Melanchthon* in variis editionibus locorum non est sibi constans, cum modo velit Scripturam sine ullis commentariis legi, modo velit in eius expositione consensum ecclesiae respici [7].

Iam cum evidens sit multos Scripturae locos esse obscuros, theologi protestantes paulatim restrinxerunt perspicuitatem Scripturae ad res saluti necessarias. Ita e. g. *Ioannes Gerhardus* in tractatu de Scriptura Sacra c. 20 (n. 413 sqq):

„Perspicuam esse Scripturam nostrae ecclesiae unanimi consensu affirmant, Romanenses vero negant. Ut autem quaestionis status sit illustrior, observandum est: 1. non esse quaestionem, an quaedam in Scripturis sint obscurius dicta et intellectu difficilia, sed an dogmata fidei, quorum notitia omnibus ad salutum necessaria est, perspicue in ea sint proposita.... 2. Non

[1] Assertio articulorum, praef.; Opera lat. Francofurti V 160 sq.
[2] Supra n. 211. [3] Supra n. 213.
[4] *De Wette,* Luth. epist. II 612. [5] Cf. *Bellarm.,* De Euchar. 1, 8.
[6] Supra n. 215. [7] Supra n. 220 sq.

excludi a nobis per assertionem perspicuitatis pium studium in lectione et meditatione Scripturae adhibendum nec adminicula ad Scripturae interpretationem necessaria. 3. Alia aliis in Scriptura esse clariora, et quae in uno loco dicuntur obscurius, alibi explicari manifestius. 4. Quae in Scriptura nuspiam diserte et perspicue exposita habentur, eorum cognitionem non esse ad salutem absolute necessariam. 5. Claritatem verbi externam non excludere necessitatem interioris illuminationis et claritatis a Spiritu Sancto petendae et impetrandae. 6. Nos nequaquam affirmare, quod Scriptura quibusvis sit clara et perspicua, sed illis, quibus nullum ab aetate vel ab ignorantia linguae, in qua Scripturam legunt, est impedimentum."

Apparet, quantopere hic limitetur Scripturae perspicuitas. Conceditur in Scriptura esse alia clara, alia obscura. Statuitur ea, quae ad salutem pertineant, in Scriptura clare dici, et vice versa ea, quae non clare dicantur, ad salutem non esse necessaria. Postulatur tamen, ut ii, qui legunt Scripturam, habeant sufficiens ingenium et sufficientem doctrinam. De sententia ita limitata vix opus est disputare, nisi quod attinet quaestionem, num omnia ad salutem necessaria in Scriptura doceantur, quae quaestio potius respicit sufficientiam quam perspicuitatem Scripturae. Ceterum censet Gerhardus apud solos Lutheranos rectam de hac re esse doctrinam. Pontificios vero, Calvinianos, Photinianos eam corrupisse.

A plerisque quidem Protestantibus nostrae aetatis Gerhardi eiusque asseclarum theoria biblica irridetur. Sunt tamen etiam nunc, qui omni vi, immo sine ulla restrictione summam perspicuitatem Scripturae doceant. In conventu ministrorum verbi a. 1891 Berolini habito quidam *Schulze* inter alias theses has posuit: „Scriptura, quia Dei verbum est, perspicua est; haec est gloria eius. Quia verbum Dei perspicuum est, Deus non habuit necessitatem ei constituendi tutorem et interpretem humanum, neque ullum constituit. Omnis apparens obscuritas Scripturae non est nisi ex nostra parte." Sed statim alii surrexerunt et has theses impugnarunt, cum negari nequeat multos esse locos obscuros in Scriptura [1].

Quoniam nunc plurimi Protestantes concedunt multa in Scriptura esse valde obscura, etiam ubi agatur de rebus religiosis, plane superfluum est argumenta veterum theologorum protestantium iterum discutere. Unum nobis hic quaerendum est, quomodo obscuritas vel perspicuitas Scripturae ad inspirationem se habeat.

566. Est autem indubium *Scripturae dicta partim esse clara, partim obscura.* Clarum est principale praeceptum legis et evangelii: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo" (Dt 6, 5. Mt 22, 37). Obscurum est praeceptum: „Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum. Da partem septem,

[1] Plura de ista disputatione scripsi in „Zeitschrift für kathol. Theologie" XXV, Innsbruck 1901, 452 sqq.

necnon et octo, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram" (Eccle 11, 1 sq)[1]. Obscurus est totus liber Ecclesiastis, obscura est Apocalypsis; clara sunt S. Lucae scripta. Verissime in secunda Petri epistula (3, 16) dicitur: In Pauli epistulis „quaedam sunt difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem". Neque iuvat affirmare saltem omnia ad salutem necessaria in Scriptura esse perspicua. Nam etsi daremus omnia necessaria in Scriptura inveniri et clare doceri, non ideo Scriptura simpliciter dicenda esset perspicua, quia sub hoc respectu sufficeret Novum Testamentum vel pars eius, et cetera omnia possent esse obscura. Immo cum multi Protestantes doceant ad salutem sufficere illud: Diliges Deum et proximum, tota perspicuitas Scripturae in necessariis redigeretur ad hoc unum praeceptum. Liber autem non dicitur perspicuus, quia in eo nonnulla inveniuntur, quae sunt perspicue dicta, sed quia perspicuitas in eo ita praevalet, ut aut nulla aut pauca obscura insint.

567. *Scriptura tota, si sumitur ut unus liber, potius dicenda est obscura et difficilis quam perspicua et facilis.* Argumento sunt conatus semper repetiti exponendi verum eius sensum, et disputationes numquam cessantes de recta eius expositione.

Rationes huius obscuritatis sunt variae: a) omnes libri sacri scripti sunt ante multa saecula ab hominibus et pro hominibus, quorum modus concipiendi et eloquendi a nostra consuetudine valde differt; quae difficultas generatim crescit, quo antiquiores sunt libri. b) Primis legentibus singulorum librorum sacrorum non solum lingua familiaris erat, sed etiam condiciones temporum et locorum aliaque, quae ab hagiographis supponuntur, notissima erant, quae nos aut ignoramus aut cum difficultate discimus. c) Multae depravationes in textum irrepserunt, quas critice examinare difficile et quas omnes expungere impossibile fere est. d) Plurima, quae in Scriptura tractantur, sunt res ab experientia et sensibus valde remotae, immo altissima mysteria. e) Quae a Deo revelata sunt, cum magna ex parte hominibus essent naturaliter ignota, nullis vocabulis linguae graecae e. g. secundum communem vocabulorum acceptionem significabantur; sed termini eligendi et technico, ut aiunt, sensu adhibendi erant. Primis autem temporibus religionis christianae terminologia nondum determinata et fixa erat; unde factum est, ut iidem termini modo secundum consuetum usum, modo secundum novam significationem acciperentur. *Χάρις, πίστις, πρεσβύτερος, διάκονος*, multae aliae voces aliud et aliud variis Scripturae locis significant, ut non mediocri cura et attentione opus sit ad rectum intellectum capiendum. Ideo specialia vocabularia graecitatis biblicae composita sunt. Quibus omnibus consideratis faten-

[1] Multa alia exempla apud *Patrizi*, De interpret. I, n. 97 sqq.

dum est non esse valde obviam et simplicem Scripturae interpretationem, sed eam, quae multas notitias philologicas, criticas, historicas, archaeologicas praesupponat. Haec ratio est, ob quam ecclesia velit, ut in lingua vernacula non proponatur Scriptura populo legenda, quin simul addantur notae ad cavendos errores necessariae [1].

568. Quaeri potest, *cur Spiritus Sanctus libros suos obscuros esse voluerit.* Ad quam quaestionem imprimis respondendum est: Singuli libri sacri ab initio certis quibusdam hominibus destinabantur, quibus eadem dicta poterant esse perspicua, quae nobis fortasse videntur valde obscura. Haec obscuritas vitari vix potest in libro, qui humano modo scriptus est. Nam si Deus hominibus ante multa saecula viventibus locutus esset, prout nos nunc loquimur, illis verba fuissent obscurissima; contra vero, quia illis locutus est more eorum, nobis posterioribus oratio saepe est obscura. Secundo, Deus scripsit per homines ita, ut eos sineret secundum suam indolem et suum ingenium enuntiare res divinitus determinatas. Homines autem alii lucidiore, alii obscuriore dicendi genere utuntur, quae diversitas in sacris libris manifestatur, non quia inspirati sunt, sed quia inspiratione verba materialia non determinantur, ut supra exposuimus [2]. Tertio, Deus non debuit neque voluit res revelatas ita hominibus proponere et explicare, ut nullum iis studium, nullus progressus in cognitione religiosa relinqueretur. Potius revelationem sacra quadam caligine involvit, qua homines allicerentur ad inquirendum, ad petendum, ad pulsandum, ad ingenium suum in rebus altissimis utiliter occupandum. Id iam SS. Patres observarunt.

569. *S. Irenaeus,* postquam dixit in Scriptura esse quaedam, quae absolvere, i. e. perspicere, non possimus, addit hoc ita esse, „ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quae sunt a Deo“ [3]. Secundum *S. Chrysostomum* Deus Scripturam tamquam thesaurum in agro abscondit, ut homines hunc thesaurum effodiant. „Neque enim Christus dixit: Legite Scripturas, sed: Scrutamini Scripturas. Quia ea, quae de ipso ibi dicuntur, multa opus habent investigatione; sub umbra enim quasi occulta veteribus erant; ideo illos accurate fodere iubet, ut in profundo posita reperire possint. Neque enim in superficie vel in conspectu iacent, sed quasi thesaurus quispiam profunde

---

[1] In Constitutione „Officiorum ac munerum“ *Leonis XIII* tit. 1, c. 3, n. 7: „Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri, versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab apostolica sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus.“

[2] Supra n. 451 sqq. [3] Adv. haer. l. 2, c. 28, n. 2 sq; *M* 7, 804 sq.

admodum recondita sunt. Qui vero profunde posita quaerit, nisi cum diligentia et labore quaerat, numquam, quod quaerit, inveniet." [1] *S. Hieronymus* ait se saepe, sentientem vires suas imbecillas, aliorum sententias de sensu Scripturae posuisse, neque ex definito scripsisse sed rem arbitrio lectoris reliquisse [2]. Ipsi enim persuasum erat neminem „in Scripturis Sanctis sine praevio et monstrante semitam posse ingredi". Cum omnis ars addiscenda sit, irridet eos, secundum quos „sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant" [3]. *S. Augustinus* monet, ne obscuris Scripturae locis sententias nostras obtrudamus, sed, si plures expositiones possibiles sint, eas, salva fide, permittamus [4]; et regulas dat ad solvendas Scripturae obscuritates [5]. Ideo autem ait a Deo et aperta et obscura in sacris libris esse scripta, ut apertis fami occurratur, obscuris autem fastidia detergeantur [6]. Idem censet *S. Gregorius M.:* „Magnae utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat, quod capere non posset otiosus. Habet quoque adhuc aliud maius, quia Scripturae Sacrae intellegentia, quae, si in cunctis esset aperta, vilesceret, in quibusdam locis obscurioribus tanto maiore dulcedine inventa reficit, quanto maiore labore fatigat animum quaesita." [7] Idem posteriores doctores repetere solent [8]. Breviter *S. Bonaventura* dicit a Deo tam profundos sensus Scripturae inditos esse ratione auditoris, „ut et superbi comprimantur et immundi repellantur et fraudulenti declinentur et neglegentes excitentur" [9]. Itaque SS. Patres et theologi obscuritatem Scripturae ad specialem providentiam Dei inspirantis referunt.

Art. II.

DE SUFFICIENTIA SACRAE SCRIPTURAE.

570. Scripturam solam sufficere tum singulis ad discendum, quid credere, quid agere debeant, tum ecclesiae ad inde hauriendam omnem doctrinam theoreticam et practicam et ad dirimendas omnes controversias, constans fuit Protestantium doctrina. Ab hac doctrina ordiatur *Formula Concordiae:* „Credimus, confitemur et docemus unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris tum Novi Testamenti." [10] Idem omnes „Confessiones", sive calvinianae sive anglicanae sive aliae, enuntiant [11]. Idem nostra aetate Protestantes omnes tam „conservativi"

[1] In Ioan. hom. 41, n. 1; *M* 59, 235. [2] Supra n. 114.
[3] Supra n. 116. [4] Supra n. 122 sq. [5] Supra n. 126.
[6] Supra n. 561; cf. 479. [7] In Ezech. l. 1, hom. 6, n. 1; *M* 76, 829.
[8] Cf. supra n. 148 157 etc. [9] Supra n. 159. [10] Supra n. 217.
[11] Supra n. 218 265 sq.

quam „liberales“ statuere solent. Attamen etsi verbis consentiunt, re inter se maxime differunt. Pauciores enim in dies fiunt, qui Scripturam esse inspiratum Dei verbum secundum doctrinam veterum admittant et singula Scripturae dicta ut infallibiliter vera credenda esse doceant. Plurimi neque veram inspirationem neque infallibilitatem Scripturae agnoscunt, sed hoc sensu Scripturae sufficientiam explicant, quod, quicumque eam cum bona voluntate legit, in ea inveniat, quibus religiose commoveatur et affectum filialis fiduciae in Deum patrem suum concipiat [1]. Hanc sufficientiam Scriptura communem habet cum multis aliis libris, quibus eatenus tantum praestat, quatenus ipsa est fons primarius, alii libri sunt rivuli derivati.

Transmissis his controversiis cum Protestantibus et inter Protestantes, videamus, quo sensu Scriptura dici possit sufficiens, quo vero sensu non sit sufficiens.

571. Imprimis *Scriptura sufficiens non est ad probandam suam auctoritatem canonicam.* Habemus enim evangelia canonica, et habemus evangelia apocrypha; habemus Actus apostolorum genuinos, habemus alios non genuinos; habemus epistulas Pauli veras, habemus fictas; habemus Apocalypsim Ioannis apostoli, habemus libros pseudoapocalypticos. Cur alii libri sunt canonici, cur alii non sunt canonici? Libri apocryphi non minus se iactant apostolicos et veros et necessario admittendos, quam libri sacri de se testantur. Cur unum testimonium verum, alterum falsum est? Si ad criteria externa recurritur, aliud praeter Scripturam in auxilium vocatur; si solis criteriis internis res iudicanda est, iis usi Protestantes modo hos, modo illos libros e canone eiecerunt, et tota res ad opiniones subiectivas reducitur. Inter alia omnes fere respuunt secundam Petri epistulam, in qua sola explicitum testimonium de quibusdam scriptis Novi Testamenti habetur. Hoc igitur testimonio reiecto, de Novo Testamento nullum disertum testimonium in Scriptura habetur, nisi quod Ioannes dicit se evangelium, Paulus vero se epistulas aliquas scripsisse (ceterum simile quid etiam dicitur in apocryphis); de Vetere Testamento leguntur quidem testimonia in Novo, sed non de omnibus libris, ne de protocanonicis quidem omnibus. Sed quia haec res postea magis exponenda erit, haec pauca interim sufficiant ad ostendendam insufficientiam Scripturae respectu canonicitatis sacrorum librorum. Ipse Lutherus pro arbitrio suo varios libros sacros valde contumeliose tractavit [2].

Sed supposita canonicitate sacrorum librorum, *Scriptura insufficiens est ad probandam incorruptam suam conservationem.* Etsi ex Scrip-

[1] Vide e. g. supra n. 251 264 270.

[2] Supra n. 211. Revera iam veteres Protestantes ad traditionem recurrerunt pro canone (e. g. supra n. 223) et teste Bellarmino (De verbo Dei 4, 5) *Brentius* dixit in hac sola re traditionem praeter Scripturam esse admittendam.

tura constaret (quod non constat) Matthaeum ex inspiratione scripsisset evangelium, tamen non testatur Scriptura nos habere nunc illud Matthaei evangelium. Idem valet de aliis scriptis sacris. Neque vero quidquam iuvat cognitio abstracta aliquando facta esse scripta sacra, nisi simul scimus haec et illa, quae habemus, esse illa scripta, eaque incorrupta. Ergo Scriptura, quia per se solam non potest hanc cognitionem conferre, est insufficiens.

Tertio, *Scriptura sola est insufficiens ratione eorum, qui instruendi sunt.* Nam cum ex intentione Dei omnes homines ad veritatem et salutem perducendi sint, Scriptura tum tantum esset sufficiens, si omnibus hominibus necessarias notitias per se solam subministrare posset. Atqui non potest. Nam plurimi homines ne legere quidem possunt; ex illis, qui legere possunt, plurimi linguas, quibus Scriptura confecta est, non intellegunt; ex iis, qui una vel altera ratione Scripturam legere possunt, plurimi magnam eius partem propter obscuritatem non intellegunt, neque ex ipsa Scriptura possunt diiudicare, num forte in iis, quae non intellegunt, aliqua ad salutem necessaria doceantur. Itaque praeter Scripturam requiruntur, qui eam coram aliis legant, qui eam vertant in varias linguas, qui eam exponant, et ita quidem haec fieri oportet, ut audientes, versiones legentes, expositiones recipientes certi sint veram Scripturam, non adulteratam et depravatam sibi exhiberi.

572. Propter has et similes rationes *a priori prorsus improbabile est Deum dedisse hominibus librum, et omnibus imposuisse obligationem hunc librum legendi et ex eo colligendi omnia ad salutem necessaria.* Libri pro magna hominum parte non sunt vehiculum aptum ad doctrinas propagandas et mores reformandos. Multo minus liber valet ad coadunandam societatem religiosam eamque per modum auctoritatis continendam et ad communem finem efficaciter dirigendam. Unde factum est, ut etiam inter Protestantes formata sit auctoritas ecclesiastica, et ut ab hac auctoritate ecclesiastica scriptae sint „Confessiones fidei“ et asseclis suis impositae. Sed quia auctoritas erat pure humana, non solum plurimi has „Confessiones“ respuerunt, sed simul negarunt ipsi Scripturae inesse ullam auctoritatem dogmaticam, et efferunt se nolle habere papam chartaceum pro papa vivo[1]. Sicut primi Protestantes Scripturam statuerunt unicam normam doctrinae et morum, ita plerique recentes Protestantes, omni alia regula reiecta, propriam singulorum rationem et experientiam totius vitae religiosae normam esse volunt. Itaque historia testis est, si Scriptura norma unica et sufficiens fidei statuatur, non servari doctrinae unitatem, non ecclesiae concordiam, sed oriri sectas, factiones, opiniones humanas inter se pugnantes.

[1] Supra n. 232 sqq 242 sqq 262 sqq 268 sqq.

573. Ceterum *Christus meliore modo providit conservationi veritatis revelatae.* Ipse enim non dixit apostolis suis: Sedentes simul, scribite librum eumque tradite hominibus, ut omnes ex eo discant veritatem revelatam; sed dixit: „Euntes docete omnes gentes. . . . Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" (Mt 28, 18 sqq). „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. . . . Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis" (Mc 16, 16 20). Quidam apostoli nihil scripserunt, quidam perpauca; omnes vero praedicaverunt et alios post se instituerunt et ab his iterum alios institui iusserunt, ut praedicatio apostolica numquam cessaret usque ad finem mundi. „Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti, in fide et in dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis" (2 Tim 1, 13 14). „Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere" (2 Tim 2, 2). „Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. . . . Oportet enim episcopum sine crimine esse . . . amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere" (Tit 1, 5 7 9). Quomodo doctrina Christi post adventum Spiritus Sancti propagata sit, describit *S. Clemens Rom.* (42 et 44): „Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis, et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt, annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant. . . . Perfecta praescientia praediti constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent." „Traditionem itaque apostolorum (inquit *S. Irenaeus* 3, 3) in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre; et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos. . . . Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes" (*M* 7, 848). Similiter *Eusebius* (H. E. 3, 24): „Admirabiles illi prorsusque divini apostoli Servatoris nostri, cum essent vita quidem ac moribus castigatissimi et omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent atque inculti, freti divina et mirifica virtute ipsis a Servatore concessa, artificioso verborum ornatu magistri sui prae-

cepta exponere neque noverant neque item conabantur. Sed adiuvantis ipsos Spiritus Sancti demonstratione et virtute Christi, quae per ipsos plurima perpetrabat miracula, tantummodo utentes, notitiam regni caelorum orbi terrarum nuntiabant. Neque curae illis erat libros scribere, quippe qui longe praestantiore ministerio et supra humanas vires posito fungerentur. Paulus certe, qui inter omnes apostolos et verborum apparatu et sententiarum pondere facile praestabat, praeter paucissimas epistulas nihil omnino scriptum reliquit, tametsi innumera mysteria exponere potuerit. . . . Sed et reliqui Servatoris nostri adiutores, duodecim videlicet apostoli et septuaginta discipuli, alii denique praeter eos innumerabiles earundem rerum [caelestium] minime expertes fuerunt. Soli nihilominus ex cunctis Domini discipulis Matthaeus et Ioannes scriptos nobis commentarios reliquerunt" (*M* 20, 263).

574. Itaque manifestum est *a Christo ut principale et universale medium conservandae et propagandae doctrinae revelatae institutam esse traditionem oralem.* Ante Scripturam Novi Testamenti erat coetus fidelium, qui vocatur ecclesia. Iam in Actibus apostolorum et in Pauli epistulis ecclesia supponitur exsistens eo tempore, quo evangelia nondum erant scripta (e. g. Act 5, 11; 8, 1. 1 Cor 11, 16 22; 14, 12). Neque post evangelia scripta via salutis mutata est, quasi ab eo tempore omnibus incubuerit officium legendi libros Novi Testamenti et ex iis doctrinas scitu necessarias colligendi, quia neque Christus talem mutationem indicavit, sed apostolos usque ad finem mundi praedicare iussit, neque apostoli neque veteres Christiani quidquam de nova hac salutis via dixerunt vel sciverunt, neque ratio tale fuisse Dei consilium suadet. Potius et Scriptura et SS. Patres constanter docent vivum magisterium a Christo esse institutum ad doctrinam revelatam conservandam, propagandam, explicandam. Huius magisterii exercitium vocatur traditio sensu activo, et hoc sensu praecipue traditio dicitur esse necessaria. Sunt quidem etiam nonnullae traditiones sensu passivo vel obiectivo sumptae, quae in Scriptura non continentur, ut e. g. omnes libros canonicos Novi Testamenti esse divinitus inspiratos. Verum etsi omnes omnino doctrinae necessariae in Scriptura invenirentur, esset tamen traditio activa necessaria, utpote a Christo instituta et sola pro omnibus condicionibus et pro omnibus hominibus sufficiens. Non repugnat quidem aliquos ex lectione et meditatione Scripturae pervenire ad salutem, sed falsum est et repugnat hanc esse viam, quam Deus omnibus sequendam monstraverit. Legere et ex librorum lectione se ipsos instruere non omnes possunt; sed ab aliis sufficienter erudiri in iis, quae ad salutem necessaria sunt, omnes possunt, qui usu rationis non destituuntur. Non lectionem librorum sed oboedientiam fidei ex auditu apostoli ab omnibus postularunt (Rom 1, 5; 10, 14 17. Gal 3, 2. Eph 1, 13 etc.).

Ergo praedicationem ecclesiasticam audire omnes debent, Scripturam legere non omnes debent. Magisterium vivum apostolicum est per se sufficiens, Scriptura non est per se sufficiens.

575. Sed paulo accuratius explicare oportet, *quae sit habitudo Scripturae ad magisterium ecclesiasticum,* qua explicatione etiam patefiet, quo sensu Scriptura dici possit sufficiens. Scriptura enim et magisterium ecclesiasticum seu traditio sensu activo sumpta mutuo inter se dependent et iuvant multiplici modo.

Potest enim imprimis Scriptura Novi Testamenti considerari ut documentum historicum, coetus vero ecclesiasticus ut societas, ex cuius gremio hoc documentum prodiit. Hac ratione *Scriptura a traditione dependet, quatenus genuinitas Scripturae ex traditione cognoscitur.* Neque enim sufficit habere documenta historica, sed simul cognosci necesse est ea esse genuina documenta; quae cognitio principaliter ex testimoniis aequalium comparanda est. Iamvero non privati tantum homines, sed integer coetus Christianorum mox post editam Scripturam Novi Testamenti testatus est illa scripta, quae sunt in canone, et maxime quattuor evangelia, esse scripta genuina. Papias, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, alii unanime testimonium exhibent haec scripta ab ecclesia esse agnita et tradita. *Papias,* qui est vetustissimus testis, ea, quae [illegible] a „senioribus", i. e. ab apostolis et eorum immediatis discipulis, accepisse se dicit: „Nec pigebit ea, quae quondam a senioribus didici ac memoriae mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur. Non enim, ut plerique solent, eos umquam sectatus sum, qui verbis affluerent, sed eos potius, qui verum docerent, nec eos, qui nova quaedam et inusitata praecepta, sed illos, qui Domini mandata, fidei tradita et ab ipsa veritate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quaenam essent seniorum dicta, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthaeus, quid ceteri Domini discipuli dicere soliti essent, quidnam Aristion et Ioannes presbyter, discipuli Domini, dicant. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex viva voce et adhuc superstite." Hic igitur Papias, apostoli „Ioannis auditor et sodalis Polycarpi", adeo insistens traditioni apostolicae, primum testimonium fert pro evangeliis[1]. *Irenaeus,* quantopere traditioni inhaeserit, modo audivimus, de quo *Eusebius* ait: „Quoniam in ipso huius operis exordio polliciti sumus, veterum nos ecclesiae presbyterorum ac scriptorum verba suo loco adducturos, quibus ea, quae a maioribus sibi tradita accepissent, de sacris utriusque Testamenti libris exposuerunt.

[1] *Eus.,* H. E. 3, 9; *M* 20, 295 sq.

ipsius etiam Irenaei, qui unus ex illorum numero fuit, verba, si placet, apponamus, ac primum quidem quae de sacris evangeliis scribit in hunc modum: Matthaeus, inquit. . . ." [1] Alia vero scripta Irenaeus reicit, quia non sunt tradita [2]. *Clemens Alex.* solis „nobis traditis quattuor evangeliis", reiectis aliis, contentos nos esse iubet [3]. Item *Origenes* dicit se ex traditione accepisse quattuor evangelia, „quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub caelo est, citra controversiam admittuntur" [4]. *Tertullianus* ait: „Constabit id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. . . . Dico itaque apud illas, nec solas iam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, id evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime tuemur. . . . Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus." [5]

Traditio igitur ecclesiae testatur genuinitatem librorum Novi Testamenti, quod testimonium simpliciter consideratum ut historicum tam splendidum est, ut simile non exsistat neque exsistere possit pro ullo libro profano antiquitatis. Ob hanc dependentiam Scripturae a testimonio ecclesiae *S. Augustinus* dixit: „Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae moveret auctoritas . . . qua infirmata iam nec evangelio credere potero, quia per eos [Catholicos] illi credideram. . . . Sed absit, ut ego evangelio non credam." [6]

576. Genuinitate autem Scripturae stabilita per testimonium ecclesiae, *libri sacri Novi Testamenti testantur magisterium infallibile a Christo institutum.* Nam secundum evangelia Christus misit apostolos ad praedicandam doctrinam suam in universo mundo, promisit iis assistentiam suam et adiutorium Spiritus Sancti, iussit omnes homines sub poena aeternae damnationis recipere apostolorum doctrinam, ab iis baptizari, eorum regimini se subicere; dixit ad Petrum: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum, et, quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis" (Mt 16, 18 sq). Et iterum: „Pasce agnos meos, pasce oves meas" (Io 21, 15 sqq). Sic est „ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis" (1 Tim 3, 15). Hoc igitur vicissim recipit testimonium ecclesia a Scriptura, quod a Christo instituta sit magistra infallibilis veritatis revelatae.

---

[1] *Eus.*, H. E. 5, 8; *M* 20, 447 sq. [2] *Iren.* 3, 11, 7 sqq; *M* 7, 884 sq.
[3] Strom. 3, 13; *M* 8, 1194. [4] In Matth. tom. I; *M* 13, 829.
[5] Adv. Marc. 4, 4 5; *M* 2, 365 sqq. [6] Supra n. 123.

Non absolute quidem ecclesia pendet ab hoc testimonio, quia „per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus fecunditatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.“ [1] Nihilominus si de scientifica demonstratione institutae a Christo infallibilis ecclesiae agitur, simplicissima via est recursus ad dicta et facta Christi et apostolorum, Novi Testamenti libris ut fontibus historicis manifestata, quam viam ipsa ecclesia in definitionibus nobis indicat [2].

577. *Scriptura autem, in quantum testatur a Christo institutum esse vivum magisterium, a quo omnem veritatem discere oporteat, recte dici potest esse sufficiens ad viam salutis nobis monstrandam.* Hac ratione SS. Patres contra haereticos disputarunt.

Ita Donatistis rebaptizantibus et postulantibus, ut Catholici exemplo Scripturae ostenderent baptismum haereticorum agnitum esse validum, respondet *Augustinus* neutram ex controversis sententiis posse ex Scriptura probari. „Proferte certe aliquem de Scripturis canonicis, quarum nobis est communis auctoritas, ab haereticis venientem denuo baptizatum. . . . Proinde quia nec vos potestis proferre de Scripturis, quarum nobis communis est auctoritas, ab haereticis venientem denuo baptizatum, nec nos ita susceptum, quantum ad hanc rem attinet, par nobis causa est. . . . Proinde quamvis huius rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae iam placuit ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut, quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quaestionis, eandem ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat. Si autem dubitas, quod ecclesiam, quae per omnes gentes numerositate copiosissima dilatatur, haec Sancta Scriptura commendet (neque enim, si non dubitares, adhuc esses in parte Donati), multis te manifestissimis testimoniis ex eadem auctoritate prolatis onerabo, ut ex tuis concessionibus, si nimium pervicax esse nolueris, ad hoc etiam perducaris.“ [3] „Universos Donatistas non audimus, se pro ecclesia Christi supponentes, quia nullum pro se testimonium de divinis libris proferunt, quo id doceant.“ [4]

Sic S. Augustinus saepius repetit Scripturam sufficere ad corrigendos Donatistas, dummodo corrigi velint, cum Scriptura manifeste doceat ecclesiam catholicam.

Magisterium autem authenticum, quod Scriptura teste Christus instituit, vicissim docet Scripturam esse divinitus inspiratam et Dei

---

[1] *Conc. Vatic.* sess. 3, c. 3; *Denzinger*, Enchir. n. 1642.
[2] *Conc. Vatic.* sess. 4; *Denzinger* l. c. n. 1667 sqq.
[3] Contra Cresconium 1, 33; *M* 43, 466.
[4] Epist. 93, c. 8, n. 24; *M* 33, 333.

verbum infallibile, quemadmodum supra in parte historica vidimus. Eatenus igitur *Scriptura rursus ab ecclesia pendet, quatenus ex solo infallibili ecclesiae magisterio cum certitudine cognosci potest inspiratio totius Scripturae Sacrae,* maxime Novi Testamenti.

578. Dein vero in tuto posita Scripturae inspiratione, *Scriptura fit regula fidei, a qua ecclesia recedere non potest,* sed cuius auctoritate obligatur ut auctoritate ipsius Dei loquentis. Ita docet e. g. *Concilium Tridentinum* [1]. Ergo quamvis ecclesiasticum magisterium institutum sit ut regula fidei immediata et universalis, huic tamen magisterio, ut suo officio melius fungi possit, Deus providit Scripturam ut instrumentum conservandae et defendendae doctrinae revelatae. Ex una parte magisterium ecclesiasticum conservat Scripturam, ne hominum neglegentia vel malitia corrumpatur; ex altera parte Scriptura magno adiumento est in demonstranda doctrina revelata, quia generatim multo facilius est argumentum ex Scriptura formare quam ex traditione, exceptis iis, quae a Conciliis oecumenicis definita sunt; sed et hae definitiones praecipue Scriptura nituntur.

Bene quidem *S. Irenaeus* scribit: „Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere, cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, uti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos; quae autem sunt ecclesiae, cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? etsi de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab iis de praesenti quaestione sumere, quod certum et re liquidum est? Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum, qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes.“ [2]

579. Sine dubio ecclesia dogmata ad salutem necessaria etiam conservat traditione orali eaque transfert in eos quoque populos vel homines, qui apti non sunt ad salutarem doctrinam ex Scriptura hauriendam. Nihilominus *ipsi magisterio ecclesiastico etiam Scriptura a Deo data est, ut ex ea discat, quae doctos et indoctos doceat. Quatenus autem Deus necessitati ecclesiae docentis per Scripturam quoque*

[1] Supra n. 272. [2] Adv. haer. 3, 4; *M* 7, 855.

providere voluit, Scriptura sine dubio sufficiens est ad hunc finem a Deo intentum, neque ad alios fontes scriptos, quasi a Deo inspiratos, recurrere opus est, quemadmodum primis saeculis multi haeretici conati sunt, neque commenta humana contra Scripturam invocanda sunt. Immo ad plurimas controversias finiendas Scriptura sufficit iis, qui sunt bonae voluntatis. Unde nil mirum, quod hanc duplicem Scripturae sufficientiam identidem SS. Patres praedicant.

De priore sufficientia loquitur *S. Irenaeus,* quando reicit „inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperum scripturarum, quas ipsi [haeretici] finxerunt“[1]. „Vani omnes et indocti et insuper audaces, qui frustrantur speciem evangelii et vel plures, quam dictae sunt, vel rursus pauciores inferunt personas evangelii; quidam, ut plus videantur, quam est veritatis, adinvenisse, quidam vero, ut reprobent dispositiones Dei. . . . Etenim cum omnia composita et apta Deus fecerit, oportebat et speciem evangelii bene compositam et bene compaginatam esse.“[2] Quod valet de evangeliis, valet de aliis libris sacris. *S. Cyrillus Hieros.* baptizandos, qui sunt sub institutione magisterii ecclesiastici, monet: Haec, quae hucusque audistis, docentur in Scriptura Veteris et Novi Testamenti, quae vobis iam legenda proponitur. Imprimis igitur ab ecclesia discite, qui sint libri sacri; ab iis autem, quos universalis ecclesia non agnoscit, abstinete, saltem interim. Neque implicate vos inutilibus quaestionibus, sicut haeretici (Manichaei) faciunt, non verbis Spiritus Sancti, sed humanis ratiocinationibus innitentes. His igitur omissis, studete symboli, quod didicistis et creditis, nunc etiam ex libris propheticis et vaticiniorum impletione probationem addiscere[3]. Breviter: Scriptura sufficiens est ad probandos articulos fidei, quos catechumeni praeviis catechesibus didicerant. Exposito dogmate Trinitatis Cyrillus ait: „Hoc signaculum [hanc firmam fidem] in mente tua semper habeto; quod quidem nunc tibi summatim per capitum recensionem edictum est, si vero Dominus concesserit, adhibita ex Scripturis demonstratione, pro viribus a nobis plenius edisseretur. Oportet enim circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi nec temere probabilitatibus argumentisque in verborum artificio consistentibus abduci. Ne mihi quidem ista proferenti ultro credas, nisi de divinis Scripturis eorum, quae tibi annuntio, demonstrationem acceperis. Haec enim fides non ex commentitia disputatione, sed ex divinarum Scripturarum demonstratione vim habet.“[4] Vides Scripturam non opponi traditioni ecclesiasticae, sed commentis philosophicis. In hac ipsa catechesi occurrunt verba supra (n. 93 sq) relata de canone ab ecclesia discendo. Praeterea docet symbolum omnibus ab ecclesia accipiendum esse.

---

[1] Ib. 1, 20, 1; *M* 7, 654. [2] Ib. 3, 11, 9; *M* 7, 890 sq.
[3] Supra n. 93 sq. [4] Catech. 4, c. 17; *M* 33, 475 sq.

„Fidem [symbolum] vero in addiscendo atque profitendo illam solam amplectere et serva, quae nunc tibi ab ecclesia traditur, ex omnibus Scripturis vallata. Cum enim non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quaedam a cognitione impediat, ne anima per ignorantiam intereat, paucis versiculis universum fidei dogma comprehendimus. Quod quidem ipsis verbis meminisse vos volo et apud vos ipsos omni studio recitare, non chartis mandantes, sed in corde insculpentes memoriae. . . . Hanc vero fidem tamquam viaticum in omni tempore vitae habere iubeo et praeter eam nullam aliam amplius suscipere; neque etiam si nos ipsi mutati, his, quae nunc docemus, contraria loqueremur, neque etiam si angelus contrarius in lucis angelum transfiguratus in errorem te vellet abducere. . . . Et modo quidem nudis verbis tenus audiens, fidem memoria retine, singulorum vero capitum excipe opportuno tempore ex divinis Scripturis assertionem. Non enim ut hominibus libuit, fidei summa composita est, sed selecta ex omnibus Scripturis commendatiora capita unam fidei doctrinam perficiunt et complent." [1]

Itaque *Scriptura est sufficiens ad illa dogmata demonstranda, quae in symbolo continentur, et quae omnibus indiscriminatim credenda proponuntur.* De multis aliis rebus, ceteroquin etiam necessariis, ut e. g. de sacramentis, in symbolo nihil dicitur, neque de his Cyrillus hic loquitur; sed ipse in catechesibus multa proponit, quae ex traditione sola accepit.

580. Porro *sufficiens Scriptura est ad componendas multas controversias cum iis haereticis, qui cum Catholicis libros sacros inspiratos agnoscunt.* Nam qui Scripturae dicta vera habent, erroris convinci possunt, si quid Scripturae contrarium statuunt. Propterea SS. Patres, cum haereticis disputantes, non raro dicunt solas Scripturas invocandas esse, eas sufficere ad quaestiones dirimendas.

Exemplo sit disputatio S. Augustini cum Donatistis. Donatistae Catholicis obiciebant varias criminationes, provocabant ad apparitiones angelorum et ad alia miracula. Respondet *Augustinus:* „Inter nos et Donatistas quaestio est, ubi sit ecclesia. Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quaesituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto, quod in illius potius verbis eam quaerere debemus, qui veritas est et optime novit corpus suum. . . . Sunt certe libri dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique cedimus, utrique servimus; ibi quaeramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. . . . Auferantur ergo de medio, quae adversus nos invicem, non ex canonicis libris sed aliunde recitamus. . . . Quia nolo humanis documentis sed divinis oraculis sanctam ecclesiam demonstrari. . . . Quia cum Donatistis quaestio nobis est, non de capite sed de corpore, i. e. non de ipso Salvatore Iesu Christo, sed de eius ecclesia, ipsum caput, de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus, ut per eius verba iam dissentire desinamus." [2]

---

[1] Catech. 5, c. 12; *M* 33, 519 sq.

[2] De unitate ecclesiae contra Donatistas n. 2 5 6 7; *M* 43, 391 sqq.

Addit ibidem Augustinus non ex obscuris sed ex apertis Scripturae locis argumentandum esse.

581. Itaque libri sacri, quorum inspiratio et canonicitas per ecclesiasticum magisterium constat, sufficiunt ecclesiae, ut ex his solis libris, reiectis omnibus apocryphis, ea demonstret, quae sunt praecipua dogmata, omnibus explicite credenda, ut plurimas haereticorum doctrinas refutet, utpote Scripturae contrarias, ut ipsa depositum fideliter custodiat et in dies magis explicet[1]. Sed *non sufficit Scriptura, ut per se ipsa ab omnibus recte exponatur.* In hac igitur re rursum Scriptura pendet ab ecclesia. Nam quo perveniatur, si haec expositio relinquatur singulorum iudicio privato, clarissime ostendunt tot sectarum et individuorum contradictoriae expositiones et interminabiles disputationes in rebus gravissimis. Interna ratio est magna Scripturae in multis locis obscuritas, de qua diximus. Iam *S. Irenaeus* ait: „Ubi charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis ecclesiae successio.... Hi enim ... Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque [sicut haeretici faciunt] Deum blasphemantes neque patriarchas exhonerantes neque prophetas contemnentes."[2]

Omissis aliis Patribus audiamus unum *Vincentium Lirinensem,* qui ab initio „Commonitorii" ait: „Saepe magno studio et summa attentione perquirens, a quam plurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam et quasi generali ac regulari via catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus fere rettuli, quod sive ego sive quis alius vellet exsurgentium haereticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare et in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adiuvante, deberet: primum scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde ecclesiae catholicae traditione. Hic forsitan requirat aliquis. Cum sit perfectus Scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intellegentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene, quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus, Pelagius, Caelestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur." In fine „Commonitorii" ad eandem quaestionem redit: „Hic fortasse aliquis interroget, an et haeretici divinae Scripturae testimoniis utantur. Utuntur plane et vehementer quidem. Nam

---

[1] Huc pertinent dicta Patrum, quae olim haeretici solebant pro sufficientia Scripturae proferre, ut ostendit *Bellarminus,* De verbo Dei 4, 11.

[2] Adv. haer. 4, 26, 4; *M* 7, 1056.

videas eos volare per singula quaeque sanctae legis volumina, per Moysi, per regum libros, per psalmos, per apostolos, per evangelia, per prophetas. Sive enim apud suos sive alienos, sive privatim sive publice, sive in sermonibus sive in libris, sive in conviviis sive in plateis, nihil umquam paene de suo proferunt, quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Ioviniani reliquarumque pestium, cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quae non Novi aut Veteris Testamenti sententiis fucata et colorata sit. Sed tanto magis cavendi et pertimescendi sunt, quanto occultius sub divinae legis umbraculis latitant. Sciunt enim foetores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi et simplices exhalentur; atque idcirco eos caelestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille, qui humanum facile despiceret errorem, divina non facile contemnat oracula." In hoc eos sequi ait diaboli exemplum verbis Scripturae Christum tentantis. „Sed dicet aliquis: Si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus et diabolus et discipuli eius utuntur, quorum alii sunt pseudoapostoli, alii pseudoprophetae et pseudomagistri et omnes ex toto haeretici, quid facient catholici homines et matris ecclesiae filii? Quonam modo in Scripturis Sanctis veritatem a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commonitorii istius sanctos et doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut divinum canonem secundum universalis ecclesiae traditiones et iuxta catholici dogmatis regulas interpretentur." [1] Ibidem addit sequendum esse, quod „omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint", non quod unus alterve „praeter omnes aut etiam contra omnes senserit".

582. *Per hanc multiplicem dependentiam Scripturae a traditione nullo modo minuitur Scripturae dignitas;* nam ecclesia suo testimonio non confert libris sacris dignitatem inspirationis et canonicitatis, sed solum testatur; neque exponendo Scripturae sensum eam suae auctoritati subicit, sed revelationem a Deo acceptam ut normam adhibet ad diiudicandum, quid Deus Scripturae verbis dicere voluerit, quid noluerit. Ceterum eatenus Scriptura prae traditione excellit, quod non materialiter tantum verbum Dei est, sed etiam formaliter. Quae a conciliis credenda definiuntur, sunt quidem a Deo revelata et hoc sensu Dei verba. Nihilominus in conciliorum definitionibus non Deus est, qui loquitur, sed homines loquuntur verba Dei. Aliter res se habet in Scriptura Sacra. Nam cum Deus sit auctor Scripturae inspirans omnia et singula, non homines principaliter loquuntur, sed ipse Deus per homines. Haec est dignitas, quam nulla traditio, nulla conciliorum vel pontificum definitio cum Scriptura communem habet. Ideo Scriptura est verbum Dei sensu plane singulari et per excellentiam, ut antea expositum est [2].

---

[1] Commonit. 2 25 27; *M* 50, 639 sq 672 sqq. [2] Supra n. 426 sq.

Caput VII.

DE CRITERIIS INSPIRATIONIS.

Art. I.

UNIVERSALE INSPIRATIONIS CRITERIUM EST SACRA TRADITIO.

583. Absoluta quaestione de natura inspirationis, restat exponendum, unde sciamus libros quosdam esse a Deo inspiratos, et qui sint hi libri inspirati. Nam etsi hucusque iam collegimus non pauca, quibus haec quaestio soluta fere videri potest, iuvat tamen paulo copiosius eam discutere, quia adhuc de hac re sunt variae opiniones.

Sunt quidam qui censeant hanc partem potius ab initio totius tractatus de inspiratione ponendum esse, cum ante discussionem rei ipsius constare necesse sit, quo medio inspiratio cognosci et explicari possit. Ita e. g. *Crets*, qui tamen fatetur: „Quoniam nonnisi in exitu tractationis notitia distincta et adaequata naturae inspirationis habebitur, et nihilominus iam hic aliquatenus cognosci debet; quaenam sit illa res, de qua sumus disputaturi, praemittenda necessario est aliqua inspirationis notio per eam, quam vocant, definitionem nominalem. . . . Nomine itaque divinae inspirationis active spectatae et prout refertur ad libros sacros, eum intellegimus influxum Spiritus Sancti in scriptorem humanum, quo liber, quem hic exarat, sit ratione talis scriptionis in se verbum Dei Deumque habeat auctorem.“ [1]

Iamvero sunt inter Protestantes, etiam inter illos, qui orthodoxi vocantur, qui negent inspirationem tam presse accipiendam esse, vel nomen inspirationis, in quantum biblicum est, hanc significationem habere [2]. Certe illi, quibus libri sacri sunt inspirati, quatenus sunt ex religiosa quadam commotione scripti, vel quatenus sunt documentum authenticum vitae religiosae veterum temporum, vel quatenus apti sunt ad sensus religiosos excitandos, plane alia criteria inspirationis habere possunt atque illi, qui admittunt inspirationem, qualem in fontibus theologicis inveniri ostendimus.

Ex altera parte opus non est a priori statuere. quae sint huius doctrinae criteria, dummodo in ipso tractatu nulla adhibeantur, contra quae validae exceptiones fieri possunt. Ceterum in se res non est magni momenti, sed ideo solum haec monenda videntur, ne forte cui ordo tractatus praeposterus videatur.

584. *Criterium inspirationis intellegimus id, quo liber inspiratus a non inspirato dignoscitur.* Dicimus igitur imprimis *criterium universale et sufficiens esse sacram traditionem.* Sacra traditio opponitur

---

[1] De inspir. 8. [2] Cf. supra n. 4 253.

saeculari, non solum in quantum eius obiectum sunt res sacrae, sed in quantum ipsa quoque a Deo instituta est ad sacram doctrinam conservandam. Sacram traditionem habuerunt veteres Iudaei, sacram traditionem habet ecclesia Christi. Hanc alteram tantum respicimus, quia, quod inspirationem attinet, traditio christiana est clarior et universalior et complectitur non solum omne verum, quod in iudaica traditione erat, sed praeterea multa alia, quae Iudaeis ignota erant. De libris Novi Testamenti Iudaei non possunt testari, contra vero magisterium ecclesiasticum secundum doctrinam a Christo et ab apostolis acceptam tum de libris Veteris Testamenti tum de libris Novi Testamenti testimonium exhibet. Nihilominus testimonium synagogae non esse inutile postea videbimus (n. 598 600).

Iam inde a saeculo secundo magisterium ecclesiasticum defendere debuit tum rectum inspirationis conceptum tum canonem librorum inspiratorum. Conceptum inspirationis defendit contra manticam inspirationem, quam invexerant Montanistae „praeter morem atque institutum ecclesiae, a maioribus traditum et continua deinceps successione propagatum", ut ait anonymus saeculi secundi, qui pergit: „Cum fideles, qui in Asia erant, saepius et in pluribus Asiae locis eius rei causa convenissent novamque illam doctrinam examinassent et profanam atque impiam iudicassent, damnata haeresi, isti [Montanistae] ab ecclesia et fidelium communione expulsi sunt." [1] Sequentibus quoque saeculis magisterium ecclesiasticum saepius verum inspirationis conceptum propugnavit, usquedum nostra aetate Concilium Vaticanum contra recentes errores hunc conceptum authentica definitione illustravit et stabilivit [2].

Praeterea sicut ecclesia in Montanistis damnavit „adversariorum in componendis novis Scripturis temeritatem et audaciam" [3], ita contra alios quoque haereticos fortiter institit in retinendis iis tantum libris, qui apostolica traditione ad nos pervenerunt. *S. Cyrillus Hierosol.* monet: Libros „eos solos studiose meditare, quos etiam in ecclesia cum fiducia legimus. Multo te prudentiores et religiosiores erant apostoli et veteres episcopi, ecclesiae rectores, qui eos tradiderunt" [4]. Similiter *S. Athanasius* ait: „Quoniam nonnulli conati sunt ordinare sibi apocrypha, quae dicuntur, et ea immiscere Scripturae divinitus inspiratae, de qua perfecte instructi sumus, quemadmodum patribus nostris tradiderunt, qui ab initio testes oculati fuerunt et ministri verbi facti sunt, visum est et mihi, rogato a sinceris fratribus et a principio edocto, secundum ordinem exponere libros in canonem receptos et traditos et divinos habitos, ut quivis, si forte erraverit, cognoscat seductores; sin purus manserit, laetetur denuo commonefactus." [5]

---

[1] Supra n. 55. [2] Supra n. 327 sqq.
[3] *Eus.*, H. E. 6, 20; *M* 20, 571 sq. [4] Supra n. 93.
[5] Supra n. 93 nota.

Traditionem sequendam esse hac in re omnes SS. Patres inculcant, incipiendo inde a *S. Irenaeo*[1]. Manichaeis e. g. *S. Augustinus* ait: „Breviter vos admoneo, qui illo tam nefasto et exsecrabili errore tenemini, ut, si auctoritatem Scripturarum, omnibus praeferendam, sequi vultis, eam sequamini, quae ab ipsius praesentiae Christi temporibus per dispensationes apostolorum et certas ab eorum sedibus successiones apostolorum usque ad haec tempora toto terrarum orbe custodita, commendata, clarificata pervenit.“[2] *Concilium Carthaginiense* (a. 419) can. 29 proponens catalogum sacrorum librorum vult, ut „de isto canone innotescat, quia et a Patribus ita accepimus in ecclesia legendum“[3]. Constat igitur ecclesiam hausisse suam de libris inspiratis doctrinam ex traditione apostolica. Ad hoc criterium omnes provocant; hoc est unicum criterium, ad quod omnes docti et indocti attendere iubentur. Merito igitur hoc criterium dicimus principale et universale inspirationis criterium.

585. Ceterum *ex natura rei patet rem aliter esse non posse.* Inspiratio enim terminative sumpta seu inspiratio libri sacri est effectus inspirationis scriptoris sacri seu inspirationis passive sumptae, et inspiratio passive sumpta est effectus inspirationis activae seu liberae cuiusdam operationis Dei ad extra. Atqui operationem Dei ipsam immediate inspicere non possumus. Neque immediate cognoscimus inspirationem passivam, quae est factum insensibile et supernaturale. Libros quidem inspiratos prae oculis habemus; at illi non sunt tales, ut eos inspicientes et eorum indolem cum libris pure humanis comparantes, dicere debeamus: Neque ullus ex his libris neque ulla pars eorum scribi potuit a solis hominibus, sed omnia necessario Deum auctorem principalem habent. Alioqui nullae umquam potuissent oriri disputationes de canone. Quid in libris regum, quid in Actibus apostolorum, quid in aliis libris multis Scripturae apparet, cur ab homine suis viribus relicto scribi non potuerint? Considerabimus postea singula, quae ex indole sacrorum librorum repeti possunt ad eorum inspirationem suadendam, et facile videbimus, quam parum haec sufficiant ad conciliandam certitudinem vel pure humanam. Ceteroqui inter omnes, qui admittunt inspirationem, qualem admittendam esse ostendimus, facile convenit non posse de hoc facto supernaturali haberi certitudinem nisi per testimonium, quod omnem rationabilem dubitationem excludat.

Quis autem ferat testimonium de inspiratione? Si homines, certe non alii principaliter nisi ii, qui inspirati sunt; nam cum agatur de facto, quod in mente hominis inspirati producitur, naturaliter nemo huius rei cognitionem habet nisi forte ipse inspiratus. At certo de-

[1] Supra n. 43. [2] Contra Faustum 33, 9; *M* 42, 517.
[3] *Mansi* 4, 430.

monstrari nequit omnes auctores inspiratos necessario conscientiam inspirationis habuisse [1]. Sed quidquid id est, plurimi auctores sacri nihil dixerunt de inspiratione sua, nihil evangelistae, nihil varii historiographi Veteris Testamenti. Dein etsi homo diceret: Ego hunc librum scripsi ex inspiratione divina, non eo ipso constaret hanc assertionem esse veram. Multi hoc mentientes de se dixerunt, pseudoprophetae et pseudoapocalyptici. Potest fortasse esse homo notorie, ut aiunt, tantae prudentiae et tantae probitatis, ut ei etiam tale quid de se affirmanti fides non imprudenter habeatur. Sed tantam fuisse prudentiam et probitatem singulorum scriptorum sacrorum probare non possumus, cum multorum adeo nos lateat historia, ut ne qui fuerint quidem sciamus. Sed etsi adesset tale testimonium, quid haberemus? Testimonium humanum, humana fide dignum. Atqui hoc non sufficit. Nam sub anathematis poena omnes fideles credere debent omnes libros in canonem receptos esse divinitus inspiratos. Talis autem obligatio oriri nequit nisi ex revelatione divina publica, quae ad depositum fidei pertinet, i. e. necesse est Deum testari librum sua inspiratione esse conscriptum et ecclesiae ut fidei regulam recipiendum; ecclesia autem hanc revelationem conservare et ad posteros propagare debet. Per se fieri potest, ut Deus hoc testimonium non solum revelet, sed etiam suo nomine scribendum inspiret, seu ut hoc testimonium non solum in orali traditione sed etiam in ipsa Scriptura inveniatur. Revera inspirationem librorum sacrorum partim etiam ex ipsa Scriptura ut teste probari posse indubium est [2]. At hoc testimonium non est universale, quia non ad omnes libros extenditur, neque est sufficiens pro omnibus, quia non omnes possunt Scripturam legere et ex ea discere, qui sint libri inspirati. Ergo sola infallibilis traditio, innixa revelatione divina, universaliter sufficit. Constat igitur traditionem catholicam esse criterium universale, certum, sufficiens inspirationis omnium librorum canonicorum, quia catholica traditio nihil aliud est nisi magisterium authenticum, a Deo institutum ad conservandam et propagandam omnem veritatem publice revelatam, vel est revelatio publica per magisterium authenticum conservata et proposita. Hoc magisterium modo omnibus accommodato docet ex revelatione divina libros canonicos omnes cum omnibus suis partibus esse a Deo inspiratos et infallibile Dei verbum. Si quaeritur, quomodo revelatio de inspiratione singulorum librorum sacrorum primitus a Deo facta sit, respondendum est: eam factam esse partim per Christum, partim per apostolos a Spiritu Sancto revelatione illuminatos, in concreto tamen ignotum esse, cui et quomodo haec revelatio quoad singulos libros sacros primum facta sit, sed nobis sufficere, ut ecclesia testetur se hanc veritatem revelatam tradendam accepisse.

[1] Supra n. 420.

[2] Aliud est, quod antea diximus, ex ipsa indole Scripturae non posse certum argumentum inspirationis formari.

586. Cum inter Catholicos in dubium vocari nequeat doctrinam traditionis esse sufficiens et universale inspirationis criterium, potest tamen quaeri, utrum definitiones conciliorum, e. g. Tridentini, habeant sensum affirmativum tantum, an etiam exclusivum, i. e. *utrum satis sit admittere omnes libros in canone recensitos esse inspiratos, an etiam tenendum sit eos solos esse inspiratos et canonicos.* De qua re exstat mira *Bonfrerii* sententia: „Nota postremo, etsi non sit verisimile hunc sacrorum librorum canonem augendum, nihil tamen vetare, quominus imposterum augeatur, sive quia possunt de novo aliqui novi libri a viris Deo plenis prodire, de quorum auctoritate divina testetur ecclesia; sive quia potest adhuc forte Scripturas aliquas, de quarum auctoritate divina hactenus dubitatum est, in canonem admittere, ut si verbi gratia orationem regis Manassae (de cuius auctoritate ante ceteras omnes Scripturas apocryphas merito et cum fundamento dubitari potest) Scripturis sacris annumeraret." [1] Haec sententia admitti nequit.

Imprimis enim theologice certum est *nullam revelationem novam publicam exspectandam esse,* quia revelatio divina catholica „continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt", quemadmodum post *Tridentinum* definivit *Vaticanum* (sess. 3, cap. 2). Ecclesia non negat posse fieri revelationes privatas, sed negat eas pertinere ad depositum fidei, et negat depositum fidei augeri posse; secus verum non esset totam revelationem catholicam ab apostolis esse traditam. Atqui sine revelatione divina publica non potest fieri liber canonicus. Ergo concessa possibilitate inspirationis ad usum privatum, neganda est possibilitas inspirationis ad usum publicum ecclesiae [2]. Quando inde a saeculo secundo ab haereticis proferebantur multa apocrypha tamquam divinitus inspirata, constanter iis opponebant SS. Patres: Haec nobis tradita non sunt ab apostolis. Plures haeretici praetendebant in se apparuisse Paraclitum a Christo promissum, ideo se posse nova scripta edere. Sed SS. Patres insistebant nihil latuisse apostolos, ipsos omnem revelationem accepisse et omnem ecclesiae tradidisse. Ipse *Tertullianus,* quamdiu Catholicus erat, haec scripsit: „Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum nec inquisitione post evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus non esse, quod ultra credere debeamus." Ita de Praescript. c. 8, in quo opusculo idem saepius inculcat, ut c. 22: Haeretici „solent dicere non omnia apostolos scisse, eadem agitati dementia, qua rursus convertunt omnia quidem apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subicientes, qui aut minus instructos aut parum simplices apostolos

[1] Praeloq. in Script. sacr. c. 4, sect. 15. [2] Cf. supra n. 329.

miserit". Ceterum aut in tractatu de ecclesia aut in tractatu de traditione ostenditur depositum fidei esse augmenti incapax. E. g. *Franzelin* in thesi 22 de traditione multis argumentis efficit, ut „in oeconomia praesenti nullum obiectivum incrementum depositi fidei catholicae, Sacris Scripturis et apostolica traditione comprehensi, post apostolos aut factum aut in ecclesia militante adhuc exspectandum sit". Ergo illa opinio Bonfreri de possibilitate novi libri inspirandi et in canonem recipiendi admitti nequit.

587. Sed *quid de quibusdam libris, qui iam apostolorum temporibus exsistebant et ab aliquibus inspirati habebantur, neque tamen in canonem recepti sunt?* Potest enim videri esse paritas cum libris deuterocanonicis, de quibus etiam per aliquod tempus dubitabatur, utrum essent ab apostolis traditi ut libri sacri necne, et tamen in canonem recepti sunt. At haec paritas in abstracto tantum fingitur, re autem vera non adest. Nam libri, qui dicuntur deuterocanonici, a plurimis recipiebantur ut ab apostolis traditi, a relative paucis addubitabantur[1]. Unde quoad hos libros traditio apostolica, etsi aliquo tempore obscurata fuit, efficaciter tamen probari potest. Quod autem attinet libros in canonem non receptos, hi ab uno tantum alterove habiti sunt inspirati et canonici. Ita Clemens Alexandr. et S. Ambrosius quartum librum Esdrae inspiratum censebant. Quidam scriptores minoris auctoritatis orationem Manassae regis genuinam habebant. S. Athanasius et pauci alii Graeci psalmum 151 davidicum putabant. Similiter nonnulla alia modo ab hoc, modo ab illo S. Patre allegantur ut auctoritate sacra pollentia; ab aliis autem Patribus aut tacentur aut reprobantur. Hoc autem non sufficit ad statuendam traditionem apostolicam, idque eo minus, quia iam per multa saecula nulla amplius umbra traditionis illis scriptis faventis adest, sed scripta illa inter apocrypha ab omnibus recensentur. Traditio autem apostolica, si quando adfuit, non potuit plane disparere. Atqui disparuit illa nonnullorum opinio. Ergo non erat traditio apostolica; ergo libri illi non possunt umquam in canonem recipi.

Videri possit fortasse excipiendus tertius liber Esdrae, qui in multis codicibus et versionibus primum librum Esdrae constituit, cum nostri duo libri Esdrae, in unum adunati, ponantur ut secundus liber Esdrae. Praeterea sat multi Patres, iique magnae auctoritatis, illum librum Esdrae ut canonicum allegant. Etiam post Concilium Tridentinum quibusdam visus est canonicus. Sed quoad hunc librum distinctio adhibenda videtur. Maxima eius pars ratione materiae est canonica, quia est compilatio ex secundo libro Paralipomenon et ex libris canonicis Esdrae et Nehemiae. Addita est narratio, quae a versu primo capitis tertii usque ad versum sextum capitis quinti legitur. De hac

[1] Cf. *Cornely,* Introd. I[2] 72 sqq.

autem narratione valet, quod de aliis scriptis diximus: Per multa iam saecula ab omnibus habita est apocrypha. Ergo non est tradita ab apostolis ut canonica. Reliqua autem pars libri exstat in aliis libris canonicis; ergo non est addenda canoni ut novus liber canonicus[1].

588. Difficilior est alia quaestio. *Multi enim censent libros quosdam inspiratos periisse.* Libri autem perditi interdum rursus inveniuntur, ut e. g. „Doctrina duodecim apostolorum", quae per tot saecula interierat, i. e. ex usu et notitia hominum evanuerat. Potest igitur fieri, ut etiam aliquis ex illis libris inspiratis perditis in angulo alicuius bibliothecae vel alibi lateat et iterum ad lucem venturus sit. Eritne tunc addendus canoni? Possumus quidem hunc eventum divinae providentiae, et iudicium, quid in hoc eventu faciendum sit, auctoritati ecclesiasticae relinquere. Sed absolutionis rerum gratia liceat pauca addere.

In epistula prima ad Corinthios (5, 9) S. Paulus ait: „Scripsi vobis in epistula, ne commisceamini fornicariis." Et in epistula ad Colossenses (4, 16): „Et cum lecta fuerit apud vos epistula haec, facite, ut et in Laodicensium ecclesia legatur, et eam, quae Laodicensium est, vos legatis." Ergo Paulus scripsit et epistulam ad Laodicenses et epistulam ad Corinthios ante eam, quae in nostro canone prima est. Neutram epistulam habemus, utraque videtur referenda inter scripta perdita. Unde si quis concedere non vult librum inspiratum perire posse, aut negare debet apostolum illis locis loqui de aliis epistulis a se scriptis praeter nostras canonicas, aut debet negare illas epistulas perditas inspiratas vel canonicas fuisse. De quibus quaestionibus est *magna dissensio doctorum, neque ecclesia quidquam definivit.*

Graeci negant S. Paulum scripsisse tertiam epistulam ad Corinthios, et verba illa *Ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ μὴ συναναμίγνυσθαι τοῖς πόρνοις* referunt ad praecedentia, ubi (5, 2) iubentur Corinthii tollere de medio suo incestuosum. Ita e. g. *S. Chrysostomus:* „Quia enim dixit: ‚Non potius luctum habuistis, ut de medio tollatur, qui est huiusmodi', et: ‚Expurgate vetus fermentum', et verisimile erat suspicari illos fugiendum esse ab omnibus fornicariis . . . hac correctione utitur dicens: ‚Scripsi vobis, ne commisceamini fornicatoribus, et non utique fornicatoribus huius mundi.'"[2] Verba enim *ἔγραψα ἐν τῇ ἐπιστολῇ* non minus bene possunt ad hanc epistulam referri quam ad aliam, quia non dicit: ‚in alia epistula', sed simpliciter: *ἐν τῇ ἐπιστολῇ*; neque forma aoristi postulat epistulam prius scriptam, quia haec forma potest etiam ad praesentem epistulam referri (cf. Gal 6, 11). Cogita apostolum post versum octavum capitis quinti interrupisse scriptionem, et postea, quando iterum accedebat ad scribendum et legebat, quae

[1] Vide haec latius exposita apud *Cornely,* Introd. I 214 sqq.
[2] In 1 Cor. hom. 16, n. 1; *M* 61, 129.

iam scripserat, venisse ei in mentem: haec possunt perperam a Corinthiis accipi, nonne potuit scribere: *ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ . . . νῦν δὲ ἔγραψα . . .?* Certe argumentum non spernendum contra tertiam epistulam ad Corinthios est, quod nemo veterum eam a se visam esse umquam significat. Iam Patres apostolici plurima excerpunt ex duabus epistulis ad Corinthios, de tertia quadam epistula altissimum silentium. Quod silentium sine dubio Patribus graecis fuit ratio illa verba aliter interpretandi, atque sonare videntur; nam normas sermonis humani et graeci ipsi quoque intellexerunt, quare nihil iuvat dicere secundum normam sermonis humani vel graeci illa verba esse necessario de tertia epistula intellegenda. Ceterum solum asserimus non esse consensum de hac re. Quod autem nonnulli recentes dicunt S. Paulum per decursum vitae suae sine dubio multo plures epistulas inspiratas scripsisse, quam nunc habeamus, est pura coniectura, nullo positivo nixa fundamento.

Similiter dissensio est de illis verbis: „Et eam, quae Laodicensium est, vos legatis", *καὶ τὴν ἐκ Λαοδικίας [ἐπιστολὴν] ὑμεῖς ἀναγνῶτε.* Alii censent Paulum scripsisse ad Laodicenses et hanc epistulam interiisse; alii sermonem esse de aliqua ex nostris epistulis canonicis, quae a Paulo ex urbe Laodicea scripta sit; alii Paulum misisse unam ex epistulis suis, e. g. ad Ephesios, per modum encyclicae, ut prius legeretur ab Ephesiis, dein mitteretur ad Laodicenses, et ab his ad Colossenses; alii agi de epistula, quae a Laodicensibus scripta sit. Primam sententiam tenent S. Thomas et plerique recentes exegetae, secundam Theophylactus et alii, tertiam varii recentes exegetae per modum hypothesis proponunt, quartam tenent Chrysostomus, Theodoretus, plures recentiores. In hac opinionum varietate nihil certi statui potest. Contra epistulam Pauli ad Laodicenses idem argumentum pugnat, quod nemo umquam vel explicite vel implicite significet se eam vidisse. Itaque non possumus in argumentando procedere ex hoc facto, quod reapse libri inspirati Novi Testamenti perierint. De libris autem perditis Veteris Testamenti multo minus constat; nam, etsi certum est multa scripta iudaica periisse, plane incertum est, num vel unum inspiratum inter ea fuerit.

589. Itaque quaestio est unice *de possibilitate perditionis librorum inspiratorum.* Illi, qui censent libros inspiratos periisse, eo ipso docent posse libros inspiratos perire. *S. Chrysostomus* exponens illud 1 Cor 2, 9: „Sicut scriptum est: quod oculus non vidit nec auris audivit . . .", interrogat: „Et ubinam scripta sunt haec?" Duplex dat responsum: Hoc aliis locis, etsi non secundum verba, tamen secundum rem dicitur. „Aut verisimile est scriptum fuisse in libris, qui perierint. Nam multi libri perditi fuerunt et pauci servati sunt in prima captivitate. . . . Et quid dico de captivitate? Nam etiam ante captivitatem multi periere libri, quod palam est ex fine quarti

libri regnorum. Deuteronomium enim vix repertum fuit in sterquilinio defossum."[1] Itaque videtur aperte admittere perditionem librorum inspiratorum. Idem docent multi theologi. Audiatur unus *S. Thomas,* qui in Col 4, 16 annotat: „Ex quo habetur, quod scripsit alias epistulas, quia istam, de qua fit mentio hic, scilicet Laodicensium, et unam aliam ad Corinthios praeter primam et secundam, quia in prima epistula cap. 5 dicit: ‚Scripsi vobis in epistula, ne commisceamini fornicariis' etc. Sed ratio est duplex, quare non sunt in canone: quia non constabat de eorum auctoritate, quia forte erant depravatae et perierant in ecclesiis; vel quia non continebant aliud quam ista."

Alii tamen doctores aliter sentiunt. *S. Augustinus* ait: In libris historicis Veteris Testamenti „commemorantur plurima, quae ibi non explicantur et in libris aliis inveniri dicuntur, quos prophetae scripserunt, et alicubi eorum quoque prophetarum nomina non tacentur (1 Par 29, 29; 2 Par 9, 29), nec tamen inveniuntur in canone, quem recepit populus Dei. Cuius rei, fateor, causa me latet, nisi quod existimo etiam ipsos, quibus ea, quae in auctoritate religionis esse deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse"[2]. Et addit: „Auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur et terminatur canon . . . sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod religione earum esse oporteret; nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensio."[3] Ergo Augustinus existimat libros perditos Iudaeorum non fuisse inspiratos, et canonem (habuit eundem, quem postea Tridentinum definivit) esse fixum et terminatum.

590. E theologis *Salmeron* e. g. consentit cum Augustino libros illos Iudaeorum numquam fuisse canonicos, et hoc generale argumentum inter alia proponit: „Si canonici eiusmodi libri exstitissent, ecclesia non fuisset depositi sibi traditi fidelis custos. . . . Cumque liber canonicus nihil aliud sit quam certa regula credendi et vitam legi Dei conformem instituendi, facere iacturam unius libri canonici nihil aliud esset quam regulam vivendi iuxta Dei praescriptum amittere. Quemadmodum gravissimum esset incommodum, si ecclesia vel unius tantum sacramenti ex septem, quo initiatur et sanctificatur, iacturam faceret. Posset hoc incommodum non sine ratione retorqueri in Spiritum Sanctum, ecclesiae Dei custodem et protectorem, quia, cum posset ecclesiam praeservare, ne librum canonicum amitteret, permisit tamen."[4]

---

[1] In 1 Cor. hom. 7, n. 3; *M* 61, 57 sq.
[2] De civ. Dei 18, 38; *M* 41, 598. [3] Ib. c. 41, n. 1, col. 600.
[4] Prolegom. 9, can. 4, ed. Colon. 1602, 93.

Potest contra haec obici doctrina, quam *Franzelin,* de alia re agens, his verbis proponit: „Principium iuris, a nemine catholico vocandum in controversiam, est illud fundamentale: ad munus ecclesiae pertinere sub assistentia Spiritus Sancti infallibilem custodiam, sicut verbi Dei generatim, ita etiam verbi scripti. Quod quidem non ita intellegendum est, ac si assistentia Spiritus Sancti promissa esset, ne umquam aut textus aliquis aut pars libri divini aut etiam liber integer intercidat. Quamvis enim specialis providentia Dei circa conservationem divinorum librorum tam Veteris quam Novi Testamenti tempore agnosci debeat, promissio tamen assistentiae Spiritus veritatis inducentis in omnem veritatem, et inde pendens infallibilitas ecclesiae in custodia depositi per se non includit indefectibilem conservationem omnium librorum eorumque partium, qui sint divinitus inspirati atque adeo contineant verbum Dei scriptum. Ratio est, quia libri inspirati non sunt unicum nec absolute necessarium instrumentum ad conservationem revelationis (cf. Iren. l. 3, cap. 4); unde potest Spiritus Sanctus per ecclesiam conservare integritatem revelatae veritatis, quin ad hunc finem opus ei sit impedire, aut permittere nequeat libri vel partis libri inspirati iacturam." [1]

At hoc modo argumentum Salmeronis non destruitur; nam si v. g. epistula ad Laodicenses aliquando erat canonica, revelatum quoque erat et ad depositum fidei pertinebat hanc epistulam esse a Deo inspiratam et ecclesiae ut regulam fidei traditam. Nunc autem haec pars revelationis et depositi fidei periisset. Animadverte Salmeronem loqui de libro *canonico,* habebis solutionem difficultatis et totius quaestionis, de qua hic agimus. Videlicet nullus ex libris, qui interierunt, ea intentione Dei auctoris conscriptus et ecclesiae traditus est, ut omnibus proponeretur qua fidei regula; nam Deus, si hoc intendisset, librum conservasset. Ergo neque liber eiusmodi inspiratus dici potest ea plenitudine inspirationis, quae convenit libris canonicis, neque fortuito inventus in canonem recipiendus est. Canon est fixus et terminatus [2].

ART. II.

QUID CRITERIA INTERNA VALEANT AD INSPIRATIONEM LIBRORUM SACRORUM STABILIENDAM.

591. *Protestantes,* qui negant magisterium infallibile a Christo institutum, cum non possint ex sacra traditione probare inspirationem librorum sacrorum, ne tamen debeant recurrere ad traditionem pure humanam, *receperunt se potissimum ad criteria interna,* ob quae Scripturam volunt esse *αὐτόπιστον.* Criteria interna sunt, quae petuntur ex ipsa Scripturae indole, qualia sunt „antiquitas, rerum maiestas.

[1] De Deo Trino thes. 4, n. 1; ed. 3, 42. [2] Cf. supra n 329.

sermonis singularitas, perpetua conformitas, complementi veritas, miraculorum quibus doctrina illa confirmata est, divinitas, diabolici adversus eam furoris immanitas, ipsius Scripturae in persuadendo et permovendo efficacitas." [1]

Quam inania sint haec argumenta ad probandam inspirationem librorum sacrorum, vix indiget expositione. Nam si singula sumuntur, ad multos libros non inspiratos applicari possunt. Si simul sumuntur, ad omnes libros inspiratos applicari non possunt. Ubi apparuit immanis diaboli furor contra librum Ruth vel contra libros Paralipomenon? ubi in iis vel in Proverbiis et aliis libris est singularis rerum maiestas? Quibus miraculis probavit Deus inspirationem Apocalypsis? Nonne Luthero haec et alia interna criteria quoad plures libros sacros tam dubia erant, ut eos e canone eliminaverit aut saltem suspectos habuerit? [2] Immo cum etiam libris non inspiratis possit consignari doctrina revelata, ex ipsa veritate, sublimitate, harmonia doctrinae inspiratio nullo modo probatur. Haec cum perspexissent, posteriores Protestantes ex criteriis internis unum solum fere retinuerunt, dicentes: Libri illi sunt inspirati, quatenus habent vim inspirandi hominibus sensus religiosos. Sed quia haec quoque vis valde diversa est in variis libris canonicis, diviserunt libros canonicos in plene inspiratos, semiinspiratos, vix inspiratos, et concesserunt in quibusdam libris non canonicis hanc indolem magis inesse quam in nonnullis canonicis. Quin etiam longe plurimi theologi protestantes nostrae aetatis propter ipsa interna criteria falsam esse censent „theoriam inspirationis", qualem Gerhardus, Quenstedt, alii excoluerunt [3]. Unde patet reiecto magisterio ecclesiastico inspirationem Scripturae sua vi stare non posse.

592. *Neque tamen ut inutilia reicienda sunt criteria interna.* Nam supposita inspiratione aliunde nota, possunt servire ad Scripturam commendandam et defendendam. Ecclesia multos libros, qui sub nominibus prophetarum et apostolorum circumferebantur, in canonem non admisit. Primaria ratio erat, quia non erant traditi ut libri inspirati. Sed pleraque ex his scriptis etiam propter *criteria interna negativa* se produnt ut suppositicia. Multa enim in iis leguntur, quae pugnant cum doctrina revelata aut cum veritate naturaliter nota; alia sunt puerilia, inutilia, Deo indigna. „Ipsum dicendi genus longe ab apostolica simplicitate discrepat. Sensus quoque ipse, et quae ibidem traditur fides, cum a veritate et catholica doctrina plurimum quantum aberret, haec haereticorum hominum figmenta esse manifeste coarguit. Quocirca ne quidem inter spurios [i. e. dubios] collocandi sunt hi libri, sed tamquam absurdi et impii prorsus repudiandi." [4]

---

[1] Supra n. 226; cf. n. 265. [2] Supra n. 211.
[3] Supra n. 231 sqq 237 sqq 250 sqq 258 sqq 268 sqq.
[4] *Eus.*, H. E. 3, 25; *M* 20, 271.

Ratio evidens est, quia Deus neque potest cum suis ipsius verbis pugnare neque a sua sanctitate et sapientia deficere.

Sed de his criteriis negativis varia notanda sunt: a) Ut certo constet librum aliquem esse inspiratum, non necesse est examinari librum secundum haec criteria negativa. De inspiratione enim libri iudicari nequit nisi ex revelatione divina. Iamvero si Deus testatur librum esse inspiratum, a priori ex hoc testimonio colligitur non posse in libro quidquam inveniri, quo inspiratio excludatur. Contra, si deest testimonium divinum, ex consideratione criteriorum internorum nihil pro inspiratione efficitur. Ergo haec criteria poterant eatenus tantum usui esse, quatenus ex iis probari poterat librum, de cuius inspiratione disputabatur, non esse inspiratum. Atque sine dubio haec consideratio indolis haereticae, superstitiosae vel alio modo ab inspiratione divina alienae fuit ecclesiae ratio reiciendi multa scripta ut apocrypha, quia, ut dicitur in *fragmento muratoriano:* „Fel cum melle misceri non congruit." Nunc etiam haec criteria adhiberi possunt ad ostendendum quaedam scripta merito ab ecclesia e canone esse exclusa. b) Si ecclesiasticum magisterium non necessario debuit secundum haec criteria in libros sacros inquirere, antequam eos in canonem reciperet, a fortiori singulis fidelibus neque opus est neque licet ita secundum haec criteria de inspiratione iudicare velle, ut assensus in inspirationem librorum canonicorum suspendatur, usquedum libri critice examinati sint. Opus non est, quia plerisque impossibile; non licet, quia Deo loquenti denegare assensum, dum rem examinaverimus, fas non est. c) Multa in Scriptura inveniuntur, quae rationem superant. At supra rationem esse non est idem atque contra rationem esse. Mysteria non sunt contradictiones. Veteres Protestantes dicebant: Miracula, quae in Scriptura narrantur, et mysteria, quae in ea docentur, probant eius inspirationem. Recentes Protestantes plerique dicunt: Mysteria et miracula biblica sunt praecipua ratio, ob quam Scripturam non possumus simpliciter ut infallibile Dei verbum recipere, cum Deus non possit quidquam revelare, quod cum ratione pugnet. Utrique errant: veteres Protestantes, quia miracula et mysteria etiam fingi possunt; recentes Protestantes, quia in miraculis et mysteriis biblicis nihil est, quod sit contra sanam rationem. d) In Sacra Scriptura, qualem nunc habemus, sunt errores et contradictiones, e. g. in numeris. Sed apographa et versiones non sunt confundenda cum textu primigenio. Quae hagiographi inspirante Spiritu Sancto scripserant, erant sine errore; quae librarii vel interpretes descripserunt vel verterunt, non necessario sunt sine errore. Ecclesia habet Scripturam sine ullo errore in rebus fidei et morum et substantialiter eandem, quam hagiographi scripserunt, sed non eandem in omnibus usque ad ultimas particulas. Ergo ex erroribus, qui in editionibus Scripturae inveniuntur, licet concludere nos non habere editionem critice perfectam, quod omnes concedunt; non vero licet concludere ab ipsis

hagiographis errores esse conscriptos aut quaedam ab iis scripta esse sine inspiratione, quod est contra doctrinam catholicam. Et haec quidem de criteriis negativis dicta sufficiant; nam quomodo tempus scripti vel persona auctoris possint constituere criterium negativum, postea videbimus.

593. Si iam transimus ad *criteria positiva,* iterum *quaedam notatu digna* sunt: a) Solemus de Scriptura loqui ut de uno libro[1], quamquam scimus eam compositam esse ex scriptis, quae ratione aetatis, auctorum, generis litterarii longissime inter se distent. Et supposita inspiratione recte ita loquimur, quia principalis auctor omnium librorum sacrorum unus est: Deus inspirator; item subiectum principale Scripturae unum est: Deus unus trinus, creator, gubernator, salvator, sanctificator, consummator; unus quoque est finis Scripturae: constituere regulam fidei et morum pro ecclesia Christi; nexus quoque internus est, quia Vetus Testamentum praedicit et praeparat adventum Christi, quem Novum Testamentum venisse nuntiat. Verumtamen suppone inspirationem nondum probatam, sed ex ipsis his libris, i. e. ex rebus, quas continent probandam, non iam poteris hanc unitatem ut principium argumentandi certum supponere. Neque enim omnia, quae in Scriptura leguntur, ita indissolubilem unitatem ratione materiae efficiunt, ut nihil possit removeri, quin haec unitas perturbetur; neque ex altera parte omnia, quae extra canonem leguntur, inimica essent unitati, si reciperentur. Sublatis libris omnibus Veteris Testamenti, qui in Novo Testamento non allegantur, sublato evangelio Marci, sublata Apocalypsi et aliis libris Novi Testamenti, non minor appareret unitas quam nunc est. Neque si quartus liber Esdrae et psalmi Salomonis in Vetus Testamentum, vel si epistula Clementis et Pastor Hermae in Novum Testamentum reciperentur, unitas tolleretur. Ergo Protestantes illi recentes, qui non quidem singulis dictis Scripturae, sed Scripturae, ut unum totum est, ob unitatem suam inspirationem vindicare conantur[2], super fundamentum valde labile aedificant. Rationalistae contendunt quemvis fere librum sacrum esse centonem ex variis scriptis non valde dextere consarcinatum. Unde neque hoc unitatis criterio Protestantes, qui traditionem sacram reiecerunt, multum iuvantur. b) Liber non inspiratus potest continere doctrinam revelatam sine errore. Aliquis, qui audierat prophetas, Christum, apostolos, poterat eorum sermones litteris consignare, etsi ad hoc non erat a Deo inspiratus. Consequenter veritas, sanctitas, sublimitas, profunditas doctrinae, quae in aliquo libro continetur, non demonstrant librum esse inspiratum, sed fortasse ostendunt doctrinam esse revelatam. Neque sensum typicum, nisi sub certis condicionibus, esse argumentum inspirationis iam ante diximus[3].

---

[1] Cf. supra n. 190 382. [2] Cf. e. g. supra n. 253. [3] Supra n. 387.

594. Omissis igitur argumentis inefficacibus ex criteriis internis positivis, videamus, quid pro inspiratione, ceteroqui iam nota, ex iis colligi possit. Sane si Deus inspiravit Scripturam, exspectandum est a priori eam quibusdam perfectionibus eminere, quae in libris pure humanis non inveniantur; nam si homines sine charismatico illo influxu divino aeque bene libros componere potuissent, non est cur Deus ipse eos inspiraverit.

Deus autem est Deus veritatis et sanctitatis, homines vero obnoxii sunt erroribus in doctrina speculativa et practica; et in rebus quidem religiosis et moralibus pessimi eorum fuerunt errores, ut videre est in gentilibus quam maxime excultis. Unde si in libris religiosis, qui scripti sunt a variis hominibus per intervallum plurimorum saeculorum, cernitur *doctrina immunis ab omni errore religioso et morali*, id aliquid plus quam humanum merito dicitur. Atqui talis est doctrina Scripturae. Fundamentale principium theoreticum eius est unitas Dei, creatoris et gubernatoris omnium, quae praeter ipsum exsistunt. Cum omnes gentes in polytheismum lapsae essent, Scriptura a prima pagina usque ad ultimam praedicat: „Audi Israel: Dominus Deus tuus Deus unus est" (Dt 6, 4; Mc 12, 29), qui „fecit caelum et terram et mare et omnia, quae in iis sunt" (Ex 20, 11). Principale vero praeceptum est: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo" (Dt 6, 5; Mc 12, 30). Educandi quidem erant homines, ut a minus perfectis ad perfectiora progrederentur tam in cognoscendo quam in agendo, qui progressus est a lege per prophetas ad Christum, ultra cuius doctrinam non est altior veritas neque perfectior moralitas, sed profectus tantum in clariore huius doctrinae intellegentia et meliore eius observatione.

„Quia videlicet Scriptura Sacra, dum per Testamentum Vetus crimina operum compescuit, dari decimas praecepit (Dt 12, 6), quasi per mandata humilia in liminis latitudine iacuit. Sed dum per Testamentum Novum cogitationes pravas coercuit, derelinqui omnia et pro Deo vitam corporis iussit cum praesenti saeculo despici (Mt 16, 25), quasi porta nostra in longitudinis altitudinem surrexit. Minora quippe praecepta israelitico populo per legem data sunt; unde et eidem populo Moyses in campo locutus est (Ex 19, 7 sq). Altiora Dominus sanctis apostolis dedit; unde et eos de mandatis vitae in monte docuit. . . . Ipsa enim Dei cognitio, quae apud illam [legem] in spiritalibus patribus fuit, nota omni Hebraeorum populo non fuit. Nam omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem, cum prophetae praedicarent, populus ignorabat; solum decalogum tenebat in lege, fidem Trinitatis nesciens. . . . Per Testamentum Novum in corde fidelis populi super mandata decalogi cognitio Trinitatis crevit. . . . Qua in re hoc quoque nobis sciendum est, quia et per incrementa temporum crevit scientia spiritalium patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetae quam Moyses, plus apostoli quam prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. . . . Plus ergo quam prophetae de divina scientia noverunt, quia, quod illi solo spiritu viderunt, isti etiam corporaliter viderunt. . . . Et Testamentum Vetus unum

nobis mediatorem Dei et hominum nuntiavit, et Testamentum Novum eundem nobis nuntiat in aeterna claritate venturum, quem iam pro nobis cognovimus incarnatum. . . . Tunc ergo erit et Novi Testamenti finis, cum ea, quae de se promisit, Dominus compleverit." [1] Interim vero dum in hac vita sumus, „crescat oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intellegentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia. . . . Fas est enim, ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur; nefas est, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem." [2]

Hic est sensus ecclesiae de habitudine Veteris et Novi Testamenti et de progressu fidei et morum, quemadmodum etiam *Concilium Vaticanum* docet [3]. Scriptura igitur merito inde commendatur, quod cum immutabilitate fundamentalis doctrinae dogmaticae et moralis coniungit eximiam humani generis educationem et ab imperfectis ad perfecta institutionem.

595. *Speciali modo inspiratio Scripturae cernitur in vaticiniis Veteris Testamenti et eorum impletione in Novo Testamento,* quia vaticinia ita in unum coalescunt et eventus praedictionibus ita respondent, ut ob id ipsum suadeatur non sine singulari Dei influxu haec esse conscripta. Nam si homines ex iis, quae prophetae dixerunt, sua sponte quaedam elegissent ad conscribendum, non facile accidisset, ut ea, quae ab aliis et aliis hominibus aliis locis et temporibus scripta essent, tam perfecte inter se cohaererent et unam imaginem futuri rerum status efficerent. Hanc miram unitatem vaticiniorum inter se et cum eventibus Novi Testamenti saepe SS. Patres ob oculos ponunt ut argumentum divinitatis Sacrae Scripturae.

„Dicendum est propheticorum sermonum divinitatem et legis mosaicae spiritualitatem adventu Iesu resplenduisse. Neque enim ante Christi adventum manifestis argumentis ostendi poterat veteres Scripturas divinitus fuisse inspiratas; Christi autem adventus iis, qui suspicari poterant legem et prophetas non esse divinos, perspicue declaravit caelesti gratia esse conscriptos. Sed et qui diligenter attenteque in lectione prophetarum versatus erit, divini afflatus vestigium sentiet et ex iis, quae sentit, sibi persuadebit non hominum esse scripta sermones, qui Dei esse crediti sunt. . . . Nam si tritae inter homines demonstrationum viae, nostris libris insertae, convertissent humanum genus, merito quis suspicari potuisset fidem nostram in humana sapientia et non in virtute Dei sitam esse. Nunc vero cuilibet oculos attollenti perspicuum est sermonem et praedicationem apud multitudinem non valuisse in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis." [4]

---

[1] *S. Gregor. M.* In Ezech. l. 2, hom. 4, n. 9 12 14; *M* 76, 978 sqq.
[2] *Vincent. Lir.,* Commonit. 22; *M* 50, 667 sq.
[3] Sess. 3, c. 3 4; *Denzinger,* Enchir. 1639 1647.
[4] *Origenes,* De princ. l. 4, n. 6 7; *M* 11, 351 sqq; cf. supra n. 38 40 44 47.

596. Quod his ultimis sententiis innuitur, est aliud argumentum pro divinitate Scripturae. Nam quod dictum est de Christo (Mt 7, 29), idem valet de *Scriptura: Loquitur tamquam potestatem habens,* non artificiosis argumentis suadens et alliciens, sed simpliciter statuens: Sic est, vel: Sic agendum est. Philosophi multum disputarunt de initio mundi et de exsistentia Dei. Scriptura autem sine disputatione et sine ambagibus orditur ab his verbis: „In principio creavit Deus caelum et terram." Philosophi disputarunt et saepe valde erraverunt de immortalitate animae et de vita recte instituenda. Scriptura statuit: „Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?" (Mt 16, 26). „Si vis ad vitam ingredi, serva mandata [decalogi]. . . . Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere" Iesum (Mt 19, 17 21). Sive prophetae magnifico modo loquuntur: „Haec dicit Dominus Deus . . .", sive Christus valde simpliciter ait: „Ego dico vobis . . .", semper per modum indeclinabilis auctoritatis proponuntur vitae praecepta.

Unde „modus ipse ac forma, quam Scriptura servat, plane indicat divinam exsistere a caeloque ad nos fuisse profectam. Nam cum res eminentissimas et quae captum hominis effugiunt, interdum proponat, nulla tamen argumenta, nullas rationes ad faciendam fidem producit, sed sola ac simplici earum narratione contenta, non dubitat fidem se apud omnes inventuram, quod signum est evidens Dei loquentis, adeo ut Scriptura, quanto minus probat, eo magis probet atque se divinam esse magis patefaciat. . . . Praeter hoc solet Scriptura quaedam praecipere, quaedam vero prohibere, quibusdam aeterna supplicia comminari, quibusdam aeternae vitae praemia polliceri. At hic modus procedendi nihil terrenum sapit aut humanum, sed plane arguit divinam potentiam et superiorem imperandi virtutem eius, qui possit universos homines in officio continere, malos percellere et bonos remunerare, ita ut ipsa Scriptura, si recte expendamus, totam se Dei omnipotentis ac legem ferentis non obscure videatur indicare" [1].

His exemplis monstratur, a catholicis quoque doctoribus agnosci vim criteriorum internorum ad commendandam Scripturae divinitatem. Sed, ut recte ait *Crets:* „Verum sane est lectorem christianum, qui divinam librorum inspirationem praevie iam compertam habet, cum in nonnullis locis tantam sublimitatem rerum caelestium tanta humilitate et formae simplicitate expressam videt, non posse non admirari opus divinum. Verum si infideli vel incredulo Sacra Scriptura legenda traditur, vel nihil vel plane aliud intelleget quam fidelis, qui inspirationem iam credens ad Scripturas accedit. Aliud profecto est luce praeeunte in sacris libris reperire vestigia quaedam divinitatis, aliud vero ex sola inspecta scribendi forma colligere hunc librum alium requirere auctorem, quam qui sit simpliciter homo." [2]

---

[1] *Salmeron,* Prolegom. I, ed. Colon. 1602, 5 sq. [2] De inspirat. 16.

597. Quid de singulari Scripturae eloquentia censendum sit, iam diximus [1]. *De gustu autem interno,* quo quidam Protestantes dicunt se posse cum certitudine discernere libros inspiratos a non inspiratis, sicut et *de testimonio Spiritus Sancti,* quod adstruunt, non videtur opus verba facere. Nam gustum illum neque omnes neque soli libri inspirati producunt. Testimonium autem Spiritus, quod esset quaedam revelatio inspirationis, gratuita prorsus assertione nititur; immo talis revelatio singulis facienda de regula fidei pugnat cum oeconomia salutis a Christo instituta, qui dixit: Euntes praedicate; qui non crediderit, condemnabitur; non autem dixit: Qui Spiritui Sancto intus revelanti non crediderit, condemnabitur. Si ad privatas revelationes singulis factas recurritur, historia teste, non oritur una fides et una ecclesia, sed haereses, sectae, fanatismus, totius ordinis perturbatio. Sin autem illud testimonium Spiritus Sancti non concipitur ut vera revelatio, sed ut instinctus quidam vel animi motus, non sufficit hoc, ut fide divina credatur Scripturae inspiratio, prout credenda est.

ART. III.

QUID VALEAT TESTIMONIUM SCRIPTURAE DE SUA INSPIRATIONE.

598. *Ipsa Sacra Scriptura docet esse libros inspiratos* et aliquatenus etiam, qui sint hi libri inspirati, et quomodo concipienda sit eorum inspiratio [2]. Quamdiu dicta Scripturae adhibentur ut criteria ad ipsius inspirationem diiudicandam, haec inspiratio nondum supponitur, sed probanda est. Nondum supposita inspiratione, dicta Scripturae nobis non sunt evidenter vera, sed possunt aut vera esse aut falsa. Nihilominus ex libris historicis Scripturae, quatenus considerantur ut mere historici, discere licet, quid Iudaei, quid Christus, quid apostoli de inspiratione censuerint. Unde haec via patet ad probandam inspirationem: Iudaei iam ante Christum habuerunt collectionem sacrorum librorum, quibus ob originem eorum divinam tribuebant ineluctabilem auctoritatem. Hanc Iudaeorum persuasionem Christus et apostoli approbarunt. Ergo Iudaeorum libri erant vere inspirati. Tum vero ostendendum manet, quinam libri in illa collectione fuerint. Porro quaeritur, num etiam pro libris canonicis Novi Testamenti testimonium apostolicum de eorum inspiratione habeatur. Itaque a Scriptura ut documento historico per auctoritativam doctrinam Christi et apostolorum proceditur ad probandam inspirationem librorum canonicorum. Si ad formam syllogisticam reducitur, argumentum sic currit quoad libros Veteris Testamenti: Christus et apostoli testantur libros canonis iudaici esse inspiratos. Atqui canon iudaicus complectebatur hos et hos libros. Ergo hi et hi libri Veteris Testamenti sunt inspirati. De

[1] Supra n. 479. [2] Supra n. 377 sqq.

libris Novi Testamenti postea videbimus. Non agitur hic de stabiliendo canone, sed consideratur solum modus probandi inspirationem ex dictis in Scriptura relatis. Christum et apostolos testatos esse inspirationem librorum canonicorum Veteris Testamenti iam ostendimus[1]. Quaestio restat, quomodo minor argumenti probetur.

599. Iamvero *duplex via* aperta est, qua demonstretur, qui libri secundum testimonium Christi et apostolorum sint inspirati. *Primum* inquirere possumus, quosnam libros Christus et apostoli allegaverint ut libros canonicos. Hac ratione invenimus canonicitatem et consequenter inspirationem plurimorum, non tamen omnium librorum Veteris Testamenti.

Illustremus rem exemplis, incipientes a Genesi et procedentes usque ad ultimum prophetam et proferentes pro omnibus libris, pro quibus fieri potest, unum testimonium ex Novo Testamento. Mt 19, 4 sq ut verba Scripturae, a Deo dicta, citantur haec: „Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una." Verba leguntur *Gn* 2, 24. — Mt 22, 31 sq: „Non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus „Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob?" *Ex* 3, 6. — Lc 2, 24: Ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum": *Lv* 12, 8. — Io 3, 14: „Moyses exaltavit serpentem in deserto": *Nm* 21, 9. — Lc 10, 26 sq: „In lege quid scriptum est. . . . Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo": *Dt* 6, 5. — Hebr 13, 5: „Ipse enim dixit: Non te deseram neque derelinquam": *Ios* 1, 5. — Hebr 11, 32: „Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte", quorum historia narratur in libro *Iudicum*. — Act 13, 21: „Et exinde postulaverunt regem, et dedit illis Deus Saul": *1 Rg* 8, 4 sqq. — Hebr 1, 5: „Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium": *2 Rg* 7, 14. — Rom 11, 2 sqq: „Quid dicit Scriptura? . . . Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt": *3 Rg* 19, 10. — Lc 4, 27: „Multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus", ut narratur *4 Rg* 5, 1 sqq. — Mt 23, 35: Zachariam „occidistis inter templum et altare", ut narratur 2 Par 24, 22. — 1 Cor 3, 19: „Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum": *Iob* 5, 13. — Mt 22, 43 sq: „Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens (*Ps* 109, 1): Dixit Dominus Domino meo. . . ." — Hebr 12, 5 sq: „Obliti estis consolationis, quae vobis tamquam filiis loquitur dicens (*Prv* 3, 11 sq): Fili mi, noli neglegere disciplinam Domini. . . ." — Rom 9, 29: „Sicut praedixit *Isaias* (1, 9): Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen. . . ." — Mt 2, 18: „Tunc adimpletum est, quod dictum est per *Ieremiam* prophetam dicentem (31, 15): Vox in Rama audita est. . . ." — Mt 24, 15 Christus ait: „Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a *Daniele* propheta (9, 27) stantem in loco sancto. . . ." — Rom 9, 25: „Sicut in *Osee* (2, 23 sq) dicit: Vocabo non plebem meam plebem meam." — Act 2, 16 sqq: „Hoc est, quod dictum est per prophetam *Ioel* (2, 28): „Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem. . . ." — Act 7, 42:

[1] Supra n. 382

„Sicut scriptum est in libro prophetarum (*Am* 5, 25): Numquid victimas et hostias obtulistis mihi? . . .“ — Mt 12, 39 sq Christus ait: „Signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae (*Ion* 2, 1) . . .“ — Mt 2, 6: „Scriptum est per prophetam (*Mich* 5, 2): Et tu Bethlehem, terra Iuda. . . .“ — Act 13, 40 sq: „Dictum est in prophetis (*Hab* 1, 5): Videte, contemptores, et admiramini. . . .“ — Hebr 12, 26: Deus „repromittit dicens (*Agg* 2, 7): Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et caelum.“ — Mt 26, 31 Iesus ait: „Scriptum est enim (*Zach* 13, 7): Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.“ — Mt 11, 10 Iesus ait de Ioanne: „Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto angelum meum. . . .“ (*Mal* 3, 1). Alii libri non citantur.

Ex his speciminibus, fortuito fere collectis, manifestum evadit, quomodo ex Novo Testamento ostendi possit, quinam sint illi Scripturae libri, quorum inspiratio praedicatur. Eiusmodi allegationes trecentae fere leguntur, quae non omnes aeque explicitae sunt. „Allusiones“ autem vel „reminiscentiae“ a quibusdam ultra tria milia numerantur; sed hoc multum pendet e subiectiva aestimatione. Est autem evidens hac via non posse omnium librorum Veteris Testamenti, ne protocanonicorum quidem, inspirationem demonstrari. *Nulla fit mentio librorum Ruth, Esdrae, Nehemiae, Esther, Cantici, Abdiae, Nahum, Sophoniae;* nulla ex iis verba referuntur. Neque *Ezechiel* umquam explicite allegatur; allusiones quidem non desunt, sed hae sunt pauciores, quam quae fiunt ad librum *Sapientiae,* quem Protestantes non habent canonicum. *Ecclesiastes* neque allegatur, neque ulla certa ad eum allusio habetur. Ergo falsum est Scripturam hoc sensu esse sufficiens sui ipsius criterium, quod in Novo Testamento testetur immediate inspirationem omnium et singulorum librorum Veteris Testamenti. Testimonium Novi Testamenti neque completum est neque exclusivum, sed solum positivum, quatenus datis occasionibus aut aliquis liber nominatur aut aliquid ex eo citatur. Ex psalmis 150 non occurrunt in Novo Testamento nisi 46. Potest quidem alia via demonstrari etiam libros, qui non citantur in Novo Testamento, fuisse iam tum in canone iudaico, et consequenter ad hos libros ea pertinere, quae in Novo Testamento de inspiratione *τῆς γραφῆς* docentur: sed haec alia via requirit documenta non biblica, et sic non quadrat in theoriam protestanticam de sufficientia Scripturae solius.

600. Itaque *altero modo* possumus ostendere, qui libri temporibus Christi et apostolorum pertinuerint ad illam Scripturam, quam *θεόπνευστον* esse Christus et apostoli docent; nam ex veteribus scriptoribus iudaeis et christianis discimus, qui libri fuerint in canone Veteris Testamenti. *Flavius Iosephus* testatur duos et viginti libros fuisse in canone Iudaeorum, scilicet quinque Moysis, quattuor, qui continebant hymnos et praecepta vitae, tredecim prophetico-historicos. Qui sint hi libri historici a prophetis conscripti, ex Iosephi Antiqui-

tatibus colligitur, sed quomodo eos computaverit, disputatur inter doctos (supra n. 21). Ex christianis scriptoribus primus *Melito Sardicensis* (medio saeculo II) canonem palaestinensem exhibet, quem, si comparamus cum canone exhibito ab *Origene, Athanasio,* aliis, cum sufficienti certitudine colligere licet, qui fuerint libri canonici temporibus Christi et apostolorum[1]. Attamen non est putandum hanc probationem esse valde facilem neque ullis difficultatibus obnoxiam. In errorem inducuntur multi, non satis in hac re versati, quia habentes prae manibus recentes editiones librorum sacrorum, sub uno titulo comprehensorum et in unum vel plures tomos compactorum, eandem horum librorum condicionem externam ad antiqua tempora transferunt, et imaginantur posse sine magno negotio inveniri, quae scripta praeteritis saeculis in sacro codice fuerint. At aliter res se habet. Temporibus enim Christi singuli libri paulo maiores vel plures libri minores in singula volumina referebantur et ab omnibus aliis libris, sive sacris sive profanis, separatim exsistebant. Unde non ex eorum in unum codicem collectione conici potest, num sint libri unius eiusdemque collectionis, sed aliunde hoc diiudicandum est. Haec est una ex rationibus, non solum cur ordo librorum sacrorum toties permutetur, sed etiam cur olim multo facilius quam posterioribus saeculis dubitatio oriri potuerit, utrum hi vel illi libri ad canonem pertinerent necne, et utrum quaedam „fragmenta" ideo addita essent voluminibus, quia ut sacra habebantur, an solum ad explendum vacuum voluminis. Tot libri et dissertationes de canone scribenda non fuissent, si statim ab initio ecclesia loco separatorum voluminum habuisset „codicem" biblicum[2]. Itaque haec via ac ratio cum certitudine cognoscendi, qui sint omnes et singuli libri a Christo et apostolis approbati, paucis fortasse hominibus doctis est possibilis, at plurimis hominibus plane inaccessa. Plerique, etiamsi iis diligenter ex catalogis, testimoniis, citationibus sanctorum Patrum et aliorum scriptorum quaestio exponeretur, argumentum non caperent. Ergo *testimonium Novi Testamenti non est sufficiens et universale criterium inspirationis omnium librorum canonicorum Veteris Testamenti.*

---

[1] Cf. supra n. 21 94.

[2] *Theod. Zahn* de sua historia canonis NT ait: „Hätte es zur Zeit des Irenäus Codices gegeben, welche, wie die ältesten uns erhaltenen griechischen Bibelhandschriften, in einem einzigen Band die Gesamtheit der biblischen oder auch nur der neutestamentlichen Schriften umfassten, und wäre ein solcher Codex aus der Zeit des Irenäus oder gar mehrere solche aus verschiedenen Teilen der Kirche auf uns gekommen, so würde das erste Buch dieses Werkes sehr kurz gefasst werden dürfen; denn durch die Aufnahme oder den Auschluss der einen oder andern der in Betracht kommenden Schriften wäre unzweideutiger als durch alle Anführungen, Bezeichnungen, Besprechungen der fraglichen Stücke unseres NTs ausgedrückt, was die damalige Kirche zum NT rechnete." Studet ostendere transitum a voluminibus ad codices saeculo tertio paulatim factum esse (Geschichte des neutestamentlichen Kanons I, Erlangen 1889, 60 sqq). Cf. *Cornely,* Introd. I[2] 29 sqq.

601. Si iam *de Novi Testamenti libris* agitur, res multo magis est evidens, ut iam vidimus[1]. Testimonium Petri (2 Petr 3, 15 sq) restringitur ad epistulas quasdam Pauli. Quae et quot sint hae epistulae, non dicitur. Protestantes hanc Petri epistulam censent esse spuriam. Verba vero Pauli ad Timotheum (1 Tim 5, 18): „Dignus est operarius mercede sua" probabiliter referuntur ad evangelium Lucae, at omnino certum id non est. Auctor Apocalypsis dicit se ex mandato Dei ut prophetam scripsisse. Haec sunt omnia; his autem inspiratio omnium librorum canonicorum Novi Testamenti non probatur. Verba Pauli: „Omnis Scriptura divinitus inspirata" (2 Tim 3, 16) vult *Chemnicius* etiam de Novo Testamento dicta esse[2]. Sed debet ipse concedere scripta Ioannis tunc nondum exstitisse; et praeterea apostolus loquitur de sacris litteris, quas Timotheus ab infantia noverit, i. e. de Vetere Testamento. Ergo illi, qui nolunt admittere auctoritatem magisterii ecclesiastici, non possunt probare inspirationem omnium librorum Veteris et Novi Testamenti, quos sacros et canonicos habent, sed aut confugiunt superstitiose ad revelationem internam singulis factam vel faciendam, aut irrationabiliter fundamentum fidei ponunt in experientia vel auctoritate fallibili humana. Plerique vero inspirationis dogma omnino respuunt. Verbum *Augustini:* „Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas"[3], etiam nostra aetate valet: ex iis, quos non movet ecclesiae auctoritas, plures in dies neque evangelio neque aliis libris inspiratis credunt, sed eos suae rationis auctoritati et iudicio subiciunt ut scripta pure humana.

ART. IV.

SITNE APOSTOLATUS CRITERIUM INSPIRATIONIS.

602. *Uno modo, omnibus Catholicis fatentibus, apostolatus sine dubio est criterium inspirationis.* Inspiratio enim librorum canonicorum est dogma fidei catholicae. Atqui non potest quidquam ad fidem catholicam pertinere, quod non est ab apostolis traditum. Ergo non potest ullius libri, qui ab apostolis ecclesiae non est traditus, inspiratio omnibus credenda proponi. Consequenter nullus liber, qui post ultimi apostoli mortem editus est, potest eo sensu esse inspiratus, quo libri canonici, ut sit obiectum et regula fidei catholicae. *Est igitur apostolatus criterium negativum ratione temporis, quo liber inspiratus non potest esse ortus.* Quod valet de libro, valet de partibus eius, valet de eius retractatione seu redactione, ut aiunt. Nulla additio, nulla redactio post aetatem apostolorum facta potest esse inspirata pro publico ecclesiae usu. De hac re iam quaedam diximus[4]. Amplior autem demonstratio illius thesis de revelatione publica in apostolis

[1] Supra n. 388. [2] Supra n. 222. [3] Supra n. 123.
[4] Supra n. 584 586.

completa neque ullo novo incremento post illos complenda pertinet ad tractatum de ecclesia vel de traditione[1]. Sicut verae ecclesiae est quasi per manus tradere, quae ab apostolis accepit, ut ait *Conc. Trid.* (sess. 4), ita secundum *Irenaeum* (3, 12, 12) haeretici „putaverunt semetipsos plus invenisse quam apostoli".

603. Sed alia quaestio est, *num apostolatus sit etiam criterium positivum inspirationis sacrorum librorum,* seu num, quidquid ab apostolo scriptum est, censendum sit inspiratum ob hoc ipsum, quod auctor fuerit apostolus: Hic liber est ab apostolo scriptus; ergo est inspiratus. Hoc argumento *Protestantes* a saeculo XVI usque ad nostra tempora saepe usi sunt[2]. *Rohnert* e. g. haec statuit: Apostoli a Christo instructi erant Spiritu Sancto modo plane speciali, qui conveniebat eorum muneri. Quando igitur praedicabant, Deus per eos loquebatur, et eorum verbis ut fundamento innititur ecclesia. Non res tantum, sed etiam verba iis a Deo inspirabantur. Iam vero sive ore sive scriptis praedicabant, eadem erat doctrina, idem finis, eadem auctoritas. Ergo etiam eorum scripta inspirata sunt inspiratione verbali[3]. Illi Protestartes, qui auctoritatem Scripturae in eo reponunt, quod sit documentum authenticum dictorum et factorum Christi[4], consequenter tempora apostolica statuunt criterium Scripturae, quia soli illi, qui cum Christo vixerunt, potuerunt esse primarii testes vitae et doctrinae eius.

Inde a saeculo XVIII etiam quidam theologi catholici incipiebant uti illo argumento: Liber ab apostolis scriptus est; ergo inspiratus; saeculo autem XIX ortae sunt inter theologos catholicos *disputationes de vi huius argumenti,* longe plurimis negantibus, paucis vero affirmantibus argumentum valere. Omnes tamen consentiunt traditionem catholicam esse criterium sufficiens et universale inspirationis, et ex iis, qui volunt apostolatum esse inspirationis criterium, plures addunt non esse criterium sufficiens et universale. Quia vis et sufficientia definitionum ecclesiasticarum de Scriptura Sacra ab omnibus agnoscitur, tota quaestio doctrinam catholicam intactam relinquit; quare non sola discussio, sed etiam utraque ex oppositis solutionibus libera est. Cum nihilominus discussio conferat ad inspirationis conceptum et huius dogmatis historiam elucidandam, iuvabit quaedam ex historia colligere, ut suam quisque sententiam facilius formare possit.

Libros Veteris Testamenti esse inspiratos Christus revelavit, et apostoli a Spiritu Sancto illuminati docent, ut vidimus[5]. In Novo Testamento solus Ioannes diserte dicit se prophetice ex revelatione et mandato divino scripsisse; alii hagiographi de suis scriptis nihil

---

[1] Cf. *Franzelin,* De trad. thes. 22 sq. [2] Supra n. 223 225 229 263.
[3] Die Inspiration der Heiligen Schrift, Leipzig 1889, 24 sq.
[4] Supra n. 243 247 248 253. [5] Supra n. 382 sqq 598.

tale dicunt, sed Petrus testatur Pauli epistulas pertinere ad Scripturas[1]. Ergo de omnibus scriptis Veteris Testamenti et de quibusdam Novi Testamenti in ipsa Scriptura consignata est revelatio, qua Deus testatur ea esse divinitus inspirata. De plurimis autem scriptis Novi Testamenti Scriptura ipsa tacet, quod attinet eorum originem ex inspiratione divina.

604. Si quaerimus, *quid Traditio doceat* de rationibus, ob quas quidam libri credendi sint inspirati, veterrimus testis prodit *Papias,* apostolorum discipulus, cuius verba nonnulla Eusebius nobis conservavit. „Papiae libri quinque numero feruntur, quorum titulus est: *Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως*[2], in quos libros Papias ait se collegisse, quae ab apostolis audierat[3]. De evangelio Marci haec habet: „Et hoc presbyter ille [Ioannes] dixit: Marcus quidem, interpres Petri factus, quaecumque memoria tenebat, accurate scripsit, non utique ordine, quae a Christo vel dicta vel facta sunt; neque enim audierat Dominum neque eum secutus fuerat, sed postea, ut dixi, Petrum, qui ad utilitatem instructiones habebat, non quasi ordinem dominicorum sermonum faciens. Unde neque peccavit Marcus, scribens nonnulla, prout recordabatur; id enim unum spectabat, ne quid eorum, quae audierat, omitteret, neve in iis errorem committeret." Hic igitur Marci evangelium secundum materiam ad Petri praedicationem refertur, sed de evangelistae ad scribendum inspiratione nihil dicitur. Aliud Papiae dictum de evangelio Ioannis legitur in codice saeculi noni, ubi inter alia hic Prologus habetur: „Incipit argumentum secundum Iohannem. Evangelium Iohannis manifestatum et datum est ecclesiis ab Iohanne adhuc in corpore constituto, sicut Papias nomine Hierapolitanus, discipulus Iohannis carus, in exotericis, id est in extremis quinque libris, retulerit."[4] Supposita genuinitate, Papias testatur evangelium Ioannis ab ipso apostolo ecclesiis traditum esse, utique ut Scripturam Sacram, quia ut Scriptura Sacra semper in ecclesia habebatur.

605. Secundus testis est *Irenaeus,* qui consentiens cum Papia dicit primum evangelium scriptum esse a Matthaeo lingua hebraica, „cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit. Postea et Ioannes, discipulus Domini, qui et supra pectus

---

[1] Supra n. 388.

[2] *Eus.,* H. E. 3, 39; *M* 20, 295 sq. [3] Supra n. 575.

[4] Hanc Prologi partem ut genuinum Papiae dictum defendunt *Theod. Zahn,* Gesch. des NT Kanons I 898 sqq. *Belser,* Einleitung in das NT, Freiburg 1901, 259 264 sq; impugnat *Corssen,* in Texte u. Untersuchungen XV (1897) 114 sq.

eius recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans." [1] Ergo hic quoque evangelia Marci et Lucae ad Petri et Pauli apostolorum praedicationem referuntur. Omnes et solos libros ab apostolis ecclesiae traditos Irenaeus agnoscit canonicos [2].

606. Tertius testis est *Clemens Alexandrinus,* qui secundum „traditionem quandam de ordine evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat", haec scribit: „Dicebat [presbyter] ex evangeliis prius scripta esse illa, quae genealogias continerent. Marci autem evangelium ex huiusmodi occasione scriptum esse: Cum Petrus in urbe Roma Verbum publice praedicasset et Spiritu evangelium annuntiasset, multi, qui aderant, Marcum hortati sunt, utpote qui Petrum iamdudum sectatus fuisset et dicta eius memoria teneret, ut, quae ab apostolo praedicata erant, conscriberet. Marcus igitur evangelium composuit iisque, qui illud ab ipso rogabant, impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit nec incitavit. At Ioannes, omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea, quae ad externa Christi pertinent, esse tradita, familiarium rogatu, Spiritu inspiratus, spirituale evangelium conscripsit." [3] Itaque secundum hanc narrationem Marcus ea, quae Petrus praedicaverat, scripsit; Petrus quidem auctor non fuerat, ut hoc fieret, sed post factum non prohibuit. Sic rem concipiendam esse ipse Clemens indicat, qui alio loco ait: Cum Petrus Romae praedicasset, „tantus veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent caelestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis, accepisse; sed Marcum, Petri sectatorem, cuius hodieque exstat evangelium, enixe orarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, evangelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur. ut deinceps in ecclesiis legeretur." [4] Hoc igitur loco Petrus dicitur evangelium Marci approbasse et ecclesiis legendum tradidisse, utique ut Scripturam Sacram, idque ex speciali revelatione Spiritus Sancti.

607. Quartus testis est *Origenes,* qui ait: „Sicut ex traditione accepi de quattuor evangeliis, quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub caelo est, citra controversiam admittuntur: primum scilicet evangelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem publicano, postea vero apostolo Iesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum

---

[1] Adv. haer. 3, 1; *M* 7, 844 sq. [2] Supra n. 397.
[3] *Eus.,* H. E. 6, 14; *M* 20, 551. [4] Ib. 2, 15; *M* 20, 171; cf. supra n. 112.

Iudaeis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras rettulit. Atque idcirco Petrus in epistula catholica eum filium suum agnoscit his verbis: ‚Salutat vos electa Dei ecclesia, quae est Babylone, et Marcus filius meus.' Tertium evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur *(τὸ ὑπὸ Παύλου ἐπαινούμενον εὐαγγέλιον)*, in gratiam gentilium conscriptum. Postremum vero evangelium Ioannis." Sequitur expositio de ceteris libris Novi Testamenti, qua Origenes ostendit, quam pauca ab apostolis scripta sint[1].

Quintus testis est *Tertullianus,* qui contra haereticos arguit omnes et solos libros ab apostolis traditos esse canonicos. „Percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque."[2] „Dico itaque apud illas, nec solas iam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, evangelium Lucae ab initio editionis suae stare. . . . Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent."[3] Unde „nobis fidem ex apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant"[4].

608. Sextus testis est *fragmentum muratorianum:* „Tertium evangelii librum secundum Lucam. Lucas iste medicus post ascensum Christi, cum eum Paulus quasi itineris studiosum secum assumpsisset, nomine suo ex ordine conscripsit; Dominum tamen nec ipse vidit in carne. Et idem prout assequi potuit, ita et a nativitate Ioannis incipit dicere. Quartum evangeliorum Ioannis ex discipulis. Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit: Conieiunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex apostolis, ut recognoscentibus cunctis Ioannes suo nomine cuncta describeret. Et ideo, licet varia singulis evangeliorum libris principia doceantur, nihil tamen differt credentium fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione. . . ." Enumerantur dein alii libri Novi Testamenti, non tamen omnes, reiciuntur quaedam spuria, dubia dicitur apocalypsis Petri, et de Pastore Hermae haec statuuntur: „Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Hermas conscripsit sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo, fratre eius; et ideo legi eum quidem oportet, se publicare

---

[1] Ib. 6, 25; *M* 20, 582 sq. [2] De praescript. 36; *M* 2, 49.
[3] Adv. Marcion. 4, 4 5; *M* 2, 365 sqq. [4] Ib. 4, 2; *M* 2, 363.

vero in ecclesia populo neque inter prophetas, completos numero, neque inter apostolos in finem temporum potest." [1]

609. His documentis inter se collatis efficitur *saeculo secundo criterium canonicitatis et inspirationis fuisse apostolicam traditionem.* Quidquid ab apostolis traditum non est, quidquid post apostolos ortum est, non potest esse Scriptura Sacra. Ideo, ut ait *Tertullianus* (Praecsr. 32) ipsae haereses „audent interserere se aetati apostolicae, ut viderentur ab apostolis traditae", et libris suis non raro apostolorum nomina praefigebant [2]. Sed hos libros „nullus umquam, qui continuata ab apostolis successione in ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est" [3]. Matthaei, Marci, Lucae evangelia etiam a Ioanne apostolo approbata esse ex traditione narrat *Eusebius:* „Postea vero [i. e. post Matthaeum] cum Marcus iam et Lucas evangelia sua seorsum singuli edidissent, aiunt Ioannem, qui hactenus nuda voce verbum Domini praedicaverat, tandem ob huiusmodi causam ad scribendum se contulisse. Perlatis iam in omnium ipsiusque adeo Ioannis notitiam supradictis tribus evangeliis, approbavisse ea Ioannes et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur," sed visum esse ipsi addere, quae illi omiserant, e contra vero eum omisisse quaedam, quae illi iam scripserant. „Ab ipsa vero theologia [i. e. doctrina de divinitate Christi] sumpsit initium, quippe quae a Spiritu Sancto ipsi tamquam praestantiori fuisset reservata." [4]

610. Haec sex testimonia, quae proposuimus, et quae exhibent persuasionem variarum ecclesiarum orientalium et occidentalium, respiciunt libros, qui ab omnibus canonici agnoscebantur; agnoscebantur autem canonici, quia ut tales erant ab apostolis traditi. Sed sunt alii libri, de quorum canonicitate aliquamdiu dubitabatur. Huc pertinent scripta, quae *Barnabae* tribuebantur. „Tertullianus epistulam ad Hebraeos canonicam non habet." [5] Rationem ipse indicat: „Volo tamen ex redundantia alicuius etiam comitis apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo iure disciplinam magistrorum. Exstat enim et Barnabae titulus ad Hebraeos, adeo satis auctoritatis viro, ut quem Paulus iuxta se constituerit. . . . Et utique receptior apud ecclesias epistula Barnabae illo apocrypho Pastore moechorum" [6], i. e. Pastore Hermae. Tertullianus igitur, etsi Barnabam insignem inter viros apostolicos habet, tamen epistulam ad He-

---

[1] Cf. *Zahn,* Gesch. des NT Kanons II 5 sq 139 sq. *Cornely,* Introd. I[2] 182 sqq.
[2] Cf. supra n. 69.
[3] *Eus.,* H. E. 3, 25; *M* 20, 270 sq. [4] Ib. 3, 24; *M* 20, 266 sq.
[5] *Cornely,* Introd. I 188.
[6] De pudic. 20; *M* 2, 1021. In hoc opusculo totam „aciem apostolicam" (c. 17), i. e. omnes Pauli epistulas, enumerat, omissa epist. ad Hebraeos, item contra Marcionem alios libros NT enumerat (cf. 4, 2 5; 5, 2 sqq), omissa hac epistula.

braeos, quam eius esse putat, canonicam non habet. Ergo virum esse apostolicum ei non est sufficiens criterium canonicitatis.

De qua re ait: „Constituimus imprimis evangelicum instrumentum apostolos auctores habere, quibus hoc munus evangelium promulgandi ab ipso Domino sit impositum; si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis et post apostolos. Quoniam praedicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriae studio, si non assistat illi auctoritas magistrorum, immo Christi, qui magistros apostolos fecit. . . . Nam ex iis commentatoribus, quos habemus, Lucam videtur Marcion elegisse, quem caederet. Porro Lucas non apostolus, sed apostolicus, non magister, sed discipulus, utique magistro minor; certe tanto posterior, quanto posterioris apostoli sectator, Pauli sine dubio, ut, etsi sub ipsius Pauli nomine evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti, destituta patrocinio antecessorum. Exigeretur enim id quoque evangelium, quod Paulus invenisset, cui fidem dedit, cui mox suum congruere gestiit. Siquidem (Gal 2, 1) propterea Hierosolymam ascendit ad agnoscendos apostolos et consultandos, ne forte in vacuum cucurisset, i. e. ne non secundum illos credidisset et non secundum illos evangelizaret. . . . Igitur si ipse illuminator Lucae auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationi suae optavit, quanto magis eam evangelio Lucae expostulem, quae evangelio magistri eius fuit necessaria.“ [1]

Ut haec verba intellegantur, notandum est Tertullianum uti contra Marcionem praescriptionis argumento: Christus praedicavit evangelium, apostolos elegit ad illud promulgandum. Ergo qui post Christum et apostolos venit, debet ostendere suum evangelium cum Christi et apostolorum evangelio consentire. Marcion venit multo post, habet aliud evangelium, non est audiendus. Ergo canonicitas libri hic consideratur, in quantum ad librum canonicum requiritur, ut ratione materiae sit apostolicus. Multum abest Tertullianus a sententia quemvis virum apostolicum vi muneris inspiratum fuisse ad scribendum librum canonicum, seu quemvis librum esse dicendum canonicum, si constet eum scriptum esse a viro apostolico.

611. Ceterum idem patet alio modo ex iis, quae veteres tradunt de *epistula Barnabae* quae dicitur. Quicumque diserte de hac epistula loquuntur, eam Barnabae apostolo tribuunt. Ita *Clemens Alexandrinus*, qui eam saepe allegat et auctorem communiter apostolum, interdum virum apostolicum nominat. E. g.: „Merito ergo Barnabas apostolus“, vel: „Non mihi pluribus verbis opus est, si adduxero testem Barnabam apostolicum; erat autem is ex septuaginta et Pauli adiutor.“ [2] *Origenes:* „Barnabas in epistula sua declarat, cum duas vias esse dicit. . . .“ [3] Suspicatur Barnabae epistulam Celso fuisse notam [4]. *S. Hieronymus* in libro de viris illustribus cap. 6 ait: „Barnabas Cyprius,

[1] Adv. Marcionem 4, 2; *M* 2, 363 sq.
[2] Strom. 2, 6 20; *M* 8, 966 1059; cf. 971 1006 1023 etc.
[3] De princip. 3, 4; *M* 11, 309. [4] Contra Cels. 1, 63; *M* 11, 778.

qui et Ioseph Levites, cum Paulo gentium apostolus ordinatus, unam ad aedificationem ecclesiae pertinentem epistulam composuit, quae inter apocryphas scripturas legitur." Apocrypham vocat epistulam, non quod Barnabae non sit, sed quod canonica auctoritate non potiatur. In hoc modo loquendi imitatur *Eusebium,* qui inter libros spurios recenset Barnabae epistulam. Sed quo sensu sit spuria, ipse explicat: „Atque hi sunt libri, qui in dubium revocantur, quorum tamen indicem contexere idcirco necessarium putavi, ut cum ex ecclesiae traditione veras ac sinceras Scripturas et omnium consensu probatas, ab iis distinxerimus, quae dubiae quidem auctoritatis sunt nec in Novi Testamenti corpus relatae a plerisque tamen ecclesiasticis scriptoribus agnoscuntur." [1] Ergo etsi Barnabas fuit vir apostolicus et ab apostolis *τὴν γνῶσιν* accepit, quam ipsi a Christo acceperunt [2], tamen epistula eius canonica non est. Ipse *Clemens Alexandrinus,* qui epistulam quam maxime laudat, allatis quibusdam ex ea ait: „Non tamen . . . expositioni consentio" [3], id quod certe non diceret de Scriptura canonica. Itaque nemo quidem veterum epistulam Barnabae abiudicavit, neque tamen epistula in canonem recepta est. Barnabas autem dicendus est aut simpliciter apostolus aut saltem unus ex eminentioribus apostolorum adiutoribus (cf. Act 13, 2 sqq; 14, 11 13; 15, 22. 1 Cor 9, 6; Gal 2, 9). Ergo tale munus apostolicum secundum sensum veteris ecclesiae non est criterium libri canonici.

612. Idem argumentum fieri potest de *Clementis Romani* epistula, quae scripta est ab adiutore apostolorum et in variis ecclesiis publice legebatur, neque tamen in canonem recepta est. Clementem „Paulus apostolus in epistula ad Philippenses scripta adiutorem suum fuisse docet his verbis: ‚Cum Clemente, inquit, et ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae.' Huius Clementis exstat epistula, ab omnibus uno consensu recepta, eximia prorsus atque mirabilis, quam nomine ecclesiae Romanae ad Corinthiorum ecclesiam scripsit, cum apud eos gravis esset exorta dissensio. Hanc in plerisque ecclesiis et nostra et superiori memoria palam recitari consuevisse comperimus" [4]. Simile quid valet de aliis quibusdam scriptis, ut de Polycarpi epistula. Maxime Pastor Hermae apud multos in magno honore fuit et a nonnullis canonicus habebatur, qui putabant scriptorem huius libri esse Hermam illum, cuius mentio fit in epistula ad Romanos (16, 14) [5];

[1] H. E. 3, 25; *M* 20, 270. [2] Ib. 2, 1; *M* 20, 135; cf. 550.
[3] Paedag. 2, 10; *M* 8, 499. [4] *Eus.*, H. E 3, 15 16; *M* 20, 250.
[5] E. g. *Origenes* ait: „Sin libro uti audebimus, qui in ecclesia quidem circumfertur, sed ab omnibus pro divino non habetur, illud adhibeamus, quod in libro Pastoris de quibusdam traditur" (Comm in Matth. tom. 14; *M* 13, 1239). Et in Rom 16, 14: „Puto, quod Hermas iste sit scriptor libelli illius, qui Pastor appellatur, quae scriptura valde utilis mihi videtur et, ut puto, divinitus inspirata" (Comm. in Rom. l. 10, n. 31; *M* 14, 1282). Secundum *Eusebium* „inter receptae auctoritatis libros censeri non potest", sed inter *νόθους* numerandus est (H. E. 3, 3 25; *M* 20, 218 270).

neque tamen liber ab ulla ecclesia in canonem est receptus. Sed haec transmitto [1].

613. Inter discipulos apostolorum et apostolos ipsos haec est differentia, quod apostoli immediata revelatione divina totam doctrinam christianam didicerunt, et singuli in hac doctrina proponenda per assistentiam Spiritus Sancti infallibiles erant; eorum vero discipuli per se neutro privilegio fruebantur, sed ex coniunctione cum apostolis de eorum infallibilitate et auctoritate participabant. Unde si apostolus de rebus fidei et morum seu de rebus ad apostolicum suum munus pertinentibus docebat sive voce sive scripto, eius doctrina ratione muneris apostolici erat infallibilis et omnibus necessario admittenda. Nihilominus *infallibiliter conscribere doctrinam revelatam non idem est atque conscribere librum inspiratum,* ne tum quidem cum revelatio et publica et ipsi scriptori facta est. Nam revelatio veritatis, etiam totius veritatis christianae, non est inspiratio ad scribendum. Neque assistentia, qua cavetur omnis error in scribendo, inspiratio est. Ergo si apostolus doctrinam sibi revelatam cum sola assistentia Spiritus Sancti litteris consignasset, esset quidem liber authenticus, non vero esset liber inspiratus. Iam quaestio est, sitne omnis liber ab apostolo scriptus ideo inspiratus, quia ab apostolo scriptus; non est quaestio, sitne liber de doctrina christiana ab apostolo scriptus eiusdem infallibilitatis et auctoritatis respectu doctrinae propositae atque liber inspiratus: nam de fide est doctrinam apostolicam esse infallibiliter veram et omnibus credendam, contra vero communiter theologi negant cum munere apostolico charisma inspirationis ad scribendum fuisse necessario conexum. Itaque haec duo: auctoritas libri et inspiratio libri non sunt confundenda. Iam sicut omnes sancti Patres hoc principium statuerunt: Quidquid apostoli docuerunt, ob ipsam apostolicam originem est infallibilis et ineluctabilis auctoritatis, ita nullus sanctorum Patrum hoc principium enuntiavit: Quidquid apostoli scripserunt, vi muneris apostolici ex inspiratione scripserunt.

614. Quia tamen nonnulli ex quibusdam verbis Hieronymi et Augustini deducere conantur illud principium: apostolatum esse criterium inspirationis, videamus, quid hi duo auctores dicant. *S. Hieronymus* pugnat contra eos, qui epistulam ad Philemonem reiciunt, cum eius materia non sit digna inspiratione. „Qui nolunt inter epistulas Pauli eam recipere, quae ad Philemonem scribitur, aiunt non semper apostolum nec omnia Christo in se loquente dixisse, quia nec humana imbecillitas unum tenorem Sancti Spiritus ferre potuisset nec huius corpusculi necessitates sub praesentia Domini semper complerentur, velut disponere prandium, cibum capere . . . ut affirment fuisse ali-

[1] Cf. *Cornely,* Introd. I² 227 sqq.

quod tempus, in quo Paulus dicere non auderet: ‚Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus' (Gal 2, 20). . . . Hoc autem non solum apostolis, sed prophetis quoque similiter accidisse; unde saepius scriptum feratur: ‚Factum est verbum Domini ad Ezechiel' (Ez 1, 3), sive ad quemlibet alium prophetarum, quia post expletum vaticinium, rursum in semet revertens, homo communis fieret e propheta. . . . His et ceteris eiusmodi volunt aut epistulam non esse Pauli, quae ad Philemonem scribitur, aut etiam, si Pauli sit, nihil habere, quod aedificare possit, et a plerisque veteribus repudiatam, dum commendandi tantum scribatur officio, non docendi." Quid respondent defensores epistulae? Epistula tradita est ut Pauli; ergo eius est; vestrae vero obiectiones nihil valent. „At e contrario qui germanae auctoritatis eam esse defendunt, dicunt numquam in toto orbe a cunctis ecclesiis fuisse receptam, nisi Pauli apostoli crederetur." Nam nisi Pauli apostoli esset, cuius se esse ipsa testatur, esset alicuius deceptoris, a quo tota ecclesia esset decepta; hoc autem admitti nequit. Quod vero obiectionem illam attinet, epistulam non esse canonicam, cum familiaria tantum tractet, respondent defensores etiam in epistulis ad Timotheum et ad Galatas legi familiaria; „inveniri plurima et ad Romanos et ad ceteras ecclesias, maximeque ad Corinthios, remissius et cotidianno paene sermone dictata. . . . Quas et ipsas, quia aliquid tale habent, aut Pauli epistulas non putandas, aut si istae recipiuntur, recipiendam esse et ad Philemonem ex praeiudicio similium receptarum." Nota Hieronymum non argumentari, sicut quidam recentiores volunt: Epistula est a Paulo scripta, materia pertinet ad munus apostolicum; ergo est inspirata. Sed sic argumentatur: Ex traditione hanc epistulam ut canonicam Pauli epistulam accepimus, contra quam traditionem nihil valet argumentum ex parvitate materiae. Haec duo valde diversa sunt, ut patet.

Ad alteram autem obiectionem respondet Hieronymus corporalibus actionibus, cum non sint peccata, Spiritum Sanctum non fugari. Addit, cum ipse Deus et parva et magna efficiat, non esse Paulo indignum tam de parvis quam de magnis scribere. „Sed mihi videntur, dum epistulam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intellegentes, quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiae lateat." [1]

615. Ad illam obiectionem prophetas per intervalla a Spiritu Sancto fuisse inspiratos, nihil ab Hieronymo respondetur. *S. Augustinus* docet prophetas „alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse; atque haec ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero tamquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad ubertatem cogni-

[1] Comm. in Ep. ad Philem. prolog.; *M* 26, 599 sqq.

tionis, haec ad religionis auctoritatem."[1] *S. Gregorius M.* ait: „Aliquando prophetiae spiritus prophetis deest nec semper eorum mentibus praesto est, quatenus, cum hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere, cum habent. . . . Sciendum quoque est, quod aliquando prophetae sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur; sed quia sancti sunt, per Spiritum Sanctum citius correcti, ab eo, quae vera sunt, audiunt, et semetipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt."[2] Ergo hi Patres in prophetis intermittentem inspirationem ad scribendum vel loquendum admittunt. Apostolis quidem sine dubio semper adfuit assistentia Spiritus Sancti, ne in doctrina Christi praedicanda quid falsi proferrent; sed eos semper fuisse sub positiva inspiratione charismatica, quotiescumque loquerentur vel scriberent, sancti Patres non docuerunt.

Contra „adversarium legis et prophetarum" *S. Augustinus* scribit: „Sane de apocryphis iste posuit testimonia, quae sub nominibus apostolorum Andreae Ioannisque conscripta sunt. Quae si illorum essent, recepta essent ab ecclesia, quae ab illorum temporibus per episcoporum successiones certissimas usque ad nostra et deinceps tempora perseverat."[3] Sine dubio, si Andreas vel Ioannes vel alius apostolus doctrinam sacram litteris consignassent, eorum opera recepta essent ab ecclesia ut documenta plane authentica, sive apostoli in iis scribendis inspirati fuissent, sive non fuissent. Si vero ut canonicos libros tradidissent, quemadmodum haeretici volebant, ecclesia eos ut canonicos libros recepisset. De quaestione, num apostoli in loquendo et scribendo semper positive inspirati fuerint, Augustinus ibi non loquitur, sed unice negat illa scripta, quae adversarius citaverat, valere ad argumentandum, cum ab ecclesia non sint recepta ut documenta apostolicae originis et doctrinae.

Ceterum facile concedi potest apostolos ad scribendam doctrinam sacram non accessisse nisi speciali instinctu Spiritus Sancti motos. Cum enim per se missi essent ad praedicandum, supponere licet eos alium modum docendi non elegisse sua sponte, sed ex instinctu divino. Haec est *quaestio facti;* sed eos non potuisse quidquam scribere nisi inspiratos, est assertio, quae ad *quaestionem iuris* pertinet. Sanctos autem Patres patronos huius assertionis fuisse, dictum quidem est saepius, probatum numquam, nisi forte unum quendam textum huc referre velis.

Alio enim loco *Augustinus* cum Hieronymo disputat de reprehensione Petri per Paulum facta secundum Gal 2, 14. Hieronymus putat totum, quod ibi narratur, factum esse per „dispensatoriam simula-

---

[1] De civ. Dei 18, 38; *M* 41, 598.
[2] In Ezech. l. 1, hom. 1, n. 15 16; *M* 76, 792 sq.
[3] Contra adversarium leg. et prophet. 20, 39; *M* 42, 626.

tionem", qua inter Petrum et Paulum convenerit, ut Petrus inciperet specietenus iudaizare, et a Paulo simulate reprehensus consentiret Pauli verbis et sic iudaizantium errorem tolleret. Hanc expositionem reicit Augustinus, cum Paulus dixerit: „Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior" (Gal 1, 20); ergo quae in capite secundo dicuntur, non simulate sed veraciter scripta sunt. Obicit sibi: „At enim satius est credere apostolum Paulum aliquid non vere scripsisse, quam apostolum Petrum non recte aliquid egisse." Respondet: „Hoc si ita est, dicamus, quod absit, satius esse credere mentiri evangelium, quam negatum esse a Petro Christum" (Mt 26, 75). Alia obiectio: „Non est, inquis, credibile, hoc in Petro Paulum, quod ipse Paulus fecerat, arguisse." Respondet: „Non nunc inquiro, quid fecerit. Quid scripserit, quaero; hoc ad quaestionem, quam suscepi, maxime pertinet: ut veritas divinarum Scripturarum, ad nostram fidem aedificandam memoriae commendata non a quibuslibet, sed ab ipsis apostolis, ac per hoc in canonicum auctoritatis culmen recepta, ex omni parte verax atque indubitanda persistat." [1] Hoc quoque loco Augustinus de absoluta auctoritate et veritate testimoniorum apostolicorum loquitur, non de quaestione, num apostoli vi muneris apostolici fuerint inspirati in scribendo. Haec auctoritas ex revelatione et assistentia Spiritus Sancti provenit, etiamsi forte non adesset positiva inspiratio ad loquendum vel scribendum. Revera adfuit etiam inspiratio ad componenda illa scripta, quae „in canonicum auctoritatis culmen" recepta sunt. De facto fuerunt inspirati: sed numquid hoc factum a priori ex munere apostolico colligi possit, est alia quaestio. Si quis censet verba Augustini ita intellegenda esse, hoc est unicum testimonium, quod adhuc protulerunt; unde de communi Patrum doctrina sermo esse non potest. Multo minus illa quaestio umquam ab ullo ex sanctis Patribus formaliter posita et soluta est.

616. *S. Philastrius* dicit ab apostolis statutum esse, qui libri in ecclesia ut canonici sint legendi. Esse haereticos, qui neglectis Scripturis canonicis velint apocrypha tantum legere. „Et cum volunt solum illa apocrypha legere, studiose contraria Scripturis canonicis sentiunt atque paulatim dogmatizant, contra eas dantes sententias, contra legem et prophetas contraque dispositiones beatissimorum apostolorum consulta ponentes. . . . Propter quod statutum est ab apostolis et eorum successoribus non aliud legi debere in ecclesia catholica, nisi legem et prophetas et evangelia et actus apostolorum et Pauli tredecim epistulas et septem alias, Petri duas, Ioannis tres, Iudae unam et unam Iacobi." [2] In sequenti capite addit epistulam ad Hebraeos et explicat, cur disputetur, num Pauli sit; antea autem (n. 60) iam dixerat de Apocalypsi.

---

[1] Epist. 72, 5 7; *M* 33, 277 sq. [2] De haeresibus n. 88; *M* 12, 1199 sq.

617. *Unica norma, qua omnes veteres utebantur ad dignoscendos libros canonicos, erat traditio apostolica*[1]. Id nobis post alios, quos iam audivimus, *Rufinus* testatur: „Hic igitur Spiritus Sanctus est, qui in Vetere Testamento legem et prophetas, in Novo evangelia et apostolos inspiravit. Unde et apostolus dicit: ‚Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum' (2 Tim 3, 16). Et ideo, quae sunt Novi et Veteris Testamenti volumina, quae secundum maiorum traditionem per ipsum Spiritum Sanctum inspirata creduntur et ecclesiis tradita, competens videtur hoc in loco evidenti numero, sicut ex Patrum monumentis accepimus, designare." Enumeratis libris repetit: „Haec sunt, quae Patres intra canonem concluserunt. . . . Haec nobis a Patribus tradita sunt."[2]

618. Toto *tempore medii aevi* eodem modo doctores contenti erant illo principio: Hi libri nobis traditi sunt ut canonici; ergo canonici sunt[3]. Rarius provocant ad revelationem de illis factam[4]. In fine medii aevi *Driedo* e. g. haec scribit:

„Sciendum est, quod canonicas Scripturas dignoscimus per succedentium sibi invicem ecclesiarum et sanctorum Patrum testimonia. Sunt enim iuxta Irenaeum, quas apostoli a Christo, et ecclesiae primitivae ab apostolis, et ceterae exinde ecclesiae per universum orbem ab ecclesiis secundum seriem successionis antiquioribus acceperunt; quas et deinceps nos habemus diligentia Patrum secundum seriem successionis in haec usque tempora custoditas, providente Dei Spiritu. . . . Demonstramus itaque Scripturam esse divinam et canonicam per testimonium ecclesiae, non illius solius, quae nunc est, sed intellectae secundum successiones ecclesiarum seriemque ipsorum Patrum ab initio ad haec usque tempora sibi succedentium. Hac via Patres, qui ante nos fuerunt . . . aestimarunt doctrinam esse sanctam et canonicam per easdem ecclesias, quas et ipsi fundaverant apostoli . . Ecclesiae primitivae doctrinas canonicas et divinas deputaverunt, quas hauserant ex ore apostolorum, qui . . . innumeras fundaverunt ecclesias, ex quibus ceterae exinde ecclesiae suam fidem mutuabantur. . . . Etiamsi haberemus apud nos verorum evangelistarum codices descriptos suis ipsorum manibus, illos non alio argumento cognosceremus tales esse, quam ex ecclesiarum sibi invicem succedentium testimonio, quod sane est testimonium Spiritus Sancti loquentis in Dei ecclesiis et prophetis. . . . In dignoscendis canonicis libris unicuique sufficere debuit et ecclesiae et sanctae sedis auctoritas, quae iam ante annos mille per Innocentium et Gelasium papas, per Carthaginense et Laodicenum Concilia in ordinem digessit eosdem libros canonicos, quos in hodiernum usque diem custodit Christianorum schola."[5]

619. *Orto Protestantismo* tota fere disputatio inter theologos catholicos et protestantes haec erat: Theologi catholici docebant criterium

---

[1] Cf. supra n. 584. [2] In Symbolum n. 36 sqq; *M* 21, 373 sq.
[3] E. g. supra n. 148 155 161 183 200 290 etc. [4] E. g. supra n. 145.
[5] De ecclesiasticis Scripturis l. 1, c. 1.

dignoscendorum librorum canonicorum esse sacram traditionem; theologi protestantes docebant libros canonicos dignosci ex criteriis internis et testimonio Spiritus Sancti. Neutri negabant inspirationem, sed quaerebant, quomodo cognosceremus, qui libri essent inspirati. Hoc utique ex munere apostolico colligi nequit, sed aliunde discendum est. Ad munus apostolicum potius provocabant, ut ostenderent omnem doctrinam apostolicam, tam scripto quam voce prolatam, esse authenticam. Quo sensu etiam nonnulli Catholici paulatim coeperunt uti argumento ex munere apostolico deducto.

620. Spinoza docuerat libros Novi Testamenti non esse inspiratos, cum apostoli non scripsissent ut prophetae, sed ut doctores[1]. Contra hanc sententiam e. g. *Marchini* arguit:

„Impius Spinoza, Grotii sententiae comprobator, est refutandus, qui . . . potissimum contentione facta apostolorum cum prophetis negat divino Spiritu illustratos apostolos. Doctores, inquit ille, non oportere a Deo afflari, sed prophetas solos; apostoli autem doctores, non prophetae fuerunt. . . . Inania haec sunt et nullo negotio convelluntur. Undenam ostendet Spinoza non egere inspiratione doctores primum a Deo ecclesiae datos, ut doctrinam a se oretenus iis traditam promulgarent? Non eguerunt quidem novae revelationis, quasi nihil antea scientibus eorum, quae scriberent, recens indita omnium cognitio a Deo sit; verum necesse fuit Spiritum Sanctum adesse scribenti, curantem, ut omnia a Christo accepta sine ullo falsitatis periculo exscriberentur. Iterum si prophetae nomine praedicentem futura appellare velit Spinoza, evangelistas, qui vitae, doctrinae et passionis Christi historiam texuere, prophetis non annumeramus; at si prophetam eum dicat, cuius mens a Deo dirigitur, ne labatur in divinis rebus scribendis, iniuria dignitatem prophetarum evangelistis atque apostolis detrahit. . . . Alia est igitur inspiratio sive, ut clarius dicamus, revelatio futurae atque arcanae cuiusdam veritatis a Deo facta; alia vero inspiratio seu praesentia Spiritus Sancti, ne falsitas ulla subrepat. . . . Utraque autem divina inspiratio est, diversa dumtaxat inspirandi ratione; et prophetiam suo modo utramque appellari licet. Damus equidem mandatum nullum neque a Deo neque a Christo Iesu accepisse apostolos consignandi quidquam litteris. Damus etiam rogatu, votis, precibus fidelium adductos fuisse ea scribere, quae annuntiabant. Verum Christus Dominus in universum mundum discipulos dimittens praedicare evangelium iussit seque iis affuturum promisit. Si igitur Spiritu Sancto armati orationes habuere ad populum, quae per aures demissae praetervolant, quomodo suspicemur Spiritu illos caruisse, cum orationes easdem, ad summam redactas, scripto tradiderunt, in aeternum permansuro? Neque necesse fuit apostolos in evangeliis atque epistulis suis denuntiare verba Domini esse, quae loquerentur et scriberent. Satis utique compertum id habemus, cum generatim significaverint a Christo Iesu se missos ad evangelicae veritatis promulgationem; ipsumque, qui Patris sui nomine se miserat, apertis verbis dixisse: ‚Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis' (Mt 10, 20). Ceterum negamus apostolos non docuisse divinas sen-

[1] Supra n. 32.

tentias se loqui. Apostolus Paulus epist. ad Corinth. cap. 7, v. ult. ait: ‚Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam.' Et Petrus, Iacobus ceterique in Concilio Hierosolymis coacti, initio epistulae, ad Antiochiae fratres missae, notarunt: ‚Visum est Spiritui Sancto et nobis', ut fratribus notum fieret, quae praescripserunt, a Deo profecta seque nonnisi Dei interpretes esse." [1]

Hic igitur habemus argumentum ex munere apostolico, quo Marchini dicit se velle probare „inspirationem" tum in loquendo tum in scribendo. At quicumque etiam mediocri attentione legit expositionem, animadvertit probari assistentiam tantum, qua Spiritus Sanctus apostolos munit contra omnem errorem in proponenda doctrina revelata. Atqui revelatio, assistentia, atque inde fluens auctoritas et infallibilitas non sunt inspiratio. Ergo specietenus quidem, at non re ipsa ex munere apostolico probata est inspiratio.

621. Disputatio autem de apostolatu ut criterio inspirationis proprie dictae agitata est saeculo XIX. Occasionem praebuit theologi protestantis *Ioannis David Michaelis* Introductio in Novum Testamentum [2], in cuius operis tomo 1, capite 3 reicit alia inspirationis criteria a Protestantibus excogitata, et pro Novo Testamento unicum statuit munus apostolicum. Consequenter negat inspirationem evangeliorum Marci et Lucae et Actuum apostolorum.

Contra hanc doctrinam post *Perrone* [3] pugnat *Franzelin* his rationibus (De Script. thes. 5): „Inspiratio ad scribendum non secus ac donum prophetiae et inspiratio ad loquendum est charisma gratis datum, non permanens per modum habitus, sed transiens per modum actus (cf. *S. Thom.* 2, 2, q. 171, a. 2) [4]. Est autem inspiratio ad scribendum charisma distinctum tum a revelatione, quae homini immediate fiat a Deo, tum ab infallibilitate ad revelationem seu voce seu scripto annuntiandam, tum etiam ab inspiratione ad loquendum. . . . Unde videmus multos prophetas et apostolos, quibus illa charismata non deerant, tamen ad libros scribendos non fuisse inspiratos. Vicissim potest esse inspiratio ad scribendum citra revelationem strictissimo sensu dictam, immo etiam citra missionem hominis inspirati ad revelationem simpliciter appellatam voce et praedicatione annuntiandam et citra inspirationem ad loquendum. Quomodo enim probabitur scriptorem e. g. libri Esther, quem et Protestantes in canone retinuerunt, necessario instructum fuisse aut omnibus illis donis aut eorum aliquo? Est ergo charisma inspirationis ad scribendum ita ab illis donis distinctum et separabile, ut nec in illis includatur nec ex illis consequatur." Exposito munere apostolatus pergit: „Ex charismate apostolatus sequitur quidem apostolos, si doctrinam revelatam vellent scripto proponere, fuisse infallibiles, sicut in praedicanda, ita in scribenda doctrina Christi; at ex munere apostolatus per se spectato non sequitur ipsam scriptionem esse inspiratam; nec sequitur non potuisse apostolos scri-

[1] De divinit. et canonicit. ss. Bibliorum P. 1, a. 4, § 4.
[2] Einleitung in die göttlichen Schriften des NT, Göttingen, ed. 4, 1788.
[3] Praelectiones theologicae de locis theol. P. 2, n. 143.
[4] Haec est unanimis doctrina theologorum scholasticorum.

bere alia ad doctrinam Christi nihil pertinentia, in quibus non solum non inspirati, sed neque infallibiles essent. Ex genuinitate igitur libri apostolici sequitur quidem divinitas revelatae doctrinae, quae in eo proponitur, et infallibilitas in proponenda aut scribenda doctrina; non tamen per se consequitur librum eo ipso, quod est genuinus et scriptorem habet apostolum, esse inspiratum. . . . Propterea inspiratio libri, etiam apostolici, non certo innotescere potest, nisi de ea constet speciali testimonio fide digno; et siquidem liber proponatur fide divina credendus ut pertinens ad Scripturam Sacram, nonnisi testimonio divino, seu revelatione, sufficienter constare potest de facto inspirationis. Neque enim fide divina creditur nisi propter auctoritatem Dei revelantis."

Proponitur dein obiectio, quod in vetere ecclesia seu apud SS. Patres inquisitio in auctoritatem canonicam alicuius libri coincidere videtur cum inquisitione in originem apostolicam libri. Respondet Franzelin imprimis veteres admisisse ut canonicos libros, qui scripti non sint ab apostolis, ut patet ex evangeliis Marci et Lucae, et de quorundam librorum origine apostolica dubitasse, quos inspiratos esse concedebant[1]. Ergo apostolatus iis non erat *criterium negativum* seu *exclusivum*. Erat autem aliquo modo *criterium positivum*. Cum enim de libris ex traditione receptis disputatio oriebatur, quidam studebant canonicitatem eorum impugnare, dicentes eos non esse genuina opera apostolorum; immo interdum eos haereticis adscribebant. „In his igitur rerum adiunctis merito Patres vel diserte vel implicite ita argumentari poterant: Hi libri, quos ecclesiae acceperunt et retinent ut Scripturam Sacram, sunt scripti ab ipsis apostolis, non autem sub eorum nomine irrepserunt in Scripturas ecclesiarum; ergo traditio ecclesiarum est legitima et suum retinet valorem. . . . Praeterea utique semper viguit communis persuasio instar principii, quod nulli apostolorum libri scripti exstant, vel certe nulli traditi sunt ecclesiae nisi inspirati. Hoc autem erat testimonium non velut *de rei essentia* ex ipsa natura apostolatus, sed velut *de facto historico* ex traditione consensu ecclesiastico confirmata."[2]

---

[1] Uno saltem exemplo rem illustremus. *S. Dionysius Alexandrinus* ex rationibus internis conicit Apocalypsim scriptam non esse a Ioanne apostolo. Neque tamen ideo negat esse librum inspiratum. Reicit eorum sententiam, qui librum esse ineptum et haereticum dicebant „Ego vero librum illum reicere omnino non ausim, praesertim cum multi ex fratribus meis eum magni faciant. Sed huiusmodi de illo opinionem concipiens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quandam planeque admirabilem singularum rerum intellegentiam latere existimo . . . Ioannem igitur hunc [auctorem] vocari et librum a Ioanne scriptum esse non inficior. Fateor enim sancti cuiusdam et divino Spiritu afflati viri *(ἁγίου καὶ θεοπνεύστου)* id opus esse. Sed hunc ipsum esse apostolum, Zebedaei filium, Iacobi fratrem, cuius est evangelium illud, quod secundum Ioannem inscribitur, et epistula catholica, haud facile concesserim. Nam ex utriusque genio et forma loquendi et ex libelli totius ductu ac dispositione non unum eundemque scriptorem esse conicio. . . . Alium igitur esse censeo, unum scilicet eorum, qui in Asia versati sunt" (*Eus.*, H. E. 7, 25; *M* 20, 698 sqq); cf. supra n. 45. [2] De divina Trad. et Script. (ed. 3) 372 sqq.

622. Doctrinae Cardinalis Franzelin vehementer se opponit *Ubaldo Ubaldi*[1], qui ita argumentatur:

„Apostoli in munere suo obeundo praedicandi et propagandi Christi Domini doctrinam a Spiritu Sancto inspirati erant. Ergo etiam in libris vel epistulis scribendis inspirati fuerunt." Antecedens probat, quia Christus promisit apostolis Spiritum Sanctum, qui apud eos maneret et eos doceret omnia, quia apostoli die Pentecostes inspirati fuerunt, quia apostoli dicunt: „Visum est Spiritui Sancto et nobis" (Act 15, 28), quia S. Paulus dicit se loqui „in doctrina Spiritus" (1 Cor 2, 13), vel Christum in se loqui (2 Cor 13, 3), vel verbum suum esse verbum Dei (1 Thess 2, 13), tandem quia Christus promisit apostolis, a persecutoribus ad iudices et praesides adductis: „Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis" (Mt 10, 19 20). Dein sic concludit: „Ex hisce testimoniis evidens fit apostolos non modo assistentiam divinam habuisse, qua redderentur infallibiles, sed vere ac proprie supernaturale charisma inspirationis, quo fiebat, ut in munere suo obeundo ipsi in Spiritu Sancto loquerentur ac docerent, et Spiritus Sanctus et Christus in ipsis et per ipsos vere ac proprie loquerentur." Consequens probatur, quia absonum esset cogitare apostolos loquentes habuisse Spiritum Sanctum inspirantem; „si vero calamum arriperent, ut scripto vel epistula fideles instruerent, Spiritum Sanctum statim ab iis recessisse suamque inspirationem subtraxisse"; immo inter scribendum inspiratio magis opportuna et necessaria erat, quia scripta mansura erant ut norma et regula fidei et morum in ecclesia.

Tum proponit contrariam doctrinam Cardinalis Franzelin et aliorum, quam ita refutat: „Verum pace tantorum virorum dixerim non esse omnia indiscriminatim damnanda in citata Michaelis disputatione[2], nec argumentum allatum prorsus repudiandum esse eo, quod a Protestantibus aut male applicatum aut ultra debitos limites productum fuerit. Itaque ad totam rem componendam imprimis concedimus munus apostolicum nullatemus habendum esse ut criterium unicum seu *exclusivum*. . . . Munus ergo apostolicum consideramus dumtaxat ut criterium *affirmans* seu positivum, ita ut valeat argumentum: Hic vel ille auctor fuit apostolus; ergo eius scripta sunt divinitus inspirata." Quinimmo concedit apostolatum secundum abstractum conceptum non includere inspirationem ad loquendum vel scribendum, sed solum de facto, prout in Scriptura describatur cum omnibus charismatis annexis. Adversarii quidem negant ex apostolatu colligi posse impulsum antecedentem ad scribendum. At, inquit, „possemus imprimis quaestionem movere, an haec antecedens motio essentialis omnino sit ad sacrorum librorum inspirationem constituendam, ita ut e. g. epistula 2 et 3 Ioannis, quae totae familiares sunt, nihil novi contineant et ad privatas personas sunt directae, inspiratae non essent, nisi Spiritus Sanctus specialiter moverit ad eas scribendas. Quid, si diceremus Ioannem ex propria. voluntate se determinasse ad illas scribendas, cum tamen Spiritu Sancto plenus esset et iugiter inspiratus, easdem epistulas eo ipso sub divina inspiratione conscriptas fuisse? Nonne hoc satis esset, ut haec et alia scripta ad Deum tamquam auctorem referri possent? Unde

[1] Introductio in S. Scripturam II, Romae 1878, 76 sqq.

[2] Franzelin diserte agnoscit quaedam in ea esse vera.

vero probant laudati theologi aliam praecedentem inspirationem omnino requiri?[1] . . . Verum concedamus praefatum impulsum antecedentem. Dicimus hoc etiam in perenni illa apostolorum inspiratione includi vel ex ea consequi. Spiritus enim Sanctus in apostolorum animo inhabitans, quemadmodum eos *ad loquendum*, quoties necessitas vel opportunitas id postularet, ita etiam eos *ad scribendum* movebat, si id fidelibus aut ecclesiis profuturum erat. . . . In utroque enim casu includi ac supponi aeque videtur antecedens inspiratio." Addit auctor in nota: Sicut secundum plures theologos in iustificatis ad salutariter agendum non requiritur gratia praeveniens seu excitans, sed sufficit gratia habitualis, ita in apostolis ad scribendum librum inspiratum non requirebatur actualis excitatio, sed sufficiebat permanens charisma apostolatus[2].

Tandem Ubaldi limitat vim argumenti: „Fatendum tamen est hoc argumentum ad omnes libros NT non pertinere; nam Marci et Lucae evangelia cum actibus apostolorum in hoc argumento non comprehenduntur, cum ab apostolis non prodierint, nisi forte dicere velimus cum *Cellerier* (Essai d'une Introd. critique au NT, 2. Partie, sect. 8) charisma inspirationis, apostolis concessum, etiam ad eorum immediatos discipulos, saltem primarios, quales certe fuerunt Marcus et Lucas, extendendum esse, ut ex nonnullis Scripturae locis (e. g. Act 6, 3. 1 Cor 12, 28) et ex evangelistarum officio, quo speciatim inclaruerunt, suaderi videtur. Sed haec minime certa sunt, ac propterea concludendum est, quod initio dicebamus, argumentum completum et *adaequatum* pro inspiratione omnium librorum NT ex Scripturis peti non posse, sed necessario ad traditionem confugiendum esse."

623. Sed haec Ubaldi expositio plurimos theologos adversarios nacta est, inter quos e. g. *Crets*[3], proposito Ubaldi et aliorum argumento, ait:

„Quoniam Catholici quidam argumentum hoc vehementius urgent pluribusque persequuntur, uti nuperrime Ubaldi, atque, ut fatear, quo penitius illud expendo diligentiusque excutio, eo magis convincor illud serio valore probativo esse privum, paulo fusius huic immorandum duxi. Igitur (pace loquar tantorum virorum) censeo cum pluribus aliis theologis, non minus doctis, charisma inspirationis ad scribendum inter praerogativas apostolorum recenseri haud posse." Argumentatur ita: Charisma inspirationis ad scribendum a) non refunditur in apostolatum formaliter spectatum, cum apostoli potuerint nuntii authentici esse sine inspiratione ad scribendum; id quod Ubaldi concedit. b) Neque refunditur in charismata apostolatui annexa, quia haec fuerunt immediata missio, charisma miraculorum, iurisdictio in universam terram, revelatio doctrinae salutis, infallibilitas in proponenda hac doctrina.

---

[1] Hoc inde probant, quod inspiratio non antecedens est contradictio in terminis, deinde quod sacer auctor ex communi Patrum et theologorum doctrina est instrumentum Dei, instrumentum autem non a se ipso ad agendum determinatur, tandem ex aliis similibus rationibus. Cf. supra 330 343 403 405 416 sqq 422 sqq.

[2] De hac re iam alibi notavi: „Sicut gratia habitualis ideo non sufficit ad bonum opus, quia habitus non est aptus ad transferendam potentiam in actum, ita praesentia habitualis Spiritus Sancti non est motio, qua apostoli sive ad loquendum sive ad scribendum inspirati sint" (*Chr. Pesch*, Praelect. dogm. I[3], n. 648).

[3] De divina Bibliorum inspiratione 20 sqq.

Atqui haec omnia non includunt divinam motionem ad scribendum. c) Neque ex munere apostolatus colligitur praeter illa dona etiam annexam fuisse inspirationem ad scribendum, quia apostoli a Christo solum ad praedicandum missi sunt. Ab adversariis „adducuntur verba Christi Io 14, 16 17, quae, prout ad solos apostolos personaliter spectatos directe referuntur, tantummodo probant charismata immediatae revelationis et personalis infallibilitatis esse illis conferenda, idque efficiunt solum collatis locis parallelis et spectatis peculiaribus adiunctis, in quibus primi Christi legati erant constituti. Quod attinet porro ad Mt 10, 19 20, non agitur ibi de inspiratione ad scribendum vel de inspiratione generice accepta, sed de inspiratione specifica ad loquendum, quae ab illa priore est plane distincta. Neque illa absolute et permanenter promittitur, sed circumscribitur tempore et adiunctis, cum restringatur ad illa tempora, quibus discipuli exponerentur vexationibus persecutorum. Ast ne quidem illa permanens θεοπνευστία ad loquendum significatur in aliis oraculis ab adversariis conquisitis; nam in his Christus promittit apostolis vel hi sibi adscribunt tantummodo authenticam et infallibilem praedicationem veritatum fidei, quas immediate a Deo acceperant. Itaque ex his Christi promissionibus Ubaldi non mihi videtur legitime inferre apostolis fuisse collatum charisma inspirationis generatim et indeterminate sumptum sive ad loquendum sive ad scribendum. . . . Confundit nempe duo charismata apprime distinguenda, scilicet inspirationis et infallibilitatis. Illo priore nec omnes nec continuo gaudebant apostoli, hoc vero posteriore singuli ac perenniter erant ornati ad doctrinam Christi sive ore sive scripto promulgandam. Quapropter apostoli suo munere fungentes, poterant pro occurrentibus adiunctis in subsidium praedicationis capita quaedam doctrinae revelatae infallibiliter litteris consignare absque ulla scriptionis inspiratione. Ruit ergo fundamentum totius argumentationis adversariorum." d) Quod ipsum factum attinet, quidam erant inspirati, qui non erant apostoli, Marcus et Lucas; multi vero apostoli non habebant motionem Spiritus Sancti ad scribendum.

624. Patet igitur *de hac quaestione nondum consentire theologos.* Ex illis, qui speciales tractatus de inspiratione ediderunt, nullus est, qui cum Ubaldi consentiat, sed omnes contrariam doctrinam tenent. Ita praeter Crets etiam Schmid, Chauvin, Zanecchia, item unanimiter fere ii, qui nostra aetate integram theologiam excoluerunt, ut Scheeben, Heinrich, Hurter, alii. Unde si numero auctorum sententia diiudicanda esset, Ubaldi opinio vix tenui probabilitate fueretur. Etsi enim septem theologos pro se testes invocat, multo plures e contraria parte stant, et ex illo numero septenario nonnulli sunt tollendi. Ceterum argumentum ex solo numero non esse efficax ad dirimendas quaestiones disputatas vix opus est dicere.

Recentissime Ubaldi argumentum repetit *Székely*[1], qui citatis Scripturae locis, quibus apostolis promittitur Spiritus Sanctus, ita concludit: „Apostolis ergo viva voce praedicantibus Spiritus Sanctus procul dubio aderat, eorumque per os locutus est. Sed libri Novi Testamenti,

[1] Hermeneutica biblica (1902) 194 sq.

saltem plerique, non sunt nisi apostolorum praedicatio, scripto tradita, vel a discipulis litteris consignata. Cum igitur Spiritus Sanctus apostolis verbo praedicantibus assisteret eosque inspiraret, non poterat eos scripto praedicantes deserere; si ergo sermo eorum inspiratus erat, profecto etiam scripta. Immo inspiratio doctrinae scriptae, utpote quae permansura esset, magis adhuc necessaria erat, quam vivae vocis cito evolantis."

Contra vero *Ludovicus de San*[1] statuit: „Ex munere apostolico, quo insigniti fuerint scriptores sacri Novi Testamenti, non suppeditatur criterium sufficiens ad certo distinguendum libros Novi Testamenti inspiratos a libris non inspiratis." Rationes sunt, quia hoc criterium applicari nequit ad Marcum et Lucam; et quia in munere apostolico, in quantum ad docendum ordinatur, duo tantum includuntur: revelatio et infallibilitas in proponenda doctrina revelata, non vero charisma inspirationis sive ad loquendum sive ad scribendum.

625. In Germania maxime *Paulus Schanz* apostolatum criterium inspirationis esse defendit. Ita in recensione libri Francisci Schmid de inspiratione[2] et postea in tomo secundo Apologiae religionis christianae[3], ubi sic ait:

„Inspiratio scriptorum apostolicorum quod et quid sit, ecclesia ex generali inspiratione apostolorum cognoscit." Pro argumento afferuntur loci illi Scripturae, quibus apostolis speciali modo promittitur Spiritus Sanctus. Etsi, inquit, distinguendum est inter revelationem et inspirationem, in munere permanenti apostolatus haec duo coniuncta erant; neque tamen ideo dicendi sunt apostoli inspirati fuisse, quotiens os aperiebant, sed solum cum fungebantur munere apostolico. Numquam apostoli sibi specialem inspirationem ad scribendum attribuunt, sed ipsis et omnibus fidelibus persuasum erat semper per ipsos loqui Spiritum Sanctum, quotiens evangelium praedicarent sive voce sive scripto. Non poterant, qui legebant Pauli epistulas, suspicari aliam esse eius auctoritatem in scribendo, aliam in loquendo. An alia est sapientia eius in scriptis, alia in verbis? Scripta apostolica non erant quidem nisi accidentalia quaedam supplementa et adiumenta praedicationis oralis. Nihilominus inde ab apostolicis temporibus fideles de inspiratione non dubitabant, quotiens constabat librum scriptum esse ab apostolo. 1 Cor 12, 12 sqq apostolus enumerat charismata, nullam faciens mentionem specialis charismatis inspirationis. Quamquam sacri scriptores libros suos ecclesiae ut inspiratos tradiderunt, non tamen dixerunt se ex speciali charismate scripsisse; sufficiebat charisma apostolatus. Promulgatio et traditio librorum ut inspiratorum eo ipso habebatur, quod libri ab apostolis scripti et missi erant. Sine dubio sola dignitas apostolica non sufficit ad inspirationem, sed requirebatur Spiritus Sanctus docens et suggerens. Sed hic Spiritus idem est,

[1] Tractatus de divina Traditione et Scriptura, Brugis 1903, 307 sqq.

[2] Theologische Quartalschrift, Tübingen 1885, 666 sqq.

[3] Apologie des Christentums II², Freiburg 1897, 541 sqq. In 3. ed. (1905) 608 sqq.

sive impellit ad loquendum, sive impellit ad scribendum. Nusquam in scriptis apostolicis testimonium promulgationis legitur, sed ad solum munus et spiritum apostolicum fit provocatio. Numquid alii apostoli habuerunt charisma, quod aliis apostolis deerat? Cum conscientia inspirationis non sit de essentia eius, saepe auctores sacri non poterant tradere scripta sua ut inspirata. Nihil in historia refertur de promulgatione, nisi quod Petrus approbaverit evangelium Marci; at haec quoque approbatio facta est apostolica auctoritate. Supponendum est etiam apostolorum adiutores et interpretes insignes fuisse charismate Spiritus Sancti in docendo, et consequenter scripta eorum esse inspirata. Itaque admittendum est in apostolis et viris apostolicis permanens charisma apostolicum, quod pro opportunitate vel necessitate etiam scriptis se manifestabat. Ut tamen scriberent, requirebatur impulsus externus ex parte hominum et impulsus internus Spiritus Sancti. Sed hic Spiritus operabatur in omnibus, quae sub directo regimine apostolorum erant.

626. Hanc sententiam Professoris Schanz exposueram in libello de recentissima historia quaestionis de inspiratione inter Catholicos[1], et has *annotationes* feceram:

Cum Schanz admittat necessitatem impulsus Spiritus Sancti, non tantum recedit a sententia communi, quantum Ubaldi, qui putat habituale munus apostolicum sufficere sine antecedenti excitatione ad scribendum. Unde sola quaestio manet: Licetne ex charismate apostolatus a priori concludere adfuisse hanc excitationem, quotiens apostoli scribebant? Schanz respondet affirmative, addens hanc limitationem: Dummodo scriberent de rebus ad munus apostolicum pertinentibus. Sed quomodo potest e. g. probari ea, quae in epistula ad Philemonem leguntur, ita pertinere ad munus apostolicum, ut hinc concludendum sit epistulam non esse privatam, sed inspiratam et ad totam ecclesiam pertinentem. Porro probari nequit suppositum, e quo Schanz procedit, apostolos fuisse inspiratos, quotiens de rebus fidei loquebantur, i. e. semper habuisse charismaticam illam illustrationem intellectus et motionem voluntatis, quae constituit essentiam inspirationis proprie dictae. Apostoli revelationem acceperant, infallibilitate et suprema auctoritate instructi erant in docendo. At haec non sufficiunt ad inspirationem. Apostoli sine dubio eundem sermonem, eandem catechesim saepe repetebant, iisdem dispositionibus et formulis loquendi utebantur, quae firmiter eorum memoriae insidebant, ut sine charismatico impulsu possent, si occasio se offerebat, easdem fidei expositiones vel easdem morales exhortationes facile et infallibiliter repetere, Deus autem non multiplicat entia sine ratione. Ad quid igitur impulsus ille positivus et charismaticus? Quotiens inspiratione necessaria erat, sane dabatur; sed eam in omni sermone de rebus fidei et morum necessariam fuisse gratis asseritur. Idem valet de conscriptione doctrinae. Quomodo a priori e conceptu apostolatus demonstratur Spiritum Sanctum non potuisse permittere, ut apostoli scripta conficerent, quae quidem veritates revelatas infallibiliter continerent, sed soli apostolorum industriae, non vero charismaticae motioni tribuenda essent? Haec demonstratio adhuc facta non est neque fieri potest. Quodsi Schanz urget in libris Novi Testamenti non haberi testimonium de speciali charismate inspirationis, respondendum est libros

[1] Theologische Zeitfragen III 102 sqq; in edit. lat. 106 sqq.

Novi Testamenti non esse unicum fontem revelationis, et inspirationem omnium librorum Novi Testamenti ex sola orali traditione constare. Praeterea auctor Apocalypsis non provocat ad munus apostolicum, sed ad mandatum scribendi, a Deo acceptum. Si omnes apostoli motionem ad scribendum accepissent, omnes scripsissent. Cum non omnes scripserint, ergo illi, qui scripserunt, habuerunt specialem motionem, quam alii non habuerunt. Hoc autem est illud ipsum, quod communis sententia docet, motionem inspirativam non fluere necessario ex apostolatu, cum alii apostoli eam habuerint, alii non habuerint. Ecclesia credendum proponit libros quosdam Deum inspirantem habere auctorem. Hoc igitur revelatum est. Unde apostoli, si hoc in scriptis suis non docuerunt, docuerunt in praedicatione orali; nam revelatam doctrinam ecclesia ab apostolis aut uno aut altero aut utroque modo accepit. Publica autem revelatio morte apostolorum clausa est. Haec est ratio, cur libri inspirati post mortem apostolorum ecclesiae tradi non iam potuerint. Unde SS. Patres apostolicam originem librorum inspiratorum recte efferebant contra haereticos, qui scripta serius exarata allegabant ut libros inspiratos. Criterium apostolatus non fuisse exclusivum iam inde patet, quod ecclesia ut inspiratos veneratur libros Marci et Lucae, qui non erant apostoli. Ait quidem Schanz immediatos adiutores apostolorum idem charisma muneri annexum habuisse atque apostolos. Sed hoc non ita esse efficitur ex scriptis Polycarpi, Clementis, aliorum virorum apostolicorum, quae in canonem recepta non sunt. Barnabas est apostolus vel saltem eminens inter adiutores apostolorum, epistula quoque, quae ei tribuitur, a tota antiquitate censebatur genuina, neque tamen umquam in canone ecclesiae fuit. Ergo fuisse aliquem adiutorem apostolorum vel etiam apostolum non demonstrat scripta eius esse inspirata.

627. Contra has annotationes Schanz quaedam obiecit in *Theologische Quartalschrift* LXXXV (1903) 358 sqq, quas obiectiones hic appono, statim addens responsa, quo melius appareat, qui sit cardo huius quaestionis.

Obicitur hanc quaestionem proxime esse historicam ideoque historica via solvendam; historice autem de speciali revelatione inspirationis librorum sacrorum nihil notum esse, sed ecclesiae semper suffecisse apostolicam originem.

Resp.: Quaestio haec proxime non est historica, sed dogmatica. Ecclesia postulat, ut fide divina credatur inspiratio librorum Veteris et Novi Testamenti. Atqui non potest quidquam fide divina credi, quod non sit revelatum. Ergo Deus inspirationem librorum Novi Testamenti revelavit. Ea autem, quae revelata sunt de munere apostolico, non continent revelationem inspirationis omnium librorum ab apostolis scriptorum, ut ex praecedentibus expositionibus patet. Si vero quaestio historice tractatur, tribus primis saeculis nemo umquam dixit cum munere apostolico essentialiter nexam fuisse inspirationem ad scribendum. Libros Novi Testamenti habebant ut sacros, quia ex traditione eos ut sacros acceperant. Theoriam inspirationis non proponunt. Revelationem autem esse factam testatur Ioannes apostolus

de Apocalypsi, et quidam veteres scriptores de Marci evangelio. Cum praeterea habeamus revelationem de libris Veteris Testamenti, per viam analogiae licet idem praesumere de omnibus libris canonicis, etiamsi res pure historice consideratur. Ceterum inter ea, quae ab ecclesia credenda proponuntur, plura sunt, quae non directe demonstrari possunt a Deo revelata, sed indirecte tantum. Ergo nihil nocet, si idem valet de inspiratione librorum Novi Testamenti.

628. *Obicitur:* Quae a veteribus de approbatione evangelii Marci per Petrum facta, et de evangelio Ioannis referuntur, ideo nihil probant, quia revelatio apostolis, non ecclesiae, facta esse dicitur.

Resp.: Haec verba videntur dicta contra quosdam qui loquuntur, de divina illustratione vel inspiratione, quam ecclesia habuerit de libris canonicis Novi Testamenti. Cum in nota citetur inter alios *Fr. Schmid,* De inspiratione 389 sqq, eius verba audiamus. Exponit ibi, quomodo Scriptura, quae est instrumentum revelationis, simul eius obiectum esse possit.

„Scriptura Sacra sive codex librorum inspiratorum, ut ecclesia catholica constanter tenet et ex Scripturis ipsis satis demonstratur, neque unicus et originalis divinae revelationis fons neque pro ecclesia principale religiosae doctrinae instrumentum dici potest. Sicut enim nemo negare potest, si res historice spectatur, primitivum revelationis instrumentum fuisse suo tempore primo vivam vocem prophetarum, deinde item oralem doctrinam apostolorum et ipsius Christi Domini, ita principale organum conservationis et propagationis doctrinae semel traditae in vivo et infallibili ecclesiae catholicae magisterio constituendum est, quod a Christo Domino institutum ipsam traditionem catholicam efficit atque repraesentat. Huic magisterio in subsidium traditi sunt deinde libri inspirati. Quare nulla apparet difficultas, quominus doctrina de inspiratione sacri textus et de canone librorum canonicorum ad obiectum revelationis catholicae pertineat. Supponere enim possumus eam doctrinam cum ceteris articulis fidei a Christo per Spiritum Sanctum apostolis, ab apostolis subsequentibus episcopis traditam fuisse."

Haec verissima sunt. Ad oralem traditionem ab apostolis acceptam appellant veterrimi illi testes, quos in hac inquisitione iam invocavimus (supra n. 604 sqq). Nemo ex illis significat inspirationem fluxisse ex munere apostolico, plures loquuntur de speciali revelatione apostolis circa libros sacros facta. Omnis revelatio publica apostolis et per apostolos ecclesiae facta est; ergo etiam revelatio de inspiratione librorum sacrorum.

629. *Obicit* Schanz sibi pro sua sententia singulos locos afferendos vix esse, cum eos iam saepe discusserit, et cum in quavis Introductione, Apologetica vel Dogmatica legi possint.

Resp · Fateor me, excepto forta se uno verbo S. Augustini, neque in Apologia professoris Schanz, neque in libro professoris Zahn (Historia canonis), ad quem nos saepe delegat, neque in ullo alio

libro dogmatico vel apologetico neque in operibus SS. Patrum dicta invenisse, quibus doceatur essentialis ille nexus inspirationis ad scribendum cum munere apostolico. Dicta et scripta apostolorum esse authentica, idque ratione muneris apostolici omnes docent; sed quanto opere infallibilis auctoritas ab inspiratione ad scribendum differat, repetere opus non est.

630. *Obicitur:* A S. Augustino apostolicitas librorum quam maxime effertur. Recentissime invenerunt locum (De civ. Dei 18, 38), quem falso interpretantur, ut contra principium apostolicitatis adhiberi possit.

Resp.: Verbis S. Augustini (supra n. 615) sine ulla addita interpretatione diserte indicatur potuisse eos, qui inspiratos libros scripserunt, aliis temporibus sine inspiratione scribere. Hoc principium, quod etiam a S. Gregorio enuntiatur, omnibus theologis scholasticis commune fuit, qui omnes unanimiter docebant prophetiam (latissimo sensu sumptam, prout etiam complectitur inspirationem) non esse habitum permanentem, sed influxum transeuntem. Consequenter non coincidit cum apostolicitate neque pars eius est, cum apostolicitas sit permanens auctoritas et infallibilitas. Schanz autem procedit, quasi idem sit affirmare apostolicam auctoritatem et affirmare inspirationem in omni verbo et scripto apostolico.

631. *Obicitur:* Ex epistula Barnabae non oritur difficultas; nam neque Barnabas erat apostolus eiusdem dignitatis ac ceteri apostoli, neque epistula eius ab omnibus censebatur genuina, et in occidentali ecclesia fruebatur canonica auctoritate.

Resp.: Nullus veterum scriptorum epistulam Barnabae esse negavit vel dubitavit, nulla ecclesia eam in canonem recepit. Testimonia iam exposuimus (supra n. 611). *Funk* in Proleg. ad hanc epistulam n. II ait: „Apparet e testimoniis allatis veteres epistulam Barnabae apostolo attribuisse.“ [1] Idem valere de Eusebio. Hieronymum in libro de nom. hebr. eam quidem post libros Novi Testamenti recensere, „sed erraveris putans S. Patrem eam Sacris Scripturis aequiparasse.“ Clementem Alexandrinum eam posuisse „inter vel proxime Sacras Scripturas“, nihilominus alicui sententiae eius contradixisse, reliquos omnes etiam minorem eius auctoritatem habuisse, excepto Origene, qui Clementem secutus sit.

Sive Barnabas strictissimo sensu apostolus dicendus est, sive eminens tantum inter adiutores apostolorum, secundum sententiam eorum, qui dicunt scripta Marci et Lucae esse canonica, quia hi fuerint immediati adiutores apostolorum, a veteribus scriptoribus epistula Barnabae inter canonicos libros referri debuit, si hi fuerunt eiusdem

---

[1] In n. III repetit: „Veteres ad unum omnes epistulam authenticam habuerunt, neque medio aevo quemquam aliter iudicasse constat.“

sententiae. Atqui non habuerunt eam canonicam; ergo aliter de criterio canonicitatis iudicaverunt, et sic non oritur quidem difficultas, sed tota theoria evertitur.

632. *Obicitur:* Neque ex indole familiari epistulae ad Philemonem quidquam efficitur contra nostram sententiam; nam hanc obiectionem Hieronymus iam diluit.

Resp.: Apud Hieronymum (supra n. 614) status quaestionis est plane alius. Secundum eum epistula a cunctis ecclesiis fuit recepta. Contra hanc traditionem nihil valet obiectio e materia epistulae petita. Schanz vero ait: Omnis epistula apostoli est inspirata, dummodo ea agatur de re ad munus apostolicum pertinente. Ergo ipse positive ostendere debet materiam epistulae esse eam, de qua apostolus numquam scribat sine inspiratione. Atqui negative dicere non posse e materia epistulae moveri obiectionem contra inspirationem eius aliunde probatam, et positive dicere posse e materia epistulae probari eam pertinere ad scripta inspirata, sunt duae assertiones toto caelo diversae. Ecclesiastica traditio docet hanc epistulam esse partem Scripturae Sacrae; ergo de hac epistula valent omnia, quae de Sacra Scriptura in genere valent.

633. *Schanz* ait: Cum in apostolis admittam impulsum ad scribendum, Pesch censet in hac suppositione totam quaestionem iam fieri litem de verbis, quod neque pro theologis dogmaticis, multo minus pro exegetis et historicis valet.

Resp.: Cum numquam dixerim, quod mihi hic adscribitur, solutioni obiectionis supersedeo. Verum quidem est pro iis, qui admittunt infallibilem ecclesiae auctoritatem ad definiendum canonem, practice non esse magni momenti quaestionem, quomodo ecclesia primitiva pervenerit ad cognitionem canonis. Sed speculative seu dogmatice haec quaestio est alicuius momenti. Nam ut quis e criterio apostolicitatis perveniat ad fidem divinam inspirationis, debet hoc argumentum esse plane certum. Atqui tantum abest, ut sit certum, ut a longe plurimis theologis simpliciter negetur. Ergo hoc criterium dogmatice est inutile. Contra vero omnia, quae ecclesia credenda proponit, esse divinitus revelata, ergo etiam inspirationem librorum sacrorum, est certum neque ab ullo Catholico in dubium vocari potest.

634. *Obicitur:* Constat librum post mortem apostolorum scriptum non posse esse inspiratum neque canonicum. Ergo principium apostolicitatis est certum et omnibus admittendum.

Resp.: Distinguendum est: Apostolicitatis criterium valet, quatenus post mortem apostolorum non facta est ulla revelatio publica, *conc.* Apostolatus est criterium canonicitatis, quatenus ex eius conceptu inspiratio ad scribendum logice emanat, *nego.* Etsi apostolatus

nullo modo est criterium positivum inspirationis, verum manet non potuisse post mortem apostolorum fieri revelationem publicam de inspiratione, et consequenter non iam potuisse tunc fieri librum canonicum. Ex hac igitur veritate nihil colligitur ad probandum cum apostolatu essentialiter nexam fuisse inspirationem. Possibilitas enim inspirationis etiam post mortem apostolorum non negatur, sed negatur possibilitas eius inspirationis, vi cuius liber pertineat ad depositum fidei catholicae[1].

635. Pro fine historici conspectus initii et progressus huius disputationis audiamus verba *Francisci Leitner*[2], qui expositis rationibus, quae favere videntur criterio apostolicitatis, haec ait: Contra hanc sententiam et pro contraria quaedam notanda sunt: Quod Scriptura silet de speciali charismate nonnullis apostolis concesso ad scribendum, nihil efficit contra veritatem talis charismatis. Pro hoc charismate pugnat analogia prophetarum Veteris Testamenti, quos Deus mandato movit ad scribendum. Etsi externi impulsus adfuerunt, his non excluditur interna operatio Spiritus Sancti, qui excitat voluntatem humanam ad scribendum, sicut in alio ordine excitat gratia praevenienti ad bona opera. Haec excitatio requiritur, ut Deus sit auctor librorum inspiratorum. Neque putandum est impulsum divinum in iis tantum fuisse, qui id diserte testantur, aliis vero defuisse. Sancti Patres provocant quidem ad apostolicam originem librorum, sed inde non probatur eos censuisse apostolatum iam per se sufficere ad scribendos inspiratos. Neque enim eos fugere poterat criterium hoc esse insufficiens, cum etiam discipuli apostolorum inspirati fuerint, et cum inter auctores Veteris Testamenti plures fuerint, qui non erant a Deo missi, ut populo viva voce praedicarent.

---

636. *Conclusio.* Non obstantibus disputationibus, quae de variis quaestionibus biblicis etiam inter Catholicos vigent, omnibus tamen fidelibus, ut ait *Concilium Tridentinum,* Scriptura est „caelestis thesaurus, quem Deus summa liberalitate hominibus tradidit". Hic thesaurus, docente *Concilio Vaticano,* continet libros, qui integri cum omnibus suis partibus Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum auctorem habent et ut tales ecclesiae traditi sunt, ideoque, prout e manibus auctorum suorum prodierunt, infallibilis fidei regula sunt neque ullum errorem sive in magnis sive in parvis continent.

Quae cum Catholicis indubitata sint, nemo perturbari debet, quod videat cum progressu disciplinarum biblicarum, qui Deo favente hac

---

[1] Cf. supra n. 426 sq.

[2] Die prophetische Inspiration, Freiburg 1896, 59 sqq.

nostra aetate manifeste apparet, coniunctam esse dubitationem quandam de modo recte coniungendi artem historicam et criticam cum reverentia sacris libris debita. Veritas enim veritati numquam contradicit; error autem sua natura est instabilis et fluxus. Unde etsi forte a quibusdam in studio rerum biblicarum hinc inde erretur pro humanae mentis infirmitate, tamen error non praevalebit, sed detegetur et detectus ad veritatis elucidationem et stabilimentum conferet. Vera autem, quae nunc nova deteguntur, aut melius quam antea perspiciuntur, eo ipso quod vera sunt, veris Dei verbis non nocebunt, sed amica se iis societate adiungent et perfectam concordiam inibunt. Quodsi multis lenta videtur veritatis victoria, quam ipsi perfectam oculis inspicere cupiunt, non est Dei consilium, ut umquam in hac terra plene satientur homines et ulterius quaerendi et progrediendi studium deponant. Neque veritatis revelatae universim spectatae neque Sacrae Scripturae in specie umquam in hac mortali vita obtinebimus scientiam plane perfectam, omnibus numeris absolutam, ulterioris perfectionis incapacem. Vult enim Deus, ut res revelatae maneant sacra quadam caligine obvolutae, quo homines incitentur ad perscrutandas eas maiore cum desiderio et in dies melius intellegendas dulciore cum delectatione. Neque timendum est, ne ii etiam, qui bonae voluntatis sunt, per humanos errores in sinistram partem abducantur, quia, qui fideliter sequitur ecclesiam matrem, non est in periculo perdendi Deum patrem. Non recedet Spiritus Sanctus ab ecclesia, et qui libros sacros ei inspiravit et tradidit, suo potenti auxilio iuvabit, ut eos inviolatos conservet, plenius intellegat, profundius et clarius exponat. Tali magistro docenti qui se committit, non est ei timendum de fallaciis humanis, sed cum fiducia progrediendum ad effodiendos inexhaustos thesauros, quos Deus in Scriptura abscondit. Quare etiam nobis cum auctore Imitationis Christi dicere licet: Scriptura Sacra mensa est „divinae legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt sancta sanctorum, perducens. Gratias tibi, Domine Iesu, lux lucis aeternae, pro doctrinae sacrae mensa, quam nobis per servos tuos, prophetas et apostolos aliosque doctores, ministrasti“.

INDEX LOCORUM S. SCRIPTURAE.

(Indicantur numeri marginales.)

Genesis:

1, 1 sqq 77 177 354 505 sqq 534 nota
1, 3 sqq 541
1, 6 sq 68
1, 16 68
2, 2 384
2, 3 508
2, 7 2
2, 20 86
2, 23 sq 106
2, 24 599
4, 23 210
5, 9 537
6, 19 sq . . . 534 nota
7, 2 . . . . 534 nota
11 541
11, 12 537
12, 3 384
12, 10 sqq 544
14, 18 sqq 387
15, 1 26
15, 12 sqq . . . 15 26
18, 1 . . . 117 nota
20, 1 sqq 544
20, 7 15
21, 10 387
23, 8 19 438
27, 19 439
27, 33 15
32, 24 26
33, 19 438
41 . . . . 117 nota
46, 21 . . . . 533 sq
46, 26 sq 526

Exodus:

1, 19 sq 439
2 445
3, 6 . . . . 383 599
4, 10 sqq 379
4, 15 sq 378
7, 1 378
2, 46 . . . 382 3871
16, 18 563
17, 4 . . . . 8 nota
17, 6 . . . 127 nota
17, 14 380
19, 7 sq 594
20, 11 . . . 508 594
23, 12 508
23, 14 sqq 544
24, 4 sqq 8
24, 12 8
25, 11 sqq 156
30, 34 sqq 156
32, 15 8
34, 1 sqq 8
34, 16 380
34, 27 . . . . 8 380

Leviticus:

12, 8 599

Numeri:

12, 6 sqq 377
21, 6 sqq 387
21, 9 599
21, 14 361
22 sqq 379
26 534

Deuteronomium:

6, 4 sq . . 566 594 599
9, 10 8
10, 1 sqq 8
10, 22 526
17, 18 sqq 8
18, 15 sqq . . . 8 191
24, 9 8
25, 4 . . . 98 388 563
28, 28 15
31, 10 sqq 8
31, 24 sqq 8
34, 10 377

Iosue:

1, 5 599
1, 8 8
4 sqq 8
5, 2 . . . . 488 nota
10, 13 361
24, 26 8

Iudicum:

2, 1 sqq 443

1 Regum:

2, 27 378
3 sqq 8
3, 1 378
6, 5 . . . . 488 nota
8, 4 sqq 599
9, 6 378
9, 11 378
9, 18 sq 378
10, 10 . 117 nota 378
10, 25 8
19, 20 378
28, 5 sqq 177

2 Regum:

7, 1 sqq . . . 292 442
7, 14 599
22 457
23, 1 sqq 9 291 377 420
23, 2 173
23, 3 27
24, 9 . . . 361 533

3 Regum:

1 115
4, 29 32 sq . . . 9 205
11, 41 361
14, 19 361
14, 29 361
19, 4 379
19, 10 . . . 379 599
19, 14 379
22, 7 sqq 9

4 Regum:

1, 3 sqq 9
2, 1 sqq 9
5, 1 sqq 599

9, 11 379
18, 13 sqq 361
19, 1 sqq 9
22, 8 sqq 8

1 Paralipomenon:

1 sqq 474
1, 2 18 537
2, 3 sqq 533
4, 1 sqq 533
7, 6 533
8, 1 . . . . . 533 sq
8, 29 sqq 533
9, 35 sqq 533
21, 5 . . . 361 533
29, 29 . . . 129 589

2 Paralipomenon:

5, 9 532
8, 8 532
9, 29 . . . . 129 589
20, 14 378
24, 20 378
24, 22 599
29, 30 9

Esdras:

2 . . . . . 361 533

Nehemias:

2 361
7 533
7, 4 sqq . . . 361 532

Iudith.

10, 12 sqq 439

Iob:

5, 13 . . . . 438 599
22, 14 77
32 33 38 42 . . . 438
39, 40 494

Psalmi:

2, 3 446
2, 7 554
9 B, 6 11 446
15 384
17 457
18, 5 450
39, 7 sqq 536
44, 1 sqq . 83 88 109 173 278 282 323 377 456
71, 17 92
72 447
103 . . . . 449 nota
108 447
109, 1 599
109, 4 . . . 387 554
113, 4 489
116, 1 446
117, 22 382
118, 99 105
131, 11 382
134, 7 489

Proverbia:

3, 11 sqq 599
25, 1 . . . . . 9 sq

Ecclesiastes:

5, 17 544
11, 1 sq 566
12, 13 544
24, 5 . . . 207 nota

Sapientia:

2 440
5, 4 440
7, 1 sqq . . . 363 491
7, 15 . . . . 416 420
9, 7 sqq 363
15, 11 2
16, 25 sqq 556

Ecclesiasticus:

Prolog . . . 413 415
4, 2 2
44, 45 564

Isaias:

1, 9 . . . . 378 599
6, 9 378
8, 1 380
8, 14 . . . 382 457
9, 1 sqq 104
9, 6 494
11, 6 90
11, 10 84
28, 16 . . . 382 457
29, 10 378
30, 8 380
30, 10 378
34, 16 380
36, 1 sqq 361
38, 1 495
38 39 512
53, 2 sqq 494
53, 4 555
53, 8 555
60 496
60, 1 494

Ieremias:

1, 6 379
1, 7 378
1, 9 378
7, 25 sqq 378
15, 19 378
25, 13 381
27, 14 sq 525
28 . . . 359 525 532
29, 6 379
30, 2 381
30, 9 387
31, 15 . . . 450 599
31, 33 sqq . . 384 496
36 . . . . . 380 sq
36, 18 . 278 282 283
45 24
51, 60 381

Ezechiel:

1, 3 614
2, 1 sqq 379
3, 7 378
3, 10 sq 378
3, 12 378
3, 13 547
4, 1 sqq 556
4, 12 58
17, 3 487
24, 2 380
34, 23 387

Daniel:

1 sqq 512
2 . . . . . 117 nota
8, 26 380
9, 2 9
9, 27 599
10, 4 sqq 379
10, 8 sq 26
12, 4 380
13 14 512

Osee:

2, 23 sq 599
3, 5 387
9, 7 . . . . 16 378 sq
12, 10 278

Ioel:

2, 28 sqq . 84 494 599

Amos:

5, 25 599

Ionas:

1, 3 379
2, 1 599
3, 4 495
4 495
4, 6 464

Michaeas:

5, 2 . . . . 382 599

Habacuc:

1, 5 599
2, 2 sq 380

Sophonias:

3, 4 379

Aggaeus:

2, 7 599

Zacharias:

7, 12 sq 378
11, 12 119
12, 10 382
13, 7 599

Malachias:

3, 1 599

1 Machabaeorum:

1, 57 sqq 9
3, 39 533
8, 23 441
12, 9 9
12, 15 sqq 441

2 Machabaeorum:

1, 15 sqq 441
2, 13 9
2, 24 sqq 420
2, 27 sqq 296
6, 12 sqq 439
7, 18 sqq 439
7, 28 439
8, 9 533
9, 1 sqq 441
15, 38 sq 288 413 415 420 459

Matthaeus:

1, 22 . . . . 34 382 sq
2, 5 382
2, 6 382
2, 15 . . 382 sq 387 557
2, 17 sq . . 382 450 599
2, 23 382
4, 4 sqq 383
4, 14 34
5, 17 sqq 34 198 382 sq 456 481
7, 29 596
8, 16 sq 555
10, 10 . . . 388 487
10, 19 sq . . 278 622 sq
10, 23 . . . 494 nota
11, 10 599
12, 17 34
12, 39 sq . 387 557 599
13, 35 . . . . 34 527
14, 21 445
15, 7 34
15, 13 sqq 543
16, 16 sq 437
16, 18 sq . . 196 576
16, 25 594
16, 26 596
19, 4 sqq 599
19, 8 562
19, 10 sqq 444
19, 17 21 596
21, 4 34
22, 29 382
22, 31 sq . 34 383 599
22, 37 566
22, 41 sqq 383
22, 43 sq . . 34 599
23, 35 599
24, 4 sqq . . 494 nota
24, 14 . . . 494 nota
24, 15 . . . 34 599
26, 54 34
26, 56 34
26, 75 615
27, 9 527
28, 18 sq 573

Marcus:

1, 1 528
7, 13 34
9, 42 . . . . 488 nota
10, 5 291
12, 10 382
12, 29 sq 594
13, 5 sqq . . 494 nota
15, 25 527
16, 16 20 573

Lucas:

1, 1 sqq 288 293 413 415
1, 20 443
1, 43 205
2, 24 599
2, 48 525
3, 36 . . . 277 361 537
4, 16 34
4, 21 . . . . . 99 382
4, 27 . . . . 388 599
5, 10 560
10, 7 388
10, 26 599
10, 30 sqq 492
16, 19 sqq 492
21, 5 sqq . . 494 nota
24, 32 382
24, 44 sqq 34 382 446 481

Ioannes:

2, 6 445
2, 22 382
3, 14 sq . 90 387 557 599
5, 39 . . . 9 34 99 382
6, 48 sqq 557
7, 42 . . . . . 9 382
7, 52 9
8, 49 437
9, 31 441
10, 34 sq 34 382 sq 481
11, 49 sq . 117 nota 553
11, 50 sqq 437
12, 34 382
14, 16 sq 623
19, 35 293
19, 36 sqq . 382 387 557
21, 15 sqq 576
21, 25 517

Actus:

1, 16 . . . 383 386 481
2, 5 . . . . . 513 nota
2, 16 sqq 599
2, 25 386
2, 29 sq 442
2, 30 sqq 384
3, 22 sqq . . 191 386
4, 25 34
5, 11 574
6, 3 622
6, 10 438
7, 14 526
7, 16 438
7, 42 599
7, 51 156
7, 53 443
7, 55 438
8, 1 574
8, 35 382
10, 10 sq . 79 117 nota
11, 5 sqq . . 117 nota
13, 2 sqq 611
13, 21 599
13, 33 554
13, 40 599
14, 11 sqq 611
15, 15 383
15, 22 611
15, 28 622
17, 24 sq 2
17, 28 406
20, 6 sq 418
20, 25 442
21, 29 442
25, 6 445
28, 25 35

Ad Romanos:

1, 5 574
1, 8 . . . . 513 nota
1, 11 446
1, 17 383
3, 2 9
5, 12 sqq 557
5, 14 . . . . 387 556
9, 1 sqq 446
9, 25 599
9, 29 599
9, 33 . . . . . 457 sq
10, 14 17 574
10, 18 450
11, 2 sqq . . 442 599
15, 4 . . . . 385 563
15, 11 446
15, 15 413
16 435
16, 3 86
16, 22 . . . 110 424
16, 14 612

1 ad Corinthios:

1, 14 sqq 445
2, 9 589
2, 13 622
3, 19 . . . . 438 599
5, 2 588
5, 7 387
5, 9 . . . . . 588 sq
7, 10 sqq . . . 291 444
7, 18 . . . . 488 nota
9, 6 611
9, 9 sqq . . 98 387 563
10, 1 sqq . . 127 558
10, 6 557
10, 11 . . . 387 557
10, 16 202
11, 16 22 574
12, 2 88
12, 6 sqq. 79
12, 12 sqq 625
12, 28 622
14, 2 179
14, 12 574
14, 18 175
15 382
14, 32 . 110 172 nota
14, 21 458
15, 45 557
16, 21 424

2 ad Corinthios:

3, 6 487
6, 11 446
7, 8 sq 413
8, 14 sq . . . 450 563
11, 6 . . . . 459 473
13, 3 444

Ad Galatas:

1, 6 446
1, 20 615
2, 1 610
2, 9 611
2, 14 sqq . . 114 615
2, 20 614
3, 1 446
3, 2 574
3, 16 383
3, 19 443
3, 22 382
4, 19 sq 446
4, 22 sqq . 127 387 557
4, 24 . . . . 156 487
5, 2 444
5, 12 446
6, 11 . . . . 424 588

Ad Ephesios:

1, 13 574
3, 1 111
3, 5 sq . . . 111 500
4, 13 79
5, 32 106

Ad Philippenses:

2, 27 sq 529

Ad Colossenses:

2, 17 557
2, 18 sq 473
4, 16 . . . . . 588 sq
4, 18 424

1 ad Thessalonicenses:

2, 13 622
5, 21 sq 105

2 ad Thessalonicenses:

2, 2 424
3, 17 424

1 ad Timotheum:

3, 15 576
5, 18 . . . . 388 601
5, 23 . . . . 86 444

2 ad Timotheum:

1, 13 sq 573
2, 2 573
3, 16 105
3, 14 sqq 385
3, 16 sq 4 34 297 385 502 563 601 617
4, 13 . . . . 337 433
4, 20 442

Ad Titum:

1, 5 7 9 573
1, 12 sq 323 406 437 572

Ad Hebraeos:

1, 1 sq 429
1, 5 . . . 554 557 599
1, 7 . . . . 449 nota
2, 2 sq 443
4, 4 384
5, 5 554
7, 3 . . . . 387 554
8, 5 . . . . 556 nota
8, 8 383
8, 13 383
9, 9 sqq . 556 nota 557
9, 24 . . . . 556 nota
10, 1 557
10, 4 sqq 536
10, 15 384
11 563
11, 32 599
12, 1 563
12, 5 sq 599
12, 26 599

1 Petri:

2, 6 sqq . . . . 382 sq
3, 20 sqq . . 387 557
3, 21 556
5, 12 424

2 Petri:

1, 19 sqq 386
1, 20 sq 35 145
1, 21 . . 292 sq 297 323 403 422
2, 1 201
3, 15 sq 382 388 566 601

Apocalypsis:

1, 10 388
1, 19 388
2, 1 388
2, 7 557
2, 8 388
2, 12 388
2, 18 388
3, 1 388
3, 7 388
3, 14 388
5, 1 sqq 109
19, 9 388
22, 2 sq 557
22, 9 sq 388
22, 18 sqq 388

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales.)

A.

Aaron propheta Moysis 378.
Abdias non citatur in N. T. 599.
Abundantia sensus biblici *vide* Sensus.
Acceptio rerum *vide* Species.
Accommodatio ad conceptus et loquelam populi 178 298 344; *vide* Moyses. Popularis; — accommodationes verborum Scripturae 450 458; — accommodatio ad moralem infirmitatem hominum 529.
Activa inspiratio 5.
Aegidius Romanus 189 483.
Aetas librorum inspiratorum 397 398 602.
Aetiologia 562.
Affectus hagiographorum 305 401 446.
Agnus paschalis 387 557.
Agobardus 146 466.
Albertus M. 168.
Albo 29.
Alexander Hal. 157 548.
Alexandrina Schola 60 sqq.
Alienatio a sensibus et mente non requiritur ad inspirationem 54 sqq 65 66 68 nota 79 88 111 145 172 185 292 307 379 413.
Allegationes *vide* Citata. Citationes.
Allegoria in Scriptura 18 20 51 61 62 68 70 71 72 75 77 82 90 92 93 98 99 103 115 126 127 134 135 143 144 152 153 154 155 156 157 159 167 176 186 353 sqq 435 487 522 562 sqq; *vide* Typi.
Allegoricae expositiones Patrum 485 sqq 522 530 564; — allegoricus sensus est litteralis sensus in allegorica locutione 543.
Amanuensis Spiritus Sancti 191 283; quis sit amanuensis 414; — amanuenses hagiographorum 112 424.
Ambrosius 74 sq 434 462 482 488 nota 562.
Amentia sacra 15 16; *vide* Alienatio.
Amort 321 322.
Amos propheta 111 599.
Amphiballomena 67 93.
Amyrault 257.
Anagogia 562; *vide* Allegoria.
Analogia 562.
Angeli apparent hominibus 26; — illuminant homines 171; — nomine Dei loquuntur 443.
Angelomus Luxov. 153.
Anomoei 283.
Anonymitas libri inspirati 358; *cf.* Pseudonyma.
Antecedens inspiratio 323 326 622 nota.
Antilegomena 390; *cf.* 67 93.
Antiochena Schola 77 sqq.
Antitypus 556.
Aphraates 105.
Apocalypsis Ioannis 388 621 nota.
Apocrypha 11 67 390 587 592 615.
Apologia Confessionis August. 217.
Apostolatus et inspiratio 240 397 602 sqq.
Apostoli de Scriptura 35 376 384; Scripturam ecclesiae tradiderunt 329; — non erant missi ad scribendum 91 201 288 319 573; — in docendo erant infallibiles 442; — apostolorum morte finitum est tempus revelationis et inspirationis 397 634; — potuerunt errare in rebus humanis 442; — de privatis eorum opinionibus 450 nota.
Apparentia. Locutio secundum apparentiam 178 189 308 344 505 sqq 513 sqq.
Applicatio verborum Scripturae ad similes casus 564.
Apprehensio et iudicium 313.
Approbatio Dei vel ecclesiae num sufficiat ad constituendam Sacram Scripturam 283 284 285 316 326 330 406; — approbatio verborum hominum non inspiratorum 437 sqq.
Arausicanum II (a. 529) 2.
Arbor vitae, arbor scientiae 355.

Argumenta inspirationis 62 161 183 199 223 226 243 257 263 277 291 374 376 377 sqq 479; *cf.* 583 sqq; — argumenta hagiographorum 448; — argumenta ad hominem ex LXX 449 nota 536.
Argumentari non licet nisi ex litterali sensu Scripturae 127 nota 176 192 206; *cf.* 561.
Armachanus *vide* Richardus.
Ars dicendi non confertur inspiratione 475.
Assistentia Spiritus Sancti 277 278 281 nota 283 288 290 293 296 301 302 307 320 321 322 324 330 405 412 nota 425 458 471 sq 477 620; *vide* Inmunitas.
Athanasius 69 584.
Athenagoras 39 nota.
Auctor principalis Scripturae est Deus 38 39 41 42 43 47 52 61 67 74 85 93 94 96 117 132 143 148 159 167 169 177 178 182 189 191 197 209 272 275 277 290 294 300 301 302 304 307 311 sqq 316 nota 327 330 343 347 396 402 sqq 416 419 422 424 431 468 472; *vide* Spiritus Sanctus; — auctor humanus quis sit, non multum refert 83 108 132 193 206 289 397; *cf.* 491; — auctores sacri sunt veri auctores 402 404; — auctor utriusque Testamenti unus Deus 43 47 93 96 99 135 138 208 209 272; — auctor Scripturae et inspirator num sit idem 311 sq.
Auctoritas Scripturae 38 47 51 61 63 75 83 86 105 107 110 117 118 119 124 130 131 147 159 163 168 169 179 180 183 189 194 198 200 203 204 244 272 300 378 383 sq; — num sit eadem in omnibus libris 316 429; *vide* Certitudo. Error. Regula; — auctoritas humana *vide* Ratio; — auctoritas non confundenda cum divina origine 284 324 613 626.
Augustinus 117 sqq 136 201 288 344 359 389 390 420 434 436 nota 438 nota 441 464 479 482 487 sqq 500 502 505 541 546 561 562 569 575 577 580 584 589 601 615 630.
Aurelianense Concilium (a. 1017) 209.
Authentica Scriptura 194 344.
Authenticum documentum *vide* Documentum.
Autopistos Scriptura 215 226 265 591.

B.

Balaam 22 64 68 nota.
Bañez 278 411 nota 467.
Baptismus pro mortuis 448.
Barnabae epistula 36 611 631.
Baronius 367 nota.
Bartolo 333 sqq.
Baruch amanuensis Ieremiae 380 sq 424.
Basilius M. 68 482 488 545.
Bath qol 10.
Beda Vener. 144 465.
Bellarminus 288 sq 435 457 483.
Benedictus XII 210.
Bessarion 97.
Beza 255.
Bibliolatria 230.
Billot 314 369 sqq 454 nota.
Bonaccorsi 411 nota.
Bonaventura 158 sqq 483 488 548 569.
Bonfrerius 323 sq 406 411 nota 546 586.
Brentius 570 nota.
Bruno Astensis 156 487.

C.

Cabbala 23.
Caietanus 340.
Cainan in genealogia Lucae 277 361 537.
Caiphas 64 68 nota 553.
Calamus Dei dicuntur hagiographi 83 109 132 395; *vide* Causa instrumentalis.
Calmet 321 322 411 nota 456 nota.
Calovius 230.
Calvinus 215 sq 565.
Caméron 257.
Canon librorum sacrorum 9 11 14 21 45 61 69 93 107 136 148 149 155 200 273 294 571 600; — num canon crescere possit 586 sq; — num potuerit minui 588 sqq.
Canticum canticorum 10 80 81 82 351 360; non citatur in N.T. 599.
Canus 277 435 483 537.
Cappellus 219.
Carlstadius 565.
Carthaginiense Concilium (a. 397) 136 390; — Carthag. IV (vulgatum) 138; — Carthag. a. 419 de traditione canonis 584.
Cassiodorius 142.
Causa instrumentalis in conficienda Scriptura fuerunt hagiographi 38 39 40 44 88 99 109 117 120 132 169 177 182 277 281 282 283 287 293 302 304 343 347 370 403 sqq 462 468 471 sq; Causa principalis *vide* Auctor.
Cellerier 622.
Certitudo Scripturae 157 168 170 179 196 288 291; *vide* Auctoritas. Error; — certitudo hagiographorum 162 173; *vide* Hagiographi.
Characteres textus hebraici inspirati 219 226.
Charisma est inspiratio 404 416 sq 422; — charismate inspirationis non determinantur verba materialia 473 sqq.
Chauvin 310 nota.
Chemnicius 222 sq.
Chionia 393.
Chrismann 320 411 nota.

Christus quid doceat de Scriptura 34 376 382 598 sqq; — locutus est per prophetas 42 74 102; — in Vetere Testamento praedictus 69 95 106; — praefiguratus 387.
Chrysologus 391.
Chrysostomus 85 sqq 434 463 482 529 543 558 569 588 sq.
Cicero 379 nota.
Citata Veteris Testamenti in Novo 112 113 449 457 sq 536 598 sqq.
Citationes verborum non inspiratorum 305 372 406 nota 519; — citationes implicitae 361 371 532 sqq.
Clemens Alex. 61 575 606 611.
Clemens Rom. 37 434 573 612.
Clericus Ioan. 257 258.
Clifford 270.
Codex Scripturae Sacrae primis temporibus christianis non aderat 600.
Cohortatio ad Graecos 39 434 462.
Collectio librorum sacrorum 9 382.
Commissionis biblicae responsa 493 nota 535 nota.
Communionismus 333.
Concilia quomodo differant a Scriptura 289 290 297 304 426.
Conciliatio Scripturae et scientiae *vide* Difficultates. Physica. Profana.
Concomitans adiutorium Spiritus Sancti 323 326; *vide* Assistentia.
„Confessio orthodoxa" de Scriptura 100.
Confessiones Helveticae 218.
Confusio linguarum *vide* Turris.
Conscientia inspirationis *vide* Hagiographi.
Conscriptor quid significet 424; *vide* Auctor. Hagiographi.
Consequens approbatio 323 326; — consequens sensus 563.
Conservatio textus sacri 363 400 504 571; — conservatio veritatis revelatae per traditionem 573 sqq; *vide* Corruptio.
„Conservativi" theologi protestantes 253.
Constantinopolitanum II Concilium (a. 553) 139; — Constantinop. IV 394.
Constitutiones apostolicae 390.
Contenson 281 nota.
Contradictio in Scriptura impossibilis 38 39 40 42 66 75 77 nota 83 89 110 119 194; *cf.* 441 et *vide* Error.
Coquerel 261.
Corluy 435.
Cornelius a Lapide 293 537 nota.
Cornely 428 441 450 534 nota 535 nota 548.
Corruptio textus Sacrae Scripturae 63 91 113 164 167 194 278 504.
Credenda num sint omnia in Scriptura dicta 412 nota.
Cremer 4 248.
Crets 307 sq 420 583 596 623.
Criteria inspirationis 583 sqq; — traditio catholica 584 sqq; — criteria interna 591 sqq; criteria negativa 592; — positiva 593 sq; — vaticinia impleta 595; — modus loquendi 596; — gustus internus 597; — Scripturae testimonium 598 sqq; — apostolatus 602 sqq; *vide* Argumenta.
Critica methodus 269 349 350 362 sq 368 375 400 497 sq; — num requiratur ad narranda vera 498.
Cucurbita apud Ionam 464.
Cyprianus 48.
Cyrillus Alex. 72 488 523.
Cyrillus Hieros. 93 sqq 579 584.

D.

Damascenus *vide* Ioan. Damasc.
Daniel de libris sacris 9 22; — eius liber 358 491.
D'Argentré 316 nota.
Dausch 7 454 nota.
David inspiratus 9; — propheta 14 78 167 nota 383; — auctor psalmi decimi septimi 397; — vocat Christum Dominum suum 383; — David est nomen Messiae 387.
De Dominis 318 320.
Defectus litterarii 281 454 nota 459.
Definitio inspirationis 428.
Denzinger 3 230 nota.
Determinatio rerum scribendarum a Deo primum processit 403 sq.
Deus inspirator 10 27 35 37 38 40 43 61 74 85 86 117 156 182 189 281 383; *vide* Auctor. Spiritus Sanctus; — Deus loquitur per prophetam ut per os suum 378 383; — Dei locutio in Genesi 520 541.
Deuterocanonici libri 430 587.
D'Hulst 341 sq 346 359 432.
Dicere Hebraeis saepe idem est ac mente concipere 361 520 541.
Dictata num sit Scriptura a Deo 117 143 169 272 274 277 278 280 281 285 289 290 293 310 317 323 395 411 nota 431 453 469.
Dietzsch 247.
Differentia inter res historicas et res physicas 512 sqq.
Difficultates contra inspirationem quomodo solvendae 344 367 502 sqq.
Diluvium 357 359 366.
Diocletianus iussit Scripturas comburi 392.
Dionysius Alex. 67 nota 621 nota.
Dionysius Carthusianus 204 sqq 483.
Directio Spiritus Sancti 277 285 289 295 307 317 319 321 326.
Divina Scriptura 37 nota 395 470.

Divisio Scripturae 10 21 37 45 67 107 142 159 382; *vide* Canon; — divisio sensus Scripturae 62 75 127 543 sqq; — divisio prophetiae 173.
Doctrina 12 apostolorum 36.
Documentum authenticum vocatur Scriptura a quibusdam Protestantibus 242 sq 247 248; — documenta adhibita ab hagiographis 410.
Donatistae 577 580.
Driedo 272 nota 618.
Dubitationes hagiographorum 361 445.
Dupin 319 nota 321 411 nota.
Durandus 179.

E.

Ecclesia iudicat de canone 93 200 277 316 571 sqq; *vide* Canon; — iudicat de versione 195; — interpretatur Scripturam 179 197 276 331 353 581; *vide* Traditio.
Ecclesiastes 358 444 491; — non allegatur in N. T. 399.
Ecclesiasticus 413 415.
Ecstasis apud Philonem 15 sq; *vide* Alienatio.
Elevatio inspirativa 281 404.
Elias propheta 9 442.
Eliseus propheta 9.
Eloquentia biblica 479.
Emeritus 392.
Ephraem 101 sqq 488 545.
Epiphanius 58 283 nota 545.
Episcopius 320.
Epistula Dei ad homines est Scriptura 85 117 132 134 395; — Epistula tertia ad Corinth. et una ad Laodic. num sint canonici 588; — epistula ad Hebr. *vide* Hebraeos; — epistula ad Philem. 614 632; — epist. 2 et 3 Ioannis 622.
Error nullus in Scriptura 44 66 75 77 nota 87 89 112 114 117 118 119 120 121 122 130 131 159 180 194 197 198 203 204 210 277 289 291 298 304 316 320 321 323 nota 327 343 347 364 sq 367 369 sqq 480 sqq 542 594; — Contrarium docent multi Protestantes 235 244 248 250 251 254 269 320; — etiam quidam Catholici 318 334 335 338 341 342 369; *vide* Auctoritas. Contradictio. Personae.
Esdras collector et restitutor librorum sacrorum 9 61 82 206; eius libri non citantur in N. T. 599; — Esdrae libri tertius et quartus num sint canonici 587.
Essentia inspirationis 314 397 sqq 401.
Esther liber non citatur in N. T. 599.
Estius 287 457.
Eucherius Lugdun. 152.
Eugenius IV 209 396 559.
Euplius 393.
Eusebius Caes. 73 390 392 393 482 573 575 584 592 609 611 sq.
Eustathius Antioch. 77 523 545.
Euthymius Zingabenus 99.
Evangelia 38 42 45 517.
Excerptum potest esse obiectum inspirationis 412 421.
Expositio Scripturae 122 123 133 150 155 160 168 178 180 185 186 187 189 199 201 202 206 220 221 277 331 348 366 386 391 504 sqq; *vide* Allegoria. Sensus.
Extensio inspirationis ad res in Scriptura contentas 431 sqq; — ad verba materialia 451 sqq; *vide* Limitatio. Partes. Verbalis.
Ezechias rex et collectio librorum sacrorum 9.
Ezechiel propheta 10; — non citatur in N. T. 599.

F.

Fabulae vide Mythi.
Facultates exsecutivae hagiographorum sub influxu Dei 424.
Figura *vide* Typus.
Figuratae locutiones *vide* Metaphorae.
„Filia vocis“ 10.
Fides historica apud Protestantes 249 251 252; — plane distincta a fide religiosa 251 252; — fides supernaturalis num extendatur ad omnia, quae Deus revelavit 411 nota; — fides theologica dictis angelorum habenda 443.
Finis Scripturae num sit ratio limitandi inspirationem vel infallibilitatem Scripturae 308 336 341 343 542.
Flavius Iosphus 19 sqq 600.
Forcellini 524 nota.
Ford 454 nota.
Formaliter dicta *vide* Materialiter.
Formula Concordiae 217 570; — formula consensus Helvetica 219.
Franzelin 300 sqq 309 sqq 406 nota 420 428 431 451 586 590 621.
Frassen 323 nota.
Fredegisus 146 466.
Furor sacer *vide* Amentia.

G.

Galilei 367 nota.
Gamalielis verba credi non posunt fide divina 441.
Gasc 259.
Gasparin, M. de 262.
Gasser, episcopus 286 328 329.
Gaussen 260.
Gelasianum Decretum 137.
Genealogiae biblicae 533 sq.
Genera litteraria 350 sqq 360 370 sq 374 399 475 478 492 sqq 497 512.

Gennrich 247 nota 252.
Gentiles libros sacros Christianorum comburebant 392.
Genuinitas Scripturae unde constet 575.
Genus dicendi diversum apud eundem hagiographum 457; — apud varios hagiographos 459; — quomodo determinetur inspiratione 475.
Geographia biblica 513 nota.
Gerhardus, Ioan. 224 sqq 564.
Gersonides 29.
Gersonius 197 sqq 483.
Gess 253.
Gonetus 411 nota.
Gore 268.
Gotti 469 nota.
Gradus prophetiae 27 174; — inspirationis 10 269 321 334 335 401 429.
Granderath 329 330.
Gratia actualis et inspiratio 3 417 475.
Grau 253.
Gregorius M. 132 sqq 389 397 442 488 547 569 594 615.
Gregorius Naz. 70 389 434 523.
Gregorius Nys. 71 486 530.
Gregorius Thaum. 67 nota.
Groot, de 469 nota.
Grotius 258 317.
Gustus internus 597.

H.

Habacuc propheta 380 599.
Haeretici inimici Scripturae 43 47 51 75 110 197 199 201 202 581.
Hagiographi sunt prophetae 14 21 38 39 40 292 317 377 sqq 382 395 411 620; — quam certitudinem habuerint 162 173 292; — sunt causa instrumentalis *vide* Causa; — quomodo distinguantur a scriptoribus profanis 370; — sciverunt veritatem de rebus physicis 124; — non omnia intellexerunt, quae Spiritus Sanctus per eorum verba intendit 172 191 292 319 499 sqq; — num sciverint se scribere inspiratos 281 292 307 319 323 420 458; — num errores affirmare possint 342 343 348 480 sqq; — num scribere sua sensa 432 sqq 444; — saepe usi sunt amanuensibus 424; — quid de opinionibus in eorum mente latentibus 450 nota; *vide* Prophetae. Prophetia. Theopneustia.
Hananias falsus propheta 359 525.
Haneberg 326 411 nota.
Harnack 252.
Haupt 251 sq.
Hebraeos, ep. ad 66 175 288 457 462 610.
Hedera apud Ionam 464.
Hejel 310 nota 461 nota.
Hellenistae Iudaei 12 sqq.
Helveticae *vide* Confessiones. Formula.
Henricus Gandavensis 181 sqq 467 548.
Hermeneutica *vide* Expositio; — praecepta hermeneutica servanda in expositione Scripturae 436 sqq 492 sqq.
Hexaëmeron num sit allegorizandum 68 77 103 354 367 488 sq 505 508.
Hieronymus 109 sqq 359 434 457 463 473 482 487 sq 491 500 504 524 sqq 536 545 569 614.
Hilarius Pict. 51 434 487 489.
Hippolytus 5 44 59 482.
Hipponense Concilium (a. 393) 136.
Historia apparens in Scriptura num sit semper vera historia 62 66 70 71 176 nota 210 337 338 342 351 sqq 359 sqq 367 sq 485 sqq 512 sqq 542; — num historia biblica sit credenda 315 412 nota 514; — historia originum 353 356 sqq 366; — historia patriarcharum est fabula secundum rationalistas 250; — „Historia scholastica“ 164 nota; — exaggerata notio historiae 497; — historia religiosa 517.
Historicus sensus Scripturae 62 72 77 84 99 103 115 127 133 143 152 153 154 155 485 sqq 543 562; — historici libri num sint inspirati 258 317; — historiographi aliter loquuntur atque prophetae 496 nota; *vide* Litteralis.
Hoberg 537.
Holden 315 sq 318 432.
Homologumena 67 93 390.
Hugo Victor. 155 488.
Hühn 250.
Humano spiritu num quaedam in Scriptura scripta sint 432 sqq.
Hummelauer, Fr. de 366 nota 534.

I.

Iacob patriarcha num vera locutus sit ad patrem 439.
Iacobus Sarug. 106.
Iahn 325 330 405 411 nota 430.
Ialaguier 263.
Idea libri scribendi 414 sqq.
Ieremias propheta 14 111 380 424.
Ignorantia hagiographorum 361; *vide* Imperfectio.
Illustratio intellectus hagiographi 301 309 410 416 sqq; *vide* Lumen.
Immunitas ab errore num sufficiat ad constituendam Sacram Scripturam 316 321 322 325 327 330 405; — num Scripturae adscribenda sit immunitas ab errore 480 sqq.
Imperfectio Scripturae 242 269 364 sqq 404 467 468 498 516 sqq 542.
Imprecationes in Scriptura 447.

Index librorum prohibitorum. Notatio in Indice quam vim habeat 341; — libri de inspiratione in Indice notati 411 nota 480; — regula Indicis de libris inspirationem tractantibus 515 nota.
Inerrantia Scripturae 364 432 480 sqq; *vide* Error.
Infallibilitas Scripturae non requirit in omnibus revelationem 412 nota; — infallibilitas apostolorum non est idem atque inspiratio ad scribendum 613 620 sqq; *vide* Auctoritas. Error. Immunitas.
Influxus Dei in intellectum, voluntatem, facultates exsecutivas hagiographi *vide* Intellectus. Voluntas. Facultates.
Innocentius I 390.
Inspiratio Scripturae est dogma ecclesiae 1 6 22 272 316 327 373 sq 627; — qui de ea scripserint 7; — multipliciter dicitur 2 sqq 311 sq 389 460 471; — definitur 281 428; — differt a gratia actuali 3 417; — num gradus habeat 10 269 429; — inspiratio personalis *vide* Personalis; — realis 432 sqq; — verbalis 451 sqq; intermittens 615; — inspiratio mantica 15 39 54; — inspiratio est prophetia 15 64 170 377 sqq; — inspiratio est actualis motio 129 170 278 281 403 sqq; — inspiratio negatur a multis Protestantibus 242 sqq 264; *vide* Auctor. Spiritus Sanctus. Theopneustia.
Inspirator est vox ambigua 407; — Deus inspirator *vide* Auctor.
Instinctus divinus 167 nota 169 172 174 277 292 302.
Instrumentum *vide* Causa instrumentalis.
Integritas textus Scripturae *vide* Conservatio. Corruptio.
Intellectus agens 25 29 205; intellectus hagiographi qualem influxum a Deo recipiat 414 sqq.
Internae rationes sunt secundariae in quaestionibus historicis 344; — interna criteria inspirationis 591 sqq; — internae opiniones hagiographorum *vide* Opiniones.
Interpretatio *vide* Expositio. Versiones.
Interpretes interdum adhibebantur ab hagiographis 112 288 424 457 462.
Ioannes scripsit evangelium 42 67 73 74 97 145 397 604 sqq; — quid referat de inspiratione sua 388.
Ioannes Damascenus 96 482.
Ioannes martyr 393.
Ioannes XXII 210.
Iob num sit liber sacer 80 81 139; — num omnia dicta huius libri vera sint 438.
Ionae vaticinium non impletum 321; — Ionas typus Christi 387 557 sq.
Irenaeus 42 sqq 395 397 434 482 569 573 575 578 sqq 602 605.
Irene 393.
Isaias propheta 9 10 14 111 380 599.
Isidorus Hispalensis 143 402 488.
Iudaeorum doctrina de Scriptura 8 sqq 429; — Iudaei Hellenistae 12 sqq; — Iudaei moderni 33.
Iudicia inspirantur 313 417; — obiectum iudiciorum inspiratorum 418 sq; — iudicia humana num sint in Scriptura 432 sqq; *vide* Limitatio. Personae; — iudicia per se intenduntur, verba per accidens 473 sqq.
Iudicium ultimum a Christo praedictum 494 nota.
Iudith num sit liber historicus 360 493; — num omnia eius dicta sint vera 439.
Iunilius Africanus 107 sq.
Iustinus M. 38 390 395 482 523.
„Iuvabit transferri" 515.

K.

Kant 233 sq.
Kethubim 10 27.
Kier 211 nota.
Kirn 249.
Kleutgen 302 451.
Knabenbauer 156 nota 438 450.
Krüger 250.

L.

Lagrange 310 347 sqq 454. 456 nota.
Lamy 537 539.
Laodicenum Concilium 390.
Lectio Scripturae in liturgia 390 564; — lectio Scripturae non omnibus praecipitur 571 sq; — commendatur lectio Scripturae 86 101 109 117; — non simpliciter permittitur in lingua vernacula 567 nota.
Legendae vide Mythi.
Leitner 56 nota 379 nota 635.
Lenormant 338 sqq 432.
Leo M. 131 389 434 482.
Leo XIII. 343 sqq 396 425 428 434 484 500 507 513 515 542 563 567 nota.
Leontius Byz. 81.
Lessius 283 sqq 317 411 nota.
Lex mosaica scripta manu Dei *vide* Thora; — „lex historiae" loquendi populari modo secundum Hieronymum 525 sqq.
Liber foederis 8; — libri exoterici 11; — libri historici 512; — libri Scripturae unus liber 72 109 382 593; — libri canonici et libri ecclesiastici 430; — libri sacri *vide* Scriptura. Canon. Collectio. Numerus; — libri apocryphi *vide* Apocrypha; — libri sacri num perierint 91 508; — libri V. T. in Novo citati

vel non citati 599; — libri N. T. non possunt ex Scriptura canonici probari 599; — liber inspiratus totus a Deo, totus ab homine 281 347 361 364; — liber quomodo fiat 414; — liber inspiratus non deponitur a Deo in mente hagiographi 416.
Libertas hagiographorum 282 307 323 413.
Limitatio inspirationis ad res fidei et morum 276 298 308 316 334 335 336 338 339 343 432; — limitatio infallibilitatis *vide* Error.
Litterae *vide* Epistula.
Litteralis sensus Scripturae 18 47 51 68 72 75 99 127 155 156 157 159 162 166 167 168 176 186 187 190 191 192 198 199 202 319 485 sqq 543 sqq; — num sit multiplex 125 sqq 157 177 191 282 288 306 546 sqq; — *vide* Historicus.
Liturgia. Libri Scripturae semper legebantur in liturgia 390.
Locutio secundum apparentiam *vide* Apparentia. Popularis.
Loisy 362 sqq 454 nota.
Loquendi modus in Scriptura 596.
Loth historia 357.
Lovanienses contra Lessium 283 sqq.
Lucas scripsit evangelium 43 67 73 74 145 605 sqq; scripsit sine revelatione nova 277 281 nota 284 288 410; — interpres Pauli 175; — citatur a Paulo 388; — quomodo librum composuerit 413 415 418; — sequitur versionem Septuaginta 526.
Lumen inspirativum 162 170 172 173 205 281 296 297 301 307 313 416 sqq; — quomodo se habeat ad verba materialia 473 sq.
Luthard 253.
Lutheranorum doctrina 220 sqq.
Lutherus 211 sq 565.

M.

Mc Donald 348 nota 450 nota.
Machabaeorum libri 283 285 288 413 415; — secundus liber Mach. num sit excerptus ex Iasonis libris 421; — num dicta Eleazari et 7 fratrum approbentur 439; — num liber contradictiones contineat 441.
Magisterium ecclesiasticum in Scriptura docetur 576 sq.
Maimonides 23 sqq 174 nota.
Maldonatus 450.
Manassae regis oratio 586 sq.
Mandatum scribendi apostoli non habuerunt 91 201 288 319; — hagiographi interdum acceperunt 380 cf 422.
Manichaei unum Deum auctorem utriusque Testamenti negant 135 138 209.
Mantica inspiratio reicitur 54 sqq 379; vide Alienatio.
Marchini 294 sqq 620 622.
Marcion 610.
Marcus scripsit evangelium 43 67 73 74 112 418 604 sqq.
Mariana 323 nota.
Marius Victorinus 50 434.
Martyrum testimonia pro Scriptura 392 sq.
Materia Scripturae 157 179 503.
Materialiter et formaliter dicta in Scriptura sunt distinguenda 291 372 nota 477 sq; *vide* Partes.
Matthaeus scripsit evangelium 43 67 74 197 605 sqq.
Megilloth 10.
Meinhold 250.
Melanchthon 220 sqq 565.
Melchisedech 387 554.
Melito Sardicensis 21 nota.
Mendacium. In Scriptura narrantur mendacia, sed non affirmantur 190; *vide* Error.
Mendelsohn 33.
Merisi 454 nota.
Messias vide Christus.
Metaphorae in Scriptura 51 76 82 103 126 153 157 178 180 372 nota 487 489 nota 543; — per Spiritum Sanctum determinatae 173.
Methodius 77 nota 482.
Michaeas propheta 9 599.
Michaelis, Ioan. David 621.
Michaelis Palaeologi professio fidei 208.
Millius 320.
Miltiades 56.
Minimismus 333.
Monod, Ad. 261.
Montanistae 54 sqq 111 172 nota 584.
Motio inspirativa 278 296 301 302 307 309 322 404 422 sqq; — moralis et physica 423; *vide* Instinctus.
Movers de canone 11.
Moyses primus promulgat Scripturam 8; — maximus prophetarum 12 174; — primus sacrorum scriptorum 39 40 44 107 380; praedixit Christum 106; — condescendit rudi populo 178 189; — narrat mendacia, sed non affirmat 190; — vocatur Deus Aaronis 318.
Mühling 534 nota.
Muratorianum fragmentum 592 608.
Murillo 498 nota.
Mysticus sensus *vide* Allegoria. Typi.
Mythi num sint in Scriptura 18 70 72 77 83 338 340 346 357 sq 370 521 sqq; — differentia inter mythum et allegoriam 522.

N.

Nahum non citatur in N.T. 599.
Narrationes fictae 350 351 360 492 sq.
Nathan propheta loquens secundum suum sensum 442.
Nebiim 10.
Newman 336 sq 341 359 432 sq.
Nomina Scripturae 294; — nomina propria in primis capitibus Genesis 356; *vide* Scriptura.
Notarius *vide* Amanuensis.
Notitia rerum unde sit in hagiographis 411.
Numerus sacrorum librorum 11 21 67.

O.

Obiter dicta 336 337.
Obscuritas Scripturae 42 114 116 122 126 157 195 479 566 sqq; — rationes obscuritatis 567; — cur Deus voluerit hanc obscuritatem 568 sqq.
Occasiones externae librorum sacrorum scribendorum 417.
Odo 154.
Oeconomica veritas *vide* Relativa.
Opiniones internae sacrorum scriptorum non pertinent ad inspirationem et veritatem Scripturae 450 nota 510; *vide* Iudicia.
Optatus Milev. 53.
Oratio necessaria ad intellegendam Scripturam 51 70 74 116.
Origenes 4 sq 62 sqq 98 321 434 462 482 486 488 544 sqq 575 595 607 611 sq.
Os Dei loquentis sunt prophetae et hagiographi 378 411.

P.

Pallavicinus 273 277.
Papias 575 604.
Parabolae 353 360 492 sq.
Parabolicus sensus est litteralis 543.
Paradisus 127 nota 354 sq 366 367 530.
Partes omnes Scripturae sunt inspiratae 272 277 281 288 291 297 298 307 317 327 432 sqq; — partes formalis et materialis Scripturae 301 310 313.
Particulae non inspiratae 435.
Passiva inspiratio *vide* Personalis.
Pastor Hermae 608 610 612.
Patriarcharum longaevitas 539.
Patrizi 551 nota 560.
Patrum auctoritas in exponenda Scriptura 188 507; Patrum testimonia de Scriptura colliguntur 395 sqq; — de extensione inspirationis 434; — de verbis materialibus 462 sqq; — de inerrantia Scripturae 482; — de mythis biblicis 523 sqq.
Paulus apostolus elegantia graeci sermonis carebat 112 175; — testatur inspirationem Veteris Testamenti 385; — evangelii Lucae 388; — testatur se scripsisse epistulas 397; — et quidem per amanuenses 424; — potuit errare in rebus humanis 442; — sua praecepta proponit 444; — suos affectus manifestat 446; — argumentatur 448 sq.
Paulus Burgensis 166 nota.
Paulus, Gottlob 236.
Pentateuchus num sit a Moyse scriptus 258 356 358; *vide* Moyses.
Per se et per accidens inspirata 308; — revelata 503; — per se et per accidens intenta 476 sqq.
Personae variae in Scriptura loquentes 305 436 sqq; — personae ideales 440.
Personalis inspiratio 5 240 244 246 247 401 408; *vide* Theopneustia.
Perspicuitas Scripturae 213 565 sqq.
Pesch, Christ. 308 622 nota 626.
Petrus apostolus duas epistulas scripsit 112; — exponit conceptum prophetiae 386; — de epistulis Pauli 388; — scripsit per Silvanum 424.
Petrus Comestor 164 nota.
Petrus de Alliaco 196.
Philastrius 616.
Philippus a. SS. Trinitate 546 nota.
Philo 13 sqq 64 74.
Philocalia 68 nota.
Phokylides 4.
Photius 98.
Physica scientia non traditur in Scriptura 124 342 344 359 364 367 502 sqq.
Pius IX 531.
Plutarchus 4.
Poels 312 nota.
Poncius, Basilius 278 nota.
Pontificale Romanum 208.
Porphyrius 527.
Popularis loquendi modus in Scriptura 178 298 344 359 505 sqq 513 sqq 520 525 sqq 540 sq; *vide* Apparentia. Moyses.
Practicus Scripturae cultus apud veteres Christianos 389 sqq.
Praeceptum fidei ad quae se extendat 411 nota.
Prat 359 sqq.
Pressensé, E. de 263.
Profana non docentur in Scriptura 359 502 sq; *vide* Physica.
Progressus religiosus et moralis in libris inspiratis 358 594.
Prophetae qui fuerint 9 38 40 44; — quis fiat propheta 24 64 68 171; — locuti sunt in Spiritu Sancto 38 39 49 378 383 384; *vide* Spiritus Sanctus; — num locuti sint in ecstasi 15 22 79 379; *vide* Alienatio; — vocantur theo-

pneustoi 5 44 87 621 nota; *vide* Hagiographi. Prophetia; — potuerunt suo sensu loqui 442; — falsi prophetae interdum vocantur prophetae 525.
Prophetia quid sit 25 79 117 nota 167 nota 170 sqq 205 378 386; — gradus prophetiae 27 174 205; — prophetia promissoria et comminatoria 495; — impletio prophetiae optimus commentarius 501; — argumentum inspirationis 595.
Prophetica inspiratio 3 401; — prophetica locutio 494 sqq.
Prosper Aquit. 489.
Psalmi 68 69 78 167 nota 206; — non omnes citantur in N.T. 599; cuius auctoris sint 83 206; psalmus 151 num sit canonicus 587.
Pseudonyma in Scriptura 358 490 sqq.
Ptolemaeus Philadelphus 17 38.
Puncta massoretica num sint inspirata 219 226 228 256.

Q.

Quenstedt 229.

R.

Rabanus Maurus 148.
Rabaud 212 nota 255 264.
Raimundus Martini 180.
Ratio et Scriptura 38 42 118 124 177 183 188 197 202.
Rationalistarum doctrina 231 sqq 258 sq 264 342 344 345 368.
Redactor libri inspirati 398 602.
Regula fidei et doctrinae est Scriptura 10 143 169 197 201 210 272 273 277 288 289 290 291 297 302 329 411 nota 578 sq 590; — secundum Protestantes est unica regula fidei 217 sqq 255 261 265; *vide* Auctoritas.
Relativa veritas in Scriptura 364 sqq 367 sq 369 sqq 516 sqq.
Repraesentatio supernaturalis *vide* Species.
Res fidei et morum *vide* Limitatio; — res et sententiae *vide* Iudicia.
Restrictio inspirationis *vide* Limitatio.
Resurrectio mortuorum ab apostolo Paulo probatur 448.
Revelata num dici possint omnia, quae inspirata sunt 409 sqq; — revelata per se et per accidens 411 nota 503 sq; — quae revelata sunt, Dei verba sunt 504.
Revelatio distinguitur ab inspiratione 3 277 278 283 289 296 301 302 309 318 321 323 324 340 409 sqq 431 621; — revelatio de inspiratione requiritur 292 329 nota 412 420 585; — revelatio late et stricte dicta 309 410; — revelatio primitiva ore tradita 538.
Richardus Armachanus 191 sqq 548.
Roger Bacon 163 sqq.
Rohden, G. von 250.
Rohnert 211 nota 254 603.
Rothe, Rich. 242 sqq.
Rufinus 617.
Ruth liber non citatur in N.T. 599.

S.

Salmasius 320.
Salmeron 590 596.
Salomo ben Abraham 29.
Salomon inspiratus 9; — num fuerit propheta 80 82 205; — num auctor Sapientiae et Ecclesiastis 491.
Salutationes in Scriptura num sint inspiratae 435.
Salvianus 130 482.
Sanday 269.
Sang, Ludov. de 624.
Sapientiae liber 358 363 491; — ad eum saepe alluditur in N.T. 599.
Sara et Hagar 387.
Schanz, Paulus 625 sqq.
Scherer 262.
Schleiermacher 238 sqq.
Schmid, Franc. 303 sqq 435 548 sq 628.
Schulze, Gustavus 565.
Scotus, Duns 161 sq.
Scotus Erigena 154 nota.
Scriptio materialis librorum sacrorum 424 472.
Scriptores sacri *vide* Hagiographi.
Scriptura vocatur sacra 1 9 14 35 37 40 41 etc.; *vide* Nomina; inspirata *vide* Inspiratio; Scriptura inquinat manus 10; — est regula fidei et doctrinae *vide* Regula; — Scriptura vocatur divina 395; — abundat sensibus *vide* Sensus; — divisio Scripturae *vide* Divisio. Canon; — Scriptura immunis ab errore et contradictione *vide* Error. Contradictio; — Scriptura vocantur singuli textus 382.
Semirationalistarum doctrina 237 sqq.
Semler 232.
Sensus sacrae Scripturae 543 sqq; — sensus eius abundans 10 62 63 74 86 90 105 116 125 sqq 133 134 152 153 154 159 204 391 543; num sint alii sensus praeter litteral. et typ. 562 sqq; sensus litteralis *vide* Litteralis; — sensus historicus *vide* Historicus; — sensus allegoricus *vide* Allegoria; — sensus consequens *vide* Consequens; *cf.* Divisio. Expositio. Iudicia. Obscuritas. Verba.
Sententiae *vide* Iudicia.
Septuaginta versio 17 38 39 43 47 61 63 75 80 87 113 128 155 195 207 449 464 534 536 sq.
Serpens aëneus 387.
Sibyllini libri 4.
Silvanus amanuensis Petri 424.
Simon, Rich. 317 sqq 411 nota.

Sixtus Senensis 285.
Sodoma et Gomorrha 357.
Somnium propheticum 26 27 172 174.
Sophonias non citatur in N.T. 599.
Species infusae 172 173 410 sq; — species externae rerum physicarum cur potius in Scriptura describantur quam natura interna 511.
Spinoza 30 sqq 317 319 320 620.
Spiritualis sensus *vide* Allegoria. Typi.
Spiritus Sanctus inspirator 10 27 38 39 40 41 42 49 50 53 61 62 63 67 68 69 70 79 83 86 93 94 96 99 102 109 117 120 132 143 145 155 157 169 177 178 191 194 197 204 278 280 282 283 290 292 293 323 327 329 330 395 402; *vide* Auctor.
Stattler 322.
Stephanus protomartyr num errorem dixerit 438 526.
Stilus *vide* Genus.
Strauss, D. F. 236.
Suarez 290 sqq 420 483 500.
Subsequens approbatio 323 326; — *vide* Approbatio.
Sufficientia Scripturae 217 sqq 570 sqq.
Suggestio vocabulorum *vide* Dictata. Verbalis.
Summariae locutiones in Scriptura 445 518.
Sutor, Petrus 278 nota.
Symbolicae actiones 556.
Symbolum Constantinop. 135; — Pseudo-Athanasii 135 nota; — symbolum apostolicum ex Scriptura collectum 579.
Synagoga vetus de Scriptura 8 sqq; — „synagoga magna“ 10.
Székely 552 624.

T.

Talmudistae de Scriptura 10.
Tempus *vide* Aetas.
Tertius amanuensis Pauli 424.
Tertullianus catholicus 47 390 575 586 607 609; — de quodam argumento Pauli apostoli 448 nota; — Montanista 57.
Testamenta duo 45 52 61 67 74 93 94 96 97 99 101 104 105 127 nota 156 158 181 189 272 429; — Testamentum Vetus citatum in Novo *vide* Citata.
Testimonium Spiritus Sancti 215 226 248 597; — testimonium de inspiratione quale requiratur 585; — testimonium Scripturae de inspiratione 377 sqq 598 sqq.
Theodoretus Cyr. 82 sqq 463 482 487 523.
Theodorus Mops. 78 sqq 139 558.
Theophilus Antioch. 40 395.
Theopneustia sensu passivo dicitur de Scriptura 4 5 62 63 69 71 72 293 300 385; *cf.* 321; — interdum dicitur de hominibus 5 44 87 621 nota; *vide* Inspiratio.
Theoretica iudicia supernaturalia non pertinent ad essentiam inspirationis 418 sq.
Theoria *vide* Allegoria.
Thomas Aquinas 169 sqq 410 411 nota 420 422 nota 442 443 447 467 483 488 495 500 506 543 548 549 nota 559 562 589.
Thomas Waldensis 200 sqq.
Thora 10 11.
Tobiae liber num sit historicus 493.
Toletanum Concilium (a. 447) 138.
Tradendi libri sacri ecclesiae 427.
Traditio et Scriptura 43 44 67 91 92 93 94 96 100 123 131 179 183 195 197 200 201 272 273 315 327 328 343 344 363 375 389 sqq 397 571 sqq 583 sqq.
Traditiones populares 353 365 sq 367 538 sqq.
Traditores librorum sacrorum 392.
Transiens est influxus inspirativus 615 621 622.
Transitus maris rubri typus baptismi 90 387 558.
Tridentinum Concilium 272 sqq 336 341 396 429 sq 586 602 636.
Trümpelmann 250.
Turretinus 256.
Turris babylonica 357 359.
Typi biblici 84 90 92 99 104 108 127 152 153 154 155 176 319 556 sqq; — praecipui recensentur 387 450 557; — num sint in N.T. 560; — num sint argumentum inspirationis 387; — typus et antitypus 496 nota 556.
Typicus sensus 556 sqq.

U.

Ubaldi 156 nota 267 nota 622.

V.

Valentia, Gregorius de 282.
Van Kasteren 309 sqq 528 nota.
Vaticanum Concilium 327 sqq 336 341 396 430 sq 504 586 595 636.
Vaticinium vide Prophetia.
Verba Scripturae sunt verba Dei 37 38 42 51 67 71 72 85 86 93 94 96 288 290 316 nota 321 383 sq 395 411 504; — quo sensu sint verba Dei 436 sqq; — verba materialia et formalia 451 456; — verba mentis et imaginationis 452; — verba materialia quomodo cohaereant cum formalibus 473 sq.
Verbalis inspiratio 10 23 63 64 66 68 70 86 87 111 112 113 121 145 146 147 175 182 219 226 228 229 230 265 269 278 280 281 282 283 285 286 290

295 297 301 306 308 310 317 319 381 383 451 sqq.
Verbum (*Λόγος*) loquitur in Scriptura 38 44.
Veritas Scripturae 118 130 sq 157 348 436 sqq 458; — non eadem veritas ubique 490 sqq 497 512; — veritas moralis seu veracitas 490 sqq; — veritas logica 492 sqq; — veritas absoluta 516; — veritas relativa 516 sqq; — veritas citationis et veritas rei citatae 533 sqq; *vide* Auctoritas. Contradictio. Error; Veritates *vide* Iudicia.
Versiones Scripturae 164 194 195 281 344 400 460 464; *vide* Septuaginta. Vulgata.
Vestitus litterarius non affirmatur ut veritas 353 364 520 540 sq.
Vetus Testamentum *vide* Testamenta, Citata.
Vincentius Lirinensis 581 594.
Visio prophetica 26 27 28 70 117 nota 172 173 174 494.
Vivisectio Scripturae 454 sq 471.
Voluntas inspirata 422 sqq; *vide* Motio.
Vulgata editio 272 277 278 280 281 282 327 328 341 344.

W.

Wegscheider 235.
Whitaker 265 sq.
Whitby 267.
Williams 267 nota.
Wilson 267 nota.
Winer 4 nota 221 nota.

Z.

Zacharias propheta 14.
Zahn, Theod. 600 nota.
Zanecchia 281 309 sqq 367 sq.
Zeno, Veron. 52.
Zwinglius 213 sq 565.

CHRISTIANUS PESCH S.J.

DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE

SUPPLEMENTUM

CONTINENS

DISPUTATIONES RECENTIORES ET DECRETA DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE

OPERI SUO DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE
ADDIDIT

CHRISTIANUS PESCH S.J.

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXVI
HERDER & CO., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Imprimi potest

Coloniae, die 12 Aprilis 1925

Bern. Bley S. J.
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 11 Ianuarii 1926

Dr. **Sester,** Vic. Gen.

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae

PROOEMIUM.

Nova editio, quae iam diu a multis desiderabatur, operis mei „De Inspiratione Sacrae Scripturae", anno 1906 vulgati, iam propter difficultates, quibus negotium librarium adhuc premitur, arte photographica reproducta est. Qua ratione impensae quidem non mediocriter minuuntur, attamen varia incommoda vitari non possunt. Corrigi enim nequeunt, quae corrigenda sunt, ut e. g. citationes ex prioribus editionibus Enchiridii Doctoris Denzinger factae, quas mutari oportet secundum posteriores editiones a Bannwart et Umberg paratas. Praecipuum autem damnum est, quod nulla fit mentio eorum, quae his ultimis viginti annis inter theologos acta sunt de inspiratione. Huic igitur malo ut remedium aliquod, etsi forte non plane sufficiens, adhiberem, scripsi hunc brevem conspectum progressus doctrinae de inspiratione, quatuor circiter his lustris ab anno 1904 usque ad annum 1924 facti. Omnes tamen dissertationes, quae editae sunt, enumerari non possunt, quin et opusculum et pretium eius nimis excrescat. Idcirco satis sit ea recensere, quae maioris cuiusdam momenti in hac re fuisse videntur. Qui plura scripta nosse desiderat, consulat commentaria periodica, ut „Biblische Zeitschrift" et similia, quae in variis regionibus et variis linguis eduntur.

Neque in animo est singula scripta ordine chronologico, quo in lucem edita sunt, examinare, quia taediosum est ad easdem quaestiones saepe reverti, sed potius conspectum exhibere quaestionum, de quibus hoc tempore praecipue disputatum est, ut quivis sibi formare possit iudicium de statu quaestionis biblicae, in quantum attinet ad Scripturam ut librum inspiratum.

Maioris etiam momenti quam disputationes theologicae sunt decreta vel responsa supremae auctoritatis ecclesiasticae, quae eodem temporis spatio facta sunt. Haec, etsi integra transcribere neque necesse neque utile videtur, tamen ita proponenda erunt, ut clare pateat, quae sit mens ecclesiae de quaestionibus ad inspirationis doctrinam immediate vel mediate pertinentibus. Mentem enim ecclesiae nosse et suam facere theologi catholici munus et officium est, maxime in rebus, quae tam principales et fundamentales sunt quam plurimae quaestiones biblicae.

Valkenburg, die 12 aprilis 1925.

INDEX PARTIUM.

	Pag.
Prooemium	V
Art. I. De conceptu inspirationis	1
Inspiratio verbalis	5
De Deo auctore et motore	8
De locutione Dei	9
Art. II. De veritate absoluta aut relativa Scripturae	12
De „redactione“ sacrorum librorum	16
Impugnatio „veritatis relativae“	17
Art. III. De citationibus implicitis	21
Commissio biblica de citationibus implicitis	23
Art. IV. De novo systemate hermeneutico ad solvendas difficultates biblicas excogitato	27
Vocabulum „toledoth“	28
De verbis „iuvabit transferri“	30
Benedictus XV de hac disputatione	32
Art. V. De generibus litterariis	33
Commissio biblica de libris specie tantum historicis	37
Art. VI. De humana inspirationis parte	38
Art. VII. De pugna contra novam theoriam facta	42
Defensio huius theoriae	45
Commissio biblica de unitate libri Isaiae	47
Decretum Congregationis consistorialis	47
Art. VIII. De auctoribus librorum inspiratorum	54
Art. IX. Responsa Commissionis biblicae	57
Art. X. De doctrina Sanctorum Patrum	61
Art. XI. Benedictus XV de doctrina S. Hieronymi	63
Art. XII. Anno vigesimo quinto post editam encyclicam „Providentissimus Deus“	66
Art. XIII. De iis, quae his ultimis annis acciderunt in re biblica	75
Epistula Card. Merry del Val, 22 dec. 1923	78
Conclusiones quaedam	82
Index alphabeticus	86
Addenda et corrigenda in opere „De inspiratione Sacrae Scripturae	89

ART. I.

DE CONCEPTU INSPIRATIONIS.

1. Convenienter a quaestione de conceptu inspirationis ordimur, tum quia pertinet ad eam disceptationem, quae inde ab anno 1903 vehementer animos movere coepit, tum quia brevius absolvi potest; agitur enim de re, in qua, salva catholici sensus integritate, suam quisque potest sequi opinionem.

Distribuitur autem quaestio bipartito: a) utrum in explicando conceptu inspirationis procedendum sit a notione auctoris, an a notione motoris; b) utrum admittenda sit inspiratio rerum tantum, an etiam inspiratio verborum.

Ansam huius disputationis dederat doctrina cardinalis Franzelin, contra quem non pauci declamant, quasi inauditum quendam loquendi modum introduxerit et confusionis non mediocris causa fuerit. Revera tamen doctrinam hausit ex traditione catholica et solide probavit (De Insp. n. 309 sqq.)[1]. Iam audiamus quosdam eius adversarios.

„De natura inspirationis S. Scripturae" scripsit tres dissertationes sat longas **Innocentius M. Iácome** in commentario „Divus Thomas", ubi statim ab initio ita ponit statum quaestionis, quasi necessario eligendum nobis sit inter doctrinam S. Thomae et contrariam doctrinam cardinalis Franzelin[2], id quod est prorsus negandum, cum hi duo inter se non adversentur. Potest quis utrumque simul sequi, sicut ostendit exemplum multorum theologorum de inspiratione agentium.

2. Iácome imprimis agit „de inspirationis nomine", et collectis variis Scripturae et Patrum dictis concludit „Sacrarum Scripturarum inspirationem esse Dei motionem longe excedentem naturam, quaeque in homine recipitur atque eo spectat, ut Divini Libri scribantur"[3]. Dein hanc notionem magis explicat considerando Deum inspirantem et hominem inspiratum.

De Deo inspirante agit primo secundum Iudaeorum doctrinam, quam sic comprehendit: „Litteras igitur sanctas auctore Deo ab homine fuisse conscriptas eoque esse divinas Iudaei certe docent; itaque vel firmissimum inspirationis naturae hoc pacto iecerunt fundamentum."[4] Secundo loquitur „de inspirationis natura ex S. Scriptura". Conclusio est haec: „Deum esse Litterarum Sacrarum vere auctorem, scriptores autem sacros ... esse Dei ministros, seu, ut vocant, instrumenta; deinde sanctos scriptores ... singulari quodam et mirabili modo

[1] Opus meum de Inspiratione sic abbreviatum citatur.
[2] „Divus Thomas" (Vindobonae 1915) 309. [3] Ib. 317. [4] Ib. 319 sq.

a Spiritu Sancto afflari; postremo universis regionibus Librorum Sacrorum divinam inspirationem ... circumscribi." [1] Sequitur tertio „de inspirationis natura apud SS. Patres", qui docent „Deum esse Sacrarum auctorem Litterarum. Scriptorem autem humanum, iam primis saeculis, docent esse Dei ministrum.... De hoc vero, quod ad mentem attinet, eam dicunt Patres esse singulari modo a Deo illustratam.... Insuper mentem scriptorum sic amplificatam, sicut et Divinos Libros accuratissime, nullo prorsus depravari errore tutantur. Inspirationem denique minime censent teneri angustiis; sed tantam esse, ut quidquid pertinet ad Scripturam, inspiratum ea divinumque efficiat." [2] Sequitur quarto „de inspirationis natura in Ecclesiae monumentis", praecipue in Conciliis florentino, tridentino, vaticano, et in Encyclica „Providentissimus" Leonis XIII. Florentinum „affirmat inspirationem esse causam, cur Deus probe auctor appelletur. Concilium autem tridentinum fines inspirationis certos describit, et vaticanum duplices respuit depravatas opiniones. Sed Encyclica ‚Providentissimus' et scriptorem humanum et Scripturam diligentissime exponit in nullo versari errore" [3]. Haec igitur de Deo inspirante.

De scriptore inspirato ex prooemio Lucae et 2 Mach. 2, 24 sqq. concluditur scriptores sacros posse causis naturalibus ad scribendum moveri, uti fontibus non inspiratis, in iis perquirendis diligenter laborare, quasdam imperfectiones in scribendo committere [4].

De Libro inspirato, ex quo rite inspecto possint varia disci de natura inspirationis, haec statuit: Ad acquirendam perfectam notionem inspirationis coniungenda sunt ea, quae ex revelatione discimus de inspiratione („via a priori"), et ea, quae in ipsis Libris Sacris manifestantur quantum ad quaestiones speciales ad inspirationem spectantes, e. g. qui homines praerogativa inspirationis donati sint, circa quas res inspiratio versari possit, qui loquendi modi in Scriptura inspirata adhibeantur, alia similia („via a posteriori") [5].

3. Quae hucusque Iácome nobis exposuit, ea sunt, de quibus inter theologos convenit; ipse quoque Franzelin haec non minus clare, distincte, erudite explicavit. Iácome addit in Encyclica „Providentissimus" tradi inspirationem verbalem, cum dicatur Deus movere sacros scriptores, ut res scribendas „apte infallibili veritate exprimerent; secus non esset ipse auctor Sacrae Scripturae universae" (cf. De Insp. n. 343). His verbis breviter comprehenduntur eadem, quae Franzelin in tertia thesi de inspiratione ait „esse aliquam operationem divinam necessariam etiam pro parte materiali [i. e. pro verbis materialibus], ut Deus infallibiliter sit auctor libri". Et qualis est haec operatio divina? Est „talis operatio divina, ut homo scribens non solum actu eligat, sed etiam infallibiliter eligat signa apta ad res et sententias vere et sincere exprimendas". Nulla igitur est sensus differentia inter dictum Summi Pontificis et dictum cardinalis Franzelin; neque ulla est ratio cum quadam ostentatione contra Franzelin urgendi verba, quibus enuntiatur ipsius doctrina.

---

[1] Divus Thomas 1915, 328. [2] Ib. 333. [3] Ib. 340. [4] Ib. 341 sq.
[5] Ib. 342 sqq.

Laudat Iácome S. Thomam, quod „vocem universae Ecclesiae catholicae hoc pacto quasi formula quadam redegit: Deus, ait, est auctor principalis, homo vero auctor instrumentalis“ [1]. Et Franzelin? „Deus [ait] est princeps auctor librorum, homines vero sunt instrumenta Dei ad librorum scriptionem.“ Nihilominus Iácome effert: Franzelin procedit a doctrina, quae „in se non contineat universam doctrinam catholicam, sicut formula S. Thomae, Deus est auctor principalis homoque instrumentalis“ [2]. Franzelin utique non solum hanc formulam statuit, sed etiam multis dictis SS. Patrum eam illustrat et probat; hoc tamen ei vitio verti non posse videtur. Sed censet Iácome a Franzelin corruptam esse doctrinam traditionis „quadam distinctione, suo arbitratu facta, in partem materialem et formalem libri“. Iamvero haec distinctio inter sententias et verba materialia est antiquissima et a SS. Patribus saepe repetitur (cf. quae de hac re late exposui De Insp. n. 300 sq. 428 462 sqq.). Adversarii cardinalis Franzelin adhuc quidem nihil contra eius doctrinam probarunt, quod sit alicuius momenti, sed quidam manifestarunt praeiudicatam opinionem, quae permira videtur.

4. In tertia dissertatione [3] haec leguntur: Deus solus est auctor principalis S. Scripturae per actionem formaliter immanentem et virtualiter transeuntem, qui coniungitur cum instrumento usque ad confectionem libri. Scriptor humanus est instrumentum singulare et supernaturale. Quis sit scriptor humanus, seu quaestio de authenticitate per se non pertinet directe ad fidem, „quia, fontibus revelationis deficientibus, scriptores plurium librorum latent circumfusi tenebris“; potest tamen indirecte in fide contineri, quatenus cum alia doctrina fidei consociatur [4]. Haec, quae latius exponuntur, hic omitti possunt, quia non pertinent ad conceptum inspirationis, de quo hic agimus, et quia exhibent ea, quae communiter admitti solent. Idem valet de quibusdam aliis quaestionibus, quae ceteroqui utiles et partim necessariae sunt ad libros sacros recte intellegendos, ut de lingua sacrorum scriptorum et de forma orationis in libris inspiratis adhibita [5].

5. *S. Thomas* ait quidem aliquotiens: Deus est causa principalis Scripturae, homo vero causa instrumentalis (De Insp. n. 169 177), sed non addit explicationem huius terminologiae. Quare Iácome in secunda dissertatione colligit ea, quae S. Thomas multis locis philosophice disputat de causis principali et instrumentali, et ita concludit: „In operibus igitur S. Thomae multae et graves quaestiones ad notionem causae principalis et instrumentalis revocantur, in quo numero etiam Sacrarum Litterarum inspiratio, ut supra diximus, reponitur.“ [6] Nemo negabit dicta S. Thomae in illa dissertatione esse diligenter collecta. Attamen fieri non potest, ut in quaestionibus theologicis rursum ex integro repetantur tractatus philosophici ad eas aliquo modo pertinentes. Maxime

[1] Ib. 349. [2] Ib. 351. [3] Divus Thomas 1917, 45 sqq. [4] Ib. 57.
[5] Ib. 326 sqq. [6] Divus Thomas 1916, 193.

hoc loco, brevitati studentibus, non licet nobis in istum campum philosophicum ingredi, in quo praeterea non desunt gravissimae difficultates, ut ostendunt tot disputationes ultimis annis factae. Ipse Iácome tangit e. g. illud, quod secundum S. Thomam proprium est instrumento „dispositive operari", et repetit verba Ioannis a S. Thoma: „Circa dispositionem, quam Divus Thomas ponit in instrumento, ut agat secundum propriam formam dispositive ad effectum principalis agentis, varie torquentur Thomistae." [1]

Itaque ne nimis longe aberremus a proposito nostro agendi de conceptu inspirationis, haec, quae diximus, sufficiant ad dandum specimen aliquod modi, quo quidam impugnant notionem inspirationis ultimo saeculo communissime receptam et adhuc multis theologis probatam. Conatus vero totam notionem inspirationis evolvendi e conceptibus causae principalis et causae instrumentalis videtur quibusdam potius regressus quam progressus esse in tractanda inspirationis quaestione [2].

6. Doctrinam Patris Zanecchia (cf. De Insp. n. 281 309 sqq.) valde confidenter sequitur **H. Merkelbach,** L'inspiration des Divines Écritures, 2e éd. (Liège-Arras 1913). Concedit tamen a „iuniore schola critica", cuius opiniones generatim sequatur, non posse merito contra card. Franzelin urgeri illud principium: naturam S. Scripturae non esse a priori determinandam, sed in Scriptura ipsa investigandam, cum certe „Franzelin habuerit consuetudinem aperiendi Scripturam"; praeterea illud principium non sufficere. „Quamquam studium Scripturae sit magnum subsidium in quaestione de inspiratione, tamen semper admissum est, huius exsistentiam et naturam cum certitudine cognosci non posse nisi ex traditione" (p. 5).

Haec quidem bene, sed minus bene rursum contra card. Franzelin urget essentiam inspirationis activae consistere in supernaturali actione divina, Scripturam vero ut opus divinum esse effectum huius actionis [3]. Plane ita! Et in hac re Merkelbach est fidelis discipulus card. Franzelin (De Insp.n. 300). Errat igitur, si putat hac ratione se posse refutare doctrinam eius; idem valet de sequentibus, ubi inculcat ex sola notione auctoris non posse veniri ad determinandum, quo sensu sit auctor. Sed cum hae obiectiones alibi (De Insp. n. 312) abunde discussae sint, hic immorandum non est.

Item omni fundamento caret illa assertio: ab asseclis card. Franzelin confundi inspirationem et revelationem [4]. Potius in hac re fideliter sequuntur ea, quae S. Thomas docet de relatione inspirationis ad prophetiam (De Insp. n. 409 sqq.) quaeque a quibusdam recentibus thomistis nimis negleguntur. Magis iis placet

---

[1] Divus Thomas 1916, 215.

[2] *E. Mangenot* ait: „Cette interprétation de Saint Thomas, si elle est conforme à la doctrine thomiste sur les causes principale et instrumentale, ne coïncide pas avec l'explication que le saint docteur a donnée lui-même de l'inspiration, dans son étude de la prophétie, explication que d'autres thomistes ont reprise. Elle rend, d'ailleurs, moins parfaitement compte de l'action des deux agents; c'est donc plutôt une régression qu'un progrès dans l'étude de la nature de l'inspiration" (Dictionnaire de théologie cath. 7 [Paris 1923] 2166).

[3] *Merkelbach,* L'inspiration 5 sq. [4] Ib. 18.

insistere doctrinae suae disputabili de praemotione physica et ea unice fere uti ad explicandum conceptum inspirationis. Quare Merkelbach vult totam confusionem theologorum, quos impugnat, inde oriri, quod non admittant theoriam thomisticam de motione supernaturali [1]. Sed hic conatus inducendi opiniones scholasticas in notionem inspirationis aliis displicet, ut *E. Mangenot* ait: „Per immodicum studium inducunt ita opinionem scholasticam in ipsam inspirationis definitionem." [2]

Quae dein a Merkelbach adduntur ad excludendam „theoriam inspirationis-revelationis" [3], in quantum dicuntur contra Franzelin, pertinent ad ea, de quibus iam ante multos annos scripsi: „Franzelin in explicanda inspiratione neque postulat revelationem neque negat hagiographos a Spiritu Sancto illuminari et impelli." Ergo si contra sententiam communem obicitur non sufficere, ut sacer scriptor a Deo accipiat, quae scribenda sunt, sed requiri, ut a Spiritu Sancto moveatur et impellatur ad scribendum, non immerito hic demonstrandi labor dictus est „conatus perrumpendi portas iam diu apertas" (De Insp. n. 309).

7. Sed de hac re satis. Videntur quidam adversarii doctrinae card. Franzelin sibi persuasisse se eius explicationem inspirationis biblicae e theologia exagitasse. Breviter igitur dicamus, quomodo revera res se habeat.

Quia *P. Dausch* olim, loquens de „vivisectione Scripturae", defensoribus quibusdam inspirationis verbalis quasi argumentum novum praebuit (cf. De Insp. n. 454, nota), audiamus, quid ipse de hac quaestione censeat: „Multo maiori parti theologorum minime placet, ut theoria, iam in quaestione de gratia dubitabilis [praedeterminationis physicae], transferatur ad dogma inspirationis. Etsi unanimiter concedunt, sacros scriptores sine cooperatione Dei non potuisse ullum verbum, ullam syllabam scribere, hic interrogatur, num in Sacra Scriptura locutionum forma eodem modo a Deo determinetur quo res ipsae. Hoc non ita esse manifestatur germana Scripturae indole. Deus non est scriptor ac conscriptor Sacrae Scripturae ea ratione, qua vult Zanecchia, qui ceteroqui liberiorem sententiam sequitur, quod attinet ad res in Sacra Scriptura contentas. Quae in Conciliis tridentino et vaticano definita sunt, profecto adhiberi nequeunt ad ullam speciem inspirationis verbalis probandam [4].

Iam pluribus ante annis *P. Schanz* simile iudicium pronuntiavit: „Si Lagrange et alii Dominicani, non obstante liberiore methodo historica, tenent inspirationem verbalem, hoc explicatur ex eorum generali doctrina de Dei ad mundum relatione. Sed hac via nihilo plus illustrabitur doctrina de inspiratione quam doctrina de gratia per praemotionem physicam." [5]

---

[1] Ib. 19.

[2] „Par un engouement excessif, on introduit ainsi une opinion d'école dans la définition même de l'inspiration" (Dictionnaire de théol. cath. 7, 2169). Alia, quae animadversione digna sunt in illo libello, vide Zeitschrift für kath. Theologie 1917, 553 sqq.

[3] *Merkelbach,* L'inspiration 20 sqq.

[4] *P. Dausch,* Die Inspiration des Neuen Testamentes (Münster i. W. 1912) 26.

[5] Biblische Zeitschrift 3 (Freiburg i. Br. 1905) 71.

Facile est talia theologorum iudicia multiplicare. Sed ne longi simus, sufficiat unum addere ex ultimis annis. *H. Felder* ait: „Tenendum omnino videtur inspirationem non se extendere ad omnia verba sive constructiones, quae ab hagiographis scriptae sunt." Hanc thesim probat 1. e conceptu inspirationis, 2. e Sacra Scriptura, 3. e SS. Patribus, 4. e consectariis absurdis verbalismi. In nota addit a recentissimis auctoribus omnibus, quos antea allegaverit, reici verbalismum, praeterquam a Zanecchia, Schiffini, Billot[1].

8. *Inspiratio verbalis,* quod attinet ad effectum, qui prostat in S. Scriptura, vix ullius est momenti. Leguntur enim ibi multi defectus grammaticales, stilistici, litterarii, ut ipsi sacri scriptores interdum fatentur. Iam si interrogas: Numquid Deus hos defectus supernaturali sua motione inspiravit? respondent defensores inspirationis verbalis: Deus solum movit instrumentum humanum ad scribendum; quod autem in scribendo defectus stilistici commissi sunt, non est adscribendum causae principali moventi, sed causae instrumentali defectibili. Et quid dicunt impugnatores inspirationis verbalis? Deus movit sacros scriptores ad scribendas certas veritates; in modo autem verbis exprimendi has veritates reliquit scriptores suis facultatibus, id solum assistentia sua efficiens, ut verba apta eligerentur ad significandas res, quas voluit Deus scripto commendare[2]. Ergo et defensores et impugnatores inspirationis verbalis docent defectus illos non ad Deum inspirantem, sed ad homines scribentes esse reducendos. Sub hoc respectu differentia opinionum est tam parva, ut non mereatur longas disputationes.

Potest fortasse videri eo magis in tuto poni recta Scripturae exegesis, quo strictior notio inspirationis formetur, ita ut omnia usque ad vocabula et syllabas dicantur a Deo determinata. Sed huic opinioni obstant facta. Nam inter propugnatores inspirationis verbalis non pauci sunt, qui liberiori et liberrimae exegesi favent, et quidam ius ita procedendi ex ipsa inspiratione verbali derivant (De Insp. n. 454). Summus Pontifex *Benedictus XV* gravissimis verbis recentiorum quorundam opinionem vituperat, qui „inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus atque imprimis erroris immunitatem absolutamque veritatem ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant"[3].

De inspiratione verbali Ecclesia non definivit quicquam. Licet igitur cuivis aut admittere aut reicere inspirationem verbalem, sive „mechanicam" veterum sive „psychologicam" recentiorum. Nostra aetate multo maiora in periculum vocantur quam vocabula et constructiones verborum.

---

[1] *Hilarinus Felder,* Apologetica 2 (Paderborn 1920) 298—301.

[2] Ita e. g. docet *Ioan. Muncunill,* Tractatus de locis theologicis (Barcinone 1916) 35—44.

[3] *Denzinger-Bannwart,* Enchiridion, ed. 14/15, n. 2186; citabitur in posterum simpliciter *Denz.*

9. Inter eos, qui „psychologicam“ inspirationem verborum admittunt, valde moderate et pacate iudicat de hac disputatione **I. V. Bainvel**: „Non putamus quidem vel necessario nexu coniungi inspirationem verbalem cum inspiratione conceptuum, vel salvam non esse ullo modo rationem libri inspirati, si quis neget inspirationem verbalem; eam tamen admittimus ut probabiliorem et magis cohaerentem psychologice explicationem, contra quam nihil afferri possit, quod valeat.“ [1] In nota addit: Ex propugnatoribus inspirationis verbalis „non pauci, ut Lagrange et Zanecchia, ita iniquo animo sunt in Franzelin, ut a veri rectique limitibus in eo impugnando egrediantur. Qui nobis causae fuere, cur thesim nostram, ut fecimus, efferremus“ [2].

Itaque a Bainvel haec tria statuuntur: 1. „Reicitur dictatio verbalis“; 2. „Admitti theologice potest inspiratio non verbalis“; 3. „Melior videtur explicatio per inspirationem verbalem late dictam.“ [3]

Si hae propositiones admittuntur, Franzelin id quod praecipue voluit, obtinuit; nam pugnavit contra illam crassam theoriam inspirationis verbalis, quae apud plurimos protestantes et apud quosdam theologos catholicos praevaluerat (De Insp. n. 453). Hanc igitur Franzelin ita confutavit, ut non iam, opinor, ab ullo theologo admittatur. Nova vero theoria inspirationis verbalis late dictae, ne pugnet cum quibusdam factis, suis quoque limitibus circumscribenda est. Nam varietas et defectus stili reducenda sunt ad scriptorem humanum, non ad Deum inspirantem; neque haec res „ab accommodatione nescio qua repeti convenienter potest“ [4]. Scriptura in aliam linguam fideliter translata manet liber inspiratus, etsi verba materialia sunt plane diversa. Si scriptor inspiratus amanuensi res scribendas indicat ad scribendum et ei curam politioris sermonis, sensu tamen servato integro, committit, habetur scriptum inspiratum, cuius materialia verba saltem non omnia sunt inspirata.

Haec exempla Bainvel ipse proponit et inde concludit: „Huiusmodi facta facilius explicantur cum theoria de inspiratione non verbali; si autem admittitur inspiratio verbalis, eam ita intellegamus oportet, ut non sit contra huiusmodi facta. Ex altera parte, ex huiusmodi factis constat valere aliquo modo eam distinctionem, quae passim circumfertur, inter ea, quae dicuntur, et modum dicendi. . . . Non ergo hanc [card. Franzelin] opinionem cum contemptu explodimus, neque hanc distinctionem omnino reicimus; immo de ea rationem esse habendam ab iis etiam putamus, qui inspirationem verbalem, latiore recentiorum sensu intellectam, propugnent, ne notio inspirationis in aliquid confusum et indefinitum evanescat.“ [5]

Si de conceptu inspirationis agentes omnes tam pacifice procedunt, cessabunt multae et vehementes altercationes, theologiae parum conducentes, neque in posterum tot labores impendentur ad pugnandum per minutias de rebus minimis. Merito *E. Mangenot* laudat temperatam

[1] *I. V. Bainvel,* De Scriptura Sacra (Paris. 1910) 134. [2] Ib. 135.
[3] Ib. 137 sq. [4] Ib. 136. [5] Ib. 136 sq.

illam sententiae expositionem eique se adiungit, id annotans sic per multas illas disputationes saltem aliquem progressum factum esse in explicanda notione inspirationis [1].

10. Superest, ut paucis tractemus *alteram partem quaestionis de conceptu inspirationis, scilicet utrum procedendum sit a conceptu auctoris ad explicandam notionem inspirationis, an a conceptu inspirationis ad explicandam notionem auctoris.* At nunc convenit fere inter theologos iungendum esse utrumque conceptum, neque multum interesse, sive quis ex causa studeat cognoscere effectum, sive ex effectu causam. Hanc enim olim faciebant obiectionem contra explicationem inspirationis ex notione Dei auctoris sacrorum librorum, quod sic perverteretur logica, cum prius sit inspirare quam auctorem esse, et cum ex ambigua notione auctoris non possit illustrari clarior notio inspirationis.

Ad hanc obiectionem **Aem. Dorsch** ita respondet: „Nihil omnino impedit, quominus aliquid prius altero sit in ordine causali, et tamen in ordine cognitionis ex hoc posteriore explanetur; quemadmodum Deus creator omnino prior est creaturis, et tamen ex ipso mundo creato quoad exsistentiam, naturam, proprietates cognosci debet et de facto aliquatenus saltem cognoscitur. Ita ex ecclesiasticis definitionibus prius possumus certo cognoscere, quod Deus ob inspirationem auctor est sacrorum librorum, et ideo ex hoc conceptu declarare et illustrare, quid sibi inspiratio velit, quamvis haec inspiratio prior fuerit in ordine causali.... Neque notio inspirationis ex sese minus ambigua est quam vox auctoris; et sicut aliquis esse potest auctor libri, quin sit eiusdem inspirator, ita aliquis inspirator libri esse potest, quin auctor eiusdem evadat."

Addit Dorsch obiectionem niti falso supposito. „Supponit nimirum argumentationem ex conceptu abstracto auctoris vel auctoris libri procedere; et hoc immerito. Etenim antequam ad analysim notionis inspirationis accessimus, per longum et latum ex ipsa S. Scriptura, ex traditione, ex ecclesiasticis definitionibus ostensum erat, quod Deus non utcumque auctor librorum sacrorum est, sed auctor talis, qui per hagiographos tamquam per instrumenta rationalia, i. e. per inspirationem, libros illos confecerit. Eiusmodi autem conceptus iam neque est communis seu genericus neque ambiguus, sed determinate ipsam rationem originis divinae librorum canonicorum continet et exhibet. Et cum secundum eosdem fontes praecise idem sit inspirare et auctorem esse per ministros humanos, et hoc alterum iam ratio formalis (non causa efficiens) sit inspirationis, haec optimo iure ex ratione sua formali declarari potest." [2]

---

[1] Dictionnaire de théol. cath. 7, 2207.

[2] *Aem. Dorsch,* De Inspiratione S. Scripturae (Oeniponte 1912; „Liber manuscriptus", sed typis impressus) 118 sq.

Simili modo solent nunc plurimi theologi, qui de inspiratione agunt, e conceptibus auctoris, inspiratoris, causae principalis et instrumentalis, prout haec in traditione explicantur, simul sumptis determinare et definire notionem inspirationis biblicae.

11. Quidam etiam agunt *de locutione Dei,* idque ob duplicem causam. a) Inspiratio pertinet ad prophetiam late dictam; prophetae autem sunt quodammodo os, quo Deus ad homines loquitur (De Insp. n. 169 sqq. 377 sqq.). Itaque Scriptura est verbum Dei ad homines loquentis (cf. De Insp. n. 383 sq.). b) Quia verbum Dei credere debemus, oritur quaestio, quo sensu singula Scripturae dicta sint verbum Dei (De Insp. n. 436 sqq.).

Ideo e. g. **S. Schiffini** tractatui de inspiratione praemittit inquisitionem „de locutione divina generatim“ [1]. De locutione divina ait: „Duo requiruntur, ut cum proprietate sermonis Deus homini loqui asseratur. Alterum increatum, quod quidem est ipsamet conceptio et veritas divinae sapientiae; alterum creatum, quo haec divina conceptio et veritas homini manifestetur ... in aliquo interiore vel exteriore signo, quo ex vi ipsius actionis divinae, qua producitur, conceptionem illam nobis aperiat.... Qui cognoscit naturam et propriam vim talium signorum, percipit etiam illa esse a Deo ex hoc fine et ea intentione, ut nempe significativa sint divinae mentis.... His autem signis continetur verbum Dei, quod est proprius terminus locutionis ipsius ad homines.“ [2]

Locutio divina minus late patet quam revelatio divina, quia Deus se supernaturaliter revelat etiam per scientiam infusam et per visionem beatificam, quae non sunt locutio. Quia nihilominus Deus loquendo potissimum docet et ducit genus humanum in via salutis, „revelatio divina et divina locutio promiscue in sermone ecclesiastico usurpantur. Est nempe sermo ... *de revelatione Dei testificativa,* prout nempe spectat ad fidem.“ [3] Comparat dein Schiffini locutionem divinam cum cognitione prophetica, et proponit doctrinam S. Thomae. Sed quia de hac re alibi egimus (De Insp. n. 169 sqq.), eam hic omittimus. „Apparet e principiis positis fieri nullatenus posse, ut falsitas aliqua, minima licet, subsit iis, quae prophetico spiritu cognoscuntur aut dicuntur.... Haec enim omnia procedunt a Spiritu Sancto in modum doctrinae ab eo traditae. Sunt igitur infallibilia, aeque ac infallibilis est divina cognitio.“ [4]

His verbis patefit, cur Schiffini ab initio libri sui posuerit illam dissertationem de locutione divina generatim spectata. Intendit enim maxime in tuto collocare „omnimodam inerrantiam Bibliorum“ contra placita „novissimae Scholae exegeticae“ [5]. Idcirco ante omnia statuit Deum

---

[1] *S. Schiffini,* Divinitas Scripturarum (Augustae Taurinorum 1905) 1—20.
[2] Ib. 5 sq. [3] Ib. 7 sq. [4] Ib. 19 sq.
[5] Ib. 90 sqq. 106 sqq.

esse, qui in Scriptura loquatur cum auctoritate testis infallibilis, absolute postulantis a nobis fidem.

Plerique theologi in tractatu de inspiratione non agunt in specie de locutione divina, sed ea, quae in philosophia de locutione et verbo in genere docentur, supponunt et data occasione ad quaestiones theologicas applicant, e. g. quando explicant revelationis et inspirationis inter se habitudinem (De Insp. n. 409 sqq.). Itaque non agitur de differentia doctrinae vel opinionum. Utiliter tamen notantur, quae *Bainvel* ait: „Est Scriptura verbum Dei, sed quatenus fert inspiratio; est inspirata, sed ita ut sit verbum Dei. Porro etsi correlativa sunt simul, distingui tamen potest ordo exsecutionis et ordo intentionis, ita ut prior sit in ordine intentionis ratio verbi divini, quatenus ideo inspiravit Deus prophetas, ut nobis per eos loqueretur (Hebr. 1, 1), prior in ordine exsecutionis sit inspiratio, vi cuius Scriptura sit verbum Dei ad nos.... Quod quidam non satis fortasse attendunt, cum videntur rationem verbi divini ad rationem inspirationis ita exigere, ut non rationem inspirationis ad rationem verbi divini exigant“ [1]; i. e. per notionem minus determinatam verbi divini volunt limites inspirationis circumscribere. Scriptura igitur sacra est, non solum quia verbum Dei continet, sed est verbum Dei scriptum, quo Deus nobis loquitur [2].

Scriptura hoc commune habet cum traditione apostolica, quod est verbum Dei; sed ei proprium est, quod est verbum Dei divinitus scriptum, quae divina scriptio quomodo facta sit, praecipue quaeritur et exponitur in tractatu de inspiratione.

Ex tribus formulis, quibus theologi utuntur ad notionem inspirationis explicandam: a) Deus est auctor sacrorum librorum; b) Scriptura est verbum Dei; c) Deus est causa principalis, scriptor humanus est causa instrumentalis; ex his tribus formulis nulla est, quae sufficiat ad plenam inspirationis definitionem perficiendam, si nude per se sumatur, sed hae formulae necessario explicandae sunt secundum doctrinam ab initio religionis christianae traditam.

12. **E. Mangenot**, examinatis multis de inspiratione editis libris vel dissertationibus [3], haec in fine colligit: „Inspiratio igitur Scripturae, quantum ad substantiam, est motio specialis Spiritus Sancti, determinantis voluntatem scriptoris ad scribendum et influxu in eius intellectum et

[1] *Bainvel*, De Scriptura Sacra 119 sq.

[2] Quae *F. Prat* scripsit contra usum illius formulae Deum esse auctorem Scripturae et ad commendandam aliam formulam Scripturam esse verbum Dei, discutiuntur a *F. Pignataro* (Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis [Romae 1903] 129—132), qui in fine haec ait: „Phrasis illa ‚Verbum Dei‘ est mirifice ambigua novisque opinionum portentis valde accommodata“; in Encyclica autem „Providentissimus“ legimus: „Fideliter teneant Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eundem esse Scripturarum auctorem.“

[3] Dictionnaire de théol. cath. 7, 2157 sqq.

facultates naturales efficientis, ut comprehendat et accurate scripto commendet, quod Deus vult, ut scribat, nec quicquam nisi hoc." Ex parte Dei „inspiratio est actio Dei ad extra, communis igitur omnibus tribus personis divinis, quae appropriatur Spiritui Sancto, quia et ipse spiratur." Inspiratio est gratia gratis data extraordinaria, transiens, qua scriptor humanus infallibiliter determinatur ad libere scribendum, ita ut liber inspiratus sit totaliter et integraliter opus Dei et opus scriptoris humani.

Motio Dei in voluntatem scriptoris humani diversis modis facta est. Interdum Deus dedit formale praeceptum scribendi, ut e. g. Isaiae; interdum sine formali praecepto intrinsecus movit hominem ad scribendum; interdum etiam usus est externis condicionibus, quibus hominem movebat ad scribendum. Impulsus divinus non erat initialis tantum quaedam excitatio, sed permansit usque ad perfectionem operis; itaque erat et antecedens et concomitans.

Cum inspiratio ut talis non sit revelatio proprie dicta, Deus movet intellectum ita, ut homo accipiat cogitatam rationem libri, disponat materiam eamque in aptam formam redigat. Sed quia homo est instrumentum rationale et liberum, ex sua parte conferat necesse est, quae et quatenus potest. Ergo eius naturales qualitates et dispositiones apparebunt in opere cum imperfectionibus humanis. Attamen supernaturali lumine iuvatur, ut de rebus scribendis certum sibi iudicium formet, quo fit, ut eius iudicium particeps sit auctoritatis divinae. Etiam in memoriam et imaginationem scriptoris humani agit Deus, ut apte exprimat quae dicenda sunt.

Libri inspirati in lingua humana continent verbum Dei scriptum. Itaque Scriptura, qualis processit e manibus scriptorum inspiratorum, et abstractione facta a mutationibus, quae per decursum saeculorum fortasse irrepserunt, hominibus, qui cognoscunt eius originem divinam utpote ab ecclesia testificatam, est infallibilis fidei regula, ab omni errore exempta. Omnis assertio Scripturae est assertio Dei ipsius: Scriptura est manifestatio sententiarum divinarum, quas Deus hac via voluit cum hominibus communicare[1].

Cum Mangenot († 1922) fuerit optime peritus in libris et quaestionibus ad inspirationem pertinentibus, cumque ultimam copiosiorem expositionem doctrinae de inspiratione ante annum 1924 ediderit et rem iudicio sobrio ponderaverit, licebit eius sententiam considerare ut fidele specimen doctrinae nunc inter theologos catholicos praevalentis de inspirationis natura et effectibus.

---

[1] Ib. 2174 sqq.

ART. II.
DE VERITATE ABSOLUTA AUT RELATIVA SCRIPTURAE.

13. In Sacra Scriptura Deus loquitur; dicta Scripturae sunt verba Dei; ergo absolute vera.

Attamen Scriptura non est ipse Deus; ergo eius veritas, comparata cum infinita veritate Dei, est relativa tantum veritas.

Itaque veritas Scripturae recte dici potest et absoluta et relativa, non sub eodem, sed sub diverso respectu (De Insp. n. 497 516). Utrum quis bene an male loquatur de relativa veritate Scripturae, non ex ipsa appellatione veritatis relativae diiudicandum est, sed ex modo, quo hunc terminum intellegit et explicat.

Termino veritatis relativae maxime abusus est *A. Loisy*. Ne dicere necesse esset, secundum artem criticam nostrae aetatis in Scriptura inveniri multos errores, statuit non esse quaerendum, num in Scriptura sint errores, sed quaerendum esse, quantum veritatis sit in Scriptura. Generatim igitur secundum eum dicere licet in Scriptura semper et ubique esse veritatem relativam, i. e. veritatem, quae saltem a scriptore sacro talis habebatur et scribebatur. Sed hodierna veritas cuiusvis libri potest esse error crastinus. Inter homines nulla est veritas absolute perfecta et immutabilis, ne religiosa quidem vel dogmatica vel biblica (De Insp. n. 362 sqq.)[1]. Scriptura igitur Veteris Testamenti est opus olim quidem secundum certas ideas et commotiones religiosas, populi israelitici et maxime prophetarum eius proprias, conscriptum, sed nunc antiquitate senescens. Quare fieri non potest, ut eius dicta omnia nobis eodem modo vera sint, quo primis eius scriptoribus et lectoribus vera fuerunt; nam homines continenter mutantur et veritas humana cum iis. Agnoscamus igitur in Scriptura multos esse errores materiales, qui tamen, uti olim sub inspiratione scripti sunt, non sunt errores formales. Immo ipsa medulla veritatis, i. e. idea Dei creantis, conservantis, gubernantis mundum legitur in Scriptura sub cortice antiquis temporibus convenienti, nunc autem emortuo. Exegesis criticae est diligenter distinguere ea, quae retinenda, et ea, quae solum ut modi loquendi suae aetati convenientes aestimanda sunt. Ita Loisy et alii.

Cum principia huius novae theoriae inspirationis nequaquam distincte et clare definita et circumscripta sint, mirum non est eius propugnatores valde inter se differre, si agitur de applicationibus ad singula Scripturae dicta faciendis. Quare fit, ut non raro alter reiciat explicationem, quam alter ut optimam statuit, utque, si unum sequaris, alios habeas adversarios; sed omnes gloriantur hac nova theoria id effici, ut exegeta sine scrupulis et anxietatibus possit accedere ad

[1] Plura de hac re scripsi in Theologische Zeitfragen 4 (Freiburg 1908) 41 sqq. In versione italica huius opusculi a Dr. *U. Mannucci* parata: Fede, Dogmi e Fatti storici (Roma 1909) 41 sqq.

solvendas difficultates, quae olim metum et pavorem incutiebant. Multis videbatur exorta aurora novae et gloriosae aetatis exegeticae; opera exegetica praecedentium saeculorum solum conservabuntur in bibliothecis ut testimonia conatuum grandium sed infortunatorum servandi in omnibus materialem veritatem Sacrae Scripturae. Alii tamen non adeo erigebant exspectationem. Audiamus exegetam, qui magis caute loquitur.

14. **I. Göttsberger** haec scribit: „Tractatio quaestionum fundamentalium exegesis primum in Gallia paullo vividior facta est; neque usque ad ultima tempora defuerunt quaedam, quae animos commoverent et disputationibus vehementibus materiam subministrarent. A. Houtin vix iam commemoratur, eo saepius autem A. Loisy, quorum duorum zelus criticus immoderatus auctoritative repulsus est. Fautori autem criticae et catholicae tractationis Bibliorum non minus strenuo, Patri M. I. Lagrange O. P., sapiens moderatio et mitis disputandi modus conciliavit auctoritativam tolerantiam, forte etiam approbationem. Neque deest huic scientificae excitationi elementum aliquod dramaticum admirationis, quia videmus in arenam descendere ut virum studiosum et eruditum episcopum Mignot, qui ne de Loisy quidem, non obstante eius radicalismo exegetico, plane desperat, sed plenum consensum cum Lagrange manifeste ostendit.“ [1]

Quid igitur censendum est de disputatione orta inter veterem scholam conservativam et recentem scholam progressivam? „Schola progressiva nostrae aetatis pro fundamento ponit eundem conceptum inspirationis atque pars conservativa. Quidquid in Scriptura legitur, est inspiratum et ab errore exemptum.“ Sed distinguendum est inter abstractam et concretam conceptionem inspirationis. Conservativi aiunt: Theologia dogmatica statuit notionem inspirationis omni ex parte perfectam; huic notioni accommodanda sunt placita exegetica et scientifica. „Ita arti exegeticae imponitur molestum onus e Sacra Scriptura extorquendi vel eiciendi sensum a priori postulatum aut exclusum.“ Si ageretur de una tantum vel altera difficultate, necessarium non esset reicere opinionem communiter receptam. „Sed difficultates exegeticae numero et pondere ita possunt crescere, ut in theologica explicatione dogmatis inspirationis neglegi non possint. Id nunc accidisse recens exegesis progressiva unanimiter agnoscit. Conscientia et sinceritas exegetica non iam vult sequi modum torquendi verba et per vias et devia construendi harmoniam realem. Irresistibili vi sibi viam facit persuasio apriorismum theologicae definitionis adaptandum et corrigendum esse factis probatis.“ Hinc orta est acerrima pugna [2].

At „certissime iustum et valde utile est accurate distinguere formalem veritatem, quae determinato generi litterario convenit a materiali veritate eorum, quae dicuntur. Etiam intra limites, qui applicationi huius principii necessario assignandi sunt, multae difficultates apparent ut defectus rectae intellegentiae, qui solum detegendi sunt. Etiam minus dubitationis infert admissio veritatis, quae solum sub certo respectu veritas est et relativa veritas vocari solet....

[1] Biblische Zeitschrift 3 (1905) 225. [2] Ib. 234 sq.

Quaevis aetas summam conceptuum et iudiciorum propriam habet, quae sunt fundamentum conversationis humanae, et quae in omni colloquio subintelleguntur. Nulla loquela, quae versaretur extra has notiones et ideas, ab hominibus illius aetatis intellegi posset, sed iis sonaret, quasi quis lingua aliena uteretur. . . . Deus imperfectae cognitioni rerum naturalium se accommodavit, ut, hominibus loquens, ab iis intellegeretur." Disputatio orta est, utrum encyclica „Providentissimus" hanc accommodationem solum concedat de descriptione rerum physicarum, an idem principium extendat ad res historicas. Hanc extensionem encyclica ipsa non docuit, sed haec extensio „est necessaria consequentia eorum, quae dicit de relativitate notionum physicarum, quae in Scriptura resplendeat. Etenim arbitrarium esset hanc relativitatem restringere velle ad cognitiones physicas . . .; nam omni aetate homines in omni genere cognitionis certas notiones communes habent, quae supponuntur, quando inter se colloquuntur et intellegi volunt." Deus autem in scribendis libris sacris usus est hominibus, qui cogitabant et loquebantur ut ceteri homines, ad quos libri sacri primum destinabantur. Deus inspirator utique omnia dirigebat ad finem a se intentum; quae autem ad hunc finem indifferentia sunt, homini inspirato debentur, non vero procedunt ex speciali fine Dei inspiratoris. In his rebus eodem modo vera sunt opera inspirata atque opera profana, in quantum scilicet finis inspirationis non plus postulat. Potuit Deus nobis dare Scripturam absolute perfectam, sed ad finem intentum sufficit Scriptura relative perfecta, quam nobis reapse dedit. Exegetarum autem est principia haec generalia ad singula dicta biblica considerate applicare [1].

15. Haec expositio manifestat progressum quendam in explicando conceptu veritatis relativae. Loisy veritatem relativam appellabat omnem modum, quo homines secundum conceptus et loquendi formulas sua aetate vigentes cogitare et loqui solent de rebus supersensibilibus. Haec veritas mutabilis est sicut homines, qui eam producunt, sive sunt homines inspirati sive non inspirati. Itaque non solus conceptus inspirationis biblicae, sed conceptus Trinitatis, Incarnationis, omnium mysteriorum religionis christianae sunt solum relative veri, i. e. respectu hominum certa aetate viventium, non autem ita absolute veri, ut etiam posterioribus temporibus immutabiliter valeant, sed potius secundum quorumcumque temporum exigentias reformandi sunt.

Veritas relativa sic intellecta, reiecta est Prop. 58 decreti „Lamentabili": „Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur" (*Denz.* 2058; cf. 2079 sq.).

Haec „veritas relativa" non solum est res philosophice absona, sed etiam manifesta haeresis, quam omnis theologus vere catholicus abominatur. Illa autem veritas relativa, quam quidam theologi sincere catholici statuerunt, non refertur ad ipsam rem, quae docetur, sed ad modum concipiendi et loquendi, quo homines certae aetatis uti solent, ad res immutabiliter veras exprimendas. Attendendum esse dicunt eadem verba aliis temporibus aliter intellegi, et nos, si nunc verba

[1] Biblische Zeitschrift 3 (1905) 243—250.

priscorum scriptorum accipiamus secundum morem loquendi nunc usitatum, posse vehementer decipi; addiscendos igitur esse antiquorum scriptorum mores litterarios, ut eorum sensum recte percipiamus. Hoc sine dubio verum est; neque tamen servire potest ut universale principium ad solvendas omnes difficultates exegeticas. Saepissime enim dubium manebit, quid pertineat ad medullam rerum, et quid ad corticem verborum.

16. De qua re **A. Durand** haec ait: Si agitur de inerrantia Scripturae, duo termini erroris et veritatis non sufficiunt, sed requiritur analysis magis accurata. Verumtamen terminologia, de qua conveniat inter omnes theologos, nondum habetur. Quidam loquuntur de veritate relativa, alii hunc terminum non considerant nisi ut euphemismum ad significandum errorem. Alii censent veritatem relativam neocriticorum esse assertionem, qua hagiographus per modum unius simul vera et falsa affirmet. At patet non hoc sensu a theologis et criticis catholicis accipi hanc denominationem. Neque enim hi eo modo quo Loisy (cf. De Insp. n. 362 sqq.) intellegunt veritatem relativam, seu, ut iste quoque ait, veritatem „proportionalem" vel „oeconomicam", quae est veritas „precaria". Olim putabant solem volvi circa terram, haec erat veritas hesterna; hodie putant terram volvi circa solem, haec est veritas hodierna. Hoc sensu veritas relativa hodierna est error crastinus. Qui quidem modus concipiendi veritatem expresse condemnatus est in decreto „Lamentabili", at hac condemnatione non adstringimur ad admittendum omnem veritatem habere valorem simpliciter absolutum. Quaedam vera ligantur condicionibus historicis, et hoc modo sunt relativa. Sic olim verum erat: „Messias veniet"; sed quando temporibus S. Pauli christiani dicebant „Maran atha" (Dominus venit 1 Cor. 16, 22), sensus erat oppositus. Saepe relativitas est in eloquendi forma. Ita in Symbolo dicimus: „Qui sedet ad dexteram Patris." Si qua forte in lingua locus honoris significaretur per sinistram, potuit eodem sensu dici: „Qui sedet ad sinistram Patris." [1]

Itaque Durand censet terminum veritatis relativae esse nimis ambiguum, et ipsi magis placet dicere: In Scriptura non solum non est error moralis (mendacium), sed neque ullus error formalis et obiectivus. Error formalis habetur, ubi deest conformitas inter assertiones scriptoris et realitatem rerum. Sed error obiectivus non adest in iis, quae scriptor noluit asserere ut obiective vera. Quae in textu quodam biblico non affirmantur ut obiective vera, non sunt errores, etsi scriptor forte in mente aliquid non obiective verum pro vero habuit, ut patet in modo loquendi de rebus physicis eo tempore usitato. Sed ab iis, quae sacer scriptor affirmat verbis suis ut vera, excluditur omnis error logicus et obiectivus [2].

[1] Dictionnaire apologétique 2, 4e éd. (Paris 1915) 766 sq.
[2] Ib. 759 sqq. (cf. De Insp. n. 538 sqq.).

17. Monet autem Durand neglegendam non esse *redactionem* seu rationem, qua sacri scriptores in librum redegerint ea, quae ex fontibus, sive scriptis sive non scriptis, collegerant („Procédés rédactionnels"). Immediate quidem haec redigendi ratio externam formam attingit, sed aliquo modo etiam ad rem ipsam penetrat, non tamen mutans identitatem. Haec si mente tenentur, habetur via explicandi similitudines et differentias in libris Regum et in Paralipomenis, in libris Machabaeorum, in Evangeliis synopticis. Quod modernistae vel rationalistae hac theoria abusi sunt, non est ratio respuendi etiam ea, quae in ea sunt legitima et utilia (cf. *Mangenot,* Les Évangiles synoptiques [1911] 65—87). Ita necesse non est ordinem chronologicum semper servari in factis historicis referendis, sed potest substitui ordo logicus vel psychologicus. Potest scriptor uti locutionibus indeterminatis, comprehendere una „narratione collectiva" dicta vel facta, quae ad diversa tempora pertinent, vel plures narrationes, quae in variis fontibus reperiuntur, in unam colligere. Hoc agendi modo oriuntur quidem interdum obscuritates, quas exegetis difficile est explicare, non vero quicquam falsi affirmatur. Praeterea hebraei non amabant constructionem verborum subordinatam, qualis in plerisque aliis linguis adhiberi solet, sed praeferebant simplicem coordinationem verborum; ubi nos ponimus orationem obliquam, ipsi adhibent orationem directam, internas cogitationes solent exprimere per modum locutionum externarum, et ita plurima dramatice describuntur ut extrinsecus facta vel dicta, etsi agitur de eventibus pure internis.

Durand igitur loco illius principii abstracti, esse in Scriptura non omnia absolute, sed quaedam relative tantum vera, potius enumerat varias *proprietates „redactorum"* antiquorum, et in iis invenit clavem ad aperiendas multas difficultates. Hoc non esse inventum plane novum artis criticae et hermeneuticae ostendit dictis SS. Patrum et theologorum. Recte tamen monet moderate et prudenter applicandum esse hoc placitum in se legitimum ad singula dicta Scripturae[1]. Neque enim, ubicumque apparet aliqua difficultas, statim dicendum est: Substantia rei non parat difficultatem, sed „redactio" tantum; omittamus igitur peculiaria quaedam et accidentalia, quae ex hoc fonte manarunt, et retineamus essentialia tantum. Non ita procedendum est, sed singulis locis ostendendum, quas ob causas sensus crasse materialis urgendus non sit (cf. De Insp. n. 492 sqq. 520).

Durand apologetis indicat, quomodo multas obiectiones, quae contra Scripturam fieri solent, solvere possint distinctione facta inter res, quae narrantur, et modum, quo „redactor" eas in librum coniunxit. In ipsa autem exegesi biblica hic respectus apologeticus est secundarius; primo enim loco quaeritur, quis sit obvius sensus verborum et utrum hic sensus simpliciter retinendus sit, an ex litterario procedendi modo

[1] Dictionnaire apologétique 2, 768 sqq.

scriptoris certum expositionis temperamentum poscat. Id iam veteres exegetae sciverunt et fecerunt; progressus autem exegeticus nostrorum temporum in eo est, quod haec praecepta hermeneutica accuratius exposita sunt et securius applicantur. Sed simul apparuit periculum, ne quidam nimis praecipitanter veteres et solidas interpretationes despicerent et de multo simpliciore et faciliore exegesi nostrae aetatis gloriarentur. Huic defectui debitae moderationis tribuendum est, quod tot et tam acres adversarii exstiterunt.

18. Episcopus **Franc. Egger** librum scripsit, cui titulus est: „Veritas Sacrae Scripturae absoluta an relativa?“ [1] Concedit ut rem evidentem esse veritates sub certo respectu relativas, ut vera creata, si comparantur cum veritate aeterna; facta contingentia, si comparantur cum veritatibus metaphysicis, alia similia. De his in quaestione biblica non agitur. Relativa quoque est veritas metaphorarum, fabularum, parabolarum. Immo etiam in narrationibus historicis alia est veritas historiae criticae, cuius singula dicta et facta secundum fontes examinata et probata sunt, et alia est veritas historiae ab illis scriptoribus narratae, quibus ars critica ignota fere erat. Hi enim scriptores non curant de minimis et accidentalibus, sed solum de veritate narrationis generatim sumptae. Quid vero sit scriptori propositum, non coniecturis statuendum, sed ex eius verbis ostendendum est. Qui manifestat intentionem scribendi historiam, non fingendi fabulas, eo ipso dicit se velle in omnibus non ficta sed facta referre, in quantum possit. Ergo non oportet quidem postulare, ne umquam erret, sed oportet exigere, ne ut vera narret, quae scit esse falsa. Ut admittamus narrationes specie tenus historicas esse solum allegorias vel parabolas, rationes sufficientes afferendae sunt, ob quas a sensu historico recedamus. Haec valent de omnibus historiographis [2].

Iam si haec applicamus ad scriptores sacros, etiam in Scriptura leguntur metaphorae, parabolae, citationes dictorum falsorum; dicta et facta referuntur cum quadam libertate. Haec iam praecedentibus saeculis nota erant. Sed toti antiquitati catholicae ignotum erat, quod nunc multi nomine scientiae postulant, scilicet historiam biblicam esse vel posse esse plenam legendarum, traditionum popularium, narrationum sub specie historica sine fundamento historico proponentium doctrinas morales vel religiosas; immo integros libros, qui semper historici habebantur, non esse nisi parabolas vel prophetias allegoricas. Haec utique „veritas relativa“, qua tribuuntur Sacrae Scripturae multi errores, quamvis in rebus tantum profanis, est inventum nostrorum temporum. Dicunt asseclae huius novae scholae, unice ex intentione hagiographi pendere, utrum velit scribere historiam proprie dictam, an

[1] *Franz Egger,* Absolute oder relative Wahrheit der Heiligen Schrift? (Brixen 1909.)
[2] Ib. 7 sqq.

aliud quid docere sub specie historiae; ideo saepe tam difficile esse verum sensum Scripturae invenire, quia non satis penetremus in internam mentis dispositionem et externas condiciones, quibus animus antiqui scriptoris in conficiendo libro regebatur.

Quomodo igitur distinguemus, quae scriptor voluit docere, quae vero voluit solummodo ut vestimenta seu ornamenta doctrinae proponendae adhibere? *Ex scopo,* inquiunt; noluit enim docere profana, sed religiosa seu ad salutem pertinentia. Quidquid ad salutem proficuum non est, non est ita inspiratum, ut tali ornamento absoluta veritas adscribenda sit.

Sed in hac re recentes illi theologi a constanti traditione ecclesiastica recedunt. SS. Patres dicebant: Tota Scriptura et omnes eius partes sunt a Deo inspiratae; quidquid autem inspiratum est, ob hoc ipsum ad salutem confert. Asseclis vero scholae recentis contraria conclusio placet: Haec et haec, quae in Scriptura legimus, non pertinent ad ordinem salutis; ergo interpretanda non sunt, quasi ad salutem necessarium sit earum veritatem absolutam admittere. Concedendum quoque est secundum eos solam summam rerum pertinere ad ordinem salutis, in singulis autem dictis interdum difficillimum vel impossibile esse distinguere, quid pertineat ad rem, quid e contra ad formam narrationis[1].

Secundum hanc igitur theoriam, ita concludit Egger, Sacra Scriptura potest continere errores profanos et revera continet. Quot sint errores biblici, quales sint, quomodo explicandi sint, non consentiunt, sed errores posse esse et reapse esse in Scriptura, ex criteriis modernis hermeneuticis necessario colligitur[2].

Quomodo neocritici catholici hanc suam opinionem conciliant cum verbis Leonis XIII omnem errorem a sacro auctore excludentis (De Insp. n. 343)? Per se triplex via cogitari potest: a) Loci errores continentes non sunt inspirati; b) errores, qui in Scriptura leguntur, non docentur; sunt igitur errores pure materiales, non formales; c) errores sunt res minores, quae intactam relinquunt veritatem totius operis. „Hi tres conatus in id conspirant, Deum noluisse nobis in Sacra Scriptura tradere veritatem absolutam, sed relativam tantum seu limitatam." Quia primus modus explicandi diserte reiectus est in encyclica „Providentissimus", theologi catholici, etiam ii, qui recentissimo et liberrimo cursui biblico favent, concedunt inspirationem etiam ad res profanas extendi. Sed in hac re non possunt sibi constare; nam, si sunt in Scriptura veri errores, Deus non potest esse eorum causa seu inspirator, sed solum eos permittere potest. Ergo non possunt esse omnia inspirata, si in Scriptura sunt veri errores[3].

At, inquiunt, numquid Deus hagiographis infudit scientiam rerum profanarum ultra cognitionem temporibus illis communem? Nonne potius

---

[1] *Egger,* Wahrheit der Hl. Schrift 11—23. [2] Ib. 67. [3] Ib. 228—232.

eos ita inspiravit ad scribendum, ut eorum libri ab aequalibus suis intellegi possent? Ad haec respondendum est: Ut scriptores inspirati immunes manserint ab erroribus scribendis, non requiritur, ut generatim per anticipationem acceperint notitiam rerum profanarum, qualis paulatim tantum posterioribus temporibus ab hominibus acquisita est; sed sufficit, ut Deus hagiographos eo modo direxerit, quo errores excluderentur, sive ducendo ad fontes vera continentes sive arcendo a fontibus non veracibus. Deus enim hominem fallibilem multis modis iuvare potest, ut vi influxus divini infallibiliter vera dicat et scribat. Si in speciali condicione ad hoc requiritur revelatio, haec non excluditur. Ad alterum vero quod obicitur hagiographos ita scripsisse, ut ab aequalibus suis intellegi possent, sine dubio omnes id admittunt. At non minus evidens est Deum voluisse hagiographos ita scribere, ut ab ecclesia intellegi possint. Consequenter constans consensus ecclesiae in diiudicandis et explicandis libris sacris est certa probatio veri sensus Scripturae. Sicut Deus prius libros sacros veteris testamenti dedit hominibus ante Christum viventibus, ita eosdem libros ecclesiae dedit ut regulam fidei et morum. Ecclesia semper habuit veram intellegentiam Scripturae, etsi intra limites verae intellegentiae progressus non excluditur [1].

19. Sententiam episcopi Egger asseclis „scholae largioris" exegeticae displicuisse mirum non est. Sed etiam quibusdam theologis catholicis, minime rationalisticis, interdum exaggerasse videtur. Id *V. Hartl* his exemplis illustrat: Egger p. 18 ait: „Licet concludere: hic textus est inspiratus; ergo est ad salutem proficuus." Contra hoc assertum obicitur: Quid igitur ad salutem confert scire Paulum sub centurione Iulio vectum esse navi, cuius insigne erat Castorum (Castoris et Pollucis), et venisse Puteolos, et similia, quae narrantur in duobus ultimis capitibus Actuum Apostolorum? Aliud dictum episcopi Egger est: Tamdiu catholicus credere debet veritatem historicam singulorum factorum historiae biblicae, quamdiu non constat ecclesiam permisisse aliam explicationem (p. 387). Obicit Hartl: Si quivis catholicus credere debet historicam veritatem singulorum factorum in Scriptura narratorum, numquam fieri posse videtur, ut ecclesia permittat tale factum habere pro non historico, quia, quod omnes credere debent, necessario est verum [2].

Respondet Egger: Quodsi dixi, quidquid inspiratum sit, esse utile ad salutem, nimirum nolui affirmare singula Scripturae dicta, si per se sumantur, esse immediate utilia ad salutem, sed in contextu totius narrationis, in quo sunt quasi vestis religiosae instructionis. Num haec profana non constituunt magnam Scripturae partem? Nisi haec omnia aliquam spiritualem utilitatem habent, quomodo potuit apostolus (2 Tim. 3, 16) scribere: „Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia"? Quomodo possunt SS. Patres inculcare in singulis Scripturae dictis latere ingentes thesauros? Nonne etiam in partibus per se

[1] Ib. 235—237.

[2] Theologisch-praktische Quartalschrift 62 (Linz 1909) 813.

indifferentibus apparet magna Dei benignitas, tam humano modo cum hominibus conversantis?

Quod ad alteram quaestionem attinet, sintne singula facta in Scriptura narrata, singulis fidelibus credenda fide divina, distinguendum est: Historiam biblicam generatim esse veram historiam credendum est, quia est veritas immutabilis. Utrum autem quaedam specialis narratio biblica sit historia, an sit allegoria vel parabola, potest esse dubium; ergo si prius putabatur esse historia, postea autem contrarium ostenditur, certe correspondens assensus subiectivus mutandus est; id quod fieri potest, quia pendebat e condicione obiective dubia.

Ceterum etiam res, quae credendae non sunt ut dogmata, possunt tamen esse tenendae ut propositiones theologice certae. Tales possunt esse singulae quaedam narrationes biblicae, de quibus exegetae, si censent se habere sufficientes rationes, possunt varias opiniones sequi „ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio“ [1]. Effert Egger se cum Hartl in substantia doctrinae prorsus consentire, differentiam unice fere esse de modo loquendi.

20. Consideratis disputationibus de „veritate relativa“ habitis, obvia est haec conclusio: Ex theoria veritatis relativae non multum lucis affulsit quaestioni biblicae. Nam quo sensu in sacra quoque Scriptura reapse sit veritas relativa, e. g. in metaphoris, parabolis, aliis dicendi generibus, est res tam evidens et simplex, quae non indigeat multis disputationibus, cum in quavis „Hermeneutica biblica“ explicetur. Sed veritatem relativam proponere ut generale principium, ex quo fluat solutio omnium vel plurimarum difficultatum biblicarum, est conatus cassus. Regula tam anceps et incerta aeque bene valet ad operiendum errorem quam ad patefaciendam veritatem. Id modernistae ad oculum demonstrarunt, qui suo agendi modo effecerunt, ut illud principium veritatis relativae narrationum historicarum Scripturae inter theologos catholicos iam per multos annos vix adhuc aut ne vix quidem audiatur. Quorsum spectaverit illa veritas relativa modernistarum, apparet ex libello contumelioso, quem Loisy anno 1908 direxit contra decretum „Lamentabili“ et encyclicam „Pascendi“ sub titulo: Simples réflexions sur le décret du Saint-Office „Lamentabili sane exitu“ et sur l'encyclique „Pascendi dominici gregis“. Ibi enim p. 42 ait: „Deus est auctor Scripturae eodem modo, quo est architectus ecclesiarum romanae S. Petri et parisiensis Nostrae Dominae. Imaginari Deum scripsisse librum, certe est anthropomorphismus maxime puerilis.“ Itaque terminus veritatis relativae, modernistice intellectus, nihil aliud est nisi negatio dogmatis catholici de inspiratione et inerrantia Sacrae Scripturae. Propter hunc abusum ille terminus in „quaestione biblica“ tractanda merito in desuetudinem abiit.

---

[1] Theol.-pr. Quartalschrift 63 (1910) 248—256. Cf. quae scripsi in libello „Theol. Zeitfragen“, 3. Folge (Freiburg i. Br. 1902) 42—47, vel in eius versione latina „Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis“ (Romae 1903) 48—53.

De Loisy, Tyrrell, aliis *A. Harnack* a. 1909 in Historia dogmatum (I 47) ait: „Sperare licet futurum, ut illi viri iis, qui Protestantismum despiciunt, explicent, quam vera sit doctrina eius. Interim autem summus pontifex iis declarat ipsos non esse catholicos, idque merito; nam etsi tergiversantur, de nostris tamen sunt."

Iam quarto anno ante exegeta catholicus *I. Göttsberger* [1] scripserat haec: Loisy ita ad sinistram secessit, ut plurimi exegetae, progressui faventes, non censerent hanc esse legitimam consequentiam principiorum criticorum, quae ab ipsis quoque admittuntur; nam etiam in moderata exegesi critica Loisy ille priorum temporum adhuc vivit, tum in generali ratione disciplinae exegeticae, tum in quibusdam thesibus, quas ipse prius proposuerat.

Idem adhuc valet et maxime valet de reliquiis illius „veritatis relativae" biblicae, cuius auctor est Loisy, qui, Scriptura, inquit, ob hoc ipsum vera erat eo tempore, quo primum edita est, quia easdem falsas conceptiones multarum rerum habebat, quae communes erant omnibus hominibus illius aetatis [2].

De qua re monet summus pontifex **Benedictus XV** [3]: „Dolendum est non modo ex iis qui foris sunt, sed etiam e catholicae Ecclesiae filiis, immo vero, quod animum Nostrum vehementius excruciat, ex ipsis clericis sacrarumque disciplinarum magistris non defuisse, qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reiecerint vel occulte oppugnarint.... Neque minus [quam ii, qui revelationem restringunt ad solas res religiosas] ab Ecclesiae doctrina... ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum absoluta inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo relativa quam vocant, et concordi vulgi opinione.... Itaque contendunt hagiographos ... ita eventa ignaros rettulisse prouti haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur" (*Denz.* 2186 sq.). Itaque haec veritas relativa quo magis oblivione obruitur, eo magis absoluta veritas dogmatis catholici in tuto erit.

ART. III.
DE CITATIONIBUS IMPLICITIS.

21. Inter eos, quibus theoria veritatis relativae displicebat, erat *Ferd. Prat,* qui ipse maxime excoluit doctrinam „citationum implicitarum". Quae res alibi sufficienter explicata est (De Insp. n. 361 532 sqq.).

Huius sententiae mira sors fuit. Habuit quidem hoc commune cum aliis opinionibus, quod ab aliis theologis benigne recepta, ab aliis autem

[1] Biblische Zeitschrift 3 (1905) 226.

[2] Plura de hac re vide apud *I. Beßmer,* Philosophie und Theologie des Modernismus (Freiburg i. Br. 1912) 176 sqq. De modernistis italis cf. *C. Carbone,* De modernistarum doctrinis (Romae 1909) 146.

[3] Encyclica „Spiritus Paraclitus": Acta Apost. Sedis 12 (1920) 393—395.

severe damnata est; sed hoc singulare videtur, ut etiam ex iis, qui liberiori exegesi favent, tam diverse de ea iudicatum sit. *A. Durand* e. g. ei assensus est[1]. *Fr. de Hummelauer* vero contra eam annotat: „Haec est utique sententia valde commoda, quae tamen, ubi speciales rationes eam non postulant, coactum necessitate solvendarum difficultatum remedium videtur.“[2] Ceterum haec potissimum dicuntur contra formulam illam ut nimis vagam; nam secundum rem Hummelauer idem proponit, sed varias distinctiones adhibet, uti mox videbimus.

I. Göttsberger, copiosius istam quaestionem tractans, ita iudicat: „Schola progressiva“ desiderabat formulam aliquam ad significandas certas „imperfectiones“ Sacrae Scripturae. Quae formula consensu sat unanimi inventa esse videbatur in *citationibus explicitis.* Nam si scriptor dicit se haec et illa legisse in fontibus suis, inspiratio divina per se solum efficiebat, ut adesset veritas citationis, non ut res citata esset vera. Res igitur citatae poterant esse crassi errores, ad quos influxus divinus se non ita extendebat, ut eos corrigeret. Itaque quotiens sacer scriptor citat fontes, significat se non praestare veritatem rerum citatarum.

Estne hoc ita? Nonne potest scriptor etiam ideo citare aliorum verba, quia ea vera habet et legentibus ut vera repetit? Cur igitur dicunt: Ubi sunt citationes, ibi scriptor sua auctoritate non tegit veritatem verborum citatorum? Ratio est, quia multi putant esse in Scriptura errores, qui illa formula: „Sunt citationes“, subtrahuntur auctoritati Dei inspirantis et hominis inspirati. Revera autem rarae erunt exceptiones, in quibus intentio scribentis refertur ad solam veritatem citationis. Praeterea ne in hac quidem re consuetudines litterariae nostrorum temporum transferendae sunt ad tempora antiqua.

Cum vero non sufficeret excludere intentionem affirmandi veritatem rerum citatarum a citationibus explicitis, quia campus difficultatum biblicarum multo latius patet, processerunt ad admittendas *citationes implicitas.* Adesse interdum indicia fontium, quibus usus est scriptor, etsi nihil de iis expresse dicit, certum est. Narratio historica Veteris Testamenti saepe se exhibet ut compilationem. In quantum diversitas narrationum est tam manifesta, ut mentem hagiographi fugere non potuerit, concludendum est eum neutram narrationem voluisse ut veram affirmare, in quantum altera ab altera differt. At semper fere apparebit studium conciliandi varios fontes.

Ii, qui per theoriam citationum explicitarum et implicitarum errores Scripturae subtrahere volunt auctoritati divinae, ubicumque vident citationes, statim supponunt hagiographum praestare nolle nisi veritatem citationis. Sed merito postulatur argumentum huius suppositionis; quae probatio est difficilis. Citatio sive explicita sive implicita neque semper

[1] Revue du Clergé français 33 (1903 I) 20 sqq.
[2] Exegetisches zur Inspirationsfrage (Freiburg i. Br. 1904) 73.

neque per se sine ulteriore inquisitione rem citatam ponit extra periculum hagiographi vel inspiratoris[1].

22. Ergo Göttsberger, qui utique in quaestione biblica non est adversarius exegesis liberioris, ideo non approbat theoriam illam citationum, quod nitatur gratuita suppositione et antiquis hagiographis tribuat considerationes criticas, quae alienae fuerint ab illorum temporum usu.

Multo etiam severius iudicasse quosdam theologos conservativos mirandum non est. Exemplum iam alibi (De Insp. n. 371) posuimus verba card. *Billot,* qui theoriam citationum implicitarum vocat „vanissimum effugium ad conciliandam inerrantiam Scripturae cum materiali falsitate narrationum eius". *S. Schiffini* (Divinitas Scripturarum 162) ait: „Reprobanda est illa corruptio Bibliorum, quae a novellis quibusdam exegetis sub ementito nomine citationum implicitarum circumfertur." Numerat (p. 163) illud dictum inter artificia, quibus recentes quidam student „suae mentis errata innocuis formulis convestire ad fallendos incautos". Et (p. 166) allegat verba *A. I. Delattre* (Autour de la question Biblique (53 307), qui censet illam theoriam esse periculi plenam, cum privet maximam partem Scripturae veritate.

Disputatio delata est ad *Commissionem pontificiam de re biblica*:

„Ad dubium:

Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis Sacrae Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia habere non possunt?

Responsum est:

Negative, excepto casu, in quo, salvis sensu ac iudicio ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1. Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, et 2. eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui." Ita die 13 februarii 1905 (*Denz.* 1979).

23. Ex hoc responso plura discere licet: a) Non a priori reicienda est possibilitas citationis implicitae, cuius asserta sacer auctor non sua facere vel approbare intendat. Exaggerat igitur Schiffini, cum (Divinitas Scripturarum 162—164) ait „nihil esse hanc hypothesim quam meram corruptionem integritatis Librorum sacrorum"; nam, inquit, illo loco, ubi citatio implicita esse dicitur, nemo loquitur nisi Spiritus Sanctus et sacer scriptor, et in iis, quae dicuntur, nihil est explicitum, in quo appareat implicita citatio; omne autem implicitum supponit aliquod explicitum, in quo subaudiatur. „Est ergo istiusmodi nomenclatio merum mendacium. Liber itaque sic concinnatus, si minus interpolatus, at certe corruptus est dicendus. Citationes quippe illae

[1] Biblische Zeitschrift 3 (1905) 237.

implicitae a sacro scriptore adiectae minime sunt genuina pars Scripturae divinitus inspiratae." Qui serio loquitur, aut sententiam suae mentis testatur, aut testatur se referre sententiam alterius. Neutrum autem apparet in citationibus implicitis, quia sacer scriptor supponitur non suum facere documentum, quod inserit, neque dicit se alterius verba citare, quia haec esset citatio explicita. Ergo nihil dicit neque ipse neque Spiritus Sanctus. „Documenta igitur sic inserta ... nulla ratione sunt partes Scripturae, sed alienorum quasi interpolamentum, quo sacer Codex corrumpitur.... Est igitur hoc systema, vere et proprie, simplex negatio dogmatis catholici, quo definitum est Veteris et Novi Testamenti libros *integros cum omnibus suis partibus,* prout in Tridentini decreto recensentur, pro sacris et canonicis esse suscipiendos." Qua in re Commissio de re biblica dissentit ab argumento Schiffini et admittit possibilitatem tacitae citationis, i. e. admittit posse aliquem sine explicita citatione ita loqui vel scribere, ut quivis, qui attente et considerate audit vel legit, percipiat aliena dicta referri. Id, ni fallor, inter homines fieri posse vix quisquam negabit. Responsum autem Commissionis id etiam a Sacra Scriptura non a priori et absolute excludit.

b) Negat autem Commissio id per modum generalis principii adhibendum esse ad enodandas difficultates, quae forte in textibus historicis Scripturae occurrant, sed singulis in locis, inquit, rationes afferendae sunt, quibus ostendatur hagiographum citare documenta nec ea tamen probare nec sua facere. Hoc sane rationabiliter postulatur, ne citatio implicita, simpliciter asserta, fiat ludificatio exegesis.

c) Citationes implicitae, praesertim obiective errori faventes, admitti non debent, quando obstat vel expressum iudicium vel sensus ecclesiae. Quae regula cuivis theologo catholico per se manifesta est.

24. Hoc igitur responso dato coeperunt theologi inquirere, quid valeat ad diiudicandam theoriam citationum implicitarum, qualem P. Prat proposuerat.

E. Mangenot ait: P. Prat non suppeditavit hanc theoriam ut rationem apologeticam, quae applicari posset ad omnes textus historicos, sed restrinxit applicationem ad eos locos, quibus secundum sanam criticam reproducitur documentum profanum. Addidit non posse e solo facto mutuationis concludi hagiographum nolle affirmare veritatem rei citatae, sed hoc esse diligenter examinandum. Consequenter Commissio biblica, reiciens theoriam citationum implicitarum ut remedium universale et facilius difficultatum historicarum Scripturae, eam quibusdam condicionibus limitavit. Sic igitur restricta hac theoria uti licet theologo catholico. Provocat Mangenot inter alia ad sententiam Patris *Brucker* (L'Église et la critique biblique 67—71) dicentis: Quidam exegetae nostrae aetatis censent, quotienscumque auctor nominet fontes, ex quibus hauserit, eum fidem rerum narratarum in eos refundere.

Sed hoc generaliter dici nequit, nisi scriptor hanc condicionem aut expresse addit aut clare significat. Secundum sanam hermeneuticam evidens videtur historiographum sacrum, qui res e fontibus haustas repetit, se constituere fideiussorem veritatis earum. Si theoria citationum implicitarum nimis large applicatur, est solutio difficultatum expeditior quam securior, quae notabiliter minueret auctoritatem inspirationis librorum historicorum et omnibus narrationibus biblicis suspicionem crearet. Quam ob causam hoc effugium apologeticum sub forma generali, quam ei dederunt, absolute reiciendum est; sed legitime applicari potest haec theoria, saltem ut hypothesis, ad quaedam specialia documenta, ut sunt genealogiae in primo libro Paralipomenon et similia[1].

25. Etiam parciorem lenitatem theoriae citationum implicitarum exhibet *Aem. Dorsch* (De insp. S. Script. 430 sqq.), qui principia Patris Prat eius verbis exponit. Dein quaerit, „num ipsa exsistentia eiusmodi citationum implicitarum *solidis rationibus* ostendi possit". Respondet solidum argumentum non videri illud, quod Prat in genere urgeat: „Nisi in Scriptura sunt citationes implicitae, sunt errores." Nam „ex ipsa tendentia, quam prosequitur iste auctor, argumentatio apertam petitionem principii continet, cum ipse per theoriam suam errores S. Scripturae excusare intendat. Insuper est argumentatio *generica; in genere* autem quaestio Commissioni biblicae proposita certe negata est et reprobata, et concessionem, quam sub hypothesi permittit, nonnisi ad singulares quosdam casus restringit" (p. 434).

Negat deinde Dorsch ullam citationem implicitam umquam certo probatam esse in Scriptura. „Quare pro exsistentia eiusmodi citationum hucusque non videtur satisfactum esse condicioni per Commissionem biblicam provisae: quod solidis argumentis probentur" (p. 435). Huic tamen iudicio vix erit qui assentiatur exegeta. Ipse P. Dorsch addit hanc quaestionem de exsistentia citationum implicitarum non esse tanti momenti. „Si citatio eiusmodi manifesto ostenditur, sine ulla dubitatione et haesitatione admitti potest."

Ad illam autem obiectionem de petitione principii forsitan responderint defensores citationum implicitarum se ideo admittere in Scriptura materiales errores e fontibus ab hagiographo sine approbatione receptos, ne oporteat admittere errores formales ab ipso hagiographo affirmatos; hanc autem non esse petitionem principii.

Ceterum secundum Dorsch principalis quaestio haec est, „utrum auctor prudens fontibus a se allegatis fidem rerum *per se* permittat". Distinguit inter simplices *relationes* et *citationes* proprie dictas. Simplex relatio est e. g. Neh. 7, 5: „Inveni librum census eorum, qui ascenderant primum, et inventum est scriptum in eo...." Ab initio secundi

[1] Dictionnaire de théol. cath. 7, 2260—2263.

libri Machabaeorum exhibentur duae epistulae Iudaeorum, Act. 7 integer sermo protomartyris Stephani, et similia aliis locis. De his igitur simplicibus relationibus „absque dubio valet, quod sacer scriptor praeter fidelitatem relationis rerum relatarum fidem in se non susceperit“ (p. 436).

Distinctae a simplicibus relationibus sunt *citationes proprie dictae,* „quando auctor sacer verba aliorum vel fontes allegat, ut iis res suas proprias confirmet vel exponat et narrationem suam evolvat“ (p. 436). Quibus verbis Dorsch conceptum citationum artius circumscribit, quam Prat et alii facere solent; et contra citationes sic determinatas ita argumentatur:

a) Historiographi sacri, praesertim Veteris Testamenti, citationibus explicitis indicant se res fere universas ex fontibus hausisse. Accedunt, si auctoribus modernis credideris, multae citationes implicitae. Itaque si sacri scriptores in se non suscipiunt fidem rerum, quas citant, „quid demum ex tota sacra historia certa fide credere vel admittere possumus?“ (p. 436 sq.).

b) „Est et universalior ratio haec: Nemo prudens homo integram gentis historiam componit ex documentis vel citatis, de quorum veritate vel falsitate nullum iudicium ferat; sed eo ipso quod affert testimonia aliorum, eadem fini suo subicit, qui est historiam nectere et posteris tradere.“ Ergo scriptor rem ex quocumque fonte haustam, quam operi suo simpliciter inserit, suam facit et sub propria fide suscipit, nisi contrarium interdum certo probetur (p. 437).

c) Inconcinnum est admittere antiquos hagiographos secundum mentem auctorum istorum sensu critico destitutos ex fontibus simpliciter historiam contexere eamque ut veram proponere, et nihilominus et illis scriptoribus et eorum lectoribus tam criticam mentis dispositionem adscribere, ut distinxerint inter veritatem citationis et veritatem rei citatae, idque etiam in citationibus implicitis (p. 438) [1].

d) „Cum in citationibus expressis certum criterium habeas eas agnoscendi et inde aliquam saltem cautionem, ne in indefinitum res dubiae fidei extendas, eiusmodi cautela in citationibus implicitis prorsus deerit. Ita occurrente nescio quo incommodo dicto S. Scripturae unusquisque statim ad eiusmodi citationem implicitam recurrere poterit, cuius fidem auctor inspiratus non urgeat“ (p. 438). Haec igitur Dorsch.

26. Sunt etiam non pauci alii, qui pugnant contra citationes implicitas ut principium hermeneuticum, quod latum usum habeat; sed quae dicta sunt, sufficiunt ad ostendendum satis frigidam fuisse receptionem illius theoriae inter theologos catholicos, sive dogmaticos sive biblicos.

[1] *Göttsberger* ait: „Ist es nicht eine Exegese mit doppeltem Gesichte, wenn man die Absicht des Schriftstellers auf die bloße veritas citationis von entscheidendem Gewicht sein läßt..., anderseits den erkennbaren guten Glauben des heiligen Schriftstellers an seinen Bericht und seine damit gegebene Absicht, Wahres mitzuteilen, ohne Grundangabe außer Anschlag läßt?“ Bibl. Zeitschr. 3 (1905) 243 nota 1.

Vim tamen suam retinet responsum Commissionis de re biblica, quod sub certis condicionibus applicationem theoriae citationum tacitarum permittit.

Nihilominus summi pontifices iterarunt iudicia minime propitia de usu huius theoriae. *Pius X* in encyclica „Pascendi" loquitur de recentioribus quibusdam, „qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, cum tacitas sic dictas citationes invehunt" (*Denz.* 2090). *Benedictus XV:* „Neque aliis Scriptura Sancta obtrectatoribus caret; eos intellegimus, qui rectis quidem, si intra certos quosdam fines contineantur, principiis sic abutuntur, ut fundamenta veritatis Bibliorum labefactent et doctrinam catholicam communiter a Patribus traditam subruant." Loquitur summus pontifex de iis, qui „sensu et iudicio ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes, quas vocant, implicitas vel ad narrationes specietenus historicas confugiunt" (*Denz.* 2188). Sed hic quoque solus abusus citationum implicitarum vituperatur, non vero usus principii, quod verum manet, si intra certos fines continetur, dummodo iudicium et sensus ecclesiae ne posthabeantur.

Ceterum „citationes implicitae" non minus quam „veritas relativa" ut principium universale exegeticum evanuerunt fere e lingua theologica.

ART. IV.

DE NOVO SYSTEMATE HERMENEUTICO AD SOLVENDAS DIFFICULTATES BIBLICAS EXCOGITATO.

27. Usque ad initium saeculi vigesimi iam multi conati erant statuere generalem aliquam regulam, secundum quam tot difficultates biblicae, graviter vexantes, maiore facilitate solverentur. Alii restringebant inspirationem et inerrantiam Scripturae ad res religiosas et morales; alii distinguebant inter ea, quae docentur, et ea, quae solum sunt externus vestitus orationis; alii praedicabant veritatem relativam; alii confugiebant ad citationes implicitas; alii efferebant modum loquendi secundum apparentiam. Sed nullum inventum erat principium, quod omnibus placeret, et quo tota via aspera complanaretur vel saltem sufficienter emolliretur. Praeterea auctoritas ecclesiastica ex his placitis varia reprobaverat.

Tum, ecce, anno 1904 in lucem prodiit libellus, qui mox omnium in se animos convertit. **Franc. de Hummelauer** in opusculum, quod inscripsit: „Exegetica ad inspirationis quaestionem spectantia" [1], collegerat omnia, quae sibi ab aliis recte dicta videbantur, eaque composuerat in novam quasi hermeneuticam biblicam, monens tamen, cum tempus scribendi opus omnibus numeris absolutum nondum advenisset, se voluisse materiam tantum discussionis subministrare.

[1] Exegetisches zur Inspirationsfrage (Freiburg i. Br. 1904); est in serie „Biblische Studien" numerus 4 tomi 9.

Omnia, quae auctor exponit, revocantur, ut ipse ait, ad tria principia per se sat simplicia et evidentia: a) Sunt in Scriptura *varia genera litteraria,* quorum suam quodque propriam veritatem habet, sive est veritas narrationis stricte historicae sive veritas narrationis plus minusve fictae. Recte distinguantur haec varia narrandi genera, statim cessabunt multae difficultates historicae. b) In inspirationis conceptu *non solus Deus inspirans considerandus est, sed etiam homo inspiratus,* qui ad munus scribendi confert totam suam humanam indolem cum omnibus suis imperfectionibus, excepta tantum falsitate morali et logica. Cogitat igitur et loquitur de rebus ad profanas disciplinas pertinentibus secundum ingenium hominum illius aetatis. Quod si mente tenuerimus, a multis erroribus immunes erimus, non inferentes nostros conceptus in verba hagiographorum, sed studentes ex ipsorum conceptibus eorum dicta interpretari. c) Quaestiones *altioris criticae,* de auctoribus, redactoribus, compositione, originis tempore, historia sacrorum librorum, non sunt quaestiones neque per se neque plerumque per accidens theologicae, sed pertinent ad disciplinam profanam. Hoc qui meminerit, habet clavem, qua aperiuntur multae difficultates criticae.

Haec tria principia Hummelauer tanta fiducia et facundia exponit et applicat, ut mirati sint multi res tam simplices et manifestas fugisse plurimorum notitiam, et his principiis admissis relative tam pauca, praeter doctrinas religiosas et morales, remanere, quae in libris historicis aut quasi historicis Veteris Testamenti inspiratione et auctoritate divina affirmentur et idcirco fide divina credenda sint. Iam haec ipsa facilitas principiorum et amplitudo usurpationis eorum non paucis visa est res notabilis et animos ad obloquendum commovit. Auctoritas quoque ecclesiastica aliquotiens dissensum suum ostendit. Sed antequam ad praecipuam rem accedimus, forsitan iuverit contiguas quasdam quaestiones secundarias prius expedire.

28. *Prima quaestio* est de sensu vocabuli hebraici *toledoth,* decies in libro Genesis repetiti, quod in Vulgata vertitur „generationes". Ita Gen. 2, 4: „Istae sunt generationes caeli et terrae"; 5, 1: „Hic est liber generationis Adam", et ita porro usque ad 37, 2.

Omnes concedunt verbum toledoth illis locis verti posse „historiam". Hoc supposito Hummelauer ita argumentatur: In solo libro Genesis verbum toledoth adhibetur, non vero in libris Exodi et sequentibus, qui etiam sunt historici. Nonne hac appellatione significatur historiam in Genesi narratam esse historiam sui generis? Scilicet est historia originum mundi et humani generis. Haec autem non potest esse historia nisi sensu latiore, quo traditio popularis vocatur historia. Ergo toledoth in libro Genesis significat traditionem popularem. Immo licet tuto affirmare historiam originum in populo electo usque ad Moysen non fuisse umquam scripto, sed verbo tantum oris conservatam. Iamvero facta, quae diu verbis tantum narrantur, sua sponte fiunt traditio

popularis, i. e. secundum materiam et formam subeunt notabiles mutationes. Certum quidem est Deum providisse, ne in hac transformatione irrepserint errores religiosi in historiam originum; sed etiam in rebus pure historicis miraculose impeditum esse omnem errorem probatum non est. Ergo admittere licet in libro Genesis facta historica et ficta in unam continuam narrationem esse contexta[1].

Quid voluit Hummelauer ostendere? Ipsam S. Scripturam utendo verbo toledoth indicare narrationes omnes vel multas in libro Genesis non esse historicas, sed traditiones populares. Quid revera probavit, si quid probavit? Nos posse ob varias considerationes aliunde petitas rationabiliter admittere narrationes verbo toledoth significatas non esse historiam presse dictam, sed antiquissimas traditiones populares. Hae autem sunt duae res toto caelo diversae. Conatus theoriam traditionum popularium argumento biblico substruendi successu caruit.

Ita satis unanimiter iudicarunt tam ii, qui laudarunt opusculum Patris Hummelauer quam qui impugnarunt. Ita e. g. *W. Engelkemper* eximia laude ornat opusculum, sed argumentum ex verbo toledoth censet e primo loco esse removendum, utpote non valde firmum[2]. *P. Vetter* ait quidem opusculum illud sibi ex animi mente esse scriptum, sed verbo toledoth significari traditiones populares non concedit, vult potius esse traditiones domesticas[3]. *W. McDonald* consentit cum principali thesi Patris de Hummelauer, sed argumentum primum ex verbo toledoth non videtur ei ullo modo decretorium[4].

Ex iis, qui pugnant contra Hummelauer, *L. Fonck* effert ne unam quidem opusculi censuram videri scriptam esse in favorem novae explicationis verbi toledoth. Ad ostendendam novitatem explicationis Fonck testes invocat optima lexica hebraica et recentissima (1905), secundum quae toledoth habeat triplicem significationem; est enim 1. generationes seu proles, 2. genealogia seu historia gentilicia, 3. productio seu creatio rerum. Hanc ultimam significationem habet Gen. 2, 4. Ceteris locis Genesis optime convenit secunda significatio, i. e. genealogia vel historia domestica; idem valet de Num. 3, 1; Ruth 4, 18; 1 Par. 1, 29, quos textus Hummelauer omittit. Favet etiam etymologia, quia *jalad* est „generare“. Ex conceptu autem generationis ad conceptum genealogiae vel historiae gentiliciae facilis est transitus, e contra nexus generationis cum traditione populari minime perspicuus est[5].

Haec pauca sufficere videntur, ut appareat, cur diutius immorari non oporteat in diiudicando conatu faciendi ex verbo toledoth argumentum biblicum, quo fulciatur theoria traditionum popularium in narrationibus genesiacis.

29. *Altera quaestio* versatur circa illa verba, quae in encyclica „Providentissimus“ leguntur: „Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad

[1] *Fr. v. Hummelauer,* Exegetisches zur Inspirationsfrage (Freiburg i. Br. 1904) 25—32.
[2] Theologische Revue 3 (Münster 1904) 600.
[3] Theologische Quartalschrift 87 (Tübingen 1905) 274.
[4] The Irish Eccles. Record, April 1905, 340 sq.
[5] *L. Fonck,* Der Kampf um die Wahrheit der Heiligen Schrift seit 25 Jahren (Innsbruck 1905) 164 sqq.

historiam praesertim, *iuvabit transferri.*" Super paucis his verbis et audaces conclusiones exstructae et acres disputationes factae sunt.

Contextus est hic (cf. De Insp. n. 344 sq. 515): Leo XIII ait sacros scriptores, ubi de ortu et occasu solis et aliis phaenomenis physicis loquantur, noluisse intimam rerum adspectabilium constitutionem pervestigare et docere, sed eos describere res secundum communem loquendi usum. Praeterea, si apud singulos quosdam Patres vel posteriores interpretes quaedam expositiones leguntur non pertinentes ad res fidei, hae non necessario sequendae sunt. Similiter si quidam philosophi vel speculatores naturae quaedam affirmant ut certo tenenda, quae nondum communiter et constanter recepta sunt, haec non statim transferenda sunt ad expositionem Scripturae, quia interpretem fugere non debet „factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quodsi physicorum scriptores, terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas."

Post haec immediate leguntur illa verba, de quibus agitur: „Haec ipsa . . . iuvabit transferri." Cur et quo sensu iuvabit transferri? Id statim explicatur. „Dolendum enim multos esse qui antiquitatis monumenta . . . magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. . . . At nefas omnino fuerit . . . concedere sacrum ipsum errasse auctorem. . . . Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse." [1]

Numquid in hoc contextu illud „iuvabit transferri" hunc sensum habet: Sicut de phaenomenis physicis sacri scriptores, sequentes communem hominum usum, loquuntur secundum ea, quae sensibiliter apparent, ita in rebus historicis populares traditiones sequuntur, nihil curantes de intima rerum narratarum veritate? An potius inculcatur: Sicut in quaestionibus physicis non quaevis nova opinio praecipitanter est amplectenda, ita multo minus in quaestionibus historiae antiquae omnia illa, quae ab inimicis religionis revelatae ex documentis priscis contra Scripturae veritatem tamquam firma argumenta proferuntur, recipienda sunt ad mutandam Scripturae interpretationem? Responsum videtur satis clarum.

Nihilominus Hummelauer iterum iterumque appellat verba ista „iuvabit transferri" tamquam argumentum, quo theoria sua de traditionibus

[1] Encycl. „Providentissimus Deus", ed. Herder 55 sqq.

popularibus auctoritate summi pontificis fulciatur. Opusculum incipit a verbis Leonis XIII pertinentibus ad contextum, in quo illud „iuvabit transferri" legitur. Hic contextus postea explicatur (p. 50 sqq.), quae explicatio sic concludit: Illis verbis „encyclica ipsa nobis ostendit modum procedendi in dissertatione nostra" (p. 52). „Encyclica nos invitat, ut ea, quae dicta sunt [de rebus physicis], ad historiam transferamus" (p. 58). „In provincia rerum physicarum omnes renuntiant maximae [conformitati verborum et rerum]; encyclica vult, ut eodem modo renuntiemus in provincia historiae. Quamdiu huic exhortationi resistent?" (p. 65). „Encyclica monet, ut ea, quae de physica scientia sacrorum auctorum dixit, ad historiam et cognatas disciplinas transferamus" (p. 89). Ex iis, quae ecclesia in causa Galilei tandem a. 1822 definite decrevit, „Leo XIII necessariam conclusionem fecit: Haec ipsa . . . iuvabit transferri" (p. 98). Leo XIII „terminos revelationis et disciplinarum physicarum clare descripsit. Historiae et aliis disciplinis profanis canonem constituit: iuvabit transferri" (p. 128).

Hisce locis manifestatur, quam alte et firmiter menti Patris de Hummelauer inhaeserit persuasio interpretationem suam esse veram et indubitatam. Attamen alii aliter censuerunt.

30. Contra hanc expositionem scripsit *L. Hugo*[1], qui inter alia ait: In encyclica „Providentissimus Deus" Hummelauer invenit confirmationem doctrinae suae; at, quod mirum est, longiorem contextum numquam indicat, sed contentus est rhetorico usu et repetitione illorum duorum vocabulorum „iuvabit transferri". Quid transferendum sit et quo fine, numquam accurata encyclicae exegesi exponitur. Quae dicit de contextu et vi huius doctrinae, non sunt bene fundata, sed potius apta ad parandam confusionem. Saepius quam ad alias res illud „iuvabit transferri" applicandum erit ad tot assertiones dubias, quae ut scientiae postulata praedicantur. Hic, si umquam, illud „iuvabit transferri" applicandum erat ad illas monetas adulterinas, quae non raro ut argentum genuina scientiae effigie signatum circumferuntur[2].

L. Murillo ait verba „iuvabit transferri" iungenda esse cum monitione, qua iubemur cauti esse in recipiendis nimis facile quibusdam dictis novis nomine scientiae prolatis. Hunc nexum verborum postulat imprimis proximus contextus, qui antecedit illa verba; nam demonstrativum „haec" secundum naturalem et obvium sensum refertur ad illa, quae proxime praecedunt. Quae explicatio fit certa propter verba immediate sequentia „Dolendum *enim*", quibus summus pontifex nos praemunit contra malam fidem multorum, qui incumbunt studiis historicis[3].

E. Mangenot dicit se semper censuisse et hanc suam opinionem identidem scriptis expressisse: analogiam inter apparentias sensibiles phaenomenorum physicorum et facta historica esse violentam; verbis encyclicae „iuvabit transferri" „attribuerunt sensum, quem neque habebant secundum intentionem pontificis

[1] *Lud. Hugo,* Katholische Exegese unter falscher Flagge (Regensburg 1906).

[2] Ib. 75 sq. 79.

[3] *L. Murillo,* Crítica y Exégesis[2] (Madrid 1905) 80 sq. Liber scriptus contra Hummelauer.

neque poterant habere; nam interpretatio, quam dederunt, habet formalem contradictionem cum inerrantia completa, quam Leo XIII diserte et fortiter vindicavit ut effectum necessarium inspirationis“ [1].

I. Göttsberger censet in encyclica „Providentissimus“ non haberi fundamentum opinionis, secundum quam apparentiae sensibiles rerum physicarum transferendae sint ad res historicas populari traditione conservatas, cum encyclica potius inculcet cautiones necessarias in his rebus servandis; posse tamen per modum conclusionis simile quid colligi ex iis, quae encyclica dicat de rebus physicis, cum arbitrarium videatur relativam veritatem velle ad sola phaenomena physica restringere [2].

Aliter sentit *N. Peters,* qui a. 1906 scripsit dissertationem: Veritas Sacrae Scripturae secundum sententiam recentis exegesis catholicae [3], in qua ait: „Secundum iudicium multorum theologorum (P. de Hummelauer, P. Lagrange, N. Peters, aliorum) iam summus pontifex Leo XIII in encyclica ‚Providentissimus Deus‘ conclusionem valere etiam in rebus historicis dixit illo loco, de quo tantum disputatum est: Haec eadem principia [scilicet quae valent de disciplinis physicis et Scriptura] possunt, si placet, ad alias cognatas disciplinas, imprimis ad historiam, applicari“ (ib. 286 sq.). In priore opusculo, in quo exponit principia ecclesiae catholicae de exegesi biblica [4], p. 48 sq. statuit secundum Leonem XIII in Scriptura inveniri errores humanorum scriptorum tum in rebus physicis tum in rebus historicis.

Itaque de illis verbis „iuvabit transferri“ triplex legitur apud theologos sententia: 1. alii dicunt summum pontificem diserte declarasse posse ea, quae exposita sunt de rebus physicis, transferri ad res historicas; 2. alii dicunt hoc principium non diserte quidem in encyclica pronuntiari, posse tamen recte ex ea concludi; 3. alii negant vel illam explicationem verborum vel hanc conclusionem iure et merito fieri posse.

31. *Haec disputatio authentice finita est declaratione Benedicti XV,* qui in encyclica „Spiritus Paraclitus“ (15 sept. 1920) [5] imprimis vituperat eos theologos, qui dicunt secundum encyclicam „Providentissimus“ a sacris scriptoribus de rebus physicis ea scripta esse, quae cum veritate pugnent, et Deum hoc permisisse. „Id vero quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis Pontificis verbis manifesto apparet. Neque enim ab externa specie, cuius rationem esse habendam Leo XIII, praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinate, sapientissime edixit, ulla falsi labes divinis Litteris aspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi dogma est sanae philosophiae“ [6] (cf. De Insp. n. 509 sqq.).

Dein de prima illa explicatione verborum „iuvabit transferri“ hoc fit iudicium: „Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio

[1] Dictionnaire de théol. cath. 7, 2253 sq.

[2] Bibl. Zeitschr. 3 (1905) 244 sq.

[3] Die Wahrheit der Heiligen Schrift nach der Anschauung der neueren kathol. Exegese (Hochland 1907 II, 276—295; etiam ed. separata).

[4] *N. Peters,* Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung (Paderborn 1905).

[5] Acta Apost. Sedis 12 (1920) 385 sqq. [6] Ib. 394 sq.

ceterorumque Patrum comprobata, ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa* quam vocant et concordi vulgi opinione; idque non verentur ex ipsis Leonis Pontificis verbis inferre, propterea quod principia de rebus naturalibus statuta ad disciplinas historicas transferri posse dixerit. Itaque contendunt hagiographos, uti in physicis secundum ea, quae apparerent, locuti sint, ita eventa ignaros rettulisse, prouti haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur, neque fontes scientiae suae indicasse neque aliorum enarrationes fecisse suas. Rem in decessorem Nostrum plane iniuriosam at falsam plenamque erroris cur multis refellamus? Quae est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur, quae ‚sensibiliter apparent' ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum, contra, lex historiae praecipua haec sit scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere? Recepta semel istorum opinione, quo pacto incolumis consistat veritas illa, ab omni falso immunis, narrationis sacrae, quam decessor Noster in toto Litterarum suarum contextu retinendam esse declarat? Quodsi affirmat ad historiam cognatasque disciplinas eadem principia transferri utiliter posse, quae in physicis locum habent, id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est, ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam." [1]

Itaque constat eam explicationem verborum „iuvabit transferri", quam Hummelauer et alii cum tanta fiducia ut certo veram praedicaverunt, non esse veram eamque repeti nulla ratione oportere.

Haec igitur dicta sint ad ostendendum illa duo argumenta, quibus Hummelauer conatus est theoriam suam fulcire quasi auctoritate biblica et auctoritate pontificia, esse inefficacia. Iam ad theoriam ipsam considerandam accedamus.

ART. V.
DE GENERIBUS LITTERARIIS.

32. Esse in S. Scriptura genera litteraria varia, ut leges, carmina, instructiones, est res tam evidens, ut eam in mentem revocasse sufficiat (cf. De Insp. n. 492 sqq.).

Hummelauer considerat ea tantum genera litteraria, in quibus sub forma historica aut res omnino fictae aut partim fictae partim factae, alicuius doctrinae illustrandae causa, proponuntur [2]. Seu, ut ipse ait: „Cum praecipue consideremus difficultates ortas contra libros narratorios

[1] Ib. 395 sq.; cf. *Denz.* 2186 sq.

[2] *E. Dorsch* (Zeitschrift für kathol. Theologie 35 [1911] 424—431) ostendit iam S. Augustinum varia genera litteraria narrationum historicarum distinxisse, at non ideo veritatem historicam Scripturae in dubium vocasse.

Veteris Testamenti, continebimus nos in generibus litterariis narrationis Veteris Testamenti" (p. 5).

Haec autem genera sunt: 1. Fabula, 2. Parabola, 3. Poesis epica, 4. Historia religiosa, 5. Historia antiqua, 6. Traditiones populares, 7. Narratio libera, 8. Midrash, 9. Narratio prophetica, apocalyptica.

Fabula unica arborum eligentium sibi regem narratur in Scriptura (Iud. 9, 8 sqq.), non ut inventa a scriptore inspirato, sed a Ioatham, cuius historia ibi narratur (p. 6).

Parabola quid sit, notum est ex evangeliis, ubi totiens legimus narrationes unice servientes ad illustrandam doctrinam aliquam moralem, non ad docendam historiam (p. 7).

Epos historicum est poema, quo eventus historici ita exornantur et componuntur, ut forma et finis non sit descriptio historicae veritatis, sed ea verisimilitudo fictionis, quae requiritur ad parandam delectationem aestheticam (Homeri Ilias).

„Epos inspiratum non habemus, sed partes tantum epicas vel lyrico-epicas. Talia sunt Psalmi creationem mundi celebrantes vel alios eventus historiae salutis, etiam descriptio plagarum aegyptiacarum in libro Sapientiae, ubi quaedam leguntur, quae desunt in libro Exodi, etsi tuto admittere licet scriptorem non habuisse alium fontem nisi Exodum, cetera autem per modum ornatus poetici addidisse.... Certe non apte ageret, qui vellet Exodum et Sapientiam iungere in unam narrationem historicam continentem singula quaeque in his libris narrata. In Ps. 136 (135), 15 legimus: ‚Excussit Pharaonem et exercitum eius in mari rubro'.... Hoc [quod de Pharaone dicitur] potest esse historice falsum et solum poetice verum; poetica autem veritas est unica, de qua in carmine quaeritur" (p. 8 sq.).

Historia religiosa. Historia propter se ipsam scripta non legitur in S. Scriptura; sed quae ibi narrantur, ob finem aedificationis religiosae narrantur. Homines habebant ius, ut religiose aedificarentur, antequam omnes fontes historici essent investigati, et antequam ars critica esset exculta. Quemcumque gradum progressus occupat disciplina historica, ad aedificationem maxime confert, si scriptor loquitur hominibus illius aetatis secundum gradum progressus, ad quem tum homines pervenerant. Idem valet de forma narrandi. Historia religiosa potest ea, quae solum cogitata sunt, referre ut verba oris; et potest colloquia vel sermones eo modo transformare, quo convenit fini aedificationis. Ergo historia religiosa et in electione materiae et in forma narrationis differt ab historia critica (p. 9—12).

33. Maioris ponderis sunt, quae dicuntur de historia antiqua. *Historia antiqua* hic significat certum genus litterarium, non historiam rerum antiquis temporibus gestarum. Tamquam genus litterarium opponitur historiae secundum recentem methodum historicam scriptae. „Scriptores Veteris Testamenti non poterant historiam criticam conscribere, quia illis temporibus nulla historia critica exsistebat, immo ne conceptus quidem eius aderat. Nesciebatur, quam necessarium esset fontes historicos omni ex parte pervestigare, deerant adiumenta comparandi fontes, nota non erat methodus iis utendi. Hebraei hac in re

non erant superiores quam alii populi illorum temporum. Neque debebat Deus hagiographis dare altiores facultates, quam illis temporibus conveniebat. Sicut astronomiam colebant sine telescopo, disciplinam naturalem sine microscopo, ita historiam sine methodo critica. Habebant tamen assistentiam Spiritus Sancti" (p. 13).

Historicus antiquus erat poeta, qui ea quidem, quae facta sunt, narrare vult, sed per modum et cum libertate artis; per hoc distinguitur haec historia a narratione poetae epici, qui vult construere fictionem super fundamento historico. Fingit etiam historiographus antiquus, sed ita tantum, ut eius fictiones sint verae imagines eorum, quae facta sunt (p. 14—16).

Ergo historia Veteris Testamenti metienda non est secundum postulata recentis disciplinae historicae, sed secundum mensuram conceptuum historicorum antiquitatis. Veritas eius est consensus generalis cum factis, sed libertas servatur in modo narrandi. Si res in universum consideratur, est vera historia; sed quod ad singula attinet, saepe difficile est dicere, quid sit factum, quid e contra fictum; attamen quae cum fide vel moribus cohaerent, semper vera sunt, ut e. g. specialis providentia divina respectu populi electi. Quot autem res sunt, quae cum hac veritate cohaerent? Generatim omnia (p. 19 sq.).

De omnibus factis in Scriptura affirmatis possumus elicere actum fidei. Sed quia praeter ea, quae ratione obiecti dogmata revelata sunt, saepe difficile est cum certitudine iudicare, volueritne sacer scriptor aliquam specialem rem ordinis per se naturalis ut verum factum affirmare, melius est actus fidei restringere ad ea, quae per se ad salutem pertinent (p. 20 sq.). Ceterum exegetae est ne in specialibus quidem dictis historicis facile relinquere obvium Scripturae sensum; attamen ita agat cum sensu libero ab angusta cogitatione, quasi in quolibet dicto biblico dogma inspirationis in periculum vocetur (p. 22).

Traditio popularis oritur ex traditione pure orali. Viget apud populos adhuc simplices, scribendi arte carentes. Quae sic oretenus tantum traduntur per longum tempus, sua sponte transfigurantur pro singulorum hominum et integrarum generationum indole. Nucleus talium traditionum est historicus, sed forma fit epica, non ex deliberata arte, sed sua sponte. Veritas igitur huius generis litterarii est nucleus historicus sub forma nativae simplicitatis; plerumque accedit aptitudo talis historiae ad expoliendam religionem et mores. Si scriptor quidam traditiones populares referret ut historiam. utique falleret legentes; sed si aut explicite aut implicite indicat agi de traditionibus, non peccat contra veritatem; et in hac suppositione scriptio traditionis popularis inspirari potest a Deo (p. 22—24).

Ipsa S. Scriptura significat legi in libro Genesis traditiones populares, quas vocat toledoth (de qua re supra n. 28 diximus). Itaque parti narrationum genesiacarum minor veritas historica convenit quam aliis libris Veteris Testamenti (p. 35).

34. *Narratio libera* idem fere est, quod nunc vocari solet fabula romanensis historica, in qua facta quaedam historica poeta assumit ut campum, in quo

creat personas fictas, colloquia, nexum et cursum rerum, ut hoc modo legentes delectet et certas quasdam ideas evolvat. Finis talis narrationis potest esse instructio moralis vel religiosa. Ideo ad hunc finem Deus tales narrationes inspirare potest. Numquid revera inspiravit? Sunt qui huc referant libros Ruth, Iudith, Esther, Tobiae. Si multae „legendae" medii aevi, quae certe non stricte historicae sunt, tam diu optime aedificationi serviebant, cur Deus non potuit similes narrationes inspirare? (p. 36—39.)

Midrash haggadicus pertinet ad narrationes liberas, sed est earum species quaedam Hebraeorum propria, quae in eo est, quod scriptor narrationem aliquam biblicam libere elaborat, non ad narrandam veram historiam neque ad delectandum, sed ad inculcandam aliquam veritatem, maxime moralem. Ita quidam poeta midrashicus varia, quae in libro Iob leguntur, et alia Scripturae dicta transfert ad Abrahamum, ut ostendat a Deo etiam iustorum tentationes permitti ad eorum animos purificandos. Tali narrationi non convenit quidem veritas historica, sed convenit ei veritas moralis, ob quam potest inspirari. Suntne in S. Scriptura tales narrationes inspiratae? Fas est admittere fortasse librum Iudith esse midrashicam elaborationem vetustioris narrationis sive historicae sive parabolicae.

Haec species narrationis liberae iam ideo ab exegeta praeteriri nequit, quia in ipsa S. Scriptura commemoratur, scilicet 2 Paral. 13, 22; 24, 27 [1] (p. 39—43).

Narratio prophetica, apocalyptica. Etiam hoc genus litterarium est Hebraeorum proprium, quatenus eorum prophetae saepe eventus futuros praedicunt sub symbolis, quorum sensus perfecte non intellegitur nisi post impletionem. Ergo haec symbola non sunt futura historia, sed sunt imagines, quibus convenienter res futurae repraesentantur. Quid in iis pertineat ad res, quid ad vestitum symbolicum, eventus ipsi docebunt (p. 43 sq.).

35. Cur Hummelauer haec genera litteraria enumerat tamquam rem maxima consideratione dignam, cum in libris introductoriis et hermeneuticis vel in prolegomenis commentariorum de genere litterario singulorum librorum iam ante eum totiens sermo fuerit? Ratio est, quia vult exegetis libertatem vindicare negandi indolem stricte historicam multarum narrationum biblicarum, quae ante nostram aetatem habebantur historia proprie dicta. Ad hunc finem effert veritatem historicam non esse unicam veritatem, sed posse scriptis specietenus historicis aliam veritatem convenire. Exegetae, inquit, sacra obligatio incumbit firmiter tenendi veritatem cuiusvis narrationis inspiratae, sed libertatem habet statuendi genus litterarium cum sua propria veritate. Itaque hic canon exegeticus statuendus est: „Quotiens dictis narrationis inspiratae dubitationes graves obstant, exegetam oportet serio etiam hanc quaestionem considerare: nonne liceat narrationem alii generi litterario attribuere quam generi stricte historico." Quando igitur graves difficultates obstant sensui historico, exegeta dicet: Habemus hic veritatem parabolae, narrationis liberae, historiae antiquae. „Hic canon

[1] His locis in textu hebraeo legitur *midrash*, ubi graece scribitur Βιβλίον vel Γραφή, latine Liber.

nobis videtur per se evidens. Dolendum est, quod desideratur in Introductionibus" (p. 44—49).

Duo igitur sunt, quae statuuntur: a) Libri quidam, qui hucusque habebantur historici, fortasse ad genus litterarium non historicum pertinent, sed sunt „narrationes liberae" vel „midrashim", ut Ruth, Iudith, Esther, Tobias (p. 38 43), vel „traditiones populares", ut Genesis (p. 29). b) Etiam libri historici Veteris Testamenti non habent veritatem „historiae criticae" nostrae aetatis, sed veritatem „historiae antiquae" (p. 19).

Sed quia Hummelauer haec nonnumquam magis explicat in partibus secunda et tertia libelli sui, hae explicationes proxime audiendae sunt. Ideo hic pauca tantum iuvat annotare.

Imprimis eo tempore, quo Hummelauer scripsit, alii similes theorias propugnarunt. Ita e. g. *G. Bonaccorsi,* Questioni bibliche (Bologna 1904), de quo iam alibi quaedam diximus (De Insp. n. 411, nota). De genere litterario et de moribus litterariis antiquitatis, et praecipue orientis, Bonaccorsi eodem ac Hummelauer sensu loquitur in tractatu de Hexateucho; de iis, quae Hummelauer in parte tertia opusculi sui dicit, Bonaccorsi agit in dissertatione de interpretatione S. Scripturae.

36. Multi exegetae his theoriis adstipulati sunt. *Fonck* „inter multos alios" enumerat Prat, Durand, Girerd, Batiffol, Bonaccorsi, Zapletal, Rose, Sanders, Poels, Zanecchia, Holzhey, Engelkemper, Höpfl, Peters[1]. *Lagrange* autem monet omittendos non fuisse Mignot, Le Camus, Douais, Touzard, Jacquier, Guibert, van Hoonacker, Schlögl, Sloet, Minocchi; immo ait: Non iam agitur de singulis exegetis, sed de tota exegesi progressiva; constat enim omnes fere eos, qui scripserunt opera biblica, quae magni aestimantur a multis, malle potius esse cum progressivis quam cum eorum refutatoribus[2]. Aliis verbis: Quaestio, de qua agitur, inter exegetas melioris notae iam est decisa.

Eadem fiducia impletus erat Pater de Hummelauer. Identidem cum eo de hac re locutus sum; quando autem dicebam caute procedendum esse in quaestione tam difficili, de qua essent opiniones tam oppositae, respondit mihi: Post decem annos sententia, quam propugno, erit consensu omnium recepta. Attamen ante mortem suam († 12 Apr. 1914) intellexit exspectationem suam fuisse fallacem, et sententiam suam in ea forma et amplitudine, qua ipse eam proposuerat, Romae minime approbari.

Sufficiat interim in memoriam revocare *Responsum „Commissionis de re biblica" de indole historica S. Scripturae* (23 iun. 1905).

„Ad dubium:

Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia, quae tenet S. Scripturae libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex

[1] *L. Fonck,* Der Kampf um die Wahrheit der Heiligen Schrift seit 25 Jahren (Innsbruck 1905) 101—124.

[2] Revue biblique 1906, 149 sq.

parte non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum?

Responsum est:

Negative, excepto tamen casu non facile nec temere admittendo, in quo. ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere" (*Denz.* 1980).

Itaque cum Hummelauer a priori statuat nullum omnino librum historicum Veteris Testamenti posse haberi historicum eo sensu, quo nunc intellegamus historiam proprie dictam, sed in omnibus illis libris necessario multa inveniri, quae non fuerint ita facta, ut narrantur, Commissio de re biblica tale principium universale reicit, et in singulis tantum quibusdam narrationibus sensum non proprie historicum admittit, si duae condiciones impleantur: a) Solidis argumentis probandum est hagiographum voluisse non veritatem historicam, sed aliam veritatem proponere: b) sensui ecclesiae non debet refragari talis explicatio.

Haec videntur multum differre ab illa exhortatione, qua Hummelauer monet exegetas, ut ad expositionem librorum historicorum Veteris Testamenti alacri animo accedant, scientes difficultatum, quae aliis solutionibus resistant, semper in promptu esse solutionem per recursum ad aliud genus litterarium (p. 22 48—49).

Mangenot ait: Disputatio de historia secundum apparentiam, quae tam viva fuerat annis 1904 et 1905, cessabat. Commissio biblica quaestionem negative solverat decreto 23 iun. 1905. „Nullus exegeta ‚progressivus', quantum scio, postea conatus est ostendere locum historicum Scripturae, qui responderet condicionibus a Commissione biblica postulatis." [1]

Sed priusquam ad alias de hac re disputationes narrandas procedimus, prius audiamus, quae Hummelauer in opusculo suo addit ad sententiam suam magis explicandam.

ART. VI.
DE HUMANA INSPIRATIONIS PARTE.

37. Genera litteraria eatenus tantum respicienda sunt in tractatu de inspiratione, quatenus quaeritur, quae genera talem veritatem habeant, qua apta sint, ut a Deo inspirari possint. Inspirationem autem divinam immediate in se recipit sacer scriptor, qui cum sit homo et humanis infirmitatibus obnoxius, sua sponte oritur quaestio, quomodo hae

[1] Dictionnaire de théol. cath. 7, 2252. Cf. De Insp. n. 519 sqq. et *Dorsch*, De Insp. S. Scripturae 380—430, ubi singula genera historica discutiuntur.

infirmitates se habeant tum ad Deum inspirantem tum ad librum inspiratum. Haec est ratio, ob quam Hummelauer in altera parte opusculi agit de humanis viribus et laboribus, quae ad librum inspiratum producendum concurrunt[1]. Ait se in hac re velle sequi encyclicam „Providentissimus", in qua tria doceantur: a) Spiritum Sanctum per hagiographos non docere ea, quae nulli saluti profutura sint, i. e. res profanas per se consideratas; b) scriptores sacros seu potius Spiritum Sanctum per eos loquentem se accommodasse vulgari captui et sermoni hominum tunc viventium; c) sententias SS. Patrum de rebus naturalibus non necessario esse sequendas (p. 52)[2].

Dein statuit sacros scriptores de rebus physicis non habuisse perfectiores notitias quam generatim homines illius aetatis et horum loquendi modum servasse (p. 55—58). Iam, inquit, encyclica monet, ut idem transferamus ad narrationes historicas; dein repetit ea, quae iam antea dixerat, defuisse tunc methodum ad scribendam historiam criticam (p. 59 sq.; cf. 13 sq.).

Tum haec applicat ad praecipuos libros historicos Veteris Testamenti, Samuelis, Regum et ad Paralipomena, qui libri sint eiusdem generis litterarii. Intentio enim scriptorum erat proponendi historiam populi a Deo electi, prout haec historia in annalibus legebatur. Id satis patet ex formula totiens repetita: „Haec scripta sunt in libro . . .", vel: „Nonne haec scripta sunt in libro . . .?"[3] Ergo veritas illorum librorum sacrorum consistit in conformitate cum annalibus. Habebant tamen hagiographi etiam scripta prophetarum; et quando hi duo fontes non consentiebant, sacer scriptor utique secutus erit dicta prophetarum. At vix poterat singula quaeque dicta annalium examinare secundum dicta prophetarum, et sic fortasse etiam errores ex annalibus transumpsit; id quod non oberat veritati scripti eius, quia aliud proxime non intendebat nisi conformitatem cum annalibus. Hic igitur applicanda est vetus illa distinctio inter veritatem citationis et veritatem rei citatae. Intacta manet veritas in rebus religiosis. Quatenus historia servit religioni, convenit ei maior veritas quam historiae pure profanae antiquitatis.

Ceterum sacer scriptor nobis dat historiam secundum apparentiam, sicut loquitur de rebus physicis secundum apparentiam. Neque finis religiosus postulat maiorem veritatem. Quid enim ad hunc finem confert, quod rex aliquis Iuda 50000 militum plus aut minus in pugnam duxit? Si exigitur, ut historia regum plane conformis sit cum rebus gestis, assignatur ei locus plane diversus a loco, quem obtinet scientia physica inspirata. At revera in utroque genere Spiritus Sanctus se accommodavit captui hominum (p. 60—65).

Liber secundus Machabaeorum hoc peculiare habet, quod scriptor eius veritatem rerum narratarum concedit Iasoni cyrenaeo, sibi vero solum meritum retractationis brevioris ad finem aedificationis religiosae (2 Mach. 2, 20—33). Ergo si forte ex Iasonis opere quaedam dicta minus recta recepit, hoc non nocet veritati libri inspirati, quia hagiographus diserte promittit solam epitomen

[1] „Die menschliche Seite der Inspiration" (p. 50—98).

[2] Cf. *Denz.* 1947 sq.

[3] Haec formula primum legitur 3 Reg. 11, 41; porro 14, 19 29; 15, 7 23; 16. 14 20 27 et deinceps saepissime.

ex opere Iasonis. Nonne Deus inspirans secundum librum Machabaeorum voluit fortasse nos docere aliquid de essentia inspirationis, quae est mirabilis condescensio Dei ad homines, qui vel epitomatorem adhibet ad promovendam salutem hominum? (p. 65—68.)

Ex iis, quae exposita sunt, colligere licet haec secundum Hummelauer:

a) Spiritus Sanctus noluit per hagiographos nobis dare institutiones historicas de rebus ad salutem non profuturis. Ideo eos inspiravit ad narrationem historicam liberiorem, quae est historia secundum apparentiam, i. e. secundum illos limitatos fontes, qui iis praesto erant. Haec historia in genere est vera, sed minores errores non excluduntur.

b) Sancti quidem Patres omnia dicta historica Veteris Testamenti aequaliter vera habebant. Nihilominus quando difficultates obstabant, relicto sensu historico confugiebant ad sensum allegoricum. Ergo nobis licet admittere sensum historicum liberiorem (p. 69—71).

38. Historiae rerum gestarum propinqua est historia rerum scriptarum, seu *historia litteraria,* quae continet tres partes: a) criticam textus. b) hermeneuticam, c) criticam litterariam, quae sunt disciplinae adiutrices artis historicae.

Critice in textum inquirere non solent scriptores Novi Testamenti, sed saepe sequuntur versionem Septuaginta, etiamsi haec differt a textu originali. Ita in genealogia Christi apud Lucam (3, 36) post Arphaxad legitur Cainan, sicut in textu graeco Gen. 11, 12: in textu autem hebraeo habetur: Arphaxad genuit Sale (Schalach). Ad probandum Christum descendisse ab Adamo, haec est res indifferens. Ergo poterat evangelista sequi textum omnibus notum. Similiter aliis locis, ubi scriptores Novi Testamenti dicunt: „Scriptura dicit", sensus est: Sic Scriptura dicit secundum versionem graecam. Si argumentantur ex verbis graecis diversis a textu hebraeo, habetur argumentum ex auctoritate Septuaginta, non ex textu originali biblico (p. 73—79).

Hermeneutica est ars inveniendi verum sensum verborum alicuius scriptoris. Methodus hermeneutica nostrorum temporum ignota erat iudaeis tempore Christi, etiam apostolis et christianis priorum saeculorum.

Id maxime apparet in *sensu typico* statuendo. In antiquo foedere fuisse typos novi foederis constat. Ipsa Scriptura Novi Testamenti et imprimis epistulae paulinae id testantur. Quomodo auctor inspiratus pervenit ad cognitionem indolis typicae multorum factorum Veteris Testamenti? Fortasse revelatione; at talis revelatio tum solum admittenda est, cum aut revelationis certum testimonium habemus, aut typus ut typus via tantum revelationis cognosci potuit. Ita autem rem communiter factam esse probari nequit, cum in praecipuis typis analogia inter utrumque Testamentum evidens sit, et mentes iudaeorum, maxime hellenistarum, optime dispositae essent ad analogias et allegorias, a Deo intentas, ubique quaerendas et inveniendas. Qua de causa scriptores Novi Testamenti non tam indigebant speciali revelatione, ut ad typos

animum adverterent, sed potius speciali assistentia divina, ne in hac re modum excederent, ut Philo et alii iudaei. Etiam in veris typis certitudo solum habetur in re principali; quo magis expositio typica ad res minoris momenti extenditur, eo minus est certa.

Hinc diiudicanda est vis argumenti typici, quo sacri scriptores totiens utuntur, quia erat opportunum et populare. Neque enim putandum est apostolos, quidquid de typis dicant, ex speciali revelatione accepisse, e. g. quod Sara et Hagar, Moria et Sinai sint typi amborum Testamentorum. Sufficiebat, ut mens eorum per inspirationem dirigeretur ad hoc opportunum argumentum, et ut in eius usu adiuvaretur et ab errore servaretur.

Itaque ut haec, quae de hermeneutica dicta sunt, breviter comprehendamus: Sacri scriptores in principiis hermeneuticis non magis quam in cognitione rerum naturalium alios homines illius aetatis praecurrerant. De relatione versionis alicuius ad textum originalem, de necessitate diiudicandi illam per hunc, de inutilitate versionis a textu originali discrepantis conceptus claros non habebant. Spiritus autem Sanctus assistebat sacris scriptoribus, ne ex eorum imperfecta notitia principiorum hermeneuticorum irreperet quicquam contra fidem et bonos mores, neve argumentum invalidum pro valido proponeretur (p. 80—84).

Critica litteraria, de qua hic sermo est, nihil aliud intellegitur nisi historia textus sacri, quae tradi solet in Introductione in S. Scripturam. Sed hoc loco haec critica reducitur fere ad hanc unicam quaestionem: Quid sciverunt auctores Novi Testamenti de scriptoribus Veteris Testamenti? Quam scientiam litterariam habuerunt, quando provocant ad determinatas personas ut auctores certorum scriptorum Veteris Testamenti? Iudaei tunc certam notitiam huius rei non habebant, neque de auctoribus humanis librorum sacrorum multum curabant, quia iis sufficiebat, quod libri essent verbum Dei. Praeterea sensu critico carebant; ideo traditiones quoque eorum historica auctoritate carebant.

Numquid scriptores Novi Testamenti habebant notitiam altioris ordinis quam eorum aequales de auctoribus Veteris Testamenti? De rebus physicis et historicis eandem scientiam habebant ac ceteri; cur non de critica litteraria, quae pertinet ad historiam? Ergo praesumendum est eos, quando scripta Veteris Testamenti certis auctoribus tribuunt, sequi communem traditionem, quae poterat esse opinio vera, et poterat esse opinio falsa. Ergo etsi hagiographus Novi Testamenti ait: „Moyses dicit", „Isaias dicit", non eo ipso infallibiliter constat verba scripta esse a Moyse vel ab Isaia (p. 85—89).

Generatim in disciplinis profanis sacri scriptores progressi non erant ultra mensuram aequalium suorum; neque in hac re inspiratio quicquam mutavit. Quia in scriptis suis loquuntur ad homines illorum temporum, secundum scientiam essentialiter altiorem loquentes non potuissent a lectoribus intellegi; ergo talis scientia iis data non est a Deo. Iudaei ex Hexaemero non didicerunt heliocentricam mundi

contemplationem. Itaque opus non erat homines inspiratos condescendere ad populares suos; accommodatio est ex parte Dei inspirantis.

Tota haec quaestio de profana scientia hagiographorum initium solutionis habuit a „Quaestione Galilaei". Post multas disputationes tandem 25 sept. 1822 suprema auctoritas ecclesiastica declaravit licere sequi sententiam, qua docetur terram volvi circa solem. Leo XIII in encyclica „Providentissimus" tamquam generale principium ponit hagiographos de rebus physicis loqui secundum apparentiam, et dicit: Hoc principium ad cognatas disciplinas iuvabit transferri. Ad cognatas autem disciplinas pertinet tota scientia profana hagiographorum. Sic a 23 febr. 1616 usque ad 18 nov. 1893 gravissima haec quaestio ad plenam solutionem pervenit. Munus aliquod gravissimum exegesis nostrae aetatis est exponendi libros sacros secundum brevissimum illum dictum: „Iuvabit transferri" (p. 90—98).

Sicut in prima parte opusculi sui commendat recursum ad aliud genus litterarium ut remedium multarum difficultatum historicarum, ita Hummelauer in altera parte obliviscendum non esse monet, in quo gradu eruditionis fuerint scriptores „historiae antiquae". Carebant arte critica, quae ad historiam recte scribendam nunc necessaria censetur. Sufficiebat illis fideliter repetere, quae in fontibus suis paucissimis invenerant, eaque ita eligere et proponere, ut popularibus et aequalibus suis perspicua, grata, utilia essent. In veritatem singularum et specialium narrationum neque poterant neque volebant inquirere, dummodo summa rerum, quas scribebant, esset vera et fini narrationis conveniret.

ART. VII.

DE PUGNA CONTRA NOVAM THEORIAM FACTA.

39. Patet hanc novam opinionem evocasse multos oppugnatores. Iam supra (n. 30) commemoratus est libellus Doctoris **Ludovici Hugo** (postea episcopi moguntini), qui libellus totus fere scriptus est contra theorias Patris de Hummelauer.

Imprimis invenit in eius expositionibus *„anachronismum pessimum"*. Nos nunc facile capimus non esse vera facta historica, quae in fabulis romanensibus et similibus libris narrantur. Antiquis autem israelitis talia genera litteraria plane ignota erant. Quomodo autem potest Hummelauer nostros conceptus stilisticos transferre ad illa vetustissima tempora? Si verum est, quod totiens repetit, libros sacros scriptos esse ita, ut ab hominibus tunc viventibus facile intellegi possent, ergo hi libri non pertinent ad genus litterarium recentioribus tantum temporibus inventum. Ne semel quidem exegetae liberiores serio conati sunt ostendere antiquis israelitis varia genera litteraria, quae enumerant, nota fuisse. Parabolas et allegorias noverant, narrationes autem

rerum gestarum pure fictas non noverant; hoc genus litterarium neque in Novo Testamento neque apud Flavium Iosephum neque apud alium historicum iudaeum invenitur. Midrash autem, de quo sermo est 2 Paral. 13, 22 et 24, 27, quidquid fuit, certe non eo sensu intellegendus est, quem multis saeculis post haec vox habuit apud rabbinos.

Sacri scriptores modo loquendi indicant se velle res vere factas narrare. Potest autem aliquis vera narrare etiam sine arte critica recenti. Inter historiam criticam et historiam fallacem media est narratio historica vera et simplex; et haec est, quam hagiographi saepe significant se proponere velle. Contra vero, numquam dicunt se non intendere nisi conformitatem cum fontibus suis. Excipitur fortasse 2 Mach. 2, 24, qui locus habet varias expositiones. Si admittimus scriptorem sacrum fecisse simpliciter excerptum ex Iasone, potuit Spiritus Sanctus eum ita inspirare, ut ex Iasonis opere vera tantum facta in excerptum transferret.

Generatim ad defendendam novam theoriam exegeticam proferuntur argumenta tam debilia, ut iure quis miretur, quomodo haec misera fundamenta sufficere putentur ad portandum aedificium exegesis liberioris [1].

Tota haec nova theoria conciliari nequit cum inspiratione divina, quam ecclesia docet. Quod verum non est, non potest ut factum historicum scribendum inspirari. Recentes illi exegetae omni generi litterario aditum ad S. Scripturam aperiunt; unicum genus, quod excludunt, est vera historia, quia, inquiunt, vera historia tunc nondum exsistebat. Ergo ne Spiritus Sanctus dicatur falsa inspirasse, ea, quae a vero discrepant, imponuntur proxime scriptori humano; ne autem scriptor inspiratus dicatur mentitus esse, ipsi adscribitur propositum unice referendi ea, quae in fontibus invenit, ita ut omnis error et omnia falsa, quae ab hagiographo scribuntur, solis auctoribus fontium tribuenda sint. Attamen tali modo facta historice relata declarare non vere historica est aperire omnes portas spiritui negationis. Ii qui extra ecclesiam sunt, hac methodo utentes, aeque facile dogmata et facta dogmatica in dubium revocare possunt. Hae et aliae rationes satis ostendunt, quam aliena sit haec nova theoria a spiritu vere catholico [2].

Hummelauer quidem loquitur praecipue de Vetere Testamento; sed si eius sententia valet, Novum Testamentum non manebit intactum, quemadmodum iam ostenderunt quidam alii theologi catholici, qui sunt in eadem sententia. Docent e. g. testimonium quarti evangelistae non iam posse appellari testimonium historicum. Aetas nascentis ecclesiae carebat, ut Hummelauer ait, sensu critico; ergo nolebant illi homines historiam critice veram tradere. At haec doctrina est periculi plena. Omnes enim scriptores Novi Testamenti, omnes apostoli et ipse Christus Dominus narrationibus historicis Veteris Testamenti, etiam quod

[1] *L. Hugo,* Katholische Exegese unter falscher Flagge 20—33. [2] Ib. 46—50.

attinet ad singula facta, indubitatam fidem adhibent, et eandem fidem ab aliis postulant. Recentes autem exegetae, qui hanc fidem detrectant, logice non possunt certos fines assignare, ultra quos procedendum non sit, sed vi principiorum suorum impelluntur in societatem Loisy, Jülicher. Harnack, eorumque asseclarum[1].

Tandem per illam recentem exegesim valde minuitur aut etiam destruitur utilitas practica S. Scripturae. Quomodo enim Scriptura valebit ad docendum, consolandum, aedificandum, si ubique dubitandum est, utrum vera an falsa sint, quae narrantur?[2]

40. Haec querela de funesto effectu recentis exegesis liberioris, quod attinet ad usum practicum S. Scripturae in cura animarum, a multis repetitur. Audiamus unum saltem exemplum.

Anno 1907 *Giac. Badino* in lucem edidit „Epistulam criticam ad Reverendos Dominos Parochos“[3]. Allegat imprimis multa dicta recentium exegetarum, „altae criticae“ laudatorum, Lagrange, Minocchi, Durand, Bonaccorsi, Hogan, Hügel, Hummelauer, aliorum, qui omnes doceant in narrationibus historicis S. Scripturae multas esse „legendas“ populares, quarum quasdam enumerat. Legenda: Iahve formans primum hominem; legenda: Hortus plantatus ad orientem; legenda: Arbor scientiae boni et mali et arbor vitae; legenda: Eva formata ex costa Adami; legenda: Cain timens sibi occisionem post interfectum fratrem Abel; legenda: Diluvium universale et arca Noe cum animalibus; legendaria est tota historia patriarcharum, et ita porro. Integri libri, ut Ionas, Esther, Iudith, Tobias, etsi forte habent aliquod fundamentum historicum, sunt tamen imitationes fabularum orientalium[4]. Ergo admittunt in Scriptura, quas Leo XIII in encyclica „Providentissimus“ vocat „non veras rerum gestarum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces“[5].

Ostendit deinde has novas opiniones manifeste pugnare cum doctrina a summo pontifice proposita, et argumenta neocriticorum refutare studet. Iste error, inquit, diffunditur in Gallia et in Italia. Etsi in Italia damnum nondum est tam grave, est tamen in via, ut fiat tale[6].

„Quale scandalum creatur bonis nostris parochianis et quanta labefactatio fidei, si ad eorum aures perveniret esse scriptores fama praestantes, etiam catholicos, etiam sacerdotes, etiam membra insignium ordinum religiosorum, etiam abbates, etiam rectores Seminariorum, etiam professores S. Scripturae pro clero, immo quendam mitra insignitum, qui aperte doceant Sacros Libros esse plenos errorum, etiam substantialium, res gestas patriarcharum esse maximam partem fabulas . . ., historiam Eliae et Elisaei esse fragmentum epopoeae cuiusdam, poema epicum, prophetias Danielis non esse ab ipso scriptas, sed esse vaticinia post eventum, scripta ab impostore; auctorem inspiratum tertii evangelii errare attribuendo Zachariae canticum Benedictus . . ., non posse probari quartum evangelium scriptum esse a S. Ioanne. — Quale scandalum!“[7]

Si secundum praecepta ecclesiastica proponimus fideli populo magna virtutum exempla in Sacris Libris narrata, quid nobis respondebunt auditores iam

---

[1] *Hugo,* Kathol. Exegese unter falscher Flagge 70—74. [2] Ib. 110.
[3] Lo stato e l' importanza attuale della Questione Biblica (Siena-Montefalco 1907).
[4] Ib. 14—18. [5] Ib. 18 sq. [6] Ib. 19—41. [7] Ib. 43—45.

infecti novae scientiae criticae postulatis, quae dicuntur? Mythi, fabulae, legendae! Viri, inquient, doctiores quam vos, catholici, ecclesiastici docent illas narrationes esse fabulosas, esse exaggerationes populares, earum veritatem historicam esse valde incertam.

Scimus quidem Summum Pontificem Pium X [tunc regnantem] non minus quam Leonem XIII abhorrere istam novam doctrinam antibiblicam et antitraditionalem; sed ipse, tot negotiis et occupationibus distentus, non potest omnia per se ipsum facere; idem suo modo valet de episcopis. In Italia autem sunt plus quam duodeviginti milia parochorum. Pugnemus igitur contra istos novos errores, scientiae falsae opponamus scientiam veram, criticismo sophistico verbum sanum et irreprehensibile, palliato rationalismo inexpugnabile scutum fidei; stemus firmiter supra firmam petram, quae est Romanus Pontifex. Ille nos ducet ad victoriam[1].

41. Alii mitius iudicarunt. Ita e. g. *Seraph. Protin:* „In actuali rerum condicione alterum principium Patris de Hummelauer [de humana inspirationis parte], etsi theoretice admitti potest, practica tamen eius usurpatio manet difficilis et periculosa. Deest criterium ad determinanda documenta, significationes, citationes eorumque vim et extensionem. Concessiones facere ‚apparentiis' in historia biblica, vel, ut loquitur M. Jacquier[2], distinguere inter errorem formalem et errorem materialem, nonne hoc est, secundum ipsa professoris lugdunensis verba, aperire portam omnibus suppositionibus et demum dissolvere in Scriptura totam realitatem historicam? Non negamus alterum principium propositum a Patre de Hummelauer multum veritatis continere . . ., sed non putamus in actuali rerum condicione et admissis theoriis, quae circumferuntur, illud posse servire ut directionem prudentem in exegesi." Testis invocatur Beda Lebbe, qui, etsi favet systemati Patris de Hummelauer, de eo tamen hoc generale iudicium facit[3]: „Si solam sententiae expressionem consideramus, et quasdam conceptiones, quibus illam fulcit, theoria eius nimis radicalis est, non obstante auctoritate encyclicae ‚Providentissimus', qua eam tegere conatur. Forma operis est nimis systematica et ideo nimis absoluta. . . ."

„Dicemus igitur, concludentes cum M. Mangenot: Solutio universalis difficultatum historicarum, nostra aetate contra Scripturam factarum, nondum data est. Utinam discussio rei tam gravis eam aliquando afferat et perfectam concordiam constituat inter theologos et criticos. Sed exspectantes illum faustum diem, repetimus cum P. Brucker: Deus avertat, ne alii ‚haec principia' iam accipiant ut conclusiones firmiter stabilitas." [4]

Alios tamen ex animo adhaesisse sententiae Patris de Hummelauer antea (n. 36) audivimus. Quidam ex iis contra impugnatores defenderunt hanc sententiam specialibus scriptis. Ita e. g. contra librum

[1] Ib. 45—48. [2] L'Université catholique (Juin 1905) 285.
[3] Revue bénédictine 1905, 253 sq.
[4] Revue augustinienne 8 (1906) 45 sq.

episcopi Egger de veritate Scripturae *Carolus Holzhey* opposuit 75 obiectiones[1]. Inter alia reicit partitionem exegetarum in „liberiores" et „traditionales". „Quod volumus, est recta interpretatio, praeter quam revera non potest esse neque liberior neque traditionalis, sed falsa tantum."[2] Si quaeritur de erroribus, qui in Scriptura leguntur, certe nemo dixerit eos speciali modo Deo auctori tribuendos esse; sed quaestio, debueritne Deus inspirans miraculoso modo hagiographorum scientiam profanam augere ultra omnes limites illius aetatis, exemplis allatis (talium errorum) sufficiens responsum habet: Nullus umquam homo legit Scripturam omnibus defectibus liberam. Quamdiu cognoscimus libros sacros, i. e. usque ad originem fere eorum, invenimus in iis conceptus geocentricos et alios similes, qui organice cum textu cohaerent. Ex eo quod hagiographus scribit cum adiutorio luminis inspirationis, concludi nequit omnia, quae scribit, ei esse revelata. Etsi inspiratus erat, non ideo ei revelanda erant systema Kopernikanum, vera natura firmamenti, magnitudo stellarum[3].

In rebus historicis hagiographus, quando Dei voluntate dirigebatur ad utendum fontibus, dependebat ex his fontibus, idque vi inspirationis. Cum autem Deus res ad salutem inutiles docere nollet, huic consilio repugnasset ducere hagiographum inspiratione ad fontes, quibus non indigebat. Indoles fontium, quos adibat hagiographus, poterat Deo permittente influere in sacra scripta; qui autem fuerint limites huius influxus, a posteriori eruendum est[4].

Quod contra recentem exegesim obicitur: eius postulatis scandalum creari populo christiano, tum solum fit, cum haec postulata a priori denuntiantur ut religioni periculosa. Multo magis periculosum est, si populus christianus notitiam talium problematum primum ab inimicis religionis christianae accipit, quam si recto tempore et recto loco de his rebus bene instruitur[5].

Quomodo plurimae difficultates in libris historicis Veteris Testamenti secundum recentem exegesim solvendae sint, Holzhey explicat brevi Introductione in Vetus Testamentum[6]. Solutiones principales sunt duae; prior solutio est haec: Aut liber referendus est ad tempora posteriora, sicut liber Danielis, aut saltem partes variae ad varia tempora pertinent. Altera solutio in eo est, quod liber non est proprie dicta historia, sed aut pura fictio, ut liber Tobiae, aut narratio midrashica, quae habet tenue fundamentum historicum, ut Paralipomena.

42. Generatim hoc saeculo vigesimo editae sunt introductiones biblicae tam secundum sententiam traditionalem quam secundum postulata

[1] *C. Holzhey,* Fünfundsiebzig Punkte zur Beantwortung der Frage: Absolute oder relative Wahrheit der Heiligen Schrift? Eine Kritik der Schrift Dr. Fr. Eggers: Absolute oder relative Wahrheit der Heiligen Schrift? (München 1909.)

[2] Ib. 7. [3] Ib. 21 sq. [4] Ib. 24 sq. [5] Ib. 44.

[6] Kurzgefaßtes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament von Dr. *Karl Holzhey* (Paderborn 1912).

recentium criticorum, item commentarii vel libri tractantes speciales quaestiones biblicas, ita ut pro suo quisque libitu possit sibi eligere in re biblica duces, etiam catholicos, qui aut hanc aut illam sententiam propugnant, idque non solum in singularibus quibusdam quaestionibus, sed quod attinet ad conceptus maxime fundamentales.

Mirum igitur non est supremam auctoritatem ecclesiasticam aliquotiens intercessisse, ut certi discordiae fines ponerentur. In documentis publicis de hac re editis interdum personae nominantur; nos hic unice ipsas res theologicas respicimus.

Anno 1908 d. 29 iunii *Commissio de re biblica de unitate libri Isaiae* contra eos, qui plures auctores eiusdem libri statuebant, haec decrevit:

In responsis ad dub. I et II reicitur sententia docentium vaticinia Isaiae non esse veri nominis vaticinia, sed fortasse sagaces quasdam coniecturas de rebus mox futuris.

„*Dubium III:* Utrum admitti possit prophetas . . . etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intellegi potuerint, proindeque secundam partem libri Isaiae (c. 40 ad 66), in qua vates non iudaeos Isaiae aequales, at iudaeos in exsilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam iamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exsules viventi assignare?

Resp.: Negative.

Dubium IV: Utrum ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere?

Resp.: Negative.

Dubium V: Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, immo pluribus, auctoribus esse tribuendum?

Resp.: Negative“ (*Denz.* 2115—2119).

43. Similia iudicia facta sunt de aliis libris S. Scripturae. Ne vero oppositis ideis implerentur animi candidatorum sacrorum ordinum, quidam libri novis opinionibus faventes exclusi sunt ab usu Seminariorum. Ita die 29 iun. 1912 editum est

Decretum S. Congregationis consistorialis de quibusdam rei biblicae commentariis in sacra Seminaria non admittendis.

„Cum semper et ubique cavendum sit, ne quis Scripturas Sanctas contra eum sensum interpretetur, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia (S. Trid. Syn. sess. IV); id maxime necessarium est in Seminariis inter alumnos, qui in spem Ecclesiae adolescunt. Hos enim prae ceteris oportet sanis doctrinis imbui, quae venerandae Patrum traditioni sint conformes et a legitima Ecclesiae auctoritate probatae; arceri

autem a novitatibus, quas in dies audax quisque molitur, quaeque quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae est in fide (1 Tim. 1, 4); si vero insolitae legitimeque damnatae, in destructionem sunt et non in aedificationem.

Iam vero evulgatum nuper est Paderbornae opus, quod inscribitur *Kurzgefaßtes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament* auctore *D. Carolo doct. Holzhey,* in quo iuxta neotericas rationalismi et hypercriticae theorias de libris Veteris Testamenti fere omnibus, ac potissimum de Pentateucho, de libris Paralipomenon, Tobiae, Iudith, Esther, Ionae, Isaiae et Danielis, sententiae audacissimae propugnantur, quae antiquissimae traditioni Ecclesiae, venerabili SS. Patrum doctrinae et recentibus pontificiae Commissionis Biblicae responsis adversantur et authentiam atque historicum valorem sacrorum Librorum nedum in dubium revocant, sed paene subvertunt.

Hunc itaque librum S. haec C. de mandato Ssmi D. N. Papae prohibet omnino, quominus in Seminaria introducatur, ne ad consultationem quidem.

Cum vero alia habeantur similis spiritus commentaria in Scripturas Sanctas tum Veteris tum Novi Testamenti, ceu scripta plura P. *Lagrange* et recentissimum opus, cui titulus „Die Heilige Schrift des Neuen Testamentes", editum Berolini an. 1912, auctore *Dr. Fritz Tillmann,* haec quoque expungenda omnino esse ab institutione clericorum Ssmus D. mandat et praescribit, salvo ampliore de iis iudicio ab illa auctoritate ferendo, ad quam de iure pertinet." [1]

44. Haec repetere visum est, quia ex hoc decreto et auctoritativa eius explicatione colligitur, quid censendum sit de opinione Patris Hummelauer et aliorum, quam audivimus.

Archiepiscopus enim Senensis rogavit, ut S. Congregatio consistorialis sibi indicaret, quos ob errores illi libri exclusi essent a Seminariis. Annuit precibus S. Congregatio 22 oct. 1912, cuius responsum publici iuris fecit archiepiscopus in „Bollettino Ufficiale Mensile per l'Arcidiocesi di Siena" 3 (1912) 161—167:

„I. Opera del Rev. Dott. *Carlo Holzhey: Kurzgefaßtes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament.*

1. Nella questione del *Pentateuco* l'autore segue la teoria delle fonti dei critici moderni (particolarmente p. 32—54), secondo la quale il *Iahwista* daterebbe dalla fine del regno Davidico (p. 40) e l'*Elohista* dall'anno 750 a. C. incirca (p. 42). Queste due fonti sarebbero poi state unite dal 650 al 600 a. C. (p. 44); e ad esse nel tempo dell'esilio babilonico sarebbe stato aggiunto il *Deuteronomio,* composto separatamente

[1] Acta Apost. Sedis 4 (1912) 530—531. Amplius illud iudicium factum est 20 ian. 1913, quo die a S. Congregatione Indicis Introductio Doctoris Holzhey posita est in Indice librorum prohibitorum. Acta Apost. Sedis 5 (1913) 9. Declaratio subiectionis ib. 6 (1914) 31.

molto dopo l'anno 722 a. C., e finalmente il codice sacerdotale (p. 45 47). Benchè l'autore proponga questa teoria non come certa, tuttavia la dichiara conforme alle esigenze della vera critica scientifica (p. 52); ed afferma che l'autenticità Mosaica del *Pentateuco* si riduce a ciò che solo il primo nucleo della tradizione *legale*, e non l'altro della parte *storica*, risalga a Mosè (p. 53).

2. Nel libro dei *Paralipomeni* l'autore riconosce il carattere *midrascico* della narrazione, secondo il quale questa ha soltanto un valore storico molto limitato (p. 88 sg.).

3. Nel libro di *Tobia* la narrazione che finora si credeva veramente storica, secondo l'autore si manifesta ora come una finzione poetica (p. 99). Parimente i libri di *Giuditta* e di *Ester* non sono una vera storia, ma una finzione consolatoria religiosa sotto la forma di una narrazione storica (p. 103—106).

4. Nel libro di *Isaia* l'autore della prima parte (cap. 1—39), secondo l'H., si deve distinguere dall'autore o meglio dagli autori della seconda parte (cap. 40—66). Questa sentenza vien data dall'H. come certa (p. 148 152).

5. Il libro di *Daniele*, secondo l'autore, non è del profeta Daniele nè del tempo dell'esilio babilonico, ma di uno scrittore incognito dell'età dei Maccabei. Anche questa sentenza l'H. la dice certa (p. 176). Il carattere di profezia messianica del testo delle 70 settimane si diminuisce notevolmente o piuttosto si nega del tutto (p. 178).

6. Nel libro di *Giona* la forma letteraria non è una vera storia, ma un *‚midrasch'*, cioè un racconto didattico con cambiamenti, esagerazioni, omissioni, secondo lo scopo edificativo del libro (p. 188).

45. II. Commentario sul Nuovo testamento col titolo: *Die Heilige Schrift des Neuen Testamentes*, edito del Rev. Dott. *Fritz Tillmann*[1].

1. L'autore dell'Introduzione e del Commentario sugli Evangeli sinottici, Dott. *Friedrich Maier*, suppone e propugna che questi tre primi Evangeli ebbero origine dopo la morte dei SS. Apostoli Pietro e Paolo, circa 40 anni dopo l'Ascensione (p. 29—49).

2. Il Vangelo di S. Marco è il primo dei tre sinottici; quello di S. Matteo è uno scritto originale greco, non una versione del Vangelo aramaico di S. Matteo; l'autore di questo Vangelo greco, detto di S. Matteo, scrisse dopo S. Marco e S. Luca, e si servì per la composizione del suo libro principalmente del Vangelo di S. Marco e della celebre collezione *‚Logia'*, o discorsi del Signore, distinta anch'essa dal Vangelo aramaico di S. Matteo. *S. Marco* e *Logia* sono inoltre la fonte principale anche per S. Luca (p. 75 76 105 107 111 114 116 125 127 160 161 162 164 166 167 169 170 171 173 174 ecc.).

[1] Cum solus primus tomus illius operis biblici occasio expostulationis fuerit, hoc commentario remoto et alio substituto totum opus optatum progressum habuit. Chr. P.

3. La verità storica della narrazione evangelica vien diminuita ed anche negata sia nei *principî*, sia nei *fatti particolari*. Quanto ai *principî*, si asserisce la libertà redazionale degli Evangelisti nelle cose secondarie, p. e. nelle introduzioni storiche e nelle conclusioni dei discorsi: l'occasione, la scena, gli uditori, il tempo sarebbero spesso (od anche generalmente) circostanze liberamente aggiunte dagli Evangelisti, senza appoggio di una vera tradizione storica; nelle parabole l'Evangelista ha *forse* (o altrove: possibilmente) aggiunto qualche parte dell'interpretazione, o qualche circostanza particolare, od anche ha trasformato le parole di Cristo secondo il suo scopo personale, cambiando p. e. la parabola della cena liberamente in quell'altra delle nozze del figlio reale ecc. (p. 54). Si ammette inoltre ‚per l'uno o per l'altro caso' l'influsso di una profezia messianica sulla composizione del testo evangelico (p. 92) e parimente l'influsso ‚evidente' della riflessione dommatica posteriore sulla narrazione dei fatti e delle parole di Cristo (p. 111). Quanto ai *fatti particolari* si asserisce che l'Evangelista, senza riguardo alle circostanze storiche, abbia cambiato e trasformato parole del popolo in parole dei Farisei, o parole dei discepoli in parole del popolo (p. 78); che il medesimo abbia inserito nel sermone montano e nel discorso ai discepoli (Matt. c. 10) delle parole e delle ammonizioni appartenenti ad un'epoca posteriore (p. 78 sg.). Si pretende che la considerazione ‚libera, universale, sicura' del Vangelo, quale si manifesta in molte parole ed in molti discorsi attribuiti nel primo Vangelo a Cristo stesso, e particolarmente nel magnifico mandato della missione universale (Matt. 28, 19 20), non fosse stato possibile ad un Giudeo prima della grande missione di S. Paolo e degli altri Apostoli nella diaspora ellenica (p. 76). Nella narrazione dei Magi la stella sembra ridursi ad una finzione letteraria dell'Evangelista, il quale voleva accomodarsi alle credenze popolari sul fato e sulle stelle (p. 96 97) ecc. ecc.

4. Quanto alla *dottrina* si asserisce l'evoluzione della dottrina, particolarmente di quella cristologica. Si pretende che la Cristologia del primo Vangelo sia ancora compresa nella sentenza: ‚Gesù è il Messia promesso dai Profeti e mandato da Dio' (p. 76); perciò questo Vangelo si dice ‚la più matura evoluzione della primitiva teologia messianica' (p. 82). Perciò il titolo ‚Filius Dei' in Matt. 4, 3 6 è solamente un titolo messianico, benchè l'Evangelista, quando scrisse il Vangelo dopo 40 anni, abbia già preso questo titolo nel senso della figliazione divina metafisica e non più nel solo senso messianico (p. 113 sino 114).

5. Dal modo di parlare della persona di Gesù Cristo (p. 110—111) sembra che si neghi la dottrina cattolica della scienza dell'anima di Cristo e della ‚*communicatio idiomatum*'. Secondo l'autore Gesù ‚deve aver ricevuto già prima della grande ora del battesimo ... la cognizione decisiva e l'impulso alla sua missione messianica'.

6. Quanto poi al modo generale della trattazione l'autore considera e cita quasi unicamente gli autori razionalisti e le ragioni critiche interne, trascurando quasi completamente la tradizione cattolica e i documenti del magistero ecclesiastico.

46. III. Gli scritti del Rev. P. *Lagrange.*

1. La *Revue Biblique*:

a) La Rivista, particolarmente negli articoli e contributi scritti dal P. Lagrange, abbonda soverchiamente nella lode degli autori eterodossi e razionalisti, raccontando altamente la loro erudizione, il loro giudizio, la competenza ecc.; onde i giovani seminaristi si possono facilmente formare un' idea poco giusta ed assai pericolosa del vero valore di questi scritti della scienza moderna incredula.

b) Questo influsso potrebbe essere tanto più dannoso, in quanto che si parla sempre in questa Rivista con molta lode e diffusamente di quegli scritti eterodossi, mentre si dice poco, e spesso con acerba ironia, degli scritti cattolici, che non favoriscono le idee liberali.

c) Anche gli scrittori, che hanno collaborato in questa Rivista, aumentano piuttosto l'influsso pericoloso di essa, trovandosi tra loro parecchi apostati ed altri scrittori giustamente sospetti per le loro idee.

d) Fra le molte sentenze che il Rev. P. Lagrange ha esposto nei volumi di questa Rivista si notano p. e. quella sull'ispirazione, secondo la quale nel testo ispirato si possono trovare e si trovano molte falsità nelle cose profane; l'altra intorno la verità storica delle narrazioni bibliche, che vien diminuita indebitamente ed in molti punti negata; la dissertazione ‚L'innocence et le péché' (1897, 341—376), dove in tutta la narrazione si ammette come storico quasi unicamente il fatto di un peccato dei protoparenti. Quanto al Pentateuco si ammettono una gran parte delle opinioni critiche sulle fonti e sulla verità storica della narrazione contrarie alla dottrina della tradizione ecclesiastica (1898, 10—32 e spesso). I Salmi messianici 2 72 110 si attribuiscono all'età dei Maccabei, e così pure la profezia di Daniele (1905, 43—50; 1904, 494—520) ecc.

2. La *Méthode historique*:

a) Generalmente contiene quasi un compendio delle teorie proposte nella ‚Revue biblique'.

b) Nella ‚Note pour le second tirage', che precede il testo delle ultime edizioni, l'autore dice: ‚Aucun exégète catholique ne peut avoir la prétention de se soustraire au jugement dogmatique de l'Église; mais aucune autorité ne peut soustraire nos productions, pour leur partie scientifique, au jugement des hommes compétents, ni empêcher que ce verdict soit exploité contre l'Église, s'il constate une réelle insuffisance' (p. XVIII): parole che sembrano poco rispettose pel giudizio del magistero della Chiesa.

c) Nella terza conferenza l'autore ripete le sue teorie pericolose sull'inspirazione e sull'inerranza biblica.

d) Nella sesta conferenza ripete egualmente gli errori sopra il valore storico della narrazione biblica. Salvo il fatto del peccato dei protoparenti, tutto il resto della storia fino ad Abramo è una ‚immensa lacuna', un ‚immenso spazio nudo' (p. 209 216 ecc.); ed anche nella narrazione posteriore p. e. nella storia della moglie di Lot, si vede un mito simile a quello di Niobe.

e) Circa gli Evangeli, l'appendice ‚Jésus et la critique des Évangiles' contiene errori gravissimi e teorie pericolose riguardo all'origine e alla verità storica di tutti i quattro Evangeli (p. 247 248 ecc.).

3. *Le Livre des Juges*:

a) Il Commentario applica al testo del libro dei Giudici i principî sopra le fonti ed il valore storico proposti nella *Revue Biblique.*

b) Si trascura indebitamente l'esegesi dei Padri e dei grandi autori cattolici per dare la preferenza agli scrittori eterodossi.

c) Le teorie critiche sulle fonti ‚I. E. D.[2] RI. RE. RIE.' si ammettono quasi completamente con criterî molto arbitrarî.

d) La verità storica viene indebitamente diminuita, supponendo che il testo sia stato tre o quattro volte ritrattato, prima che nell'età di Esdra il ‚redattore autore ispirato' gli avesse dato la forma odierna.

4. *L'Évangile selon St. Marc:*

a) Anche questo commentario applica al secondo vangelo i medesimi principî.

b) Nell'introduzione si difende la teoria dell'origine dell'Evangelo dopo la morte degli Apostoli, prima del Vangelo di S. Matteo; si suppone che il teste di S. Marco e la *Logia* siano state le fonti principali di S. Matteo e di S. Luca.

c) Nella composizione del libro si attribuisce a S. Marco ‚l'indipendenza di un autore', non il solo compito di un redattore (p. cx). Conforme alle teorie del R. P. Lagrange, questa ‚independenza di un autore' sembra poco conciliabile colla sentenza sul valore storico del racconto evangelico.

d) Nella nota a S. Marco 1, 3 l'autore suppone che la forma data dalla Versione dei Settanta alle parole allegate d'Isaia *‚vox clamantis in deserto'* abbia forse attirato l'attenzione di S. Marco su questo testo. Ne seguirebbe quindi che della profezia sul precursore non ne resterebbe molto, e nel quarto vangelo si proporrebbe falsamente questa sentenza come parola del Precursore stesso.

e) Nella digressione sopra lo scopo delle parabole l'autore suppone anche che l'Evangelista abbia potuto aggiungere ‚de son cru' un versetto alle parole di Cristo, pure dando anche tale addizione come detta dal Signore (p. 96—102)."

47. Ex his declarationibus supremae auctoritatis ecclesiasticae colligitur satis periculosam esse applicationem theoriarum, quae Hummelauer

et alii proposuerunt ad solvendas difficultates biblicas permultas, nisi valde caute procedatur.

Usus artis criticae in re exegetica non quidem excluditur, immo etiam commendatur; prohibetur solus abusus, neglecto sensu ecclesiae, sequendi tamquam veridica oracula assertiones criticorum rationalistarum et doctrinae catholicae infensorum. De qua re iam d. 30 oct. 1902 *Leo XIII* in Litteris apostolicis „Vigilantiae" (de Commissione biblica) monet: „Eam esse divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab iis tradi posse, qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint. — Ergo viris qui de Consilio [Commissionis biblicae] fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum; adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur praeter modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti; sed cautione opus ac delectu est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen, ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant, siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus." [1]

Idem brevius repetit *Pius X* in litteris ad *Le Camus,* episcopum rupellensem, d. 11 ian. 1906 datis: „Ut enim damnanda est eorum temeritas, qui, plus tribuentes novitati quam magisterio Ecclesiae, criticae adhibere genus non dubitant immodice liberum, ita eorum ratio non probanda, qui nulla in re ausint ab usitata exegesi Scripturae recedere, etiam cum salva fide id bona studiorum incrementa postulent . . . . nihil timendum esse divinis Libris a vera progressione artis criticae, quin commodum ex hac subinde lumen peti posse, ita nempe, si prudens sincerumque iudicium huc accesserit." [2]

Vituperantur igitur illi theologi, qui neglecto sensu ecclesiae artem criticam rationalistarum heterodoxorum unice admirantur et eorum placita, etsi ecclesiasticae traditioni opposita, recipienda censent. Sane evitari nequit novarum opinionum et auctoritatis ecclesiasticae conflictio, si auctoritas urget standum esse in doctrina Patrum, exegetae vero docent Patribus attributam esse auctoritatem in multis quaestio-

[1] Acta S. Sedis 35 (1902—1903) 236.

[2] *Denz.* 1946 nota. Textus italicus et versio germanica apud *Norb. Peters,* Papst Pius X. und das Bibelstudium (Paderborn 1906) 46 sqq.

nibus biblicis, in quibus iis revera non competat. Praeter alias quaestiones, de quibus iam diximus, una ex gravissimis est quaestio de auctoribus certorum librorum biblicorum. De hac re agit Hummelauer in tertia parte opusculi sui.

ART. VIII.

DE AUCTORIBUS LIBRORUM INSPIRATORUM.

48. In tractatu De Inspiratione audivimus Patres et theologos dicentes non multum referre, qui sint scriptores humani quorundam sacrorum librorum, cum principalis auctor sit Spiritus Sanctus[1]. Hoc dicunt de illis libris sacris, quorum scriptores aut incerti aut plane ignoti sunt. Quod si accidit, ex conceptu inspirationis constat quidem de auctore principali et divino; sed quaestio, quis sit auctor humanus et causa instrumentalis, alia via solvenda est, „et nisi exstat ecclesiae definitio vel traditio obligans vel testimonium indubium Scripturae, prorsus liberae inquisitionis et opinionis est“ (De Insp. n. 397).

Hummelauer quoque enumerat sat longam seriem Patrum et theologorum docentium, num liber sit huius aut illius scriptoris non admodum interesse catholicae fidei, dummodo credatur Spiritum Sanctum esse auctorem (p. 99—105).

Addit varias annotationes: Ex conceptu inspirationis requiritur quidem scriptor humanus; sed quis hic scriptor fuerit, non est quaestio theologica. Quod SS. Patres dicunt hanc quaestionem esse supervacuam, intellegitur ex condicione studii litterarii illorum temporum, quibus deerant necessaria subsidia ad tales quaestiones solvendas. Nostra aetate inquisitio in auctores, tempus, condiciones, circumstantias alicuius libri antiqui est prorsus necessaria. Ergo nunc exegetam oportet simul esse historicum et criticum; sed disciplinam historicam methodo historica et artem criticam methodo critica tractare debet (p. 105 sq.).

Principalis conclusio est haec: Constat quaestionem, qui sint auctores sacrorum librorum, non esse theologicam, sed profanam, cuius decisio non nitatur apostolica traditione, sed humana, eaque iudaica respectu Veteris Testamenti. Ergo quando Patres vel alii veteres scriptores aiunt: Moyses dicit, David dicit, immo etsi addunt quaedam explicationis gratia de ingenio, mente, locutione Moysis vel Davidis, haec omnia non hauriunt ex apostolica traditione vel ex aliquo fidei dogmate, sed ex traditione iudaica, ut illud „David dicit“ nihil aliud significet nisi „ille auctor dicit, cui traditio iudaica psalmum tribuit“. Vana et falsa esset conclusio, si quis putaret se proponendo multos tales locos probasse Moysen scripsisse Pentateuchum vel Davidem scripsisse certum quendam Psalmum. Talia testimonia non maiorem vim probandi habent quam traditio iudaica (p. 107 sq.).

---

[1] De Insp. n. 83 85 108 132 193 206 289 397 491.

Quaestio, qui sit auctor libri, plures quaestiones continet, quarum una haec est: Ubi liber incipit, ubi desinit? Estne unus liber an plures libri? E. g. quaestio, utrum liber, qui nunc nomen Isaiae prae se fert, ab initio fuerit unus an duo (Protoisaias et Deuteroisaias), per se non est quaestio fidei. Libri Samuelis et Regum olim non erant quattuor, sed duo libri, et sic de aliis. Alia quaestio est, num ad librum aliquem conficiendum fortasse plures collaboraverint, num redactor vel redactores librum aliquem retractaverint eique ultimam formam dederint. Brevi, quidquid ad compositionem libri pertinet, per se non est intra fines quaestionum theologicarum. Idem valet de tempore et circumstantiis conscriptionis et de historia sacrorum librorum (p. 113 sq.).

Hoc conspectu brevi inducimur ad censendum principalem clavem auream ad solvendas multas et permultas disputationes inter artem criticam et exegesim agitatas esse illam doctrinam antiquitatis christianae: non esse multum curandum de auctoribus humanis, dummodo credatur Spiritum Sanctum esse auctorem principalem (p. 114). Quaestionem habere de inspiratione et de compositione libri sunt duae quaestiones, tota natura diversae (p. 115).

49. *Ars critica sublimior* est historia librorum, quae partim ex ipso textu, partim ex testimoniis historicis colligitur. Haec testimonia diligenter examinanda sunt, quia alia testimonia sunt omnino fide digna, alia aliquatenus, alia nullo modo. Testis omnium fide dignissimus est Deus revelans. Rationalismus, qui omnem supernaturalem revelationem a priori reicit, error est, qui, exornans se ornamentis omnium disciplinarum, speciem tantum externam scientiae habet, sed revera est aegritudo scientiae. Ob pseudocriticam vituperanda non est critica ipsa, sicut theologiae dogmaticae imputandae non sunt haereses. A vera critica nihil timendum est dignitati sacrorum librorum neque verae historiae revelationis (p. 116 sq.).

Inter testes humanos huius historiae minimi pretii sunt traditiones iudaicae, de quibus iam S. Hieronymus valde severe iudicavit. His igitur traditionibus uti non licet nisi magna cautione adhibita. Ceterum christianae quoque traditiones critice examinandae sunt, antequam ut argumenta certa adhibentur (p. 118 sq.).

Si hagiographi testimonium dant de suo vel aliorum scriptis sacris, hoc testimonium est verbum Dei, si tres condiciones verificantur: a) si ipse textus est critice certus; b) si de eius inspiratione constat: quae condicio deest in titulis sacrorum librorum: c) si exclusa est pseudonymia, quae habetur e. g. in Libro Sapientiae (9, 7 sq.).

Attamen distinguendum est inter quaestionem generalem de auctoribus et quaestiones speciales. Cuiuslibet libri sacri esse aliquem auctorem humanum dogma est; qui vero singulorum librorum auctores sint, per se est quaestio disputabilis. Libros Veteris Testamenti scriptos esse ante Christum constat; quo saeculo a. Chr. liber aliquis scriptus sit, utrum ante exsilium an post exsilium, quod nomen habuerit scriptor, theologiae christianae non multum interest. Tales quaestiones

movere SS. Patres dixerunt esse inutilem laborem: eo ipso concesserunt de auctoribus sacrorum librorum non haberi apostolicam traditionem (p. 119 sqq.).

Christum esse Messiam a Deo per prophetas promissum est doctrina, quae supponit veras prophetias messianicas legi in Vetere Testamento. Quod ad tempus horum vaticiniorum attinet, certum est ea pluribus saeculis ante Christum scripta esse. Hoc sufficit ad construendum argumentum apologeticum, etsi critica forte admittit Deuteroisaiam tempore exsilii viventem, vel compositionem libri Danielis assignat tempori Machabaeorum (p. 122).

Pro credibilitate Evangeliorum proponitur duplex argumentum, alterum traditionis, alterum historicum. Supposita divina ecclesiae institutione et constitutione credibilitas Evangeliorum valde simpliciter et efficaciter sic probatur: Ecclesia nobis ut verbum Dei tradit Sacram Scripturam; ergo, quidquid in ea affirmatur, nobis credendum est. Hoc est argumentum traditionis.

Praeterea requiritur argumentum historicum, quod non omnibus aeque proponi potest, sed necessarium est ad scientiam apologeticam excolendam. Qui e. g. argumentari vult ex Evangelio S. Matthaei, duo debet probare: a) Matthaeus est auctor Evangelii, quod primo loco poni solet; b) Matthaeus est testis historicus fide dignus (p. 123—124).

Matthaeum esse auctorem Evangelii colligitur ex multis testimoniis, quae singula examinanda et conferenda sunt. Quo magis progreditur scientia historica, eo magis aut extendendum aut corrigendum est argumentum, et eo magis potest quidem fieri solidum, sed eo magis etiam fit difficile (p. 124).

Matthaeum esse testem fide dignum non tam probatur ex dictis singulorum hominum, qui de Matthaeo loquuntur, quam ex testimonio universali totius primae ecclesiae. Hoc tamen testimonium potius refertur ad veritatem Evangelii ipsius quam ad personam evangelistae. Quae cum ita sint, forsitan possimus neglecta persona Matthaei contenti esse testimonio dato pro veritate Evangelii. Si ita est, non est factum dogmaticum, quod Matthaeus primum Evangelium scripsit. Etsi quis efficaciter probaret Evangelium scriptum non esse a Matthaeo, numquid ideo fides catholica concuteretur? Cum posteriores Patres et theologi totiens repetierunt non multum referre, quis sit auctor humanus, dummodo credatur Spiritum Sanctum esse auctorem principalem S. Scripturae, numquid non putandum est primam ecclesiam eiusdem sententiae fuisse? Si quis tamen ab hac regula excipiendos esse censet evangelistas, etiam haec regula admittit exceptiones, quae statuendae non sunt nisi ob rationes sufficientes. Erraret, qui sibi persuaderet decreta ecclesiastica semper in favorem sententiae tutioris et strictioris factum iri. Auctoritas ecclesiastica repellet quidem hostiles in terminos suos incursiones; sed finibus terminisque firmiter constitutis favebit in ceteris quaestionibus libertati. Leo XIII clare delineavit fines inter revelationem et disciplinas physicas; de historia et aliis disciplinis profanis statuit canonem „iuvabit transferri“; instituit „Commissionem biblicam“, ut exegetae vires unitas conferrent ad res biblicas tractandas, quia primo loco exegetarum est de quaestionibus exegeticis iudicare, non aliorum theologorum, qui in has quaestiones subsicivo tantum studio incumbunt (p. 124 sqq.).

Haec verba, quibus (p. 129) finitur opusculum Patris de Hummelauer, ostendunt, quam firmam persuasionem habuerit sententiam exegesis recentis et liberioris, quam tam acriter propugnat, non multum abesse a Commissionis etiam biblicae approbatione. Nunc vero coniecturis opus non est, cum sufficiens numerus decretorum praesto sit, ut tuto iudicare possimus, quam partem auctoritas ecclesiastica in hac quaestione sequendam esse ostendat. Itaque secundum haec responsa diiudicandum est, quid verum sit in sententia Patris Hummelauer, quid non sit (cf. infra n. 50, 2—4 6—11).

ART. IX.

RESPONSA COMMISSIONIS BIBLICAE[1].

50. 1. Non est recta sententia, quae ut principium statuit: *Sacrae Scripturae libros, qui pro historicis habentur,* sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare; sed hoc in singulis casibus probandum est solidis argumentis, salvo sensu et iudicio ecclesiae (23 iun. 1905; *Denz.* 1980).

2. Argumenta, quibus critici impugnant *authentiam mosaicam Pentateuchi,* non tribuunt ius affirmandi contra constantem traditionem hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus, maxima ex parte aetate mosaica posterioribus, fuisse confectos (27 iun. 1906; *Denz.* 1997)[2].

3. Ex universali et sollemni ecclesiae traditione ut argumento historico, praescindendo ab argumento theologico, tam solide demonstratur *Ioannem apostolum, et non alium, quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum,* ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirment. Neque contra constantem et universalem praxim

---

[1] Non omnibus verbis expressis sed contracta referuntur.

[2] In „Dictionnaire apologétique de la Foi catholique" 3, 695—860 legitur dissertatio a *I. Touzard* conscripta „Moïse et Josué", de qua ib. 1883 sq. haec annotantur: *Decretum circa authentiam mosaicam Pentateuchi.*

„Quaesitum est ab hac Suprema Congregatione Sancti Officii: ‚Utrum doctrina circa authentiam mosaicam Pentateuchi, nuper exposita in opere: *Dictionnaire apologétique de la Foi catholique* an. 1919, fasc. XV, sub titulo *Moïse et Josué*; necnon in *Revue du Clergé français* 99 (1 sept. 1919) 321—343, sub titulo: *Moïse et le Pentateuque,* tuto tradi possit.' Et in generali consessu habito feria IV, die 21 aprilis 1920, Emi. ac Rmi. Domini Cardinales . . . respondendum decreverunt: *Negative.* Insequente vero feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Benedictus divina providentia Papa XV . . . resolutionem approbavit, confirmavit et evulgandam praecepit." Cf. Acta Apost. Sedis 12 (1920) 158.

Auctor illius operis se obtulit ad corrigendum illud. Sed labor tam delicatus et infinitus cum inopportunus visus esset, inserta est alia dissertatio Patris Hildebrandi Höpfl: Pentateuque et Hexateuque (Dict. apol. de la Foi cath. 3, 1884—1920). P. *Hildebr. Höpfl* edidit duo opera, quae ad quaestionem nostram pertinent: a) Introductionis in Sacros utriusque Testamenti libros compendium (tria volumina, Romae et Sublaci 1921/22); b) Tractatus de inspiratione Scripturae et Compendium Hermeneuticae biblicae catholicae (Romae 1923).

ecclesiae arguendi ex quarto Evangelio tamquam ex documento proprie historico dicere licet facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc, ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas (29 maii 1907; *Denz.* 2110 2112).

4. Sententia, quae statuit *pluralitatem auctorum libri Isaiae,* admitti nequit (29 iun. 1908; *Denz.* 2117—2119). Cf. supra n. 42.

5. Contra testimonium Scripturarum tum Veteris tum Novi Testamenti et contra unanimem fere Patrum sententiam et traditionalem sensum, quem ab israelitico populo transmissum semper tenuit ecclesia, doceri non potest *tria priora capita Genesis* continere non rerum vere gestarum narrationes, sed fabulas, allegorias, symbola, legendas (30 iun. 1909; *Denz.* 2122).

6. *Psalmorum tituli,* iudaicae traditionis testes, quando nulla gravis ratio est contra eorum genuinitatem, non possunt prudenter in dubium vocari. Ob attributiones psalmorum Davidi factas tum in Vetere Testamento tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt, prudenter denegari non potest *praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem,* neque affirmari potest pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda. In specie denegari non potest Davidica origo eorum psalmorum, qui in Vetere vel Novo Testamento sub Davidis nomine citantur, inter quos praecipue recensendi sunt psalmus 2 „Quare fremuerunt gentes" (Act. 4, 25); psalmus 15 „Conserva me, Domine" (Act. 2, 25 29); psalmus 17 „Diligam te, Domine, fortitudo mea" (2 Reg. 22, 1); psalmus 31 „Beati, quorum remissae sunt iniquitates" (Rom. 4, 6 7); psalmus 68 „Salvum me fac, Deus" (Rom. 11, 9); psalmus 109 „Dixit Dominus Domino meo" (Matth. 22, 43 44). Non potest probabiliter sustineri non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quin immo aevo Machabaeorum compositos (1 maii 1910; *Denz.* 2130—2133).

7. Attento universali et a primis saeculis constanti ecclesiae consensu affirmari certo potest et debet *Matthaeum, Christi apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem.* Traditione satis fulciri censenda est sententia, quae tenet Matthaeum praecessisse ceteros evangelistas in scribendo, et primum Evangelium patrio sermone, a iudaeis palaestinensibus tunc usitato, conscripsisse. Contra vero ne probabiliter quidem sustineri potest illa modernorum quorundam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie scripsit Evangelium nobis traditum, sed solam collectionem aliquam dictorum vel sermonum Christi, quibus ut fontibus usus est alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt. Neque affirmari potest, propterea quod auctor primi Evangelii prosequitur scopum dogmaticum et apologeticum iudaeis demonstrandi Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum, narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio

leguntur, alterationem quandam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris ecclesiae status subiisse ac proinde historicae veritati haud esse conformes. Item solido fundamento destituuntur opiniones eorum, qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, et sententiarum, quae respiciunt primatum Petri (Matth. 16, 17—19), formam baptismi et universalem missionem apostolorum (Matth. 28, 19 20), professionem fidei in divinitatem Christi (Matth. 14, 33) et alia, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrunt (19 iun. 1911; *Denz.* 2148—2154).

8. Luculentum traditionis suffragium certo affirmare cogit *Marcum, Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli auditorem et comitem, revera Evangeliorum, quae ipsis respective attribuuntur, esse auctores.* Ius non est affirmandi versus Marc. 16, 9—20 non esse inspiratos, vel saltem Marcum non esse eorundem auctorem. Neque licet dubitare de inspiratione et canonicitate narrationum Lucae de infantia Christi (Luc. 1 et 2), de apparitione angeli Iesum confortantis et de sudore sanguineo (Luc. 22, 43 44). Neque solidis rationibus ostendi potest easdem narrationes ad genuinum Lucae Evangelium non pertinere. Neque fas est recedere ab ea sententia, antiquissimo ac constanti traditionis testimonio roborata: post Matthaeum ordine secundum Marcum et tertio Lucam scripsisse, etsi admitti potest Evangelium secundum et tertium ante graecam primi Evangelii versionem esse conscriptum.

Affirmari debet Evangelium Lucae praecessisse librum Actuum Apostolorum, ab eodem auctore ad finem captivitatis romanae apostoli Pauli absolutum.

Dicta et gesta, quae a Marco et a Luca sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicant, quam iisdem semper praestitit ecclesia. Neque censenda sunt eadem facta et gesta veritate historica, saltem ex parte, destituta, eo quod scriptores tardius venerint et necessario conceptiones menti Christi et apostolorum extraneas aut facta referant plus minusve imaginatione populi inquinata, vel dogmaticis ideis praeconceptis pro suo quisque scopo indulserint.

Servatis iis, quae praecedenter statuta sunt, licet exegetis ad explicandas Evangeliorum similitudines vel dissimilitudines disputare de variis auctorum sententiis et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam dependentiae unius Evangelii a praecedenti vel a praecedentibus appellare.

Attamen ea, quae supra statuta sunt, ii servare censeri non debent, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim „duorum fontium" nuncupatam, quae compositionem Evangelii graeci Matthaei et Evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta

sermonum Domini explicare contendit. Hanc hypothesim theologi catholici libere propugnare non valent (26 iun. 1912; *Denz.* 2155—2165).

9. Perspecta potissimum ecclesiae universae traditione ut certum tenendum est *volumen, quod titulo Actus Apostolorum praenotatur, Lucam evangelistam habere auctorem;* ac recentiorum scriptorum sententiam, quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos eiusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam. Iure et merito retinendum est Lucam sub finem primae captivitatis romanae apostoli Pauli librum absolvisse neque alterum volumen perditum conscripsisse. Certo teneri debet Lucam fontes omni fide dignos prae manibus habuisse eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse, adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi iure vindicet, quam auctoritatem obiectiones, quae contra eam factae sunt, in dubium revocare vel saltem aliquomodo minuere non possunt (12 iun. 1913; *Denz.* 2166 ad 2171).

10. Certo teneri debet *duas epistulas ad Timotheum et aliam ad Titum* ab apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas. Hypothesis autem quorundam recentiorum criticorum epistulas pastorales posteriore tempore ex fragmentis epistularum paulinarum deperditis fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio ne leve quidem praeiudicium inferre potest. Tuto autem affirmari potest epistulas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio, quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem apostoli (12 iun. 1913: *Denz.* 2172 ad 2175).

11. *Quod attinet ad epistulam ad Hebraeos,* attenta perpetua, unanimi ac constanti orientalium Patrum affirmatione, cui post saeculum IV totius occidentalis ecclesiae accessit consensus; perpensis quoque summorum pontificum sacrorumque conciliorum, tridentini praesertim, actis, necnon perpetuo ecclesiae universalis usu, haesitare non licet eam non solum inter canonicas — quod de fide definitum est — verum etiam inter genuinas apostoli Pauli epistulas certo recensere. Argumenta autem interna, petita ex doctrina et loquendi forma, non solum originem paulinam infirmare non valent, sed potius eam commonstrant atque confirmant. Potest tamen admitti non ipsum Paulum epistulae eam formam donasse, qua prostat (24 iun. 1914; *Denz.* 2176—2178).

51. Haec responsa a Commissione biblica primo post institutionem decennio data fefellerunt opinionem multorum novis theoriis faventium. Censebant enim futurum, ut Commissio biblica magis se ad causam „progressivorum" quam „conservativorum" adiungeret. Sed potius contrarium evenit, ut ex omnibus fere responsis videre licet.

Secundum recentem theoriam in libris historicis S. Scripturae quandoque res non vere gestae narrantur; Commissio biblica hoc principium reicit. Imprimis docet ea, quae a criticis contra mosaicam Pentateuchi

originem et contra historicum eius valorem, maxime contra priora capita Genesis, proferuntur, admitti non posse. Quod exegetae critici inscriptionibus psalmorum nullum pondus tribuunt, Commissio biblica iudicat prudenter fieri non posse; multo autem minus licitum esse, iis psalmis davidicam originem denegare, qui in S. Scriptura diserte Davidi attribuuntur. Generatim non concedit, quod criticis quibusdam placet, non esse multum quaerendum de hagiographis humanis, dummodo credatur Spiritum Sanctum esse principalem auctorem sacrorum librorum: neque permittit, ut antiquae de auctoribus illorum librorum traditiones, sive iudaicae sive christianae, quasi pro nihilo habeantur. Haec et illa, quae de Evangeliis et de Pauli epistulis statuuntur, sunt testimonia, quae sententiae „conservativae" dantur, etsi usus artis criticae rationabiliter temperatus nequaquam excluditur.

ART. X.

DE DOCTRINA SANCTORUM PATRUM.

52. Exegetae liberiores, quia sciebant opinioni suae obici posse auctoritatem SS. Patrum et priscorum theologorum, hanc auctoritatem aut imminuere aut in suam partem trahere studebant. Dicebant enim Patres et theologos de multis rebus, quas asserebant, non habuisse traditionem apostolicam, sed simpliciter retinuisse sententias inter iudaeos vigentes; immo idem de apostolis valere, quorum verba illa: „Moyses dicit" vel „David dicit" ita accipienda essent, ut subintellegeretur: „Secundum iudaeorum traditionem".

Nihilominus alii theologi non cessarunt urgere argumentum traditionis. Ita e. g. *Mangenot* centum circiter scriptorum dicta proponit, incipiens a S. Irenaeo et progrediens usque ad finem saeculi XIX [1]. Ostendit inter omnes scriptores catholicos praeteritorum saeculorum convenire de perfecta inerrantia S. Scripturae.

Idem in specie de inerrantia historica valere pluribus dissertationibus ostendit **Aem. Dorsch** [2], sed manet intra limites aetatis patristicae. Effert ea, quae de historia sacra Veteris Testamenti dixerunt „Chronographi" vel „Chronologi", i. e. illi SS. Patres vel scriptores ecclesiastici, qui gentilibus obicientibus novitatem religionis christianae respondent: Legite historiam Veteris Testamenti, discetis christianam religionem esse multo antiquiorem quam religiones gentilium [3]. Quod responsum supponit libros historicos Veteris Testamenti esse veram historiam, id quod ceteroqui illi scriptores quam maxime inculcant.

[1] Dictionnaire de théol. cath. 7, 2208—2235.

[2] Zeitschr. für kathol. Theologie 29 (1905) 631—653; 30 (1906) 57—107 227—265 430—453 671—692; 31 (1907) 86—101 229—266; 35 (1911) 421—448 601—664.

[3] Ib. 30 (1906) 76—107.

Origenes quidem contendit varia dicta Veteris Testamenti non esse historice, sed allegorice interpretanda, etsi ut facta historica narrentur[1]. Dolendum quidem est tantum virum in hac re graviter errasse; sed error eius effecit, ut sensus ecclesiae eo clarius manifestaretur. Nam mox surrexerunt multi ad impugnandam Origenis opinionem, ut Methodius, Eustathius Antiochenus, alii[2]. Etiam illi, qui amici Origenis appellari solent, admirabantur quidem et laudabant eius ingenium et eius merita, sed contradicebant doctrinae eius de narrationibus quibusdam librorum sacrorum historicorum solum sensum allegoricum habentibus[3].

Expensis multis testimoniis Dorsch haec statuit: Quae ex Methodio, Epiphanio, Eusebio, Basilio, Gregorio Naz., aliis excerpsimus, alte reclamant contra illud dictum Patris de Hummelauer, SS. Patres non dubitasse sensum historicum textus sacri relinquere, quotiens incongruum quid in eo invenerint[4].

Neque, ut vult P. Lagrange, magnus numerus allegoristarum inter SS. Patres argumentum est, quo ostenditur licere merito dubitare, utrum certae res in libris historicis ut vere factae narrentur, cum eorum studium allegorizandi destruat eorum consensum de indole historica narrationum biblicarum, quae in quaestionem vocantur. Hoc argumentum, inquit Dorsch, non minus leve quam infirmum est, cum SS. Patres saepissime repetant sensum historicum esse omnino retinendum et dein sensum allegoricum ex eo eruendum[5].

Quod quidam Patres sibi videntur contradicere, hinc inculcantes sensum historicum, illinc quibusdam dictis denegantes sensum historicum, eo explicatur, quod docent tropicas et figuratas locutiones non esse materialiter accipiendas, et quod interdum allegorias vocant, quae non sunt nisi locutiones metaphoricae. Talia verba Patrum minus diligenter dicta allegari non debent ad evertendam eorum doctrinam alibi clare propositam[6] (cf. quae scripsi De Insp. n. 485 sqq. 523 sq.).

Dorsch, postquam ultimo loco exposuit doctrinam „scholae antiochenae“[7], in fine respondet ad varias obiectiones sibi factas. Dicere SS. Patrum consensum referri ad historiam antiquam, non ad historiam criticam, nihil valet; nam SS. Patres vel manifeste supponunt vel expresse dicunt res vere ita esse factas, sicut in Scriptura narrentur, et hanc narrationem esse infallibiliter veram. Neque generatim tantum, sed etiam quantum ad singula facta hanc infallibilem veritatem Scripturae tribuunt et diserte docent historiam sacram esse partem religionis christianae, ideoque pertinere ad res fidei[8].

---

[1] Zeitschr. für kathol. Theologie 30 (1906) 228—241. [2] Ib. 430—453.
[3] Ib. 671 sqq. [4] Ib. 31 (1907) 86. [5] Ib. 87 sq.
[6] Ib. 89—101. [7] Ib. 229—253.
[8] Ib. 260—266. In specie Dorsch agit de S. Augustino (ib. 35 [1911] 421—448 601—641), ostendit eius allegoricas expositiones non obstare iis, quae docet de veritate historica Scripturae, varia explicat ex progressu Augustini a principiis manichaeis ad perfectam doctrinam catholicam.

Mirum non est recentibus quibusdam exegetis displicuisse argumentum, quo Dorsch probare studet consensum Patrum adversari eorum opinioni. Concedunt quidem non posse auctoritatem Patrum invocari pro novis illis theoriis; sed si haec auctoritas nimis urgeatur, eam ne cum conservativa quidem exegesi nostrae aetatis conciliari posse. Praeterea non deesse quosdam Patres, quorum dicta adiumento sint recenti exegesi[1].

ART. XI.

BENEDICTUS XV DE DOCTRINA S. HIERONYMI.

53. Inter SS. Patres, quos exegetae liberiores testes adhibent pro sua sententia, praecipuus est S. Hieronymus, tum propter eius consuetudinem allegorizandi etiam narrationes historicas tum propter quaedam eius dicta de hagiographis sequentibus opinionem popularem (cf. De Insp. n. 115 sq. 525 sqq.)[2].

Quam ob causam *Benedictus XV,* opportunitate utens commemorationis decimi quinti saeculi ab obitu Sancti Doctoris, non solum a macula, quam ei quidam inurere videbantur, eum immunem declaravit, sed eum etiam exemplar proposuit S. Scripturae recte aestimandae et tractandae. Ex hac igitur encyclica iuverit pauca excerpere[3].

Ex Litteris Encyclicis Benedicti PP. XV „Spiritus Paraclitus" 15 sept. 1920 datis.

Imprimis consideranda est Hieronymi doctrina „de divina dignitate atque absoluta Scripturarum veritate.... Asseverat nimirum *codicis sacri libros Spiritu Sancto inspirante vel suggerente vel insinuante vel etiam dictante compositos esse, immo ab Ipso conscriptos et editos;* sed nihil praeterea dubitat, quin singuli eorum auctores, pro sua quisque natura atque ingenio, operam afflanti Deo libere navaverint. Etenim non modo id universe affirmat, quod omnibus sacris scriptoribus commune est, ipsos in scribendo Dei Spiritum secutos, ut omnis sensus omniumque sententiarum Scripturarum Deus causa princeps habendus sit; sed etiam, quod uniuscuiusque proprium est, accurate dispicit. Nam singillatim, in rerum compositione, in lingua, in ipso genere ac forma loquendi ita eos suis quemque facultatibus ac viribus usos esse ostendit, ut propriam uniuscuiusque indolem et veluti singulares notas ac lineamenta, praesertim prophetarum et apostoli Pauli, inde colligat ac describat. Quam quidem Dei cum homine communitatem laboris ad unum idemque opus conficiendum, Hieronymus comparatione illustrat artificis,

[1] Bibl. Zeitschr. 5 (1907) 289.

[2] Vide etiam *Mangenot,* Dictionnaire de théol. cath. 7, 2212 sq. 2247 sq.; L'Inspiration de la Sainte Écriture (Arras-Paris 1907) 11 sq. (Extrait de la Revue des sciences ecclésiastiques et la Science catholique, mai 1907). *Dorsch*, Zeitschr. für kathol. Theologie 35 (1911) 641—664.

[3] Brevitatis causa omitto plurima illa Hieronymi dicta, quibus Benedictus XV confirmat ea, quae de eius doctrina exponit.

qui in aliqua re factitanda organo seu instrumento utitur." Quare summa auctoritas Sacrae Scripturae convenit[1].

„Porro cum divina sacrorum Librorum inspiratione summaque eorumdem auctoritate docet Hieronymus *immunitatem et omni ab errore et fallacia vacuitatem* necessario cohaerere.... Cui cum fortiter principio adhaeresceret, si qua in sacris Libris inter se discrepare viderentur, eo curas omnes cogitationesque Hieronymus convertere, ut quaestionem enodaret.... Scriptores tamen sacros numquam de fallacia arguit vel levissima." [2]

In hac re, inquit Benedictus XV, Hieronymi sententia plane conformis est cum iis, quae Leo XIII in encyclica „Providentissimus" declaravit de absoluta Scripturarum a quibusvis erroribus immunitate. Dolendum esse non defuisse e catholicae ecclesiae filiis, immo ex ipsis clericis sacrarumque disciplinarum magistris, „qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reiecerint vel occulte oppugnarint". Ad hos pertinent ii, qui absolutam Scripturae veritatem ad religiosum elementum coangustant, ea vero, quae ad res profanas pertinent, tamquam quandam vestem veritatis revelatae humani scriptoris imbecillitati relinqui dicunt; nihil igitur mirum, si in rebus physicis, historicis aliisque similibus errores in Bibliis occurrant. Immo quidam temere et falso hanc opinionem Leoni XIII adscribunt[3].

54. „Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ... comprobata, ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa* quam vocant." Neque verentes hoc ex ipsis Leonis verbis inferre, committunt rem in eum plane iniuriosam et falsam[4].

„Atque utinam novarum rerum fautores hic sisterent; siquidem eo procedunt, ut Doctorem Stridonensem ad sententiam suam defendendam invocent, utpote qui historiae fidem et ordinem in Bibliis servari ‚non iuxta id quod erat, sed iuxta id quod illo tempore putabatur', et hanc quidem propriam esse historiae legem asseveraverit. In quo mirum quantum ad sua commenta detorquent verba Hieronymi. Nam quis est qui non videat hoc Hieronymum dicere hagiographum non in rebus gestis enarrandis, veritatis ignarum, ad falsam se vulgi opinionem accommodare, sed in nomine personis et rebus imponendo communem sequi loquendi modum? Ut cum Sanctum Iosephum patrem Iesu appellat, de quo quidem patris nomine quid sentiat, ipse in toto narrationis cursu haud obscure significat. Atque haec ad Hieronymi mentem ‚vera historiae lex' est, ut scriptor, cum de eiusmodi appellationibus agitur, remoto omni erroris periculo, usitatam loquendi rationem teneat, propterea quia penes usum est arbitrium et norma loquendi. Quid, quod res, quas Biblia gestas enarrant, hic noster non secus ac doctrinas fide ad salutem necessaria credendas proponit?" ...[5]

---

[1] Acta Apost. Sedis 12 (1920) 389 sq. [2] Ib. 391 sq. [3] Ib. 393—395.
[4] Ib. 395 sq. [5] Ib. 396.

„Neque aliis Scriptura sancta obtrectatoribus caret ..., in quos Hieronymus, si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniceret, quod sensu et iudicio Ecclesiae posthabito nimis facile ad *citationes quas vocant implicitas vel ad narrationes specietenus historicas* confugiunt; aut genera quaedam litterarum in libris sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat; aut de Bibliorum origine ita opinantur, ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas. Iam quid de iis sentiendum, qui in ipsis Evangeliis exponendis fidem illis debitam humanam minuunt, divinam evertunt? Quae enim Dominus Noster Iesus Christus dixit, quae egit, non ea censent ad nos integra atque immutata pervenisse, iis testibus, qui, quae ipsi vidissent atque audivissent, religiose perscripserint; sed — praesertim ad quartum Evangelium quod attinet — partim ex Evangelistis prodiisse, qui multa ipsimet excogitarint atque addiderint, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta; ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nulla iam certa nota distingui inter se possint. Haud ita Hieronymus, Augustinus et ceteri Ecclesiae Doctores historicam Evangeliorum fidem intellexerunt. . . ." [1]

„Iam videtis, Venerabiles Fratres, quanto opere sit vobis adnitendum, ut, quam Patres diligentissime defugerint, insanam opinandi libertatem, eandem Ecclesiae filii non minus diligenter devitent. . . . Doctrina igitur Hieronymi de praestantia . . . Scripturae, ut uno verbo dicamus, doctrina Christi est. Quare omnes Ecclesiae filios, eosque praecipue, qui sacrorum alumnos ad hanc excolunt disciplinam, vehementer hortamur, ut Stridonensis Doctoris vestigia constanti animo persequantur." Eius amorem Scripturae et indefessum studium imitentur, cuius fructus insignis est Versio Vulgata, quae tantum aestimatur ab omnibus integris iudicibus. Si quaeritur, qua via thesaurus in Scriptura latens inveniatur, Hieronymus exemplo suo respondet, qui missis omnibus terrenis desideriis cum magna humilitate Spiritus Sancti auxilium flagitabat, ut eo sensu Scripturam intellegeret, quo conscripta est. Inhaerebat maiorum doctrinae, atque ecclesiae, supremae per Romanos Pontifices magistrae, toto pectore obsequebatur et parebat. „Quodsi umquam alias, . . . at hac nostra praesertim aetate, cum Dei revelantis Ecclesiaeque docentis auctoritatem atque imperium non pauci contumaciter detrectant, spiritu Doctoris Maximi omnes e clero populoque christiano imbuantur oportet." [2]

Quamplurimi igitur et quam maxime idonei excitandi sunt „sanctissimae causae defensores, qui non modo adversus eos dimicent, quibus, ordinem supernaturalem universum negantibus, nulla est Dei revelatio et afflatus, sed etiam cum iis congrediantur, qui profanarum novitatum cupidi sacras Litteras quasi librum prorsus humanum interpretari

[1] Ib. 397. [2] Ib. 398—403.

audent, aut a sententiis discedunt in Ecclesia a prisca antiquitate receptis, aut magisterium eius sic neglegunt, ut Apostolicae Sedis Constitutiones et Pontificii Consilii de Re Biblica decreta parvi pendant vel silentio praetereant vel etiam ad placita sua subdole petulanterve detorqueant. Utinam catholici omnes auream sancti Doctoris regulam sequantur et Matris dicto audientes intra terminos antiquos a Patribus positos et ab Ecclesia ratos se modeste contineant." [1]

His litteris apostolicis clarissime ostenditur, quam firmiter auctoritas ecclesiastica perstiterit in principiis a Leone XIII in encyclica „Providentissimus" statutis. Id Benedictus XV ipse effert: „Conscientia apostolici muneris impellimur, ut ad nobilissimam hanc [scientiae Scripturarum] disciplinam provehendam . . ., quae fel. rec. decessores Nostri Leo XIII et Pius X monita et praescripta hoc in genere utilissima ediderunt, eadem apostolica Nostra auctoritate confirmemus et ad haec Ecclesiae tempora pressius aptemus" [2], ut „omnes non modo catholicam de divina Scripturarum inspiratione doctrinam retineant ac tueantur, sed etiam principiis studiosissime inhaereant, quae Litteris Encyclicis ‚Providentissimus Deus' et hisce Nostris praescripta sunt" [3]. Itaque quia Benedictus XV explicat, quomodo verba Leonis XIII intellegi debeant aut non debeant, nunc scimus, quid suprema auctoritas ecclesiastica iudicet de veritate Scripturae relativa, de citationibus implicitis, de variis generibus litterariis, de libris Scripturae historicis secundum alios et alios conceptus historiae et de ceteris quaestionibus biblicis nostra aetate adeo disputatis.

ART. XII.

ANNO VIGESIMO QUINTO POST EDITAM ENCYCLICAM „PROVIDENTISSIMUS DEUS".

55. Anno 1893 Leo XIII litteras apostolicas ad universos episcopos catholicos dedit de studio Scripturae Sacrae, ut, quemadmodum ipse ait, nobilissimum hoc sacrarum litterarum studium excitaret, commendaret, ad temporum necessitates dirigeret, promovendo tutiorem et uberiorem usum praeclari huius fontis catholicae revelationis, et cavendo, ne ulla in parte violaretur ab iis, „qui in Scripturam sanctam sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur".

Quae cum ita sint, elapsa inde ab edita encyclica saeculi parte quarta, quasi sua se sponte offerebat quaestio, quomodo rerum eventus ad spem summi pontificis respondissent. Ad hanc quaestionem illustrandam et solvendam anno 1918 plures libelli et dissertationes in lucem prodierunt, e quibus exempli causa unum saltem specimen eligamus, quod ansam cuiusdam disputationis dedit.

---

[1] Acta Apost. Sedis 12 (1920) 404. [2] Ib. 385 sq. [3] Ib. 422.

In commentariis periodicis, quibus titulus est *La Civiltà cattolica*, annis 1918 et 1919 tribus locis agitur de anno vigesimo quinto post encyclicam „Providentissimus" [1]. Indicatur autem haec ratio: „Pontifex immortalis Leo XIII per encyclicam ‚Providentissimus Deus', dans fortem impulsum studio Sacrae Scripturae inter catholicos, simul ostendit viam sequendam et scopulos vitandos. Sic admirabilis illa epistula erat simul incitatio et programma: incitatio, qua omnes ecclesiae vires vitales congregabantur ad laborem et pugnam contra periculum grave et imminens; programma, quo describebatur generalis ratio laborandi cum fructu et pugnandi cum exitu prospero. Filialis autem noster erga ecclesiam amor et specialis nostra erga communem Patrem, pontificem romanum, devotio exigit, ut tam grave documentum a nobis commemoretur mentione non strictim facta." [2] Quare imprimis breviter describamus *salutares encyclicae effectus.*

Encyclica recepta est a mundo catholico moraliter toto cum gratissimo assensu, etiam ab iis, quorum opiniones non approbabantur, et brevi facta est norma docendi in scholis catholicis et quasi fundamentum omnis discussionis de essentia, extensione, effectibus inspirationis. Ii qui largioribus opinionibus etiam posthac favebant, studebant eas cum encyclica qualicumque modo conciliare.

In Gallia, ubi nata dici potest quaestio biblica inter catholicos, e Seminario S. Sulpicii prodierunt plures viri, qui disciplinam biblicam naviter excolebant. Sufficit nominare Vigouroux, qui erat editor lexici biblici (Dictionnaire de la Bible) et multis aliis operibus studium S. Scripturae promovit. A. Crampon novam versionem gallicam totius S. Scripturae secundum textus primigenios incohavit, quam alii perfecerunt post eius mortem praematuram. Patres Ordinis S. Dominici ediderunt „Études bibliques". Florentis status studiorum biblicorum in Gallia fidem faciunt opera, quae ediderunt Le Camus, Fillion, Fouard, Mangenot, Jacquier, Brassac, Touzard, alii. Facultas orientalis universitatis berytensis (Beirut) optime merita est de re biblica, promovendo studium linguarum orientalium [3].

Quid in Germania factum sit, sufficienter indicant nomina omnibus nota: „Biblische Studien", „Biblische Zeitschrift", „Biblische Zeitfragen", „Alttestamentliche Abhandlungen", „Neutestamentliche Abhandlungen", „Cursus Sacrae Scripturae", alia.

In Italia Bonaccorsi, Cellini, Cereseto, Padovani, Nogara, Scerbo operibus suis studia biblica excoluerunt, novae versiones librorum sacrorum factae sunt, instituta societas S. Hieronymi ad sacros libros in vulgus spargendos.

In Hispania fructus encyclicae fuerunt opera edita a Valbuena, Vigier, Murillo, Sucona y Vallés, Glascar, Pérez-Gonzalo.

Inter catholicos lingua anglica utentes operam fecundam in rem biblicam contulerunt Fr. Gigot, A. I. Maas, McRory, F. Rickaby, I. Ratton, H. Pope, alii. Nova quoque versio secundum textus primigenios in lucem prodire coepit.

---

[1] Venticinque anni dopo l'Enciclica „Providentissimus" (1918 IV) 361—374; (1919 I) 278—290 364—372.

[2] Ib. (1918 IV) 361. [3] Ib. 364—367.

Alia, utpote satis iam nota, enumerare sufficit, ut varias editiones sive textus graeci sive Vulgatae, programma novae editionis textus hebraici (Biblische Zeitschrift 12 [1914] 1—13 113—115), institutionem Commissionis biblicae et alterius Commissionis pro revisione Vulgatae, erectionem Instituti biblici [1].

Impedimenta sani studii exegetici valde molesta sublata sunt per encyclicam „Providentissimus". Orta enim erat inter catholicos quosdam opinio, quasi praeoccupatae essent in sacris libris omnes humanae disciplinae, vel quasi saltem esset perfectus consensus inter verba Scripturae et doctrinas recentes. Ita rem esse nonnulli apologetae omni conatu frustra ostendere studebant. Venit Leo XIII et declaravit in Scriptura quaerendam non esse doctrinam profanam, neque accuratas locutiones scientificas, sed sacros scriptores loqui secundum communem usum hominum de apparentiis rerum sensibilibus.

Altera similis naturae difficultas inde orta erat, quod unanimis consensus SS. Patrum et theologorum, quae est regula doctrinae catholicae in rebus fidei et morum, ab aliquibus ita ad Scripturae interpretationem applicabatur, ut fines artis exegeticae immoderate in angustum contraherentur. Sed, inquit summus pontifex, ad obligationem imponendam non sufficit, ut pauci locum aliquem certo modo interpretati sint, sed requiritur unanimis consensus, et quidem in rebus, quae spectant ad fidem aut cum ea maxime copulatae sunt. In iis autem, in quibus deest consensus, aut quae non sunt de necessitate fidei, licet diversimode opinari. Sic exegesi catholicae ampliorem et faciliorem viam fecit illa ipsa encyclica, quae nata erat ex officio coercendi intemperatam opinandi licentiam. Nihilominus principale encyclicae meritum est, quod magno auctoritatis pondere nefas esse declaravit in Sacra Scriptura errores qualescumque admittere, vel inspirationem ad aliquas tantum eius partes restringere.

56. His verbis opinionis suae causam agi bene perspexerunt *asseclae scholae largioris* quae dicebatur. Primum quidem tamquam stupefacti, non iam videbant viam praecepta encyclicae conciliandi cum sententia, quam secuti erant. Sed mox se recolligentes, inveniebant rationem componendi severam Leonis XIII sententiam cum molli ad illam novitatem accommodatione, in qua tam commode se collocaverant.

Quae dixerat summus pontifex de sacris scriptoribus loquentibus secundum sensibilem apparentiam de rebus physicis, nonne haec transferri poterant ad historiam, cum ipse dixerit: „Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, *iuvabit transferri*"? Ergo si dicimus sacros scriptores multa narrare, quae non cum rebus vere gestis, sed cum populari traditione concordant, nullum iis errorem imputamus, cum lex historiae tum fuerit, vulgi opinionem exprimere.

[1] Venticinque anni dopo l'Enciclica „Providentissimus" (1918 IV) 367—374.

Hanc quidem explicationem encyclicae falsam esse, ex ipso contextu patet, ubi illud „iuvabit transferri" hunc sensum habet: Non semper omnia nova, quae aliqui physici dicunt esse certa, ideo certa sunt, sed saepe non multo post ab aliis repudiantur; neque semper physici intra limites disciplinae suae manserunt, sed invaserunt regiones philosophiae. Sicut ergo in his rebus cautione opus est, ita haec cautio transferenda est ad alias disciplinas, in quibus idem accidit, ut scilicet incerta pro certis statuantur aut de alienis rebus iudicia minus apta proferantur.

Alia via evitandi praeceptum de non admittendis ullis erroribus in libris inspiratis haec est: *Nemo errat, nisi in iis, quae affirmat.* Quid autem affirmet aliquis scriptor, non pendet unice ex materialibus verbis, quibus utitur, sed imprimis ex genere litterario. Eadem verba, quae in alio genere falsa sunt, in alio falsa non sunt. Ita in parabola vel generatim in instructione morali et religiosa possunt sine errore quaedam narrari, quae essent falsa in historia proprie dicta. Sic in historia quoque antiqua et religiosa potuerunt multa narrari, quae non sunt vere facta. Haec theoria maxime exculta est a Patre Lagrange O. P. in lectionibus „La méthode historique", et a P. Hummelauer S. I. in lectionibus „Exegetisches zur Inspirationsfrage".

Esse quidem *varia genera litteraria,* etiam in Sacra Scriptura, nemo negat; sed in applicatione huius principii duo graves defectus commissi sunt. Alter defectus erat, quod illi exegetae sine sufficientibus rationibus libros sacros, qui antea communi consensu habebantur historici, e numero librorum historicorum exemerunt et ad aliud genus transtulerunt. Alter defectus erat, quod imaginati sunt quaedam genera historiae, de quibus antea nihil umquam auditum erat. Ita secundum eos „historia primitiva" est pura traditio popularis; historia religiosa est tractatus religiosus sub specie historiae; historia antiqua est repetitio eorum, quae in certis documentis legebantur, sine affirmatione veritatis obiectivae rerum, quae narrantur. Ita licet admittere in Sacra Scriptura multa sub forma historica narrari, quae sunt historice falsa, salva Leonis XIII doctrina de inerrantia Scripturae.

Secundum hanc igitur sententiam sacri scriptores tot res narrantes, nihil affirmant. Dicunt quidem critici exegetae catholici hoc valere solum de rebus ad salutem non pertinentibus, non de rebus religiosis. At haec duo non ita inter se separari possunt, et negatio veritatis historicae multis claudet viam ad credendas res religiosas. Si quis e. g. negat tria priora capita Genesis esse historice vera, eae quoque, quae in his narrationibus sunt res dogmaticae, corruent cum fundamento, quocum tam arte cohaerent[1].

Inter eos, qui illas periculosas sententias defendebant, erant viri, qui fidem catholicam aperte profitebantur et sincere sibi persuaserant

[1] Ib. (1919 I) 278—290.

se facere opus utilissimum ad auctoritatem Scripturae etiam iis commendandam, qui imbuti erant principiis criticis nostrae aetatis.

57. Ex eodem sincero et laudabili desiderio orta est *theoria citationum implicitarum*. Ita e. g. in Paralipomenis novem priora capita continent genealogias, quae sumptae sunt e tabulis publicis vel domesticis. Si fons indicatur, ut 2 Esdr. 7, 5, habetur citatio explicita; si non indicatur, habetur citatio implicita. Iam si agitur de narrationibus historicis aliunde transumptis, scriptor citans potest aut affirmare veritatem rerum citatarum, aut potest documento relinquere nativam suam auctoritatem, nihil de ea affirmans, aut potest illud testimonium citare ut fide dignum in substantia, non vero in singulis particulis.

Hanc theoriam maxime expolivit F. Prat (La Bible et l'Histoire [Paris 1904]), qui ad quaestionem: Suntne in Scriptura citationes implicitae? incunctanter respondet: Sunt. Sed facit restrictiones: Numquid licet concludere scriptorem nihil curare de veritate aut falsitate documenti, quo utitur? Hoc esset irrationabile. Numquid licet admittere scriptorem non se facere fideiussorem veritatis omnium particularum documenti a se usitati? Potest esse; sed oportet id singulis locis probare, quia non omne id, quod est possibile, ideo etiam est reale.

Aliis autem hae restrictiones non placuerunt. E. g. Bonaccorsi (Questioni bibliche 122, nota) ait: P. Prat consistit in media via, quia secundum eum intentio non spondendi de veritate supponenda non est, sed probari debet. Nos credimus contrarium esse dicendum: Qui alterius verba citat, tamdiu censendus est non spondere de veritate verborum citatorum, quamdiu non probatur. Aliis verbis: Nullius facti veritas historica formaliter inde sumi potest, quod factum narratur in Scriptura. Si historicus nostrae aetatis in fine operis sui indicat in appendice documenta, quibus usus est, nemo rationabiliter dixerit auctorem eo ipso se facere vadem plenae veritatis omnium rerum in documentis contentarum. Fingite talem appendicem, ex qua textus sit decerptus, habebitis imaginem satis fidelem historiae orientalis, qualis est historia narrata in Vetere Testamento.

Quid talis explicatio relinquat veritatis vel dignitatis, quam encyclica „Providentissimus" tribuit Scripturae, opus non est exponere. Itaque a doctrina P. Bonaccorsi plane dissentit responsum Commissionis biblicae (13 febr. 1905); nam cum Bonaccorsi postulet probationem non esse in textibus sacris nudam veritatem citationis, responsum postulat, ut in quovis casu solidis argumentis probetur hagiographum alterius dicta vel documenta citare, et eadem nec probare nec sua facere. Si vero decisio Commissionis comparatur cum sententia Patris Prat, est differentia potius formalis quam realis. Ad quaestionem: Suntne in Scriptura citationes implicitae admittendae? Commissio respondet: Non sunt, nisi in singulis casibus probetur; Prat respondet: Sunt, sed hoc in singulis casibus probandum est. Ergo Commissio ait hypothetice: Si

sunt rationes sufficientes, citatio admitti potest; Prat ait: Sunt bonae rationes admittendi citationes illis vel illis locis. Patet catholicis exegetis incumbere officium sequendi responsum Congregationis biblicae. Sic tolluntur disputationes de hac quaestione[1].

Multo magis subversivum fuit *principium veritatis relativae vel oeconomicae,* quod A. Loisy propugnabat, qui eo nomine tegebat admissionem errorum in Sacra Scriptura. Bene intellegebat opinionem suam pugnare cum encyclica „Providentissimus". Quovis novo libro, quem edebat, maior fiebat abyssus, qua separabatur ab ecclesia. Venit tandem ad apostasiam; et quando publica excommunicatione multatus est, in hoc actu, ut ipse ait (Choses passées 368), non invenit nisi hoc unum vitium, quod viginti annis sero venit.

In encyclica „Providentissimus" Leo XIII ut rem valde indecentem et periculosam vituperaverat, neglecto studio magnorum theologorum catholicorum, praeoptare heterodoxorum libros et ab iis explicationem sacrorum librorum quaerere. Hac via Loisy in perniciem ruit, pro ducibus habens Harnack, Wellhausen, Sabatier, Holtzmann, Réville, Renan, alios similes. Eadem via Minocchi et alii apostatae facti sunt.

Dignetur Deus cavere, ne similes lapsus sequantur. Facta praeterita adulescentibus, in quibus est spes ecclesiae, sint admonitio gravis se non separandi a supremo pastore, cuius sapientia eventibus tam egregie confirmata est. — Hucusque „La Civiltà cattolica"[2].

58. Contra hunc conspectum historicum scripsit quasdam animadversiones P. *M. I. Lagrange*[3]. Ratio erat, quia inter principales duces „scholae largae" ipse saepe nominatus erat; censebat autem complendum esse istum commentarium, ut „cuique suum" tribueretur, sicut ipse statim ab initio ait.

Quare in memoriam revocat die 21 febr. 1903 in „La Civiltà cattolica" sub titulo „Bibbia ed alta critica" legi inquisitionem, quousque se extendat ius et officium artis criticae. Ex hoc articulo P. Lagrange varia excerpit, quae opus non est repetere, quia sunt dicta Patris de Hummelauer, qui erat auctor dissertationis (cf. Exegetisches zur Inspirationsfrage 108). Dein pergit P. Lagrange: Iam die 16 aug. 1902 La Civiltà in variis capitibus Genesis, ubi dicitur tota terra, totum genus humanum etc., concessit exponi posse illud „totum" de totalitate relativa „determinata dalla conoscenza attuale dello scrittore ispirato" (p. 427). Etsi exempla electa erant satis innocentia, tamen concessum erat principium argumentandi de rebus historicis sicut de rebus physicis. Similiter die 7 mart. 1903 commendatur methodus critica ad exponendam S. Scripturam. In qua parte, inquit La Civiltà, videtur nonnihil deficere lexicon biblicum a Vigouroux editum, sed hoc excusatur, quia populus christianus nondum erat satis praeparatus.

---

[1] Venticinque anni dopo l'Enciclica „Providentissimus" (1919 I) 364—368.
[2] Ib. 369—372. [3] Revue biblique (1919) 593—600.

Fatendum est, inquit, zelum criticum commentariorum Civiltà non procedere ultra mensem augustum 1903. Nihilominus ille, qui a. 1919 exempla sumpsit ex Patre Lagrange, potuit invenire non minus sapida in libello Patris de Hummelauer. Nonne conveniebat potius theoriam generum litterariorum refutare secundum opusculum eius, qui eam systematice excoluit?[1]

His et aliis considerationibus patefit anno 1919 La Civiltà reapse concessisse errorem suum anno 1903 commissum et velle posthac omne a se periculum huius rei removere.

Etiam P. Knabenbauer in commentariis in libros Machabaeorum dicit posse scriptorem sacrum sine ulla erroris suspicione referre quasdam res secundum opinionem popularem, excepta illa veritate historica, in qua innititur doctrina exponenda.

Chr. Pesch in opere „De Inspiratione Sacrae Scripturae" satis in extenso exponit opiniones Patris Lagrange, et addit: „Vestigiis Patris Lagrange ingreditur fere F. Prat" (p. 358)[2], nulla apposita vituperatione. Praeterea P. Pesch concedit possibilem esse inspirationem narrationum fictarum, et ait ex dogmate inspirationis ut tali refutari non posse opinionem eorum, qui censent libros Iudith et Tobiae esse tales narrationes, sed hoc diiudicandum esse ex testimoniis Scripturae et traditionis. Item admittit illud principium scriptores sacros nihil affirmasse ut verum, quod falsum sit; nihil negasse ut falsum, quod verum sit; sed non semper indubie constare, quid scriptor affirmare voluerit.

Etiam P. Brucker, theologus, qui in Gallia inter maxime „conservativos" numerabatur, anno illo „fatidico" 1903 valde humaniter egit in P. Lagrange, laudans eius commentarium „Sur l'Innocence et le Péché", et concedens in libris Ruth, Iudith, Esther, Tobiae quaerendam non esse „rigorosam veritatem historicam, de qua eorum auctores probabiliter numquam solliciti fuerunt" (Études 94 [1903 I] 230—231).

Hanc partem animadversionum suarum P. Lagrange concludit ita: „Encore une fois, Cuique suum." Aliis verbis: Si ego peccavi in proponendis opinionibus meis, vos non minus peccastis.

---

[1] Probabiliter hoc factum non est, quia P. de Hummelauer mortuus erat, neque iam opiniones suas urgere poterat.

[2] P. *Lagrange,* in Revue biblique (avril 1906) 305 nota 2 recensens opus meum De Inspiratione, eadem verba iam exscripsit, annotans: „On le voit, c'est toujours trop d'honneur qu'on fait au P. Lagrange." — Fortasse oblitus erat, quae leguntur in Revue biblique 1901, 311: „La Revue biblique n'éprouve aucune vanité à ce que le canon suivant [du P. Prat] lui [au P. Lagrange] soit emprunté textuellement." Idem effertur p. 312, dein subiunguntur haec: „Nous nous félicitons sincèrement de cet accord entre les Études et la Revue biblique", i. e. inter P. Prat et P. Lagrange. Hoc iudicio fisus, scripseram illa verba: „Vestigiis Patris Lagrange ingreditur fere F. Prat." Non tamen habeo ullam difficultatem revocandi haec verba, si forte istud iudicium cum rei veritate non conveniat. Ceterum, quae mea sit sententia de „citationibus implicitis", clare indicavi De Insp. n. 535.

59. Dein transit ad quaestionem, quomodo explicanda sint verba Leonis XIII: „Haec ipsa . . . iuvabit transferri", quae eodem sensu interpretatus erat quo Hummelauer (supra n. 29). Dicit Cardinalem Satolli, qui tunc erat praefectus studiorum, sibi 5 mart. 1905 scripsisse hanc interpretationem sibi videri „exactam". Sed, inquit P. Lagrange, „il se peut en effet que la petite phrase ait une portée plus générale, et serve de transition, s'applicant moins à une solution particulière qu'à tout le régime de la défense relativement aux objections".

Anno 1899 (8 sept.) Leo XIII epistulam encyclicam, lingua gallica scriptam, dederat ad universum clerum Galliae. In qua epistula loquitur „des tendances inquiétantes qui cherchent à s'introduire dans l'interprétation de la Bible, et qui, si elles venaient à prévaloir, ne tarderaient pas à en ruiner l'inspiration et le caractère surnaturel. Sous le spécieux prétexte d'enlever aux adversaires de la parole révélée l'usage d'arguments qui semblaient irréfutables contre l'authenticité et la véracité des Livres Saints, des écrivains catholiques ont cru très habile de prendre ces arguments à leur compte. En vertue de cette étrange et périlleuse tactique, ils ont travaillé, de leurs propres mains, à faire des brèches dans les murailles de la cité qu'ils avaient mission de défendre." [1]

Tangens haec verba La Civiltà dixerat: „È facile scorgere sotto il trasparente velo di queste parole a chi voglia alludere il sapiente Pontefice" (1919 I, 290).

Respondet P. Lagrange: „Perlucidum utique satis est hoc velum ei, qui legit La Civiltà, postquam nomen Patris Lagrange sexies citatum est et semper in malam partem." Postea quidem sermo est de Loisy quoque, quem, quasi multiplicatum per multa pseudonyma et in integram scholam evolutum, summus pontifex prae oculis habuisse censendus est. Sed numquid revera comprehendit severa sua condemnatione La Revue biblique? Si ita esset, quid dicemus de eius agendi ratione, quando in Commissionem biblicam a se institutam vocavit P. Lagrange et alios sectatores scholae, quam La Civiltà vocat, largae? Immo plus fecit. Voluit Romam transferre La Revue biblique, ut esset organum Commissionis biblicae, sub directione P. Lagrange, qui de hac re ait: „Non quaesieram hunc favorem; fateor potius eo mihi metum quendam iniectum esse; petii a Leone XIII, ut in urbem Ierusalem redire liceret." Preces non admittebantur; sed Cardinalis Rampolla, hoc annuntians, simul addebat haec verba: „Du reste, il ne faut pas craindre des conséquences funestes, soit pour la Revue, soit pour l'École de Jérusalem, soit pour votre Ordre. Dans toute cette question le S.-Siège n'a d'autre intention, sinon de vous donner à vous et à votre Ordre un gage de sa bienveillance et de son estime. Quant à ce qui regarde l'Institut des Hautes Études Bibliques, il est évident que Votre Paternité

[1] Acta S. Sedis 32 (1899—1900) 202.

n'est pas au courant des faits en détail. Je puis vous assurer d'avance que Votre Paternité sera pleinement satisfaite dès qu'elle sera saisie des mesures prises à cet égard par le S.-Père" (Lettre du 22 juin 1903) [1].

Addit P. Lagrange haec verba: „Videmus Cardinalem Rampolla non fuisse prophetam.... Sed si futura erant ei abscondita non minus quam ceteris hominibus, saltem tunc (1903) condicionis status erat manifestus; non erat velum neque densum neque perlucidum."

Quae sequuntur, sunt expositio brevis responsorum Commissionis biblicae de generibus litterariis et de citationibus implicitis. Finiuntur animadversiones ita: „Haec sunt omnia, quae notare volui. Sinamus La Civiltà triumphare. Triumphus eius est gloriosior, quam primo adspectu videtur. Triumphavit de La Revue biblique, sed etiam de se ipsa, qui triumphus semper visus est difficillimus."

Possunt hae videri altercationes personales vel disputationes theologicae non magni ponderis. Sed optima ratio subest non praetergrediendi haec in descriptione progressus quaestionis biblicae. Nam animum attente considerantis percutit ingens differentia inter fiduciam, immo non raro audaciam, qua initio huius saeculi amici exegesis liberioris inter catholicos loquebantur, et modum loquendi, quo nunc utuntur. Ante viginti annos multi erant, quibus omnis progressus criticus lentior erat, et qui tamquam vexillum tollentes aliis animum ad sequendum addebant. Sed paulatim, cum prodiissent tot responsa vel monita et decreta supremae auctoritatis ecclesiasticae, novis illis opinionibus minime propitia, auditae sunt voces dicentium: Sententiam meam numquam ita intellexi, ut sit illa ipsa, quae damnata est; vel: Ego non sum ille vir, qui hac censura perstringitur, saltem non ego solus. Quidam, animos despondentes, in recessum se tacentes receperunt, quasi frustra laboraverint, neque aliud restet, nisi ut ab omni opera conferenda ad quaestiones biblicas solvendas in posterum plane abstineant. Plurimis autem illa decreta novum animum fecerunt ad laborandum cum securitate et diligentia in re exegetica, quorum studiorum fructus laeti iam apparuerunt, sed adventantibus opportunioribus temporum condicionibus multo uberiores apparebunt.

[1] Revue biblique 1919, 599. Uno tantum mense post illam epistulam mortuus est Leo XIII (20 iul. 1903). Sequenti mense (4 aug. 1903) successit Pius X, sub quo pontifice multiplices rerum mutationes factae sunt. Die 15 februarii 1909 statutum est, ut Commissio biblica „ad actus suos publici iuris faciendos nullo alio deinceps promulgationis organo uteretur" quam Actis Apostolicae Sedis (Acta Apost. Sedis 1 [1909] 241. Documenta ad Pontificiam Commissionem de re biblica spectantia ex mandato eiusdem Commissionis collegit et edidit *L. Fonck* [Romae 1915] 29 sq.). Cf. tamen iam declarationem Pii X d. d. 23 maii 1904: Acta Sanctae Sedis 37 [1904/05] 4.

ART. XIII.

DE IIS, QUAE HIS ULTIMIS ANNIS ACCIDERUNT IN RE BIBLICA.

60. *Quid docet ecclesia catholica de inspiratione sacrorum librorum? Concilium tridentinum* ait revelatam „veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt". Sancta synodus „omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor ... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur". Tum indicem sacrorum librorum addit et hunc canonem statuit: „Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, A. S." Vulgatam editionem declarat esse authenticam. Quoad Scripturae interpretationem „decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat" (Sess. 4; *Denz.* 783—786).

Itaque scimus, qui libri secundum doctrinam catholicam sint sacri, et ideo sacri, quia veritatem revelatam continent et Deum auctorem habent, et quomodo sint interpretandi.

Has definitiones repetit *concilium vaticanum,* quod indolem librorum sacrorum ita exponit: „Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod, sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt" (Sess. 3, cap. 2; *Denz.* 1787). Canon correspondens (De revelatione 4) est hic: „Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, A. S." (*Denz.* 1809).

Hae igitur sunt definitiones conciliares, quibus dogma de facto inspirationis et de numero librorum inspiratorum stabilitur.

His definitionibus innitens summus pontifex *Leo XIII* in encyclica „Providentissimus" extensionem, proprietatem, effectum inspirationis accuratius describit (cf. De Insp. n. 343—345).

Cum vero modernistae (Loisy et alii) ausi essent catholicam de sacris libris doctrinam impugnare et irridere, *Pius X* eorum errores condemnavit tum decreto „Lamentabili" (Prop. 9—19; *Denz.* 2009—2019), tum encyclica „Pascendi" (*Denz.* 2090).

Rursum contra impugnatores et depravatores fidei catholicae „de absoluta Scripturarum a quibusvis erroribus immunitate" *Benedictus XV* praedecessorum suorum doctrinam inculcavit et explicavit (cf. supra n. 8 26 31 53—54).

Commissio biblica responsis suis praecipue solvit quaestiones spectantes ad auctores sacrorum librorum et ad auctoritatem historicam certorum librorum, maxime veteris testamenti (supra n. 50).

Itaque qui his definitionibus, decretis, responsis acquiescit, tenet catholicam doctrinam et habet normas securas rectae exegesis. E contra optima monita nihil prosunt, si iis non obsecundatur. Quare auctoritas ecclesiastica non solum monita dedit, sed etiam exsecutioni institit[1].

61. *Quomodo auctoritatis ecclesiasticae de re biblica declarationes receptae sunt a theologis catholicis?* Respondet *Leo XIII* in litteris apostolicis „Vigilantiae" (30 oct. 1902) documenta sua non in irritum cecidisse. „Iucunda memoratu sunt, quae subinde sacrorum antistites aliique praestantes doctrina viri magno numero obsequii sui testimonia deferre ad nos maturaverint, cum et earum rerum, quas perscripseramus, opportunitatem gravitatemque offerrent et diligenter se mandata effecturos confirmarent. Nec minus grate ea recordamur, quae in hoc genere catholici homines re deinceps praestitere, excitata passim horum [biblicorum] studiorum alacritate."[2] Eadem usque ad nostra haec tempora valent de catholicorum numero longe maximo, qui prompta oboedientia decreta biblica ecclesiae receperunt. Attamen sicut tunc ita nunc quidam non tam perfecte dicto audientes fuerunt.

Quomodo auctoritas ecclesiastica egit cum obnitentibus? Satis ad hanc quaestionem respondetur quibusdam factis in memoriam revocatis.

Aperte rebelles fuerunt duces eorum, qui modernistae appellantur. Hi enim studebant intra ipsam ecclesiam impugnare dogmata et decreta de inspirationis natura et extensione et introducere oppositos errores suos.

Contra quos *Pius X* Motu proprio „Praestantia Scripturae" (die 18 nov. 1907) haec statuit:

„Audentiores quotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non Decreto solum ‚Lamentabili sane exitu', quod 5 nonas iulias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio Nobis iubentibus edidit, verum etiam Litteris Encyclicis Nostris ‚Pascendi Dominici gregis', datis die 8 mensis septembris istius eiusdem anni, auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum Decretum illud Congregationis Sacrae Supremae, tum Litteras eas Nostras Encyclicas, addita excommunica-

[1] De auctoritate „Pontificalis Consilii de re Biblica" Pius X praecepit „omnes conscientiae obstringi officio sententiis [eius] ... se subiciendi, nec posse notam tum detrectatae oboedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent" (Motu proprio „Praestantia Scripturae", 18 nov. 1907; *Denz.* 2113).

[2] Acta S. Sedis 35 (1902/03) 234.

tionis poena adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur, ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatis tueatur, censura ipso facto plecti capite ‚Docentes' Constitutionis ‚Apostolicae Sedis' irrogata, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis[1]. Haec autem excommunicatio salvis poenis est intellegenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint, uti propagatores defensoresque haeresum, incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones doctrinaeve haereticae sint, quod quidem de utriusque documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime, cum modernistarum errores, i. e. omnium haereseon collectum, propugnant" (*Denz.* 2114).

A. Loisy autem, cum haec omnia flocci faceret et, recusata subiectione, in dies apertius errores suos propagaret, tandem die 7 martii 1908 a S. Officio nominatim excommunicatus est.

Eadem poena ab eadem Suprema Sacra Congregatione S. Officii die 28 martii 1924 inflicta est Ernesto Buonaiuti, de quo in decreto condemnationis haec dicuntur:

„Il sac. Ernesto Buonaiuti, già più volte ammonito, ripreso e sottoposto anche a gravi sanzioni canoniche per le sue dottrine prettamente modernistiche propagate a voce ed in iscritto, è rimasto purtroppo, non ostante le sue ripetute proteste di sottomissione, come evidentemente dimostrano suoi fatti e scritti recenti, sempre nella sua pertinacia [sequuntur quaedam citata ex encyclica ‚Pascendi']. Non potendosi dunque in verun modo tollerare più a lungo, senza grave scandalo e danno dei fedeli, quest' opera subdola e continua di demolizione della Fede da parte di un sacerdote cattolico, che si ostina a voler apparir tale, nella sede stessa del Supremo Pontificato, questa Suprema Sacra Congregazione del S. Uffizio, della Fede e del costume custode e vindice, nella Congregazione di feria IV, 26 corr. mese, d' ordine e con l' approvazione del Santo Padre, novamente dichiara il sopra mentovato sac. Ernesto Buonaiuti incorso nella scomunica a termini di diritto e, conseguentemente, anche nella sospensione *a divinis*; — condanna e proscrive tutti i suoi libri e scritti ordinandone l' inserzione nell' Indice dei libri proibiti; — e gli proibisce di più scrivere, tenere conferenze ed insegnare nelle pubbliche scuole in materia attinente alla Religione." [2]

Alii ex defensoribus liberiorum opinionum biblicarum non quidem conati sunt tam simulate et subdole intra ipsam ecclesiam spargere doctrinas acatholicas, sed simpliciter ab ecclesia defecerunt, qui subiacent poenis canonicis in apostatas statutis. De his viris in sensu suo obstinatis nihil dicendum, sed iudicium Deo relinquendum est.

---

[1] Verba capitis sunt haec: „Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab apostolica sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae." Haec verba non leguntur in Codice iuris canonici.

[2] Acta Apost. Sedis 16 (1924) 159 sq.

Vidimus alios quosdam fuisse, qui mente sincere catholica operam darent, ut documenta pontificia et alias declarationes auctoritatis ecclesiasticae dextere interpretando cum sententia „scholae largae" conciliarent. Qui, in quantum errabant, authentice dedocendi tantum erant, id quod saepius factum est.

62. Sed inventa est etiam alia via recipiendi decreta auctoritatis ecclesiasticae et simul proponendi doctrinam oppositam. Possunt videlicet hae duae classes argumentorum simpliciter ita iuxta se poni, ut quivis ipse iudicet, utra sententia verisimilior appareat.

At neque haec methodus Romae approbata est, saltem si argumenta „critica" ita exhibentur, ut eorum efficacia aut inefficacia non serio examini subiciatur. Ob hunc defectum d. 12 dec. 1923 in Indicem librorum prohibitorum relatum est opus, quod, iam per plura decennia late diffusum, in alias linguas translatum, in multa Seminaria inductum erat. Iuvat ipsa Acta inspicere, quia ex iis clare apparet, de qua re agatur, et quae fuerint rationes reprobationis.

Agitur de opere „Manuel biblique ou Cours d'Écriture Sainte à l'usage des Séminaires", quod F. Vigouroux († 21 febr. 1918) edere coepit anno 1879, sed cuius posteriores editiones inde ab anno 1907 aliis curandas delegavit. Has igitur novas editiones (i. e. duodecimam usque ad quintam decimam), quae praecipue ab A. Brassac, partim a I. Ducher paratae erant, Congregatio S. Officii proscripsit, damnavit atque in Indicem librorum prohibitorum inserendas mandavit cum omnibus versionibus[1].

De qua re ex mandato Ssmi Domini Nostri Pii PP. XI Em. Card. Merry del Val die 22 dec. 1923 litteras dedit ad supremum moderatorem Societatis Presbyterorum a Sancto Sulpicio, quibus rationes huius damnationis ita exponit:

„Reverendissime Domine,

Iam pluribus ab annis multi conquerebantur de opere, quod inscribitur ‚Manuel biblique ou Cours d'Écriture Sainte à l'usage des Séminaires' a D. Vigouroux et D. Bacuez, Societatis S. Sulpicii presbyteris, primum quidem exarato, sed postmodum a D. Brassac, eiusdem Societatis sodali, funditus retractato. Ipsa Sancta Sedes iam animum ad rem converterat, cum Reverentia Tua, anno 1920, a Summo Pontifice supplicibus precibus petiit, ut totum opus Romae examini subiceretur eaque omnia, quae forte inibi corrigenda essent, describerentur, ut in nova editione emendari possent. Cui petitioni, licet prorsus insolitae, Summus Pontifex Benedictus f. m. Pp. XV benigne annuit atque huic Supremae Congregationi volumina recognoscenda commisit.

Examine autem, pro rei momento, mature ac diligentissime peracto, manifestum apparuit opus laborare multis gravibusque vitiis, quae illud

[1] Acta Apost. Sedis 15 (1923) 615. Submissionis declaratio ib. 16 (1924) 160.

ita pervadunt et inficiunt, ut prorsus impossibilis foret ipsius emendatio. Missis enim quamplurimis aliis erroribus, D. Brassac circa inspirationem Sacrae Scripturae et eius inerrantiam, praesertim in rebus historicis, ubi inter substantiam narrationis et adiuncta distinguit, circa authenticitatem et veritatem historicam plurium librorum inspiratorum, ea habet, quae decretis dogmaticis sacrorum Conciliorum Tridentini ac Vaticani ceterisque documentis magisterii ecclesiastici, ut ecce Litteris Encyclicis Leonis XIII ac Pii X, decretis S. Officii et Pontificiae Commissionis de re biblica necnon toti traditioni catholicae evidenter adversantur.

63. Quod speciatim ad inerrantiam absolutam Sacrae Scripturae attinet, sufficiat in mentem revocare doctrinam Leonis XIII in Encyclica *Providentissimus:* ‚Nullatenus toleranda est eorum ratio, qui falso arbitrantur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recepit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano. . . . Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali Ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent; secus non Ipse esset auctor Sacrae Scripturae.... Consequitur, ut, qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.‘

Eandem doctrinam contra Modernistas defendit S. Officium damnando Prop. XI in decreto *Lamentabili*: ‚Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.‘

Tandem, in decreto Pontificiae Commissionis Biblicae diei 18 iunii 1915 edicitur, ex dogmate catholico de inspiratione et inerrantia Sacrarum Scripturarum consequi, quod ‚omne id, quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto‘.

64. Falsa etiam D. Brassac utitur methodo, cum, neglecta nimis expositione positiva integrae doctrinae catholicae, animo specietenus indifferenti proponit ex una parte argumenta, quae stant pro sententia traditionali, ex altera vero studiose effert rationes, quae arte critica, quam vocant, ex indiciis internis accumulantur ad novas opiniones commendandas, quin harum rationum inefficaciam atque debilitatem verbo indicet. Et ita parvi facit monitum Leonis XIII: ‚Perperam et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergat. Contra, perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quandam confirmationem, possint advocari.' Aliud etiam vetat Summus Pontifex in eadem Encyclica, scilicet ne in quaestionibus, quae ad eruditionem faciunt, ‚plus temporis tribuatur et operae, quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti'.

Non paucas habet Auctor interpretationes, quae sensui Ecclesiae omnino refragantur. Lamentanda sane res, cum Concilium Tridentinum decreverit, ‚ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus detorquens, contra eum sensum, quam tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendae forent'. Quam praescriptionem Patres Concilii Vaticani his verbis declararunt: ‚Quoniam vero, quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos idem decretum renovantes hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari.'

65. Generatim autem Auctor, licet sententias *scholae largioris,* quas studiose proponit, non semper aperte amplectatur, ad eas tamen inclinat, et saepius adhibet locutiones ambiguas et formulas captiosas, quae utroque modo, tum orthodoxo tum opinionibus eiusdem *largioris scholae* favente, intellegi possunt, immemor aureae illius regulae, quam

Pius X ab omnibus Sacram Scripturam praelegentibus stricte servari praecepit: ‚Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit numquam a communi doctrina ac traditione Ecclesiae vel minimum discedere; utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commentaria negleget; idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intellegentiam et defensionem Scripturarum conducat; denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur' (Litt. Apost. *Quoniam,* 27 martii 1906, § 13)[1].

Nihil Auctor curat, ut parum dicamus, decisiones Pontificiae Commissionis Biblicae, de quibus Pius X edicit: ‚declaramus expresseque praecipimus universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum, pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiciendi'.

Quin D. Brassac haec praecepta sancte servet, potius vim argumentorum, quae favent doctrinae communiter receptae enervat, dum e contrario fortiter difficultatibus ab adversariis allatis insistit; saepe documenta magisterii ecclesiastici neglegit vel eorum sensum ad propria placita pervertit; indolem praeternaturalem vel miraculosam plurium factorum ab hagiographis narratorum vel silentio premit vel ad minimum reducit; vaticiniis messianicis non raro omnem fere vim probandi adimit; in multis a recto tramite doctrinae theologicae deflectit; plus aequo tribuit auctoribus heterodoxis vel scriptoribus catholicis theoriis liberioribus imbutis, dum Leo XIII declarat, nimium dedecere, ‚ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab iisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint', nec incorruptum Sacrarum Litterarum sensum ab iis tradi posse, qui, ‚verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt'. Tandem quasi nihil habet, quod pietatem fovere possit, ac ita spiritum, quo antiquum D. Vigouroux opus praestabat, penitus immutavit.

Quae omnia eo graviora sunt, quod agitur de ‚Manuali', quod in manibus versatur tot alumnorum sanctuarii, quorum institutioni Ecclesia materna cum sollicitudine invigilare debet. Ipsa enim vehementer cupit, ut ii, qui in spem altaris succrescunt, reverentiam ac amorem altissimum erga Sacram Scripturam concipiant, ita ut, sacerdotio aucti et vineam Domini ingressi, experimento noscant, quam sit ‚utilis omnis Scriptura

[1] Hae litterae Pii X integrae leguntur in Actis S. Sedis 39 (1906) 77—80 aguntque ‚de ratione studiorum Sacrae Scripturae in Seminariis Clericorum servanda'. Verba citata sunt praeceptum XIII.

divinitus inspirata ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus' (2 Tim. 3, 16 17).

Quare Emi ac Revmi DD. Cardinales una mecum Inquisitores Generales latum die 12 huius mensis praefati operis damnationis decretum edere sui muneris esse duxerunt, ac simul cetera nondum evulgata decimaequintae editionis volumina operis ‚Manuel biblique' imprimi omnino prohibuerunt.

Haec autem omnia SSmus Dominus Noster Pius PP. XI, suprema Sua auctoritate probata ac confirmata, tecum communicanda mandavit." [1]

66. Conclusiones quaedam. His litteris rursum perspicue indicatur, quid suprema auctoritas ecclesiastica exigat a theologis catholicis, qui vel inspirationis dogma exponunt vel libros Sacrae Scripturae interpretantur. Si quis deserit traditionem catholicam et super eius ruinas conatur aedificare novum aedificium ex lapidibus, quos rationalistae acatholici collegerunt, hoc aedificium corruet, antequam finitum est. Experti sunt hoc modernistae.

Si quis autem non eo usque procedit, sed vult quaedam ab aliis inventa et probata transferre ad usum catholicae veritatis, utique hoc recte fieri potest, dummodo cum debita cautione et distinctione fiat, spectatis rationalistarum principiis. Rationalistae enim non ideo dicuntur, quia ratione utuntur, sed quia supremam veri normam rationem statuunt, eamque non universalem generis humani, sed suam quisque propriam, respuentes omnem auctoritatem intellectualem proprie dictam, maxime autem auctoritatem Dei revelantis. Loquuntur quidem interdum de revelatione supernaturali; attamen subdole addunt se non intellegere neque supernaturale neque revelationem sensu legendarum medii aevi, quasi legendae medii aevi catholicis sint regula fidei. Catholica autem fides non innititur legendis medii aevi, sed revelationi a Deo per Iesum Christum factae et per magisterium apostolicum, a Christo institutum, propagatae et conservatae. Hanc revelationem sensu catholico intellectam et magisterium apostolicum negant rationalistae, qui, quando loquuntur de revelatione, non aliam intellegunt, quam eam, quae, independenter ab omni externa testificatione auctoritativa, intra ipsos homines singulos percipitur, et cuius singuli sunt et subiecta et norma. Consequenter ad singulorum forum revocanda et iudicanda est omnis revelatio. Quae cum ita sint, fides ecclesiae catholicae et rationalistarum principia theologica tantum inter se distant, ut nulla arte conciliari possint.

Rationalistae, interpretantes S. Scripturam, hoc pro primo principio ponunt: Nulla explicatio est admittenda, quae ordini naturali et experientiae humanae non congruit. Esse e. g. prophetas vere praescios

[1] Acta Apost. Sedis 15 (1923) 616—619.

rerum multo post futurarum, quae secundum leges humanae cognitionis sciri nequeunt, negandum est. Si talia in Scriptura leguntur, sunt vaticinia post eventum, per quandam scribendi licentiam priscis viris attributa.

Tota vita Iesu Christi, prout in evangeliis narratur, plena miraculorum omnis generis, non est vita, quam „Christus historiae" vixit, sed est vita, qua „Christus fidei" per primam vel secundam generationem christianorum speculationibus theologicis ex homine religioso transfiguratus est in Filium Dei incarnatum.

Haec et alia per modum principiorum statuta apparent statim ut somnia vaga, nisi solidius quid admisceatur. Ideo non raro magna diligentia, interdum etiam ingeniosa quadam inventionis vi, plurima ex libris et monumentis historicis, ex linguarum studiis, ex aliis disciplinis corripiunt, ut fundamentum, saltem specietenus solidum, parent assertionibus suis.

Iam nihil obstat, quominus catholici quoque theologi utantur iis, quae viri eruditi quicumque invenerunt utilia ad expositionem Sacrae Scripturae. Id ipsi summi pontifices saepius commendarunt. Neque vero semper facile est distinguere inter res ipsas et aestimationem philosophicam vel theologicam rerum. Hinc factum est, ut quidam catholici a vero aberraverint: e. g. ii, qui putabant satis esse inerrantiam Scripturae retinere in solis rebus ad religionem pertinentibus, in aliis autem rebus licitum esse admittere errores commissos a scriptoribus sacris. Haec quidem opinio statim reiecta est a summo pontifice Leone XIII. Reapse tamen haec opinio uno alterove modo subest omnibus fere illis sententiis, quae his viginti annis notatae sunt a suprema auctoritate ecclesiastica.

67. Sunt igitur duo quasi inimica castra: hinc ecclesia catholica, quae docet in quaestione biblica omnia esse diiudicanda secundum principia revelationis supernaturalis, a Deo acceptae; illinc rationalistae, qui dicunt omnia esse naturaliter explicanda secundum rationis humanae decreta autonoma.

In qua re valet illud: „Nemo potest duobus dominis servire"; qui unum audit, alterum contemnit. Eligendum igitur est inter ea, quae summi pontifices ipsi vel pontificiae congregationes contra doctrinas biblicas rationalistarum statuerunt, et ea, quae rationalistae contra doctrinam ecclesiasticam asserunt. Nam velle in ecclesia manere et intra eam spargere doctrinas ab ipsa prohibitas non est honestum, sed perfidum; et pro vigilantia ecclesiae ad irritum cadet talis conatus.

Nihilne igitur licet recipere a rationalistis? Si quis ita censeret, esset falsa conclusio. Vera admittuntur, etsi a rationalistis dicuntur, sive pauca sive multa sunt. Reiciuntur autem eorum falsa principia cum omnibus conclusionibus ex iis manantibus, et reiciuntur singula eorum dicta, quae ab ecclesia condemnata sunt.

Sed, ita obicere licet, non omnia pronuntiata summorum pontificum neque decreta ulla congregationum pontificiarum neque responsa Commissionis biblicae sunt definitiones infallibiles. Ergo possunt corrigi. Quid inde? Utique possunt corrigi, si quae minus recte dicta deprehenduntur. Sed a quo correctio adhibetur, si rectus ordo servatur? Numquid pastores ab ovibus reguntur, an oves a pastoribus? Itaque si inferior auctoritas errasse censetur, licet servatis servandis aut ab ipsa aut a superiore auctoritate remedium petere. Etiam ipsi supremae auctoritati licet rationes in contrarium proponere, animo parato ad debitam subiectionem.

Neque propter responsa de quaestionibus biblicis data interdictum est argumenta in utramque partem discutere, modo ne ita fiat, ut species praebeatur rebellionis et despectionis vel neglectionis auctoritatis ecclesiasticae. Veritas tandem aliquando victrix erit, quamvis forsitan ipsa auctoritas sit, quae erraverit. Auctoritas ecclesiastica, etiam in actibus suis non infallibilibus, est vera et legitima auctoritas, quae potest et debet intra suam regionem postulare oboedientiam intellectualem; et praeterea tam caute procedit, ut pauca sint, quae ab ipsa statuta postea inventa sunt correctione indigere et correcta sunt. Comparentur cum his paucis erratis et correctis plurimae istae doctrinae biblicae, quae, solo saeculo XIX a rationalistis statutae, nunc ab omnibus inter gravissimos errores numerantur, quorum historia multa volumina impleri possunt. Itaque qui auctoritatem ecclesiasticam sequuntur, etiam non infallibiliter docentem, multo magis tuti sunt a periculo errandi quam illi, qui adhaerent rationalistis, quorum opinionum commenta continuam mutationem habent.

68. In omni disputatione, quae auctoritate publica deciditur, alterutram partem succumbere necesse est. Quod si fit, utique molestum est opinionis, quam quis acriter defendit, ab auctoritate repulsam ferre. Attamen in quaestionibus biblicis, nostro saeculo agitatis, neutra pars extrema perfectam victoriam adepta est. Nam ii, qui a Scripturae interpretationibus usitatis nulla condicione ut recederetur permittere volebant, monitionem acceperunt, eorum sententiam non esse probandam, si, salva fide, studiorum bona incrementa alias interpretationes postularent. Ii vero, qui, supra modum progressui favent es, vetera omnia removere et eorum loco nova ponere studebant, edocti sunt hunc esse ausum temerarium, sensui ecclesiae, traditioni suae fideliter inhaerentis, contrarium. Quodsi horum opiniones multae reprobatae sunt a Commissione biblica, hoc tamen aliquotiens factum est sub iis exceptionibus, quae theologis summe „conservativis“ minus placebant. Si quibusdam in mentem revocare oportebat Scripturam interpretandam esse secundum consensum SS. Patrum, aliis inculcatum est non quodvis dictum exegeticum alicuius S. Patris necessario tenendum et defendendum esse.

Hic igitur est fructus non spernendus tot disputationum, quod auctoritas ecclesiastica, diligenter expensis omnibus, quae hinc atque illinc exposita erant, mediam viam ostendit, qua sola secure ad desideratum finem perveniri potest. Desperent de veritate „absoluta“ invenienda rationalistae; theologis catholicis, mentem ecclesiae fideliter sequentibus, licet ita gaudere de firma possessione plurimarum veritatum immutabilium, ut nihilominus sciant se integrum thesaurum caelestem nondum esse assecutos, sed durante hac mortali vita in cognitione, expositione, defensione veritatis revelatae continenter esse progrediendum [1].

[1] Cf. *Norbert Peters*, Der heutige Stand der biblischen Frage in unserer Kirche: Theologie und Glaube 16 (Paderborn 1924) 337—355. Quam dissertationem non legi nisi opusculo meo iam diu finito. Eo igitur magis gaudendum est, quod in rebus gravissimis ad easdem vel similes conclusiones pervenimus.

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales.)

A.

Actuum apostolorum auctor, historica veritas, tempus compositionis 50, 9.
Allegorica expositio SS. Patrum 52.
Apparentia. Locutiones secundum apparentiam 18 54.
Auctor principalis Scripturae et inspirator est Deus 10—11 53; — auctor humanus quis sit, per se est quaestio libera 48; — per accidens aliter sentiendum est 48—51.
Augustinus 32; — de veritate historica Scripturae 52 nota.

B.

Bacuez *vide* Vigouroux.
Badino 40.
Bainvel 9 11.
Benedictus XV 8 20 26 31 53—54.
Beßmer 20.
Billot 7 21.
Bonaccorsi 35 57.
Brassac *vide* Vigouroux.
Brucker 24 41 58.
Buonaiuti 61.

C.

Carbone 20.
Causa instrumentalis fuerunt hagiographi, quod non negatur a Franzelin 3; — hoc non nimis premendum 5; — secundum de Hummelauer 37—38; — secundum S. Hieronymum 53.
Citationes implicitae 21—26 54 56.
Civiltà Cattolica 55—59.
Commissionis biblicae responsa 22 36 42 50—51; — eorum auctoritas 60 nota 65 67.
Conceptus inspirationis 1—12; — abstractus et concretus 14.
Congregatio consistorialis excludit quaedam opera ab usu Seminariorum 43 ad 46.
Criteria inspirationis non sunt scopus hagiographi 18; — utilitas ad salutem 19.
Critica caute adhibenda, attentis magisterio et traditione ecclesiae 47 51 53 ad 54 59—68; — eius ambitus 48—49.

D.

Dausch 7.
David praecipuus auctor psalterii 50, 6.
Delattre 22.
Deus inspirans 2 4; — auctor et inspirator 10; — loquens in Scriptura 11.
Dorsch 10 25 32 36 nota 52.
Ducher *vide* Vigouroux.
Durand 16—17 21.

E.

Egger 18—19.
Engelkemper 28.
Epistulae ad Hebraeos auctor et modus compositionis 50, 11.
Epistularum pastoralium Pauli apostoli auctor, integritas, tempus compositionis 50, 10.
Error nullus in Scriptura 11 13—20 25 53 63.
Evangelia historice vera sunt 50, 3 7 8; synopticorum inter se relatio 50, 8.

F.

Felder 7.
Fonck 28 36.
Franzelin impugnatur a Neothomistis 1—9.

G.

Genera litteraria 32—36 54 56.
Geneseos trium priorum capitum character historicus 50, 5.
Göttsberger 14 20—22 30.

H.

Hagiographus est causa instrumentalis *vide* Causa; — eius intentio in scribendo et inspiratio 18; — eius scientia

18; — sub influxu inspirationis secundum de Hummelauer 37—38.
Harnack 20.
Hartl 19.
Hieronymus exemplar Scripturae recte aestimandae et tractandae 53—54.
Historia antiqua 33 37—38.
Historia litteraria Scripturae et hagiographus secundum de Hummelauer 38.
Historici libri S. Scripturae 36 50, 1 54.
Höpfl 50, 2 nota.
Holzhey 41 43—44.
Houtin 14.
Hugo 30 39.
Hummelauer 21 27 38 48—49 58.

I.

Iácome de conceptu inspirationis neothomistico contra Franzelin 1—5.
Impedimenta sani studii exegetici sublata per encyclicam „Providentissimus" 55.
Inerrantia Scripturae 11 13—20 25 53 63.
Inspiratio secundum theoriam neothomisticam 1—9; — verbalis 3 7—8; — verbalis late dicta „psychologica" 9; — eius conceptus secundum doctrinam nunc praevalentem 12; — ex parte hominis inspirati secundum de Hummelauer 37 ad 38; — doctrina ecclesiae de inspiratione 60.
Intentio hagiographi et inspiratio 18.
Ioannes auctor quarti evangelii historice veri 50, 3 54.
Ioannes a S. Thoma 5.
Isaias propheta unus 42 50, 4.
„Iuvabit transferri" 29—31 54 56 59.

K.

Knabenbauer 56.

L.

Lagrange 14 36 43 46 58—59.
Lebbe 41.
Leo XIII 11 29—31 47 59 61 63—64.
Liber inspiratus 2.
Librorum historicorum Scripturae indoles secundum de Hummelauer 37; — secundum Commissionem biblicam 36 50, 1; — secundum Benedictum XV 54.
Locutio divina in S. Scriptura 11.
Loisy 13—15 20 57 59—61.
Lucas auctor tertii evangelii et Actuum apostolorum 50, 8 9.

M.

McDonald 28.
Magisterium ecclesiae in uso artis criticae respiciendum 36 46—47 50—51 53—54 59—68.
Maier Frider. 45.
Mangenot 5 nota 6 9 12 17 24 30 36 41 52—53.
Marcus auctor secundi evangelii historice veri 50, 8.
Matthaeus auctor primi evangelii historice veri 50, 7.
Merkelbach de conceptu inspirationis neothomistico contra Franzelin 6.
Midrash 34 44.
Mignot 14.
Modernistae 15 20 57 60 61 63.
Moyses auctor Pentateuchi 50, 2.
Muncunill 8.
Murillo 30.

N.

Neothomistae impugnant Franzelin 1—9.

O.

Origenes erravit de veritate historica Scripturae 52.

P.

Parabola 32.
Patrum auctoritas 52.
Paulus apostolus est auctor epistularum pastoralium et ad Hebraeos 50, 10 11.
Pentateuchi authentia mosaica 50, 2.
Peters Norb. 30 68.
Pignataro 11.
Pius X 26 47 60 nota 61 65.
Pius XI 62—65.
Praemotio physica non introducenda in conceptum inspirationis 6—7.
Prat 11 21 24 57.
Protin 41.
Psalmorum tituli, auctores, tempus compositionis 50, 6.

R.

Rampolla 59.
Rationalismus *vide* Critica.
Redactio librorum sacrorum 17.
Relativa veritas in Scriptura 13—20 54 57.
Revelatio distinguenda ab inspiratione 6; — testificativa Dei in Scriptura 11.
Revue biblique 46 58—59.

S.

Satolli 59.
Schanz 7.
Schiffini 7 11 22—23.
Scientia hagiographi 18; — in rebus profanis, praesertim historicis, secundum de Hummelauer 33—38.
Scopus hagiographi et inspiratio 18.
Scriptor inspiratus 2—3.
Sententiae S. Scripturae 3.
Synopticorum inter se relatio 50, 8.

T.

Thomas Aquinas 1 3 5.
Toledoth 28.
Touzard 50, 2 nota.
Traditio catholica in usu artis criticae attendenda 36 48—52 54 57 60—68.
Tyrrell 20.

U.

Utilitas ad salutem et inspiratio 19.

V.

Verba materialia 3.
Verba Scripturae sunt verba Dei 11.
Verbalis inspiratio 3 7—9.
Veritas absoluta aut relativa Scripturae 13—20 54 57.
Vetter 28.
Vigouroux-Bacuez-Brassac-Ducher 62 ad 65.

Z.

Zanecchia 7.

ADDENDA ET CORRIGENDA
IN OPERE „DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE".

p. XI lin. 3 pro senu lege: sensu.
p. 2 nota 2 adde: Cf. Constit. *Pii X* „Vacante Sede Apostolica" d. d. 25 dec. 1904, n. 55 (*Cod. iur. can.* Documentum I).
p. 4 n. 5 lin. 3 post inspiratio passiva adde: seu personalis.
p. 12 alinea 2 lin. 1 in fine pro iudai- lege: hebrai-.
p. 12 nota 1 adde: Quando libri orti sint, non est hic investigandum, sed sufficit nobis, quod Iudaei multis saeculis ante Christum habuerunt libros sacros, in quibus illa testimonia scripta sunt.
p. 15 nota 6 adde: Cf. *Hölscher,* Kanonisch und Apokryph, Leipzig 1905.
p. 17 n. 13 lin. 8 pro historicam lege: historiam.
p. 28 nota 2 adde: Germanice: Mose Ben Maimon, Führer der Unschlüssigen. Ins Deutsche übertragen und mit erklärenden Anmerkungen versehen von Dr. *Adolf Weiß,* Leipzig 1923.
p. 48 n. 44 lin. 7 post dilectum pone solam virgulam (, pro ;).
p. 50 n. 47 lin. 2 post erit adde: (n. 57).
p. 70 nota 1 post *M* 29, 722 adde: Cf. De Spir. S. c. 1, n. 2; *M* 32, 69.
p. 73 nota 5 adde: et cf. *Cyr. Al.,* Adv. Nestor. l. 2, c. 7; *M* 76, 88.
p. 75 alinea 3 lin. 1 pro quidem lege: quidam.
p. 90 nota 3 adde: Cf. In Gen. hom. 13, n. 4; *M* 53, 110.
p. 104 nota 4 adde: *Ludwig Schade,* Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus, Freiburg i. Br. 1910: Biblische Studien 15, Heft 4/5. De *Benedicti XV* Encyclica „Spiritus Paraclitus" (Acta Apost. Sedis 1920, 385 sqq.) *vide* Supplementum n. 8 20 26 31 53 54.
p. 113 in fine n. 118 adde: Alibi de auctoritate Scripturae et Sanctorum haec ait: „Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adiutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum" (Epist. 148, 15; *M* 33, 628 sq.).
p. 126 n. 135 lin. 4 a fine pro Choc oncilio lege: hoc Concilio.
p. 126 nota 2 in fine adde: *Hagen* apud *Cornely,* Compendium Introd.[8], 1914, n. 21.
p. 127 nota 4 adde: Cf. *Denz.*[14/15] n. 19 nota.
p. 143 nota 4 lin. 5 pro phrophetarum lege: prophetarum.
p. 150 post alinea 1 adde: Cf. Miscellanea q. 6, n. 7 sqq. (Opera omnia V, Parisiis 1891, 408 sqq., praesertim p. 414); In 4, d. 3, q. 4, n. 13 sqq. (ib. XVI, 1894, 366 sqq.).
p. 151 n. 161 in fine adde: n. 561.
p. 159 ad notam 1 adde: Cf. praeterea Comm. in Dion. Areop. De mystica theologia Prooem. (Opera omnia XIV, Parisiis 1892, 811); Comm. in Ps. Praef. (ib. XV, 1892, 5); Enarr. in Apoc. Prologus (ib. XXXVIII, 1899, 468).
p. 159 n. 170 lin. 3 lege: ut ipse ait *Quaest. disp. de Verit.* q. 12, a. 13. . . .
p. 171 nota 2 lege: Ib. q. 70, a. 1 ad 3; q. 91, a. 1 ad 4.

p. 199 nota 2 lin. 6 a fine lege: Ecclesiasticus 24.... — In fine eiusdem notae adde: Auctor huius operis est Nicolaus Stör, † 1424. Cf. *H. Hurter,* Nomenclator II^3, 1906, 789 sq., et *A. Franz,* Die Messe im deutschen Mittelalter, Freiburg i. Br. 1902, 527 sqq.

p. 257 alinea 1 lin. 3 pro magis lege: minus.

p. 261 nota 2 in fine adde: Cf. *P. Thureau-Dangin,* La renaissance catholique en Angleterre au XIX^e siècle II, Paris 1903, 422 sqq.

p. 273 lin. 5 a fine pro Mt. 20 lege: Mt. 10, 20.

p. 333 n. 333 lin. 6 post „relatus est" adde notam 2: Anno 1904 editio correcta Romae publici iuris facta est, quae est approbata. „Nuova esposizione dei criteri teologici".

p. 347 nota 1 adde: Cf. Acta S. Sedis 35 (1902/03) 234.—In fine n. 345 adde: Leoni se adiungit *Benedictus XV* (Acta Apost. Sedis 1920, 385 sqq.); cf. *Supplementum* n. 8 20 26 31 53 54.

p. 374 n. 371 in fine adde: (n. 493 nota; 535 nota 2).

p. 382 ad notam 3 in fine adde: Cf. supra n. 11.

p. 387 n. 382 alinea 2 lin. 3 in fine adde: γραφαὶ ἅγιαι (Rom. 1, 2).

p. 389 n. 384 lin. 8 post David adde: Cf. Hebr. 3, 7.

p. 395 nota 4 lege: Epist. 145, 1.

p. 396 ad notam 2 adde: Cf. supra n. 135 sq.

p. 398 nota 2 pro actuum lege: actorum.

p. 400 nota 7 adde: et apud *St. Beissel,* Geschichte der Evangelienbücher in der ersten Hälfte des Mittelalters, Freiburg i. Br. 1906, 1 sqq.

p. 401 alinea 1 lin. 8 pro quos lege: quod.

p. 451 nota 1 lin. 3 pro Totus liber Iob lege: Totum librum Iob.

p. 454 in ultima linea pro Ps. 118 lege: Ps. 108, et ad n. 447 adde: Cf. Neh. 4, 4 sq.; Ier. 17, 18; 18, 21 sqq. — In paenultima linea n. 447 pro socundum lege: secundum.

p. 459 ad priorem partem notae 1 cf. Responsum Commissionis biblicae de parousia seu de secundo adventu Domini nostri, d. d. 18 iun. 1915 (*Denz.*$^{14/15}$ n. 2179—2181).

p. 464 n. 455 in fine adde: Cf. The Tablet 1906 II 49 sqq.

p. 473 lin. 9 post Amos adde: pastor.

p. 479 nota 1 lin. 10 ante Generatim adde: Paulo aliter in ed. 3, Ratisbonae 1906, 697 sq., ubi exprimit dubium, quin mox futurum sit, ut de hac re inter theologos conveniat. Sed quod ibi censet theoriam recentem psychologicam et theoriam veterum thomistarum esse eandem, verum mihi non videtur. (Cf. Supplementum n. 8 sq.)

p. 491 n. 482 lin. 3 adde notam: Cf. *Aem. Dorsch* in Zeitschrift für kath. Theologie (Supplementum n. 52).

p. 493 lin. 2 post falsum."[1] adde: „Si autem vel in modico auctoritati Sacrae Scripturae derogetur, iam nihil fixum in fide nostra esse poterit, quae Sacris Scripturis imititur, secundum illud Io. 20, 31: .Haec scripta sunt, ut credatis'" (Contra gent. 4, 29: „Haec autem positio").

p. 503 n. 492 in fine adde notam: „Fertur, ut Hebraei tradunt, Lazarum esse quendam, qui tum temporis Hierosolymis extrema paupertate aegritudineque laborabat." *S. Cyrillus Alex.,* Contra anthropomorph. c. 16; *M* 76, 1106.

p. 504/5 post notam 2 adde: Cf. *M. Meinertz,* Jesus und die Heidenmission 120 sq.; *K. Weiß,* Exegetisches zur Irrtumslosigkeit und Eschatologie Jesu Christi, Münster i. W. 1916, verba Matth. 10, 23 explicat ita: Non convertetis civitates Israel ad fidem, donec veniat iudicium super Ierusalem (184 sqq.).

p. 512 n. 503 lin. 2 post *per accidens* adde notam: *S. Thomas,* In 2, d. 12, a. 2; S. th. 2, 2, q. 1, a. 6 ad 1; q. 2, a. 5; cf. supra n. 411 nota et *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VIII$^{4/5}$ n. 189.

p. 522 n. 515 lin. 5 pro scientia historica lege: factis.

p. 528 n. 520 lin. 4 a fine adde: Cf. Recherches de science religieuse 4 (1913) 75.

p. 528 post titulum ART. VI adde notam: Cf. *J. Selbst* in Handbuch zur biblischen Geschichte von I. Schuster und J. B. Holzammer I^6 (Freiburg i. Br. 1906) 29 sqq. 40 sqq.

p. 530 in fine adde notam 6: Neque obstat, quod dicunt *Gregor. Nyss.* (In Cant. hom. 9; *M* 44, 973) et *Olympiodorus* (In Iob; *M* 93, 461) de nominibus quibusdam ex mythologia in S. Scripturam transumptis. Cf. Prael. dogm. III, n. 88 nota.
p. 535 lin. 6 a fine pro Mattheao lege: Matthaeo.
p. 538 nota 2 adde: cf. 1660 (*Denz.*[14/15] n. 1707 1813).
p. 546 nota 1 adde: Cf. *de Hummelauer,* Parisiis 1895, 345.
p. 547: Signum notae 2 pone e lin. 5 in lin. 6 post: vidimus.
p. 547 in fine n. 537 adde: Ceterum sunt sine dubio etiam in Novo Testamento citationes implicitae, ut e. g. Iudae 9 de altercatione archangeli Michaelis et diaboli de corpore Moysis, quae narratio aut ex traditione iudaeorum aut ex libro de assumptione Moysis sumpta est. Cf. Iudae 14.
p. 547 n. 538 lin. 14 post litteris adde notam 4: Simili modo ortum esse Pentateuchum existimat *P. Vetter:* Theologische Quartalschrift 85 (Tübingen 1903) 521 sqq.
p. 552 lin. 13 post affirmentur adde: Cf. dicta n. 523.
p. 565 ad titulum ART. II adde notam: Cf. *H. I. Nix,* Cultus SS. Cordis Iesu[3] (Friburgi Brisg. 1905) 97 sq.; *Knabenbauer,* In Matth. 2, 17 sq. I[3] (1922) 159 sq.
p. 565 n. 556 lin. 18 pro indicatur lege: indicantur.
p. 568 ad notam 2 adde post *M* 42, 345: item 12, 29 sqq.; *M* 42, 269 sqq.
p. 618 nota 5 lege ab initio: E. g. *Irenaeus* citat librum ut Scripturam (Adv. haer. 4, 20, 2; *M* 7, 1032); *Origenes*. . . .
p. 619 nota 1 adde: *Funk,* Proleg. ad Constitutiones apostolorum XV.
p. 629 n. 624 lin. 7 pro fueretur lege: frueretur.
p. 640 col. 2 sub **Ecclesiastes** dele: 24, 5 . . . 207 nota; et sub **Ecclesiasticus** adde: 24, (1) 5 . . . 207 nota.
p. 643 post **Activa** adde: **Adventus** Christi secundus et apostolorum de eo opiniones 450 nota.
p. 644 sub **Bellarminus** post 457 adde: 469 nota.
p. 645 post **Definitio** adde: **Delattre** ante 525.
p. 646 sub **Epiphanius** pro 283 lege: 284.
p. 647 sub **Gerhardus** pro 564 lege: 565.
post **Habacuc** adde: **Habitus**: prophetia vel inspiratio non est habitus 170 sqq. 417.
post **Henricus Gandav.** adde: **Hermae** Pastor 608 610 612.
p. 648 sub **Inspiratio** lin. 9 post intermittens adde: 170 sqq. 417; ib. lin. 11 post 377 sqq. adde: 395.
sub **Leo XIII** dele: 513.
sub **Lex** adde in fine: lex humana quomodo tribuatur regi vel summo pontifici auctori 406.
p. 648 col. 2 lin. ultima pro 508 lege: 588.
p. 649 post **Lutherus** adde: **Lyranus** 166 sq.
p. 650 post **Newman** adde: **Nicolaus** Lyranus 166 sq.
sub **Nomina** Scripturae post 294 adde: 382.
post **Pentateuchus** adde: **Perditi** libri sacri 91 588.
sub **Pesch** pro 308 lege: 309.
p. 651 sub **Psalmi** adde in fine: imprecatorii 447.
sub **Scriptura** lin. 2 post 41 adde: 382.
sub **Sibyllini** adde: 171 nota.
p. 652 sub **Valentia** adde: 469 nota.
p. 653 sub **Veritas** lin. 6 post relativa adde: 362 sqq. 368.
sub **W** initio adde: **Waldensis,** Thomas 200 sqq.

31277
CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS480.P47 C001
DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURAE ED. P
3 0311 00016 1468
WITHDRAWN

BS 31277
480
P47 Pesch, Christian, 1853--
AUTHOR
TITLE DE INSPIRATIONE SACRAE SCRIPTURE.

DATE DUE	BORROWER'S NAME

220.01 P473d

STUDENTS' LIBRARY 1908

BEFORE TAKING BOOK

from library, remove slip; put your name and date on it and place it in the box provided for the same,

WHEN RETURNING BOOK

return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.

Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best possible service from your library.

3 0311 00016 1468